

# EXAMEN
# EPISCOPORUM,

ET EORUM, QUI APPROBANDI SUNT
Ad administranda Sacramenta, utile Examinatoribus, Judicibus Ecclesiasticis, Advocatis, & Procuratoribus.


OMNES DECISIONES JURIS CANONICI;
*Et Materias Sacramentorum, Censurarum, & Decreta Sacri Concilij Tridentini mira claritate, & brevitate per Interrogationem, & Responsionem.*

# CONTINENS.

*AUCTORE*
Jllustrissimo, & Reverendissimo Domino

## D. HIERONYMO VENERO LEYVA

Archiepiscopo, & Abbate Ecclesiæ Metropolitanæ Montis Regalis, & Domino temporali Civitatis, & totius Status & priùs Abbate de la Sey, & Canonico S. Ecclesiæ Conquensis, Consiliario Sanctæ Inquisitionis, Ordinario Siguntino, Regio Capellano, Habitus, & Militiæ Sancti Iacobi de Spata, utriusque Juris Professore.



*EDITIO POSTERIOR AUCTIOR & CORRECTIOR*

POSNANIÆ,
Typis Collegij Lubransciani ACADEMIÆ POSNANIENSIS
Annô Domini MDCCXXXV.

SUPERIORUM PERMISSU


*In Avitum*
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,
INSIGNE.





Præſuleis cognate Pedis vel Nomine ſolo,
Quid ſtas? carpe aliam PES HOSIANE viam,
Summa petas; donec poſt æſtus ipſa Galerô
Præcingent meritum Præſulis Aſtra Caput.

# *ILLUSTRISSIMO,*
## *EXCELLENTISSIMO ac REVERENDISSIMO*
DOMINO, DOMINO
# STANISLAO IOSEPHO
*de* BEZDAN
# HOSIO
EPISCOPO Posnaniensi, ABBATI Comendatario Czervenensi
DOMINO,
*PROTECTORI AMPLISSIMO.*


*D examen coram Te sistimur PRÆSUL ILLUSTRISSIME. Examen quidem Typîs nostrîs consumatum Tibi deferimus, quia tamen eô gratitudinem Academicam, erga Antistitem & Pastorem probari volumus, novam Examinis damus materiem. Scimus, quod parvitate muneris, magnitudinem Tuam minuimus; scimus quòd Olympo Præsulei Honoris nisi athomum adijcimus; sed quia magna nobis non suppetunt, litamus ad Aram Nominis Tui minorem victimam quod grandior desit Hecatumbe, ignoramus àn deliquimus. Quanquàm esto peccaremus, adhuc vel*

 *exin*

exinde Pastor & Antistes peccantes absolveres, quod tanquàm Apelli lineam, Homero Iliadem, Volumen hoc vere Tuum, Tibi substernimus. Quid-quid enim in illo legimus, totum debetur HOSIIS, Concilium Nicænum citatur, Illius Moderatorem Præsulem Cordubensem HOSIUM veneramur. Tridentinum allegatur, STANISLAUM HOSIUM S.R.E. Cardinalem, Varmiensem Episcopum, Majorem Pœnitentiarium, *Catholicæ fidei acerrimum Propugnatorem, omnium virtutum laudibus & exemplis ad imitandum abundantem, ad stuporem Orbis & Gentis Polonæ gloriam, Præsidem adoramus. Magnæ molis erat tantæ imposuisse Synodo coronidem, imposuit STANISLAUS & nactus Coronam gloriæ; Rhodus & saltus erat consumâsse; consumavit ut Hæreses consumeret. Non cedit abhinc Delphis Polonia, habuit suum in HOSIO Apollinem, qui Orbi dabat Oracula dum Concilio præsidebat. De pari certat cum Arabia, quod sæculorum & ingeniorum Phœnicem, cui Rota Cardinalitia nidus erat, ediderit STANISLAUM. Una nisi Jovis cerebro prognata Pallas, HOSII Caput supra Jovis verticem, tot eruditis fœcundum partubus! quos Orbis Europæus legit & stupet. Proscripsit Tripos hic Lechicus erudita pennâ Errores Hæreseos, imo quoniam tanto Herculi Hydra hæc par non fuerat, Avito nisi conculcavit Pede, & resurgere ampli-

* Okol: Orbis Poloni Tom 2do. Fol. 280.

amplius non poteſt. Triumphalis eſt HOSIORUM Planta, uti Patriæ hoſtes ſveta atterere, ita Hæreſeos monſtra calcare. Nihil ei eſt invium, Hiſpaniam, Italiam Germaniam, Poloniam magnorum meritorum emenſa progreſſibus, in curſu gloriæ nunquàm ſtataria. Regum etiam invaſit pectora, ULRICUS HOSIUS Regis SIGISMUNDI I. primus amor, ad CAROLUM V. & FERDINANDUM Auguſtos Romanorum Imperatores Legatus, vel eâ ipſâ in affectus Cæſarum immigravit. Fixa Regum in animis Plantæ HOSIANÆ ſtatio, JOANNEM & ULRICUM Gudſtadienſem Capitaneum HOSIOS, Flos de Valle HENRICUS Valeſius, Corona Nominis STEPHANUS Batoræus Reges Poloniæ gratijs coronârunt. Proſecuta debito cultu tanquam Orbis Reliquias Pedem HOSIANUM Regum Majeſtas, STEPHANUS & SIGISMUNDUS III. ad Aras Eum Præſulæi Honoris voluit appendere, niſi STANISLAUS HOSIUS Varmienſis Canonicus, S. R. M. Secretarius ſatis Honori duxerit, quòd tanquam ſignaculum ſuper Cor Bathoræi eundem poſuerit; Alter ejuſdem Nominis & Honoris, calcato Orbe, Plantam Avitam in Orbem ſeraphicum tranſplantaverit. Glorioſa hæc Pedis HOSIANI veſtigia, & ultro ſe ambientes Honores non ambire & inſequentes ſe non ſequi. Scribebant merita ULRICO HOSIO Theſauri M. D. Lithva-

niæ Notario Suffragium ad altiora, optabat grandia facta pensare importunus Honor, recusavit ULRICUS, famam sibi exinde perennem scripsit Notarius, quòd Thesaurum Magni Ducatus, aureo capite, gemmeis circa Bonum publicum sudoribus, fecit divitem. Innatum (ut videmus) HOSIIS, nolle eminere & meritis omnes anteire. PROAVUS Tuus Antistes Illustrissime Mariæburgensi Palatinide KONARSKA natus, sedisset in Palatina Curuli Senator, nisi Sagum quàm Togam miles induere maluerit; AVUS PODOSCIÆ Masoviæ Palatinidis Filius, ex aureo Materni Junoszæ vellere, Purpuram habuisset, nisi baltheum sibi ex eo texuisset militarem, & Agnum Podoscianum oppugnandis Patriæ Hostibus, mutasset in arietem. Submittebat se ADALBERTO MAXIMILIANO HOSIO vel ipso Nomine maximo cujusvis fastigij summitas, nullam admisit Polonus Antipater, Honorius tamen inde dici meruit quòd ab Eo ANTISTES ILLUSTRISSIME Infulatorum Honorum Apex descendis, quòd Pater Patriæ extiterit, quia Tuus. Stator enim rerum Polonarum adoraris STANISLAUS, Nominis Poloni & gloriæ accrescens, fortunæ Sarmaticæ JOSEPHUS Nutritius. Eunt secundè res Polonæ dum Avito præis Pede; Planta Tua Gentilitia, illorum quibus Majores in Orbe Lechico dari non possunt Honorum, Summis prima Planta est. Ivisti hac

comi-

comite Serenissimi AUGUSTI II. Poloniarum Regis gratiâ gradatim ad Infulas, post Livoniensem & Camenecensem Tyaras, ad Templum Honoris Apostolorum Princeps, Polono Apostolo, Posnaniensis Cathedræ Tutelaris, Diæceseos Pastori, portam Petrus aperuit. Non invidet modò Posna suum Cracio Vavello SCZEPANOVIUM, dum Tenacta HOSIUM, bonum imò optimum Pastorem, quia ponere animam paratum pro Ovibus. Livebat nuper Livonia, quod ei Camenecum lapis offensionis fuit, dum Te sibi Pastorem eripuit, luit tamen pœnam talionis & ipsum; scinditur præ dolore Petra illa Lechica, quòd suæ Cathedræ in Te Lapidem sentiat avulsum Angularem. Tametsi sentire dolorem non deberet, siquidem & ibi pulchros Pedis Tui gressus videre est; ubicunq; ille stetit Schisma pedem figere non potest & Hæresis. Pastorali id adscribimus vigilantiæ, ut Ecclesiæ & Diæcesûm bono prospicias non aures (ut ajunt) sed oculos in Pede Avito nactus es. Arduum est aureos Ejus nosse progressus, & si Solymæus Sapiens viam Aquilæ in Cælo capere sensit difficile, Pedis Tui indagare vestigia sentiret difficillimum. Quanquàm; & Capitis Tui sensus investigabiles, eo se magni ingenij attollit magnitudo, quo pennæ Rhetorum non evolant. Metire qui potes, quanta vastitas Capitis Præsulei, unum est, & integrum Solem Theologicum ceu Aquinas in pectore comprehendit, & Juris Corpus suo ambitu tenet integrum.

*Summarium Summæ Theologicæ illud diceres, aut Juris Promptuarium, in quo tanquàm Ilias in nucleo totus Orbis concluditur eruditus. Ad illud ergo cum & Folia hæc velut radium ad Solem, vel guttam ad Oceanum ſpectare dignoſcimus, in ſinu Præſuleo illa deponere præſumimus. Tibi Examen Epiſcoporum debetur Epiſcopo, Juris collectaneum, omnium Scientiarum Compendio. Non poterat repetitis vicibus lucem videre publicam commodius, quam in Domo* HOSIANA, *quâ ceu Solis Regiâ vel Patriâ Luminum* Konarſcij, Podoſcij, Wołoſcij, Mdzewſcij, Stanisławſcij, Brodziccij, Wilczewſcij, Kierſcij, Iaworſcij, Zakrzewſcij, Tłubiccij, Pruſakovij, Sempławſcij, Kiełpinſcij, Karwoſieccij, Czarlinſcij, Kaweccij, Oſtromeccij, Bonikowſcij, Dąbrowſcij, *Orbis Lechici Sidera circumſtant Illuſtriſſima. Ibit modo in publicum, Avito Tuo præeunte Pede & gratiâ, legendum dabit Poſteris* HOSIANUM *Nomen, quod Gentilitio Eorum Pede ab umbris Typographicis prodierit. Incurret in manus legentium Liber, in venerationem ſingulorum Planta Præſulea, Cui poſt indefeſſos gloriæ curſus, ut Rota Cardinalitia quam citiſſimè vehatur, cum toto Lubranſciano Collegio precatur*

Illuſtriſſimæ Excellentiſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis.

*Devinctiſſimus Cliens & Obligatiſſimus Servus.*

M. JOANNES JOSEPHUS PAŁASZOWSKI J. U. P. Collega Juridicus, Sanctorum Omnium Cracovienſis Canonicus, Academiæ Poſnanienſis Director.

PERIL-

PERILLUSTRI & ADMODUM REVERENDO
DOMINO, DOMINO
# LUCÆ DAIEWSKI
Notario Apostolico, Ecclesiarum, Insignis Collegiatæ Calissiensis & B. M. Virginis in Summo Posnaniensi CANONICO, Intra & extra Posnan: DECANO, S. ADALBERTI Præposito, in Ciązeń Curato, DOMINO MECÆNATI GRATIOSISSIMO.
*Cujus Munificentiâ*
Examen hoc Episcoporum reimpressum est, à Lubransciano Collegio,

## ODE GRATIARUMACTORIA.

Apollo Deli tangere barbiton
Præsume dextrâ, pange sonantibus
Pæana chordis, sume plectrum
Ut fidibus resonet canoris,
Vatum Camænæ Numina maxima
Implete blandis æthera cantibus;
Ut gratiosi fama totum
DAJEVIJ resonet per Orbem,
Quem celsa virtus cum Sapientia
Clarum remonstrat Sarmatico Polo,
Justum Lycurgum Astræa reddit,
Arte sua validum Solonem,
Sedem locavit Diva Themis suam
In mente LUCÆ, quando Notarius
Decreta scripsit, connotavit
Digna suis benefacta fastis.
O quot! decorus fulget honoribus,
O quot! coruscat fama decoribus
LUCÆ, Polonorum per oras
Sarmatico bene nota Cælo,
In Sole testes non peto publico
Quàm Nomen altum DAJEVIJ manet,
Aurata TARŁONUM Bipennis
Struxit ei monumenta Famæ,

Præ-

Præful JOANNES vidit ád omnia
Poſnanienſis publica munia
TARŁO capacem, qui univerſa
Ingeniô moderatur altô,
Ceſsêre tanto magna negotia
Epheſtioni, tum Herculeâ bona
Commiſſionis vî ferenda,
Suſtulit hæc generoſus Atlas,
Condigna geſtis præmia grandibus
Supplevit ultrò gloria Nominis,
Quam docta virtus, quàm labores
Eximiæ meruere dotes,
Sed hæc diſerte quis poterit loqui?
Quæ Svada Tullij? quæ Sapientia?
Nomen tuum deprædicare
Ingenio gravitate, clarum;
Te penna quævis laudibus inclytum
Sub aſtra poſcit tollere fulgida,
Inferre virtus grande LUCAM
Sedibus Æthereis locare
Sidus requirit; tot radijs nitens,
Quot in Polari lumina vertice
Splendoribus magnis coruſcum
Tot meritis rutilum quot actis.
Moviſſe fertur Theſſalus Orpheus
Lyrâ canenti Saxa ſonantia
Lucoſq; ſylvani trementes
Mellifluo rapuiſſe cantu,
Sed hanc vetuſto fabula codici
Fidem reliquit verius hoc manet
Quod liberalis permovet nos
Dextra modò Benefactor alme,
Perenne pæan noſtra Tibi ciet
Lubrana Pallas pandet adoreas,
Nomen tuum ſic glorioſum
Fama dabit veneranda ſæclis,
Favore tanto Muſa movebitur
Munus receptum Sideribus feret
Extollet alta voce clamans
Vota Tibi Superos precandò,
Vivas ſerenos incolumis dies
Platonis auro tempora defluant
Excelſa conſcendas honorum
Culmina, Te Superi ſecundent,

Applaudit M. LUCAS LUBASZOWSKI in Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ Doctor in Academia Poſnanienſi Pöéſeos Profeſſor.

# AD LECTOREM.

HAbes præ oculis gratiâ Tui reimpressum Volumen hoc LECTOR BENEVOLE, preme id mánibus frequenter, & menti aliquid imprimes. EXAMEN ei Titulus, acsi & ipse liber velit, ut sæpius Tecum examen ineas, utrum aliquid ex eo didiceris, & proficies. Tot materiarum congeries, non Te à legendo absterreat, Cui gemmas etsi plures numero, quas Pontus Erythræus deposuit in margine, legere non placeat? Multitudo hic Quæsitorum est, non tamen confusio, totum Juris Canonici Corpus (partem etiam magnam Civilis) ceu in Articulos, in Libros & Capita suo ordine habes dispositum. Editio correctior, & hoc esto Tibi calcar & stimulus, multa reformata, complures Allegationes verificatæ, aliquæ ex Constitutionibus Synodalibus insertæ. Errores Typographici aliqui huc irrepserunt sed quis Argus etiam centoculus eos præpediat? Digneris menda emendare, Numerus Indicis sicubi cum numero Paginæ non concordat, numerum paginæ ad ordinem suum revoca, eumq; juxta seriem naturalem dispone; quod quæris invenies. Vale.

INDEX

# INDEX CAPITVM
## Totius Operis



De Exa-

# INDEX CAPITOLIUM



*Capita Libri Quinti,*



*Capita Libri Sexti,*



De Re-



# LIBER PRIMUS

## CONTINENS MATERIAM *OMNIUM SACRAMENTORUM* SECUNDUM DETERMINATIONEM S. CONCILII TRIDENTINI.

### CAPUT I.

### De Sacramentis in Genere.



1 Uid eſt Sacramentum ?

℞ Eſt ſignum ſenſibile inviſibilis gratiæ, viſibilis formæ. *S. Th. 3. p. q. 60. can. Multi. 1. q. 1.*

2 Sacramenta novę legis, à quo ſunt inſtituta ?

℞ A Chriſto Domino. *Conc. Trid. Seſs. 7. can. 1*

3 Quot ſunt Sacramenta Novę legis ?

℞ 7. Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pęnitentia, Extrema unctio, Ordo & Matrimonium. *Conc. Trid. loc. cit. & c. Ad abolendam de Hæret.*

4 Sacr. novę leg. in quo differunt à Sacr. vet. legis?

℞ In eo : quia Sacramenta N. L. conferunt gratiam ex opere operato, hoc eſt ex propria virtute communicata ab humanitate Chriſti inſtrumentaliter, ideſt, ut inſtrumento conjuncto divinitati. Sacramenta verò Vet. L. ex opere operantis repræſentabant gratiam, quam Deus ad eorum præſentiam conferebat. *d. Con. l. c. can. 2.*

5. Sacramenta Nov. L. ſuntne ſuperflua ?

℞ Non: ſed ita ad ſalutem neceſſaria, ut ſine eis in re, vel in voto, quis ſalvari non poſſit. *d. Con. Trid. loc. cit. can. 4.*

6 Fuerunt ne Sacram. Nov. L. ad ſalutem generis humani neceſſaria ?

℞ Neceſſarium ad ſalutem 2plex : *Simpliciter*, ſine quo ſalus nullatenus obtineri poteſt. Et *utiliter*, ſeu ad bene eſſe, ſine quo ſalus haberi quidem poſſet; ſed non tam benè aut commodè. Itaq; tria Sacramenta Baptiſmus, Pænitentia & Ordo, ſunt neceſſaria ſimpliciter. Baptiſmus quidem ſive in re, ſive in voto. Pænitentia his, qui poſt Baptiſmum peccarant mortaliter, Ordo non ſingulis quidem eſt neceſſarius, ſed Eccleſiæ in communi, hoc eſt fidelium univerſitati : ſine quo neq; Hierarchia Eccleſiæ conſiſtere poſſet, neq; alia Sacramenta confici. Reliqua Sacramenta ſunt utilia ſeu neceſſaria ad bene eſſe. *S. Thom. 3. p. q. 5. a. 4.*

7 Sacr. fuerunt ne neceſſaria in ſtatu innocentię?

℞ Negative : quia Sacramenta ad duo ſunt neceſſaria, ad purgandam animam à peccato, & ad inſtruendum hominem in ſpiritualibus, & in ſtatu innocentiæ, homo peccatum non habebat, & erat ſufficienter inſtructus. *S. Th. 3. p. q. 61. a. 2.*

8 Hæc Sacramenta ſunt ne inſtituta propter ſolam fidem nutriendam?

℞ Non ſolùm ad hoc; ſed etiam ad ſalvandos homines. *d. Conc. loc. cit. can. 5.*

9 Hæc Sacramenta N. L. continent ne in ſe gratiam, quam ſignificant ?

℞ Affirmative. *d. Conc. loc. cit. can. 6.*

10 Hæc Sacramenta dant ne gratiam omnibus ea ritè ſuſcipientibus ?

℞ Aff. quantum eſt ex parte Dei non ponentibus obicem. *d. Conc. Trid. loc. cit. can. 7.*

11 Sufficit ne ſola fides ad hanc gratiam conſequendam ?

℞ Negativè; ſed ſunt neceſſaria Sacramenta. *d. Conc. loc. cit. can. 8*

12 Hæc Sacramenta, quam gratiam conferunt ?

℞ Gratiam juſtificantem hominem. *d. Conc. l. c. can. 8*

13 Hæc gratia creatur ne de novo ?

℞ Gratia propriè non creatur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ.

14 Sacramenta Novæ L. ſunt ne cauſa gratiæ ?

℞ 2plex eſt cauſa : altera principalis, quæ virtute propria producit effectum, & hoc modo ſolus Deus eſt cauſa gratiæ: altera inſtrumentalis: quæ virtute communicata ab alio producit effectum, & hoc modo Sacramenta virtute communicata à Deo ſunt cauſa gratiæ. *d. Con. loc. cit. can. 6. & 8. ac Seſs. 6. cap. 7*

15 Quomodo continetur gratia in Sacramentis?

℞ 2pliciter : uno modo tanquam in ſigno: alio modo tanquam effectus in cauſa; ſicut calor in igne. *S. Th. 3. p. q. 62. a. 3.*

16 In Sacramentis eſt ne aliqua virtus ad cauſandam iſtam gratiam?

℟ Aff. quia omnis causa habet aliquam virtutem ad producendum suum effectum, & Sacramenta sunt causa gratiæ. *S. Th.3.p.q.62.a.4.*

17 Ista virtus estne principalis, an instrumentalis?
℟ Instrumentalis. *S. Th.3.p.q.49.a.1.& 4.*

18 In quo consistit ista virtus Sacramentorum?
℟ In hoc, quod sint instrumenta à Deo instituta ad istam gratiam producendam; illa verò motio divina, est virtus Sacramentorum. *S. Th. ib.*

19 A quo habent hanc virtutem?
℟ A Deo principaliter, mediante passione Christi. *S. Th ibidem.*

20 Sacramenta Veteris L. causabantne gratiam?
℟ Causabant, propria virtute, sed Deus ad præsentiam illorum causabat gratiam per fidem Passionis Christi venturi. *S Th.3.p.q.62.a.6*

21 Circumcisio causabatne gratiam?
℟ Non, ex vi propria, sed intuitu fidei passionis Christi, cujus erat signum Circumcisio, Deus conferrebat gratiam. *S Th. ibidem.*

22 Imprimiturne character in omnibus Sacram.?
℟ Non, sed solùm in 3bus, sc. Baptismo, Confirmatione & Ordine, ac iterari non possunt. *dict. Con. loc. cit. can. 9*

23 Quid est character?
℟ Est signum indelebile principium alicujus actionis vel receptionis ad cultum divinum. *S. Th 3.p.q.63.a.4*

24 Character imprimiturne animæ an potentijs ejus?
℟ Potentijs animæ immediatè. *S. Th. ibidem.*

25 Cui potentiæ imprimitur Character?
℟ Cognoscitivæ; quia per characterem, fit quædam protestatio fidei perpetua, quæ pertinet ad intellectum. *Soar. disp. 21. sect. 4. § 4. sent.*

26 Character adhæretne indelebiliter animæ?
℟ Maximè: quia character est quædam participatio Christi, quæ est æterna. *S. Th 34.q.63.a.5*

27 Sacerdos mortuus, post plurimos annos resurgens, debetne iterum baptizari confirmari & ordinari, præcipuè si aliud corpus assumat?
℟ Non: quia character Sacramentorum impressus est animæ ejus, nō corpori. *S. Th. in 4. dist. 38*

28 Si maritus alicujus mulieris resurgeret, deberet ne iterum, secundum ritū Ecclesiæ, illā ducere?
℟ Aff: quia vinculum matrimonij ligat solùm ad mortē & cum morte solvitur. *1. ad Cor. cap. 7*

29 Possuntne omitti ritus consveti ab Ecclesia in celebratione Sacramentorum?
℟ Non, absq; peccato mortali. *Conc. T id Sess. 7. can. 13*

30 Quis habet potestatē in Sacramentis dispensandi & mutandi, quæ magis expedire videbuntur?
℟ S. Romana Ecclesia, salva tamen semper Sacramentorum substantia. *d. Conc. Sess. 21. cap. 2*

31 Quid invenitur in quolibet Sacramento?
℟ Res materiales & verba *Tolet. in sum. lib. 2. c. 16. a. 2*

32 Quæ requiruntur in quolibet Sacramento?
℟ 5. Materia, forma, intentio ministri, intentio suscipientis actualis vel virtualis & effectus. *Tol. ib.*

33 Quæ est materia Sacramentorum?
℟ Sunt res visibiles determinatæ. *Tolet. ibidem.*

34 Quæ est forma?
℟ Sunt verba determinata. *Tolet. ibidem.*

35 Quare materia Sacram. sunt res determinatæ?
℟ Quia sicut homo per Corporalia Deum reliquerat, amiserat gratiam & subjecerat se diabolo, ita congruè placuit Altissimo, ut per eadem corporalia gratiam recuperaret & traderet se suo Creatori. *Soar. disp. 2. Sect. 21. § 1*

36 Materia Sacramentorum potestne mutari?
℟ Non, secundùm substantiam; quia instituta est à Christo Domino. *S. Th. in 4. dist. 38.*

37 Forma Sacramentorum potestne variari?
℟ Variatio est 2plex: quò ad sonum vocis & quò ad sensum. 1mo itaque modo potest variari forma, ut in græco & latino, qui diverso idiomate & diversa lingua conficiunt Sacramenta, retento tamen vero sensu. 2do modo non potest fieri variatio; quia non est in potestate hominum mutare, quœ sunt juris divini. *S. Th. 3. p. q. 63. a. 8. & Tolet ubi supra*

38 Sacerdos corruptè verba proferens conficitne Sacramentum?
℟ Non, si corruptio fuerit notabilis & varians sensum; secus si sensus remaneat & intendat id facere, quod facit Ecclesia. *Suar disp. 2. Sect. 4. § 7 v. mutatio,*

39 Quæ regula datur ad cognoscendā verā formā?
℟ Quotiescunq; mutatur sensus, vocis, & remanet intentio & verus sensus, conficitur Sacramentum, & quoties dubitatur an ex prolatione vocis permanserit verus sensus, iteranda sunt Sacramenta sub conditione. *S Th ubi supr.*

40 In formis Sacramentorum potestne fieri aliqua additio vel subtractio?
℟ Si talis additio vel subtractio non destruat substantiam formæ & non inducat errorem aut novum ritum, non invalidat Sacramentum. *Soar. loc. cit. § 3. v mutatio*

41 Transpositio verborum formæ, invalidatne Sacramentum?
℟ Si non mutatur sensus, non invalidat. *Soar. ubi supra §. 3. v. eod.*

42 In administrandis Sacramentis suntne omnes Christiani Ministri æqualiter, & habentne æqualem potestatem?
℟ Non; sed in solo Baptismo tempore necessitatis, servatò ordine ab Ecclesia datò; in alijs verò Episcopi & Sacerdotes. *Con. Tr Sess. 7. can 10*

43 Minister in peccato mortali conficitne Sacramentum?
℟ Affirmativè: sed ipse peccat & malefacit. *d. Conc. loc cit. can. 12*

44 In Ministro requiriturne intentio?
℟ Affirmativè, actualis vel saltim virtualis faciendi id, quod facit Ecclesia. *Conc. Trid. Sess. 7. can. 11.*

45 Quotuplex est effectus Sacram: Novæ Legis?
℟ 3plex: Confert gratiam omnibus non ponentibus obicem, roborat in fide & tria Sacramenta imprimunt characterem. *Soar. ubi supr.*

## CAPUT II.

## De Sacramentis non iterandis.

1 Quæ Sacramenta non iterantur?
℟ Omnia quæ imprimunt characterem, ut Baptismus

ptismus, Confirmatio & Ordo. *Conc. Tr. Seff. 7 can. 9*

2 Si quis in Diaconatus Ordine non habeat manuum impositionem, debetne iterari Ordo?

℞. Non, sed suppleri cautè, quod negligenter omissum fuit. *c. Pastoralis h. t.*

3 Si quis fuit unctus oleo in Confirmatione & non Chrismate, debetne iterari Sacramentum?

℞. Non, sed suppleri, quod omissum fuit. *d. c. Pasto.*

4 Si quis degradatus ausu temerario celebret cum vestibus Sacris in Altari benedicto, debetne Altare hoc cum vestibus iterum benedici?

℞. Non, quia ex hoc quod quis degradatus eis utatur, non perdunt benedictionem neq; amittunt formam. *c. A nobis h. t.*

5 Quam pænam incurrit schismaticus?

℞. Si sit incorrigibilis, degradari debet: si verò corrigibilis, alia pæna punitur. *Abb. c. 2. h. t.*

6 Si Schismaticus consecret Altare vel exerceat Ordines, debetne tale Altare iterum consecrari & tales ordinati, iterum ordinari?

℞. Non, sed tali Altari nullus potest uti absq; dispensatione, neq; tales ordinati uti ordine absq; dispensatione; perdunt enim executionem, sed non ordinem. *d. c. A nobis.*

## CAPUT III.

### De Baptismo & Justificatione.

1 Quid est Baptismus?

℞. Est ablutio corporis exterior facta sub præscripta verborum forma. *S. Th. 3. p. q. 66. a. 1.*

2 Quotuplex est Baptismus?

℞. 3plex: Fluminis, Flaminis & Sangvinis *can. Baptismi vicem. can. Per aquam dist. 4. de Consecr.*

3 Potestne quis sine Baptismo salvari?

℞. Præter legem extraordinariam negativè: quia Baptismus est de necessitate præcepti, non medii. *can. 3. de Consecr. dist. 4. & Conc. Trid. sess. 7. can. 5. h. t.*

4 In quo differunt Baptismus fluminis, flaminis & sangvinis?

℞. 1mò. in eo, quòd Baptismus flaminis & snagvinis non imprimat characterem, sicut fluminis, & sic, si resuscitaretur mortuus cum baptismo flaminis, iterum baptizandus esset baptismo fluminis. 2do. quia in baptismo fluminis sufficit attritio, jam verò in flaminis, contritio. 3tio. quia cum baptismo fluminis, & sangvinis remittitur tota culpa & pæna, cū baptismo autē flaminis, licet remittatur tota culpa, pæna tamen remittitur secundū proportionē doloris. *Sylv. Cap. de deff. Bapt. n. 3. v. Bapt.*

5 In Ministro & suscipiente requiritur ne intentio?

℞. Aff. actualis vel virtualis faciendi id, quod facit Ecclesia. *Syl. loc. cit.*

6 Joannis baptismus habuitne eandem vim cum baptismo Christi?

℞. Non: *Con: Trid. sess. 7. can. 1. h. t.*

7 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?

℞. 5. Materia, Forma, Minister, suscipiens & effectus. *Tolet. in sum. Lib. 2. Cap. 18.*

8 Quotuplex est materia hujus Sacramenti?

℞. 2plex: Remota, est aqua elementaris: proxima, est ablutio simul cum aqua; ita ut aqua non sit rosacea, nec saliva neq; succus *d. Con. loc. cit. can. 2*

9 Quæ est forma hujus Sacramenti?

℞. Sunt verba simul cum ablutione prolata. *c. 5. h. t.*

10 Quotuplex est forma.

℞. 3plex: alia secundùm Ecclesiam latinam ut ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. alia secundùm græcam, ut Petrus servus Christi baptizetur in nomine Patris &c. alia in dubio: si non es baptizatus, ego te baptizo &c. *c. 1. & 2. h. t.*

11. Quis est verus Minister Baptismi?

℞. Episcopus, Parochus & in tempore necessitatis quilibet homo, sive mulier absente tamen viro, sive Christianus, sive Maurus, etiam non baptizatus, hæreticus & quivis facinorosus, modò habeat intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. *Con. Trid. sess 7. can. 4. h. t.* etiam. Parens proprius in dicta necessitate & absentibus aliis, nec ideo à copula Uxoris arcetur. *can. Ad limina. 30. q. 1.*

12 Monachus potestne esse Minister baptismi?

℞. Non: *can. Placuit. 16. q. 1.* nisi in Ecclesiis sibi unitis, ubi per Regulares administrantur Sacramenta. *can. Agapitus. 16. q. 1.*

13 Monachus potest ne levare infantem de fonte?

℞. Non. *can. Pervenit. 16. q. 1.* ne habeat familiaritatem cum mulieribus matrinis.

14 Angelus vel anima separata potest ne esse minister baptismi?

℞. De lege ordinaria non; quia solus homo in carne est verus Minister. *Tolet. loc. cit. Cap. 20. n. 4.*

15 Est ne expectanda ætas Christi vel usus rationis ad aliquem baptizandum?

℞. Non. *Conc. Trid. loc. cit. can. 12. h. t.*

16 In adultis requiritur ne expressus consensus vel alia dispositio ad recipiendum baptismum?

℞. Aff actualis vel virtualis, fides ac dolor de peccatis, sed non æqualiter: nam si non habeat quis consensum, non remanet baptizatus. Fides verò & dolor requiruntur ad recipiendam gratiam: nam si quis accederet cum vera intentione & haberet errorem in aliquo articulo fidei & voluntatem perseverandi in aliquo peccato, reciperet characterem & baptismum, non autem gratiam. *Tolet. ubi supr. Cap. 21. n. 5.*

17 Amens adultus, vel dormiens possunt ne baptizari?

℞. Non, nisi in ante habuerint intentionem. *c. Majores. §. item quæritur h. t.*

18 Infans in utero Matris num baptizandus?

℞. Non: quia non potest reperiri regeneratio, ubi generatio non præcessit. *can. Qui in maternis. de Cons. dist. 4.* si tamen ex utero membrum Infantis viventis appareat & adsit periculum, poterit baptizari jux probabiliorem & tutiorem sententiam. *Valen. Lib. 3. §. 3. n. 3. h. t.*

19 Parvuli ante usum rationis sunt ne baptizandi & computandi inter fideles, etiamsi non habeant propriam voluntatem?

℞. Affir. quia sufficit illis fides Ecclesiæ *d. Conc. loc. cit. can.* 13. ac Patrini supplent consensum eorũ.
20 Parvuli venientes ad usum rationis sunt ne interrogandi an velint esse Christiani vel in propria voluntate relinquendi ?
℞. Non, sed sunt cogendi. *d. Conc. loc. cit. can.* 14.
21 Filius Mauri invitis Parentibus debet ne baptizari ?
℞. Non, sed si baptizaretur, teneret baptismum, imò si Parentes non sint sui juris, sed sint sub potestate Christianorum, invitis etiam ipsis debent parvuli eorum baptizari. *Tolet. in sum. Lib.* 2. *Cap.* 21. § 2.
22. Ante baptismum oportetne aliquam pænitentiam pro peccatorum satisfactione exhibere ?
℞. Oportet in adultis. *can. Omnis* 96. *de Cons. dist.* 4.
23 Quæ est prærogativa Baptismi ?
℞. Multiplex: quia suscipitur sine aliis Sacramentis, non verò alia sine illo. *can. si quis.* 1. *q.* 1. quia datur à quocunq; non item alia. *cant. Præter. dist.* 32. §. *Verum.* & §. *Porro.* quia est janua & fundamentum aliorum. *can. Cum itaq; de Cons. d.* 4. quia sine illo salus non habetur. *can. Firmissime de Cons. dist.* 4. quia per ipsum originale, mortale & veniale peccatum remittitur, non sic per alia. *can. Regenerante de Cons. dist.* 4. quia carens eo non potest quis contrahere cum Christiana. *can. Cave.* 28 *q.* 1.
24 Justus tenetur ne ad præcepta Dei ?
℞. Tenetur. *Conc. Trid. sess.* 6. *Cap.* 11. *de Iustif.*
25 Sunt ne impossibilia præcepta Dei ?
℞. Non, imò jugum svave. *d. Con. ibid.*
26 Homini sufficit ne sola fides ad salutem?
℞. Negative, imò sine operibus mortua est, ideo homo debet cum illa operari. *d. Conc. ibid.*
27 Post hanc dispositionem & præparationem, quid consequitur homo?
℞. Justificationem, quæ non est sola peccatorum remissio, sed renovatio interior hominis per voluntariam gratiæ susceptionem, & sic ex inimico, fit amicus Dei. *d. Conc. loc. cit. Cap.* 7.
28 Potestne homo liberè recipere & reiicere inspirationem Spiritus Sancti ?
℞. Potest *d. Conc. Trid. sess.* 6. *Cap.* 5.
29 Potestne homo de seipso sine gratia Dei ad justificationem moveri ?
℞. Non potest *d. Conc. eod. Cap.* 5.
30 Quando homo disponitur ad justificationem ?
℞. Quando excitatur divinâ gratiâ, & adjutus à Deo concipit fidem ex auditu, & libere movetur in Deum. *d. Conc. loc. cit.*
31. Quot sunt causæ justificationis ?
℞. 4. Finalis, gloria Dei & vita æterna; efficiens, misericordia Dei gratuitò abluens & sanctificans hominem; meritoria, passio Domini nostri, instrumentalis, Sacramentum Baptismi. *d. Con. loc. cit. Cap.* 7. *hic.*
32 Potestne quis sine Passione Christi justificari ?
℞. Non, solùm cooperando cum illa. *d. Conc. loc. cit.* & *can.* 10.
33 Quid requiritur ad justificationem ?
℞. Fides, Spes & Charitas. *d. Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 7.
34 Potestnè justus ampliùs justificari ?
℞. Affi. per bona opera & observantiam præceptorum Dei, jux illud Apoc. ult. Qui justus est, justificetur adhuc. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 10. *hic.*
35 Potestne quis habere certitudinem remissionis suorum peccatorum ?
℞. Omnimodam non potest; potest tamen habere spem in passione Christi ejusq; meritis. *d. Con. Cap.* 9
36 Potestne quis certò scire se esse prædestinatum?
℞. Non, nisi accedat divina revelatio. *d. Con. Cap.* 12
37 Qui à gratia Dei labuntur possuntne eam recuperare ?
℞. Possunt per pænitentiam. *d. Conc. Cap.* 13. *hic*
38 Potest ne homo ex suis operibus, absq; divina gratia per solum liberum arbitrium justificari ?
℞. Non, absq; Authore bonorum operum Deo. *d. Conc. Trid. Sess* 6. *cap,* 16. & *can.* 1. *hic de just.*
39 Quid reddit Deus pro bonis operibus ?
℞. Vitam æternam *d. Conc. sess.* 6 *cap.* 16 *hic.*
40 Quid ergo requiritur ad justificationem ?
℞. Gratia præveniens, Passio Christi & cooperatio hominis. *d. Conc. cap.* 11. *hic*
41 Quæ est gratia præveniens ?
℞. Inspiratio Spiritus Sancti *d. Conc. cap.* 3.
42 Gratia justificationis præveniens, daturne solis prædestinatis?
℞. Non illis solis, sed omnibus, qui illa uti voluerint. *d. Conc. can.* 17. *hic.*
43 Liberum arbitrium quomodo operatur in justificatione ?
℞. Liberè assentiendo, Deo vocante & excitante. *d. Con. can.* 4. *hic.*
44 Liberum arbitrium fuitne exstinctum per peccatum Adæ ?
℞. Negative *d. sess.* 6 *can.* 5 *hic.*
45 Potestne homo bona & mala opera facere ?
℞. Potest. *d. sess.* 6. *can.* 6.
46 Omnia opera quæ fiunt ante justificationem suntne peccata ?
℞. Negativè *d. sess.* 6, *can.* 7.
47 In Evangelio estne sola fides præcepta?
℞ Non, sed etiam sunt comendata præcepta Decalogi. *d. sess.* 6. *can.* 19, *hic.*
48 Ex quocunq; peccato mortali amittiturne fides & gratia ?
℞. Gratia tantùm *d. Sess.* 6. *can* 28. & *cap.* 15.
49 Justificatus potestne perseverare sine speciali Dei auxilio ?
℞. Non potest. *d Sess.* 6 *can.* 22. *hic.*
50 Justificatus potestne ampliùs peccare & evitare venialia ?
℞ Aff. sed non potest in tota vita sua evitare omnia venialia, nisi sit munitus speciali Dei privilegio, ut de B. V. Maria tenet Ecclesia. *d. Sess.* 6. *can.* 23.
51 Estne licita conversio ob metum gehennæ ignis?
℞. Est: constat ex *d sess.* 6. *can.* 8. *hic.*
52 In Baptismo, quæ peccata remittuntur ?
℞ Originale & omnia actualia commissa ante Baptismum, non verò post, aut in ipso baptismo. *Conc. Trid. sess.* 5. *decret. de pecc. orig.*

53 Christus

53 Christus Dominus fuitne solus redemptor?
℞ Affir. ac etiam legislator. *Conc. Trid. Sess. 6. can. 21.*
54 Quid amisit Adam per peccatum transgressionis?
℞ Sanctitatem & justitiam in qua creatus fuerat & non solùm sibi, sed etiam nobis omnibus ex se descendentibus, ac in Nos peccatum originale trasmisit. *Conc. Trid. Sess. 5. decr. de pecc. orig.*
55 Post Baptismum remanetne fomes & concupiscentia peccati Originalis?
℞ Affir. *d. Sess. 5. decr. de pecc. orig.*
56 Quid perdiderunt homines per peccatum primi Parentis?
℞ Innocentiam, & facti sunt filii iræ, & positi sub potestate Diaboli & mortis. *Conc. Trid. Sess. 6. Cap. 1.*
57 A quo liberati sunt?
℞ A Christo Domino, per merita passionis *d. Sess 6. cap. 2*
58 Passio Christi profuitne omnibus descendentibus ex Ada æqualiter?
℞ Affir. quò ad sufficientiam, sed quò ad effectum solùm iis, quibus meritum ejus passionis fuit efficaciter communicatum. *d. Sess. 6. cap. 3.*
59 Quid est justificatio impii?
℞ Est quædam translatio à statu, in quo homo nascitur filius iræ, in statum gratiæ per adoptionē filiorū Dei per Iesum Christū *d. Sess 6. cap. 3.*
60 Quid requiritur ad hunc statum consequendum?
℞ Baptismus *d. Sess. 6. cap. 4.*
61 Hæc justificatio à quo sumpsit exordium?
℞ A Deo per Christum gratia præveniente; hoc est à vocatione Dei, qui nullis eorum existentibus meritis vocantur, & tales homines liberè assentiendo & cooperando disponuntur. *d. Sess. 6. cap. 5.*
62 Vota facta & peccata commissa post baptismum, remittunturne sola fide & recordatione baptismi?
℞ Non, sed Sacramentis & mediis ab Ecclesia ordinatis. *Conc. Trid. sess. 7. can. 9. & 10. de Bapt.*
63 Baptizatus, poteritne, si velit amittere gratiam?
℞. Poterit, peccando mortaliter. *d. Sess 7. can. 6. hic*
64 Baptizatus, negavit fidem, & postea conversus, estne iterum baptizandus?
℞ Non, *d. Sess 7. can. 11. hic.*
65 Filii Judæorum & infidelium post susceptum baptismum, amitunt ne successionem bonorum suorum Parentum?
℞ Non. quia baptismus tollit peccata, non jura; & sic, si aliquis Infidelis habeat filios baptizatos & infideles, omnes acquirunt hæreditatem sui Patris pro rata *c. Gaudeamus. de Divort. Bull. Paul. III. incip. Capientes Judæos.*
66 Si quis mitteret puerum in puteum, ut suffocaret illum, & diceret verba cum intentione baptizandi, teneretne talis baptismus?
℞ Negat. quia esset suffocatio & non ablutio. *Tolet. Libr. 2. cap. 18. n. 9.*
67 Monstrum est ne baptizandum?
℞ Affir, si habeat Animam rationalem, secus si non. unde in dubio recurrendum est ad peritos medicos, & eorum sententia sequenda; quod si ipsi dubitent, sub conditione baptizandum est *Navar. cap. 3. hic.*

68 Quid, si habeat homo duo colla & capita?
℞ Si dubium sit, quòd duæ sint animæ, tunc tutius est baptizare unum absolutè, alium sub conditione, si non es baptizatus. *S. Th. in 4. Sent. dist. 30. q. 1. a. 1 ad 3.*
69 Tenetne baptismus si quis credit baptizare puerum & baptizat puellam?
℞ Tenet, quia character baptismatis, non causatur ex intentione baptizantis directè, sed ex elemento materiali exterius adhibito. *S. Th. loc. cit.*
70 Quid si unus minister partem verborum & alius aliam partem dicit?
℞ Nihil agitur. Quia Sacramenta Ecclesiastica, sunt Sacramenta unionis, dividi non debent. *can. Quia passus de con. dist. 2.*

## CAPUT IV.
## De Presbytero non baptizato ministrante.

1 Non baptizatus & ordinatus, si ipse credat se esse baptizatum, recipitne characterem?
℞ Negat: quia Baptismus cum sit janua ad omnia Sacramenta, ante susceptionem illius, nullum suscipitur Sacramentum. unde talis primò baptizandus, postea ordinandus est. *c. 1. & 3 h. t.*
2 Si quis credat se esse baptizatum & non sit, discedatq; ex hac vita, salvabiturne?
℞ Affir. modò sit in statu gratiæ, & in fide Catholica ad extremum vitæ diem perseveret. *c. Apostolicam h. t.* quia, ut ait Aug: *Libr. 8. de civit. Dei*, Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. *gloss. in c. Apostolicam.*
3 Episcopus reputatus ut talis, & non sit realiter talis, poteritne conferre Ordines?
℞ Non. etsi defacto contulerit, tales non remanent Ordinati; quia communis error, non facit jus in iis, quæ sunt Ordinis. *Abb. in d. c. Apostolicam. n. 2. h. t.*
4 Non baptizati propter confessum Christum rapti ad martyrium, supplentne Baptismi effectum?
℞ Affir. jux illud *Luc. 12.* Quicunq; perdiderit animam suam propter me, vivificabit eam.

## CAPUT V.
## De Apostatis & reiterantibus Baptismum.

1 Quis dicitur propriè Apostata & quid sit Apostasia?
℞ Qui temerariè recedit à statu fidei, obedientiæ aut religionis, quam semel professus est, diciturq; quasi retro stans ut ex Aug: refert Gratiam. *can. 16. 26. q. 7.* Unde Apostasia, est temerarius recessus à fide vel religione. quam quis professus est. *Hostien. in Sum h. t.*
2 Nomen Apostatæ quotupliciter sumitur?
℞ Hoc loco 3pliciter: 1mo pro eo; qui deserit semel à se susceptam fidem Catholicam & transit ad Judaismum, Paganismum &c. diciturq; talis Apostata perfidiæ *can. 24. 2. q. 7.* 2do qui Monasticam religionem; & 3tio qui susceptum ordinem

nem deserit. *can. fin. dist. 50. & can. 3. 3. q. 4.*

3 Apostata qua pœna punitur?

℞ Apost. fidei ipso jure est infamis *can. Infames 6. q. 1.* testandi & succedendi jus non habet. *l. 3. C. eod.* puniturq; ut Hæreticus. Religionis Apostata, affligitur & carceratur *c. 5. h. t.* Ordinis, amittit ipso facto privilegium Clericale, alias Canonis *si quis suadente* & aliis pœnis subjacet. *Panorm. in c. Præterea h. t.*

4 Infamatus de Apostasia potestne cogi ad se purgandum?

℞ Affir. *c. 3. h. t.*

5 Clericus in minoribus Ordinibus deposito habitu, diciturne apostatare?

℞. Non, nisi habeat beneficium *Abb. d. c. 3. h. t.*

6 Baptismus potestne iterari?

℞ Non, quia ut dictum *cap. 2.* imprimit characterē.

7 Baptismus reiteratus imprimitne novum characterem?

℞ Non *Abb. c. 2. n. 2. h. t.*

8 Reiterantes Baptismum qua pœna puniuntur?

℞ Si scienter fecerint id, de jure civili puniuntur pœna capitali una cum ministro, modò sint capaces per ætatem *l. 2. C. Ne S. Bap. iteret.* jure Canonico rebaptizatus est irregularis *can. 5. dist. 51.* Minister verò, si non est ordinatus, non promovetur, si autem est, suspenditur. *Abb. d. c. 2. h. t.*

9 Si quis alicujus sectæ (ut Turca, Maurus) baptizetur ad quid compellitur?

℞ Ad servandam fidem, si propria voluntate suscepit Baptismum, & punitur ut Christianus; quia minus malum est, viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam, retroire. *c. Quidam h. t.*

# CAPUT VI.

## De Confirmatione.

1 Quid est Confirmatio?

℞ Est roboratio militum in Christi fide ad audacter confitendum Nomen Domini: *Valen. Lib. 1 t. 15. § 2.*

2 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?

℞. 5. Materia, forma, Minister cum intentione, suscipiens & effectus *Tolet. in sum. Lib. 2. Cap. 24.*

3 Potestne quis sine Confirmatione salvari?

℞ Affir. sed non debet eam negligenter omittere. *Tolet. loc. cit. Cap. 19.*

4 Confirmatio estne otiosa ceremonia?

℞ Non, imò vera & secundum in ordine Ecclesiæ Sacramentum. *Conc. Tr. Sess. 7 can. 1. h. t.*

5 Quæ est Materia Confirmationis?

℞ Remota, est Chrisma confectum ex oleo olivarum & balsamo per Episcopum consecrato. Proxima, ipsa unctio ad formam Crucis *c. un. h. t.*

6 Oleum & balsamum suntne de necessitate Sacramenti?

℞ Oleum ex Olivis est de necessitate Sacr: balsamum verò de necess. præcepti & non Sacramenti; & peccaret Episcopus, si illud non adderet. *Covar. var. resol. Lib. 1. cap. 10.*

7 Oleum non benedictum, oleo benedicto additum, efficiturne totum benedictum?

℞ Affir. modò olei non benedicti quantitas sit tanta, ut convertatur in benedictum, quemadmodum in Calice aqua in vinum convertitur *Sylvest. v. Aqua. n. 3.*

8 Quæ est forma hujus Sacramenti?

℞ Signo te signo Crucis & confirmo te Chrismate salutis: In Nomine Patris &c. *can. 10. de Con. dist. 5*

9 Quis est Minister hujus Sacramenti?

℞ Solus Episcopus. *Conc. Trid. sess. 7. can. 3. h. t.* vel de dispensatione Papæ Abbas vel Sacerdos. *can. 1. dist. 95.* sed hoc est prohibitū. *Val. loc. cit. n. 5*

10 Quid debet Episcopus ante Confirmationē facere

℞ Per se, vel Parochum, vel Concionatorem, docere populum de excellentia hujus Sacramenti & monere, ne errore aut ignorantia Pater vel Mater teneat Filium, aut filiam propter Cognationem Spiritualem, quæ inde contrahitur, atq; injungere, ut Patrini suos filios doceant doctrinam Christianam, & non plures sint, quam unus vel una, aut unus & una *Cerem. Rom. h. t. & Con. Trid. Sess. 24. cap. 2. de Ref: Matr.*

11 Quis est effectus hujus Sacramenti & quam virtutem habet?

℞ Signare militem Christi, roborare, confirmare & imprimere characterē *Con: Trid. Sess. 7. can. 2. h. t.*

12 In qua ætate potest suscipi hoc Sacramentum?

℞ Ex consvetudine in Anno 7 vel supra; & si antea suscipiatur tenet. *Tolet. in sum Lib. 2. cap. 24.*

13 Quam dispositionem debet habere, qui confirmatur?

℞ De necessitate debet esse baptizatus, alias Sacramentum non teneret: de decentia, debet esse jejunus, confessus vel saltim contritus, & non excomunicatus, neq; interdictus. *Tol. t. ubi supra.*

14 Confirmatio debetne præcedere Ordines?

℞ Debet, sed si quis ordinetur ante, tenet Ordo. *Tol. ibidem.*

15 Si Patrinus non sit confirmatus, contrahitne cognationem Spiritualem cum Confirmato?

℞ Affir. quia est diversa ratio, quàm in baptismo, quia non baptizatus, non est capax effectus alicujus Sacramenti. *Navar. Consf. 2. & 3. de cogn. Spirit.*

16 Cognatio Spiritualis contrahiturne ab omnibus si plures duobus tetigerint eum, qui confirmatur?

℞ Non, nisi ab uno, vel ad summum duobus Viro & fœmina, qui principaliter Confirmatum tenent, quemadmodum etiam in baptismo. *Conc. Trid Sess. 24 cap. 2 de Ref. Matr:*

17 Si Pater in Confirmatione teneat filium, contrahitne cognationem Spiritualem cum eo & cū uxore sua, ita non possit ab ea petere debitum?

℞ Contrahit & non potest petere debitum, nisi cum dispensatione Episcopi. *Navar. Consf. 5. de Cogn. Spirit.*

18 Potestne Episcopus dispensare, ut duo & duæ sint Patrini infantis?

℞ Non: neq; potest Vir supplere officium mulieris, vel è contra; quia tantùm possunt esse unus Vir & una mulier, vel ad summū vir & mulier sicut in baptismo. *Con. loc. cit. de Ref. Matr.*

19 Procurator in Confirmatione contrahitne Cognatio-

gnationem Spiritualem cum Confirmato?

℞ Non, sed qui mandatum dat, quia Procurator agit nomine alieno. *c.4. de Cogn.Spir.* & ita dicitur resolvisse in Congr. Card.

20 Monachus potest ne esse Patrinus in Confirmatione?

℞ Non, sicut & in Baptismo. *can. Pervenit 22.q. 1.*

21 Qui tenet in brachiis infantem, si non sit patrinus, contrahit ne Cognationem Spiritualem?

℞ Non: quia perinde est, acsi non teneret, nam talis nudum facit ministerium. *d.Conc. loc. cit. de Ref. Matr.*

## CAPUT VII.
## De Pænitentia

1 Quid est Pœnitentia?

℞ Est Sacramentum remissionis peccatorum post baptismũ comissorũ. *Conc. Trid Sess.14.can.1.h.t.*

2 A quo fuit institutum hoc Sacramentum?

℞ A Christo Domino post resurrectionem, cùm dixit (Accipite Spiritum Sanctum & quorum remiseritis peccata remittuntur eis) *d. Sess. can. 1. & 3. h. t.*

3 Ante adventum Christi pænitentia fuitne Sacra?

℞ Non, sed post resurrectionem, quando dixit: Accipite Spiritum &c. *d. Conc. ubi supr.*

4 Pænitentia in quo differt à Baptismo?

℞ *1mò* quia in pænitentia Sacerdos habet se, ut Judex, in baptismo, ut minister. *2do* fructus baptismi est remittere omnia peccata; fructus verò pænitentiæ est remittere peccata post baptismum commissa *3tio.* baptismus non reiteratur, pænitentia vero toties, quoties. *4to* baptismus est necessarius non regeneratis; pænitentia verò post baptismum lapsis. *d. Conc. Trid. Sess 14. can. & cap. 2 h. t*

5 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?

℞ 5. Materia, forma, Minister, suscipiens & effectus. *Tolet.in sum. Lib.3 cap 1*

6 Quæ est materia hujus Sacramenti?

℞ Remota, sunt peccata; proxima, Contritio, Confessio & satisfactio. *d.sess 14.can.4.h.t.*

7 Quid est peccatum?

℞ Secundùm D. August. est dictum, aut factum, aut concupitum contra legem æternam.

8 Quotuplex est peccatum?

℞ 2plex: Mortale & veniale. *Conc. Trid. d.sess.14 cap.5.h.t*

9 Estne sufficiens materia confitendi peccatum veniale?

℞ Est. & potest taceri alijsq; remedijs expiari. *Conc d.cap 5*

10 Estne necessarius singulorum peccatorum numerus?

℞ Non; si facta diligentia, non recordetur, sed sufficit dicere tempus, consvetudinem, vel statum vitæ, quod nim: fit meretrix &c. *Conc. Tr. eod. cap.5.h.t*

11 Estne impossibilis Confessio omnium peccatorũ?

℞ Quam Ecclesia servat, non *d. Conc. cap 8. h.t.*

12 Quid est peccatum mortale?

℞ Est recessus voluntarius à regula divina. *Tolet. ubi supr.cap.1.§ 2*

13 Quid incurritur per peccatum mortale, & quæ est ejus pæna?

℞ Privatur homo gratia Divina, & habet reatum ad pænam æternam. *d sess.14 can.1 h.t.*

14 Quotuplex est pæna peccati?

℞ 2plex. Damni, ut non videre Deum, & sensus gehennæ ignis. *Tolet in sum. Lib.3.cap.3.*

15 Ex qua causa provenit peccatum?

℞ Ex commissione, omissione & cogitatione. *Tolet.loc.cit.cap.2*

16 Quid est peccatum ex commissione?

℞ Quando quis agit aliquid contra præcepta negativa. *Tolet, ibid,*

17 Quid est peccatum omissionis?

℞ Quando quis non operatur, quod præcipit Deus; & cum Deum non amamus, vel non respondemus ejus inspirationi. *Tolet ibid.*

18 Quod est peccatum ex cogitatione?

℞ Quando quis deliberatè cogitat rem turpem & inhonestam. *Tolet. ibid.*

19 Quæ est forma hujus Sacramenti?

℞ *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis*; precationes verò non sunt necessariæ, sed ad bene esse. *Conc. Trid. Sess.14.cap.3.h t.*

20 Absolutio potestne fieri sub conditione?

℞ Debet esse sine conditione, sed si quis absolveret cum conditione de præsenti, vel de præterito, teneret absolutio; de futuro verò non. *Tolet.ubi supr.cap.13.*

21 Quis est Minister hujus Sacramenti?

℞ Sacerdos, qui habet potestatem Clavium. *Conc.Trid Sess 14.cap.5 6.& can 10 h.t.*

22 Quotuplex est jurisdictio ad absolvendum?

℞ 3plex Ordinaria, quam habet Episcopus. Delegata, quam habent aliqui Sacerdotes; & à jure concessa, quam habent omnes Sacerdotes tempore necessitatis & in articulo mortis. *d.Sess.14. cap. 6. h. t.*

23 Quid requiritur in ministro?

℞. Quod sit ordinatus; potestas, quæ datur in ordinatione Sacerdotis, proprietas ovium, scientia & facultas. *d. Sess. 14. cap. 7 h. t.*

24 Papa & Episcopi possuntne sibi reservare aliquos casus?

℞ Possunt, sed in articulo mortis nulla est reservatio, imò quilibet Sacerdos, etiam reprobatus, est verus Minister tempore necessitatis. *d. Sess. 14.cap 6 h t.*

25 Papa potestne dare facultatem laico absolvendi à peccatis?

℞ Non. quia hæc potestas data est solis Sacerdotibus. *Abb. c Fures.n.4.de Furt.*

26 Potestne quis tempore necessitatis laico confiteri?

℞ Non, cùm laicus absolvere non possit; nisi ex tali confessione (quæ est quasi actus mortificationis & signum contritionis) sequatur major peccatorum dolor. *Abb.in c. Pastoralis v. Propter quam de Off.Ord.*

27 Sacerdos in peccato mortali potestne absolvere?

℞ Potest: licet quò ad se fit extra Ecclesiam; sed male

malè facit administrando Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali *d. Conc. ibid. can. 9. & Abb. c. 1. de Schismat.*

28 Si quis Clericus abjuret de vehementi, est ne iterum admittendus ad audiendas Confessiones?

℞ Non, licet faciat pænitentiam, secus si abjuret de levi *Navar. cons. 16. de Haret.*

29 Potestne Confessor ligare, sicut absolvere?

℞ Potest. *d. Sess. 14. can. 3. & 5. h. t.*

30 Parochus potestne absolvere mulierem, cũ qua peccavit carnaliter, vel fecit sociã alicujus furti?

℞. Potest, sed melius est, ut eam ad alium Confessorem remittat. *Sylvest. v. Confessio 1. q. 14.*

31 Quando tenetur quis cofiteri peccata?

℞ Semel in Anno: in periculo mortis, tempestatis & ante celebratione Missæ *d. Sess. 14. cap 5. h. t.*

32 Confessio publica estne prohibita ab Ecclesia?

℞. Non; sed secreta Sacramentalis est approbata. *d. Conc. l. cit.*

33 Qui labuntur à gratia baptismali, possuntne eam recuperare?

℞ Possunt per pænitentiam, quæ vocatur secunda tabula post naufragium; & hæc saltim in voto est necessaria. *Conc. Trid. Sess 6. cap 14. de Justif.*

34 Quis est effectus Sacramenti pænitentiæ?

℞ Reconciliare hominem cum Deo, pax, serenitas conscientiæ & consolatio spiritus. *d. sess. 14. cap. 3 h. t.*

35 Remittiturne tota pæna cum culpa?

℞ Aliquando sic, aliquando non. Et sic satisfactio & pænitentia à Confessore imposita, quæ secundum gravitatem criminis debet esse, est valde utilis & necessaria. *d. Sess. 14. cap. 9. h. t. & can. sunt plures de Panit. dist. 3.*

36 Possumusne satisfacere cum nostris bonis operibus per Iesum Christum?

℞ Possumus mediante Passione Christi. *d. Con. ubi sup.*

37 Per peccatum mortale amittiturne gratia & fides?

℞ Gratia tantum, non fides, nisi per peccatum ei oppositum. *Conc. Trid. sess. 6. cap. 15. de Iustif.*

38 Quæ sunt partes Confessionis & pænitentiæ?

℞ Oris Confessio, cordis contritio & satisfactio. *Conc. Trid. sess. 14. can. 4. h. t.*

39 Quid est Confessio?

℞ *Secundum Raym.* est legitima coram Sacerdote habente Claves Ecclesiæ peccatorum declaratio.

40 Quid est Contritio?

℞ Est dolor de peccatis propter Deum voluntariè assumptus cum spe veniæ & proposito confitendi & satisfaciendi tempore & loco debitis. *S. Th. in 4. sent. dist. 17 q. 2. a. 1.*

41 Qualis debet esse dolor contritionis?

℞ Super omni detestabili; licet non sit tam intensus & affectuosus, sicut dolor pro morte Parentum. *Tol. in sum. Lib 3. cap. 3*

42 Quid est attritio?

℞ Est dolor de peccatis propter metum gehennæ ignis, vel turpitudinis peccati, quæ simul cum contritione consequitur veniam peccatorum & gratiam. *d. sess. 14. cap. 4. h. t.*

43 In quo differunt attritio & contritio?

℞ Quia hæc, est dolor propter Deum summè dilectum & ipsa sola cum proposito confitendi sufficit ad veniam peccatorum & ad conservandam gratiam, illa verò est dolor propter ignem vel turpitudinem peccati. *d. Sess. 14. cap. 4. h. t.*

44 Quid est satisfactio?

℞ Est recompensatio offensæ præteritæ, quò ad pœnam. *d. Sess. 14. Cap. 3. h. t.*

45 Peccatum punitum in hoc sæculo, puniturne amplius in alia vita?

℞ Si fuit condignè punitũ & pænitentia patienter suscepta, non punitur amplius in alia vita; quia de divina justitia est, ne quis bis puniatur de eodem peccato; sicut, qui integrè solvit debitum, iterũ solvere nõ tenetur. *ibb. in c. super eo n. 5 de Raptor*

46 Estne de necessitate Sacramenti satisfactio?

℞ Non: quia potest quis in purgatorio satisfacere pro peccatis. *Toler. in Sum. Libr. 3 cap. 4.*

47 Quæ sunt partes Confessionis?

℞. Principales 4. Integra, fidelis, diligens & obediens. *Tolet loc. cit. cap. 7.*

48 Sufficitne sola fides in Confessione?

℞ Non *Conc. Trid. Sess. 14. can. 9. h. t.*

49 Satisfactio, quæ pro peccatis debetur, per quæ opera datur?

℞ Per jejunia, eleemosynas, orationes & alia opera pia. *Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. de Justif.*

50 Hæc satisfactio estne pro pæna æterna?

℞. Non, sed pro temporali; quia per Sacramentum baptismi & pænitentiæ pæna æterna remittitur. *d. Sess. 6. cap. 14. de Iustific.*

51 Quando Confessio non integra, eritne valida?

℞ Affir. in 5 Casibus 1. quando post sufficientem diligentiam obliviscimur peccata 2. in articulo mortis 3 in muto, qui per signa potest confiteri 4. quando quis peccatum habet reservatum, potest omittere illud & cætera confiteri 5. quando venit damnum notabile Confessori, pænitenti vel tertiæ personæ. *Tolet. loc. cit. Cap. 8.*

52 Signa pænitentiæ in absentia Confessoris coram testibus in moriente facta, sufficiuntne ad absolutionem?

℞. Affir. quando infirmus perdit sensũ *can. 8. 26. q. 6*

53 In quibus casibus debet repeti Confessio

℞ In 8. I. si excomunicatus confiteatur ante absolutionem II. quando defuit dolor. III. quando non habuit propositum vitandi peccata IV. quando scienter occultavit peccatum mortale. V. quando Confessor non habuit jurisdictionem VI. quando est publicè excomunicatus. VII. quando ita est ignarus, ut non distingvat inter veniale & mortale. VIII. cùm non facit, vel nescit formam absolutionis. *Tolet in sum. Lib. 3. cap. 10.*

54 In quo casu Confessor poterit revelare Confessiõe

℞. Solùm quando ex urgenti causa, pænitens dat ei licentiam in scriptis & coram testibus, alias Confessor deponendus & in Monasterium pro perpetua pænitentia agenda, detrudendus *c. 12 h. t. & Abb. in c. Significasti. n. 5. de adult.*

55 Si quis inveniret hominem morientem sine sensu, poteritne eum absolvere conditionaliter, & dicere, si habuisti signa contritionis & sufficientem dispositionem, ego te absolvo, sicut fit in baptismo?

℞ Magna est controversia inter DD. affirmativam

vam tamen opinionẽ magis piã puto, sed negativam tenent ferè omnes *Soar. Sot. Med. de Confess. &c.*

# CAPUT VIII.
## De Casibus Reservatis.

1 Quare dicitur casus reservatus ?

℞ Quia sibi eundem ad absolvendum, tanquam in atrociori & graviori crimine, certæ personæ reservarunt. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. & can. 11. de Pæn.*

2 Quis potest reservare casus ?

℞ Papa, Episcopus, Prælati Religionum, Concilium Generale & Provinciale *Abb. in c. fin. de Off. deleg.*

3 Qualiter casus reservantur ?

℞ Per Constitutionem, vel Synodum: & hæc semper durat reservatio; aut per Epistolam, vel literas: & hæc exspirat morte mandantis. *Abb. ubi supr. & l. Leges C. de Legib.*

4 Quot sunt casus Papæ reservati ?

℞ Ultra Bullam Cænæ Domini, quam Parochus semel in anno publicare debet, *Piasec. Prax. Episc. p. 2. Cap. 1. de Juris. for. Pænit.* numerat 41. qui continentur in Corpore juris.

5 Quot sunt casus Episcopo reservati ?

℞ De jure 5. I. levis percussio Clerici. *c. Pervenit de sent. excom:* II. Irregularitas & suspensio ex delicto occulto. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de Ref.* III. Peccatũ incendiariorũ. *can. si quis & can. Pessima 23 q. 8.* nisi sint tales incendiarij declarati vel excomunicati, quorum tunc absolutio Papæ reservatur. *c. Tua nos. junct. gloss. de sent. excom.* IV. Blasphemia in Deum & Sanctos. *c. 2. de Maledic.* V. Enormitas criminum enumeratorum *in gloss. c. 2. v. reservantur. de Pænit. in 6.*

6 De consvetudine quot sunt casus Episcopo reservati?

℞ 5. I. Homicidium voluntarium. II. peccatum falsarii. III. Violationis immunitatis Ecclesiasticæ. IV. sortilegium. V. Peccatum retentionis alienorum. sed *Piasec. in Prax. Episcop. p. 2. Cap. 1. art. 3. h. t.* plures addit tam de jure, quàm de consvetudine.

7 Quæ peccata debet Episcopus reservare ?

℞ Pauca & quæ contineant gravissimum peccatum mortale, advertendo, quòd talis reservatio sit utilis subditis ad hoc, ut non passim talia peccata comitant. *Quarant. in sũ. bull. v. casus reservat. pag. 144.*

8 Quis potest à casibus reservatis absolvere ?

℞ Qui eos reservavit, successor & superior, ac quilibet Sacerdos tempore necessitatis *c. pen. de Pænit. in 6*

9 Episcopus potestne absolvere subditos suos à quibusvis casibus occultis, etiam sedi Apost. reservatis?

℞ Potest in foro conscientiæ, etiam à crimine hæreseos, impositâ pænitentiâ salutari. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de Ref.*

10 Si quis in articulo mortis absolvatur à casibus reservatis per simplicem Sacerdotem, & postea vivat, teneturne adire supe riorem pro alia absolutione ?

℞ Non; nisi sit deductum ad forum externum: quia qui peccatum semel legitimè confessus est, iterum illud confiteri non tenetur: *Navar. in man. cap. 26. n. 76.*

11 Si quis tenetur necessariò celebrare, & non possit adire Superiorem, poteritne absolvi de aliquo casu reservato à simplici Sacerdote ?

℞ Non; sed talis debet habere contritionem sicut ille, qui copiam Confessarii non habet, & poterit celebrare, & postea, cùm potuerit adire superiorem, absolvi peti. *Navar. ubi supr.*

12 Confessarii Ordinarii vigore privilegiorum Regularium vel Confraternitatum, possuntne absolvere à Casibus Episcopo reservatis ?

℞ Non; quia talibus privilegiis est derogatum, quò ad talem facultatem. *Clem. n. 1 de Privileg.*

13 Facultas absolv. à reserv. debetne dari inscriptis?

℞ Debet: sufficit tamen, si verbo detur. *Decret. Cong. Episcop. & Regul. 1601. 9. Januar.*

14 Qui habent privilegium absolvendi à casibus reservatis, in quibus casibus uti illo non possunt?

℞ I. si casus sit reservatus in Bulla Cænæ Domini. II. quando immunitas Ecclesiæ est violata. III. quando clausura Monialium est violata ad malum finem. IV. quando pugnatum est in duello. V. quando inijciuntur manus violentæ in Clericos. VI. quando simonia realis scienter contracta est. VII. quando simonia confidentialis beneficiorum contracta est. *c. Eos, qui. de sent. Excom: in 6.*

15 Si quis ante reservationem committit aliquod peccatum reservatum, tenebitur ne post reservationem confiteri Reservanti?

℞ Non, sed potest ordinarius Confessarius illum absolvere; quia constitutio intelligitur pro faciendis, non pro factis, & facultas Parochi, non est sublata, in præteritis peccatis. *Covar. Libr. 2. var. resol. cap. 6.*

16 Si quis transiens per unam Civitatem committit homicidium, & in illa Diœcesi talis casus non est reservatus, postea revertitur in suam Diœcesim, ubi est reservatus, poteritne absolvi à quolibet Confessario?

℞ Poterit; quia reservatio suæ Diœcesis, non extenditur ad delicta commissa in aliena Diœcesi. *Covarr. loc. cit. cap. 8.*

17 Qui committit casum reservatum in aliena Diœcesi, si in sua propria Diœcesi talis casus non sit reservatus, & confiteatur peccata sua in propria Diœcesi, poteritne absolvi à simplici Sacerdote?

℞ Non; quia forum interius obligat hominem in quacunq; Diœcesi existit. *Abb. in c. Omnis. de Pænit.*

18 Archiepiscopus potestne absolvere suos Suffraganeos à quibuscunq; delictis occultis & irregularitatibus contentis *in cap. 6. Sess. 24. de Refor.*

℞ Potest: sed non subditos eorum, cum sibi non sint subditi. *c. Abb. in c. Pastoralis. de Off. Jud. Odin.*

19 Quam pœnam incurrit Confessor, qui absolvit aliquem à peccatis reservatis sine licentia Episcopi?

℞ Absolutio est nulla, & Confessor ipsô factô est excommunicatus & privatus Officijs & beneficijs. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Pænit.*

20 Qui verò Confessor liberatur ab his pœnis?

℞ I. qui ignorat esse casum reservatum. II. qui absolvit per oblivionem, aut inconsiderationem. III. Confessarius in Urbe Romana. IV. Confessarius extra Italiam; quia tales pœnæ in d. decreto latæ, solùm Confessariis intra Italiam, positæ sunt,

quæ meritò extendi non debent ad alia Regna. *Quarant. ubi supra.*

# CAPUT IX.
## De Eucharistia

1 Quid est Eucharistia?

℞ Sunt species sensibiles panis & vini, Corpus & Sangvinem Christi significantes & realiter continentes. *c. Cum Marthæ. h. t.*

2 Quis instituit hoc Sacramentum?

℞ Christus D. in ultima Cæna, cum dixit (hoc est Corpus &c.) *Conc. Trid. Sess. 13. Cap 1. h. t.*

3 Ad quid instituit Christus hoc Sacramentum?

℞ In sui memoriam, tanquam cibum animarum, pignus futuræ gloriæ & antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à mortalibus præservemur. *d. Sess. 13. Cap. 1. h. t.*

4 Quo cultu adoratur hoc Sacramentum?

℞ Latriæ, quæ debetur Deo. *d. Sess. 13. Cap. 5 h. t.*

5 Estne dignius alijs Sacramentis?

℞ Aff. quia est in eo Author Sanctitatis. *d. Sess. 13. Cap. 3. h. t.*

6 Quæ considerantur in hoc Sacramento?

℞ 5. Materia, Forma, Minister cum intentione, suscipiens & effectus. *d. sess. 13. Cap. 3tio. h. t.*

7 Quæ est Materia hujus Sacramenti?

℞ Panis triticeus, vinum de vite, modicæ aquæ mixtum. *can. 1. 4. 7. & aliis. de Consecr. dist. 2. Con. Trid. Sess. 22. can 9. de Sacr. Miss.*

8 Istæ duæ Materiæ, Panis & vinum, suntne duo Sacramenta, an unum?

℞ Unum: tum ptopter unitatem totius Corporis & Sangvinis Christi unà cum anima & divinitate, quæ continetur sub specie panis & vini. tum quia hoc Sacramentum est institutum per modum unius convivij, in quo debet esse cibus & potus, & utrumq; est in illo; Caro, quæ verè est cibus, & Sangvis qui verè est potus; tum quia significat unitatem effectus; una enim gratia communicatur in communione utriusq; speciei; tum quia habent unitatem finis, unionem nempe Ecclesiæ; qui autem sumit hostiam solam, sumit totum Christum; & si quis sumit Sangvinem, similiter sumit totum Christum. *Tolet. in sum. Lib. 2. cap. 25.*

9 Materia debetne esse præsens?

℞ Debet; quia pronomina *hic & hoc*, requirunt præsentiam, & aliter non esset verum dicere, hoc est Corpus meum. *Tolet. ubi supra.*

10 Si quis habuit intentionem consecrandi 10. hostias, & invenit postea 12. quæ earum erunt consecratæ?

℞ Nulla: sed si quis habeat intentionem omnes sibi præsentes consecrandi, etsi nesciat numerum, omnes consecrat; quia intentio est ad omnes determinata. *Tolet. ubi supr.*

11 Quæ sunt formæ consecrationis Panis & vini?

℞ Panis: *hoc est enim Corpus meum;* Vini, *hic est enim calix* &c. *Math. 26. Marc. 14. Luca. 22.*

12 Verba utriusq; formæ consecrationis hostiæ & vini, suntne omnia de necessitate Sacramenti?

℞ Sunt: præter particulam (enim) quæ est de necessitate præcepti. De Consecratione autem Calicis, controversia est inter DD. respectu verborum reliquorum, *novi & æterni* &c. *Suar. disp. 60. sect. 1. a. 3.*

13 Quare in forma Sangvinis dicitur pro multis, & non pro omnibus?

℞ Quia quò ad sufficientiam effusio Sangvinis Christi Domini fuit pro omnibus, quò ad efficaciam verò, pro multis. Per hæc autem verba declaratur efficacia, *Palud. Richar. & Catech. Pii. V.*

14 Sacerdos solus sine ministro, potestne celebrare?

℞ De jure requiruntur, propter illa verba in Missa (Dominus vobiscum. orate &c.) duo, de Consvetudine verò cum uno celebrare potest, sed non solus: quia qui ministrat Celebranti, repræsentat totum populum. *can. 61. de Consec. dist. 1.*

15 Sacerdos ritè ordinatus Minister hujus Sacramenti, non habens copiam Confessorum in urgenti necessitate, poteritne celebrare?

℞ Affir. si sit adstrictus, cum contritione & proposito quàm primùm confitendi. *Conc. Trid. sess 13 cap. 7. h. t.*

16 Quotuplex est suscipiens hoc Sacramentum?

℞ 2plex: Sacerdos, qui consecrat & suscipit Corpus & Sangvinem: & fidelis, qui tantùm sub specie panis suscipit. *Conc. Trid. Sess. 21. cap. 1.*

17 Parvuli usu rationis carentes, tenenturne communicare?

℞ Non quia gratiam, quam per baptismum adepti sunt, eam in ea ætate amittere non possunt. *Conc. Trid. Sess. 21. cap. 4.*

18 Quo tempore debent Christi fideles suscipere hoc Sacramentum?

℞ Cùm ad annos discretionis pervenerint, quotannis in Paschate de Præcepto, & in articulo mortis. *Conc. Trid. Sess. 15. can. 9. h. t.*

19 Quas præparationes debet quis habere ad hoc Sacramentum dignè suscipiendum?

℞ I. Debet esse adultus. II. habere usum rationis. III debet esse jejunus. IV. ritè confessus V sine peccato mortali, imò sine veniali, quanquam hoc non impediat habitualem effectum Sacramenti. *Tolet. in sum. Lib. 2. Cap. 18.*

20 Sufficitne sola fides ad dignè sucipiendum hoc Sacramentum?

℞ Non, sed necessaria est contritio & confessio *Conc. Trid. sess. 13. can. 11. h. t.*

21 Quis est Minister proprius hujus Sacramenti, ut illud sanis & infirmis ministret?

℞ Episcopus, & Parochus in sua Parochia. *can. 1 §. ad Presbyterum dist. 25*

22 Quando debet dari infirmis & à quo?

℞ Si detur per viaticum, datur infirmis, qui proximi sunt morti, vel illis, quorum vita & spes vitæ est desperata à Medicis, debetq; administrari à proprio Parocho, vel ab alio Presbytero approbato de licentia Parochi; ratio. quia cùm administratur pro viatico, est actus jurisdictionalis & petit proprium Pastorem. *Clement. 1. de Privileg.*

23 Potestne hoc Sacramentum dari infirmis, qui non sunt in periculo mortis, sed propter eorum devotionem?

℞ Potest

℞ Potest, si absq; damno salutis Ecclesiam adire nequeant; secus si queant. Quia si famulus potest ire ad Domum Dei, justum est, ut non permittat omnium Dominum venire ad Domum suam; si verò non potest, Christus Dominus est ita misericors & pius, quòd vult ire ad don um servi, & si quis infirmatur, ille non. *can. Quæ dignior.* 24. *q.* 1.

24 Si quis pro viatico suscipiat Eucharistiam & postea convalescat, ac demum aggravetur infirmitate, intra quod tempus potest iterum sumere viaticum?

℞ Hoc non est limitatum in jure, sed relinqvitur arbitrio prudentis Confessarii.

25 Ubi est consvetudo, ut Eucharistiæ Sacramentum deferatur infirmis, non ut illud sumant, sed solùm adorent, debetne servari?

℞ Ex *Conc. Trid. Sess.* 13. *can.* 6. §. *Adorandum h.t.* & prohibitione Pii V. negativè: ratio est, quia causa, quare Ecclesia permittit, ut deferatur infirmis ad domos, est propter effectum, utilitatem & gratiam, quam confert digna susceptio hujus SS. Sacramenti, non verò sola adoratio.

26 Eucharistia estne danda damnatis ad mortem, & quando?

℞ Affir. modò sint pænitentes & confessi. *can. Quæsitum* 23. *q* 2. idq; die anteriori ante executionem, ut sit spatium 24. horarum, licet *Navar. in man. cap.* 25. *n.* 23. *de Orat. miss* 49. dicat Consvetudinem Urbis in hoc servandam & dandam esse 4. horis ante supplicium. Debent verò tales comũicare jejuni, quia sunt sani, & dispensationes non debent fieri in hoc, nisi necessitas postulet, ut in infirmis. *Soar. disp.* 66. *sect.* 5.

27 Quare per sumptionem Corporis Christi condemnati ad mortem non liberentur, ut hi, qui confugiunt ad Ecclesiam; cùm Corpus Christi sit majus omnibus?

*can. Nihil. de Cons. dist.* 2

℞ Quia Corpus Christi est Cibus animæ & non corporis, ergo animam liberat, non corpus. *gloss. d. can. Quæsitum. v. in partibus.*

28 Eucharistia quâ horâ, & cum quo ornatu debet infirmis ministrari?

℞ Quacunque hora, die vel nocte infirmis periclitantibus, sive jejunis, sive non, ministratur; quia necessitas legẽ non habet. *can.* 34 7. *q.* 2. deferens tamẽ eandẽ Sacerdos ad infirmũ debet esse ornatus superpelliceo & stola, baldachino tectus, tintinabulo parvo præcedente & Clericis, si haberi possunt, aut in defectu horum, pueris superpelliceatis cum accensis luminaribus, Psalmos Davidicos alternatim, vel solus cum devotione, oculis fixis in Sacramentum, quod manibus capite detecto portat, velò sericò coopertum, recitans, domumque infirmi ingressus, illud in mensa Altaris instar paratâ, mappis mundis & imagine ornatâ, lucentibus duabus candelis reverenter reponit, &, si adhuc infirmus, non est confessus, vel post Confessionem alicujus peccati reminiscens factus, ejusdem Confessionem audit, absolvit, ac clara voce ex ceremoniali perlectis perlegendis, Sacramentum ministrat. *c. sanc. de Celebr. Miss. & Const. Provinc. Gnesnen. Libr.* 3 *de vit. & honest. Cleri.*

29 Tempore pestis vel belli, aut si sit timor hæreticorum potentium, quomodo debet deferri SS. Sacramentum infirmis?

℞ Hoc (perpenso tempore, periculo, occasione occultè ne, an publicè sit deferendum? in agro, an in domo infirmi sit Altare faciendum?) arbitrio Episcopi relinquitur, qui providere debet, ut meliùs in domino viderit expedire.

30 In quibus Ecclesiis debet servari SS. Eucharistia in Sacrario?

℞ In Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Regularium vel Monialium, non tamen intra chorum, vel septa Monasterij. *Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 6 *h. t. & sess.* 25. *cap.* 10. *de Regular.*

31 In Capellis Eremiticis, vel in Sacellis privatarum domorum, potestne servari Eucharistia?

℞ Non, nisi cum dispensatione Summi Pontificis, & Capella sit ampla & ornata, vel etiam pro modico tempore cum dispensatione Episcopi: similiter in Capellis Eremiticis non debet asservari, nisi tempore messis & vindemiarum propter periculum mortis laborantium & distantiam Ecclesiæ Parochialis, idque cum facultate Episcopi loci. *Conc. Trid. Sess.* 13. *cap.* 6. §. *an Episcopus h. t. can. Quidam.* 18. *q.* 2. & *cann.* 2. 33. *cum seqq. de Cons. dist.* 1 *Congreg; Conc.* 1609.

32 In Hospitalibus debetne servari SS. Sacramentum & cum cujus licentia?

℞ Debet die & nocte cum licentia in scriptis proprij Episcopi, propter periculum infirmorum, modò Capella sit ornata & pateat omnibus. *d. can. Quidam junct. gl. ss.* 18. *q.* 2. *Rot. decis.* 725 *n.* 9. *p.* 1. *divers.*

33 In Ecclesiis, quæ sunt in Civitate & non sunt Parochiales, sed constructæ ab aliqua Confraternitate, vel pio homine, potestne poni SS. Sacramentum, & cum cujus licentia?

℞ In istis Ecclesiis potest poni cum licentia Episcopi, sed Episcopus ista 9. debet considerare, ut sit sufficienter dotata, sit magna & bene ædificata, habeat Capellanos vel Capellanum cum congrua sustentatione, sit sufficienter ornata, n. habeat Calices & alia ornamenta Ecclesiastica omnium colorum, sit benedicta vel consecrata, ut quotidiè in ea Missa celebretur, habeat concursũ populi, non sit impedimento Ecclesiæ Parochiali, & habeat lampadem accensam ante SS. Sacramentum. *T Th. & Canonist.*

34 Quando debet renovari SS. Eucharistia & à quo?

℞ Regula non est certa, sed bene erit, ut quam sæpissimè à Parocho, vel de ejus licentiâ, ab alio Sacerdote renovetur, ne species corrumpantur.

35 Sacrarium ubi debet esse SS Sacramentum quomodo debet fieri & quid debet habere in se?

℞ Debet fieri in modum tabernaculi, depictum vel deauratum: ornatum, clausum, intus pixis cooperta & velo serico tecta, subtus corporale mundum. Quia nimis absurdum videtur in sacris, in quibus Dominus Dominantium reconditur, sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis. *c.* 2. *de Custod. Eucharist.*

36 Quis est effectus hujus Sacramenti?

℞ Dat gratiam, confortat, præservat & alios mirabi-

rabiles effectus facit. *Valen. Lib. 3 t. 41 §4.*

37 Daturne una gratia ex sumptione Corporis & alia ex sumptione sanguinis?

℞ Non, sed tantùm eademque gratia. *Tol. lib. 2. c. 28*

38 Quot sunt modi recipiendi hoc Sacramentum?

℞ 4. 1. in figura sicut Patres antiqui in manna. 2. Spiritualiter per fidem & ardens desiderium in contemplatione 3. Sacramentaliter tantùm, cùm quis ob peccatum mortale ponit obicem, & non accipit effectum. 4. quando recipit Sacramentum & gratiam. *Conc. Trid. Sess. 13. can. 8. & Tolet. ubi supr.*

39 Cujus juris est sub utraq; specie consecrare?

℞ Diversa est DD opinio; sed veriùs est esse de jure divino conficere sub utraq; specie & utraq; consumare, eos, qui conficiunt, ut colligitur, ex *Conc. Trid. sess. 21. Cap. 1. & sess. 22. in princ.* & qui communicat sub una specie, sumit integrum corpus *d. Sess. 13. can. 3. h. t.*

40 Laici & Clerici non conficientes, suntne adstricti jure divino ad communionē sub utraq; specie?

℞ Non: cùm communio sub sola specie panis ad salutem sufficiat. *d. Sess. 21. cap. 1.*

41 Quis approbavit & quasi pro lege posuit consvetudinem communicandi sub una specie?

℞ S. Ecclesia Romana & declaravit in ea Christum integrum verumq; Sacramentum sumi. *d. Sess. 21. Cap. 3. & can. 3. de Comm. sub utr. spec.*

42 Quomodo assistit Christus integer in Sacramento & in Cælo?

℞ In Cælo juxta modum assistendi naturalem, in Sacramento verò sacramentaliter totus in toto, & totus in qualibet hostiæ aut vini consecrati parte. *d. Conc Trid. Sess. 13. cap. 1. h. t.*

43 Post consecrationem existitne Christus sub specie Panis & Vini?

℞ Sub specie Panis existit Corpus Christi virtute verborum & per concomitantiam existit Sanguis, anima, divinitas & etiam tota Trinitas; & similiter sub specie Vini, Sanguis venit ex vi verborum; Corpus verò & reliqua per concomitantiam. Itaq; post consecrationem existit Christus in Sacramento verus Deus & homo realiter & substantialiter. *d. Sess. 13. cap. 1. & 3. & can. 3. h. t.*

44 Si in illo triduo, in quo Christus fuit in sepulchro aliquis Apostolorum celebrasset & consecrasset Panem, sub specie Panis, venissetne Sangvis per concomitantiam, & sub specie Vini, venissetne Corpus per concomitantiam?

℞ Non, sed in Hostia esset Corpus, & in Calice esset Sangvis, utrumq; tamen divinitati admirabili modo unitum. *Tolet. in sum. Lib. 2. cap 27.*

45 Post consecrationem manetne substantia Panis & Vini?

℞ Negativè, sed solùm accidentia; quia substantia Panis & Vini transit in substantiam Corporis & Sanguinis Christi Domini. *d. Sess. 13. cap. 4. h. t.*

46 Quæ sunt hæc accidentia, & quomodo existunt sine substantia?

℞ Sunt quantitas, color, sapor, odor &c. quæ vocantur accidentiæ & non sunt affixæ Corpori Christi, sed miraculosè existunt sine subjecto & sub illis Corpus existit Christi. *d. Sess. 13. cap. 3. h. t.*

47 Si sub specebus non est ulla substantia, præter substantiam Corporis Christi, cùm quis manducaret hoc Sacramentum sustentareturne?

℞ In isto casu fieri nutritionem; quia Deus ponit quandam materiam præsentem, qua nutritio fiat, de qua re vide *Soar. 3. p. q. 77. a. 8. dist. 57.*

48 Post sumptionem Eucharistiæ, statimne cibus corporalis sumendus est?

℞ Non, donec digeratur Eucharistia. *can. Tribus gradibus. de Consecr. dist. 2.*

---

# CAPUT X.
## De Sacrificio Missæ.

1 Unde dicitur Missa, & quis eam instituit?

℞ *Jux. Valen. Lib. 3. t. 41. §. 1.* à dimittendo cætu Christianorum ad sacrificandum communicandumq; congregato, vel à transmissa in Cælum hostia; quam Missam Christus Dominus in ultima cæna instituit. *Conc Trid. Sess. 22. cap. 1. h. t.*

2 Quis ordinavit Apostolos Sacerdotes?

℞ Christus Dominus in eadem ultima Cæna cùm dixit; *hæc quotiescunq; feceritis* &c. *Conc. Tr. ubi supra.*

3 Sacrificium Missæ estne propitiatorium?

℞ Est, ita, ut si recta fide, cum metu & reverentia, contriti & pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *d. Sess. 22. cap. 2. h. t.*

4 Pro quibus offertur & quibus prodest?

℞ Pro vivis & defunctis, quibus prodest, nondum integrè purgatis *d. Sess. 22. cap. 2. h. t.*

5 Sacrificium Missæ potestne offeri Sanctis?

℞ Non, sed soli Deo, qui eos coronavit; rectè tamen in memoriam & honorem eorum interdum celebrat Ecclesia. *d Sess. 22. cap. 3 h. t.*

6 Quis instituit Sacrum Canonem?

℞ S. Ecclesia & quidem ab omni errore purum, *d. sess. 22. cap. 4. & can. 6 h. t.*

7 Quare Ecclesia instituit, ut in Missa quædam dicerentur submissè, quædam clarè, & quare adhibet vestes peculiares, sacras cæremonias & luminaria in hoc Sacrificio peragendo?

℞ Ut mentes hominum elevet ad meditationem rerum divinarum, & ut Majestas tanti Sacrificii commendetur, quod ritè factum est ex Apostolica traditione. *d. sess. 22. cap. 5. & can 7. & 9. h. t.*

8 Missæ, in quibus Sacerdos solùm, non populus communicat, suntne reprobandæ & damnandæ?

℞ Non: tum quia Sacerdos publicus minister offert pro se & populo, ac Missæ hujusmodi communes censeri debent; tum quia in illis fideles spiritualiter communicant. *d. sess 22. cap. 6 h. t.*

9 Quare in Missa paucissima aqua miscetur vino?

℞ Ob tres causas: tum quia Christum Dominum ita fecisse creditur, tum quia per eam recolitur Sacramentum Sanguinis & aquæ fluentiū de late- Christi, tum deniq; ut repræsentetur unio Christi cum Ecclesia: nam vinum, Christum, & aqua populum fidelem significat. *can. 1. v. ergo. dist. 2 de Consecr. & d. Sess. 22. cap 7. & can. 9. h. t.*

10 Qua lingua debet celebrari Missa?

℞ Non vulgari, sed servandus est cujusq; Ecclesiæ antiqvus à Romana Ecclesia approbatus ritus;

ac

ac in medio Missæ diebus festis prædicandum est Evangelium. *d. Sess.22.cap.8.& can.9.h.t.*

11 In Missa offerturne Deo verum Sacrificium?

℞ Affir. *d.Sess.22.cap.1.h.t.*

12 Quando Christus dixit (hoc facite in meam commemorationem) quid præcepit?

℞ Instituit Apostolos Sacerdotes atq; ordinavit, ut illi & alij Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. *d.Sess.22.can.2.h.t.*

13 Sacrificium Missæ estne laudis tantùm?

℞ Non solùm laudis, sed etiam propitiatorium. *d.Sess.22.can.3.h.t.*

14 Quando celebratur Missa in honorem Sanctorum, quid intendit Ecclesia?

℞ Intercessionem eorum obtinere apud Deum. *d.Sess.22.can.5.h.t.*

15 Potestne aliquod pretium pro Missa dari?

℞ Non, quia est inæstimabilis pretij. *Decret. de evit.& observ.in celebr Missa d.Sess 22*

16 Quando datur stipendium celebrantibus Missam, licitè ne illa largitio fieri potest?

℞ Licitè; quia tunc merces non datur pro Missa, cùm sit inæstimabilis, sed datur congrua sustentatio Celebranti naturali lege debita, quamvis ex pacto exigatur. Os enim bovi trituranti non est ligandum. *D. Augus.cap.2 de Pastor. & Remis.Conc.Trid. In princ.Sess.22.* Quantum verò stipendium debet esse, consvetudo loci & taxa Conc. Provinc. est servanda. *d. Remis. Conc. Trid. Sess. ejusd.*

17 Sacerdotes divites, ut pote Canonici & Prælati Eccl. Cathedr. possuntne recipere elemosynas pro Missis dicendis, sicut faciunt alii Clerici indigentes?

℞ Affir: quia dignus est operarius mercede sua, & divitiæ vel paupertas, non tollunt hoc jus, ut celebrans pro alio, ab illo sustentationem non habeat lege naturali debitam; duplex tamen meritum sc ob celebrationem & ob eleemosynam haberet Sacerdos dives, si eam daret indigenti Sacerdoti: si verò Sacerdos ex vi beneficii, Capellaniæ ac aliorum redituum teneatur pro aliquo Missam dicere, pro eadem non potest stipendium ab alio accipere. *Joan. 3.p.q.83. a.4.disp. 86.sect. 3.*

18 Laicus poteritne dare rem temporalem Ecclesiæ, ut agrum &c. ea conditione vel pacto, ut pro ea re tot dicantur Missæ?

℞ Poterit absq; simonia; quia ipse non emit rem spiritualem, sed solvit alimentum & sustentationem alicujus celebrantis, isq; potest licitè recipere; cùm dignus sit operarius mercede suâ *Abb. in c. Quoniam n. 4. Ne Prælati vices suas &c.*

19 Quid debent prohibere Episcopi in Ecclesia, dum Missæ celebrantur vel horæ cantantur?

℞ Deambulationes, strepitus, colloquia vana, vociferationes, ne in musica misceantur cantus profani, risus cessent, Clerus, ut superpelliceatus Ecclesiam præcipuè Cathedralem intret &c. *Const. Provinc, Gnesnen. Lib. 3. de vit. & honest.Cler.* ne duæ Missæ in eadem Ecclesia propter confusionem vocum simul & semel decantentur &c. *d.Const. Provinc. Libr. eod. de celebrat. Miss.*

20 Potestne Episcopus sub censura præcipere, ut Sacerdos non impeditus celebret festivis diebus?

℞ Non, sed id debet facere monitionibus, maximè si Sacerdos nec Curatus, nec stipendiatus sit; quia quoties tenetur celebrare, nihil certum est, *S. Th. p. 3. q. 82. art. 10. Sylvest Sot. & alii.*

21 Si Parochus est; quando tenetur celebrare?

℞ Tam frequenter, ut suo muneri satisfaciat. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 14. de Ref. & c. signific asti.de Præben.*

22 In Missis novis quid prohibere debet Episcopus?

℞ Omnes cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunas atq; illiberales eleemosinarum exactiones potiùs, quàm postulationes & alia hujusmodi, quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, non verò justa pro Missis stipendia. *Conc. Trid. Sess. 22. Decret de observan.in celebr. Miss. Const. Provinc. Gnesn. Lib. 3 §. Perpetuò. de celebr. Miss.*

23 Sed quid debet agere, qui Missam novam cantat?

℞ Se vertere in medio Altaris ad populum & eleemosinas sponte oblatas recipere, non verò circuire Ecclesiam ad evitandum tumultum. *Zerol. in Prax Episcop.p.2.v. Missa.*

24 Consvetudo, ut Sacerdos propter eleemosinam per Ecclesiam pacem det, estne servanda?

℞ Non; sed ut corruptela tollenda. *Zerol. loc. cit.*

25 Episcopus potestne dare facultatem, ut in domibus privatis Missa celebretur?

℞ Non, sed solus Papa. *Conc. Trid. Sess. 22. decret. citat.*

26 Quando celebratur festum alicujus Sancti, possuntne post Missam à populo convivia fieri?

℞ In hoc servandam esse consvetudinem, modò fiant extra Ecclesiam. *Piasec. Prax. Episc.p.2 cap.3 n.18*

27 In quo loco Missæ sunt celebrandæ?

℞ In Ecclesiis, Oratoriis & Capellis Eremiticis, sed cũ consensu Episcopi. *d. decret. de Observ. sess. 22.*

28 Licetne ante diem celebrare?

℞ Non, sed in ortu auroræ, excepta nocte Nativitatis. *Ledesm. in sum. Tom. 1. Cap.19. concl.9.*

29 Qui vespertino tempore celebrat, quam pænam incurrit?

℞ Per bullam Pii 5. perpetuò est suspensus.

30 Qui tenetur Missam audire diebus festis & dominicis?

℞ Quilibet Christianus doli capax, cessante legitimo impedimento. *can. Missas.can.Omnis fidelis. de Consecr. dist. 1.* non tamen horas Canonicas vel plures Missas, etiam in die Nativitatis Domini. *Navar. in man. cap. 21. n. 1.*

31 Episcopus, Monachus & Clericus, teneturne sub peccato diebus non festivis vel jejunii Sacro interesse?

℞ Negativè. *Abb.in c.1.n 9.& 10 de vit.& hon. Cler.*

32 Potestne Episcopus dare licentiam laborandi diebus festivis?

℞ Potest: cum causa subest. *Sylvest. v negotium q.3.* imò & Parochus, si talis est consvetudo, sed tantùm ad tempus & pro ratione imminentis necessitatis. *Sot. de Just. Libr.2.q.4.a.4.& Congr.Con. 1599. 22. April.*

33 Quid est audire Missam?

℞ Est corpore adesse & mente attendere. *Tolet. Libr. 6. cap. 6 de instruct. Sacerd.*

34 Sacerdos celebrans, quam præparationem debet habere?

℞ Debet esse jejunus, sine peccato mortali & debet se præparare meditatione& oratione ad tantum mysterium peragendum. *iux illud* 1. *Cointh.* 2. probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. *can. Sacramenta. dist.* 1. & *can. Liquido. dist.*2 *de Consecr.*

35 Quoties in die licet celebrare?

℞ Semel, excepta necessitate & die Nativitatis Domini, qua tres Missæ conjuncto vel disjuncto tempore dicuntur, modò in ultima Missa Sacerdos se purificet *c. Consuluisti. de celebr. Miss.*

36 Sacerdos celebrans in pane fermentato, calice ligneo vel sine aqua, qua pæna punitur?

℞ Si id faciat ex mera malicia, Officiò & beneficiò perpetuò privatur. *c. fin. de celebr. Miss.*

37 Qui reliquit Missam inceptam, qua pæna punitur?

℞ Excommunicationis, nisi ex morbo necessario id fecerit; tunc enim ab alio Sacerdote est finienda. *d. can. Liquido. de consecr. dist.* 2.

38 Sacerdos sumens Corpus & non Sangvinem qua pæna punitur?

℞ Privatur celebratione Missæ. *can. Comperimus dist.*2. *de Consecr.*

39 Sacerdos celebrans & neq; Corpus, neq; Sangvinem Domini sumens, qua pœna punitur?

℞ Si id faciat ex oblivione, celebratione Missæ privatur per annum. *can. Relatum. dist.*2. *de Consf.* Si faciat ut hæreticus, punitur pæna hæreticorũ.

40 Sacerdos celebrans, quibus vestibus debet esse indutus?

℞. Sacris vestibus ab Ecclesia ordinatis; nempe amictu, Alba, cingulo, manipulo, stola & casula. *habetur in Ritu. Rom. & Conc. Rhem. cap.*4.

41 Qui sunt colores quib. Eccl utitur in ornamen?

℞ Colores sumuntur secundùm diversitatem Sanctorum: nempe in festo SS. Martyrum, color rubeus, qui significat Sangvinem, quem pro Christo fuderunt, in festo Virginum, & Confessorum color albus, qui significat eorum vitam candidam & immacalatam; pro Defunctis color niger, qui significat tristitiam; tempore Adventus& Quadragesimæ color violaceus; per annum verò color viridis & ultra hos colores, aliis Ecclesia non utitur. *Constat ex Cerem. Roman.*

42 Quid significat Sacerdos sacris vestib. indutus?

℞ Summum Sacerdotem n. Christũ repræsentat.

43 Si Sacerdos celebraret sine sacris vestibus, audiens istam Missam satisfaceretne præcepto Ecclesiæ?

℞. Affe: sed Sacerdos graviter peccaret. *Palud. Sot. in* 4. *dist.* 15. *Sylvest. v. Missa. & alii apud Suar. tom.* 3. *p.* 3. *disp.* 82, *q.* 83 *sect:* 3.

44 Quæ dicitur notabilis pars Missæ?

℞ Adhuc non est in jure determinatum, sed relictum arbitrio prudentis; verùm de consvetudine à principio Evangelii, auditur integra Missa, quam si quis prætermittit, peccat. *Navar. in man. cap.* 21. *n.* 2.

45 Si quis est adeò distans, ut non possit audire Missam, vel claudat oculos in contemplatione vel sit surdus vel cæcus, satis facitne præcepto?

℞ Affe, dum adest corpore & mente. *Tol. ubi. supr.*

46 Si quis pingeret, scriberet, vel faceret affectatim alquam rem per notabilem Missæ partem, audiret ne Missam?

℞ Non; quia sponte sua aliis rebus attendit, qui etiamsi nihil agat, non satisfacit tamen præcepto. *Ang. v. Feria.* §. 43. *Cajet. in sum. v. Festorum violatio.*

47 Qui audit dimidiam Missam ab uno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio continuatim vel disjunctim; satisfacitne præcepto?

℞ *Sot. in* 4. *dist.* 13 *q.*2. *a.* 1. *Navar. cap.*21. *n.*2. & *alii DD.* tenent affirmativam partem; sed *Tolet. in instr. Sacerd.* tenet negativam dicens: non esse unam Missam, sed partes duarum Missarum.

48 Si aliquis per notabilem partem Missæ cogitationibus abstraheretur, satisfaceretne præcepto?

℞ Affe. modò non faciat voluntarie adsitq; corpore & intentione. *Tolet. ubi supra. Libr.* 6 *cap.* 6.

49 In Missa requiruntur ne actus hominis, ut audire, videre, vel intelligere?

℞ Non, sed sufficit corpore adesse, mente attendere & velle præceptum Ecclesiæ adimplere. *Tolet. ubi supra.*

50 Quare dicitur audire Missam, cùm nullus actus requiratur?

℞ Quia sicut ad auditum requiritur proportionata præsentia, ita & in Missa requiritur eadem præsentia, ut quis dicatur adesse corpore & mente. *Tolet ubi supr.*

51 Minister ferens thus, vinum, prunas, omittit aliquam partem Missæ, teneturne aliam audire?

℞ Non: quia cùm serviat necessariis rebus Altaris, habetur pro præsenti. *S Antonin.* 2. *p.* 1. 9. *cap.* 10. § 1. *v. Miss.*

52 Qui pergit ad Ecclesiam animo videndi vel loquendi cum muliere, satisfacitne præcepto?

℞ Affe. quia potest quis malo fine ad Ecclesiam pergere, & bene ac ritè Missam audire. *Navar. ubi supr.*

53 Si quis audit Missam & simul recitat horas ex obligatione, satisfacitne præcepto?

℞ Distingvendo: si ex recitatione non habet necessariam attentionem Missæ, non satisfacit; si verò habet necessariam attentionem, utriq; rei (licet hoc difficile sit) satisfacit. *Angel. loc. cit.* § 42.

54 Qui excusantur ab auditione Missæ diebus festivis & Dominicis?

℞ Famuli occupati ab heris suis, modò herus ob Ecclesiæ contemptum eosdem non occupet; quia in hoc casu non tenentur eidem obedire. Si verò herus levià præcipiat & non curet Spiritualem famulorum salutem, peccat mortaliter. *Navar. cap.* 21. *n.*3. & 4. *Azor. cap.* 7 *q.* 1 Illi quos quævis rationabilis causa detinet, ut familię turbatio, vitatio damni Spiritualis, aut corporalis proprii vel alieni, honoris &c. *Tolet. Libr.* 6 *cap.* 9. Iter facientes, qui audiendo Missam socios necessarios amitterent. Infirmi ac eorum Ministri, Nutrices, Custodes arcium, pauperes non habentes vestes, ut è domo honestè egredi possint. *Navar. ubi supr.* Nobiles carentes debito comitatu

tatu juxta Patrię consvetudinem *Soar. disp. 88. Sect. 6* distantes ab Ecclesia & tunc insolitę ac diuturnę nives & pluvię decidunt. *Azor ubi supr. q. 5.* Navigantes, qui non tenentur Missam, etiam siccam audire, cum nullum extat hujusmodi pręceptum. *Azor ubi supra. q 6.*

55 Sed excommunicati committuntne novum peccatum non audiendo Missam, maximè si non curarunt absolvi?

℞ Non, quia jure prohibiti sunt: peccant tamen propter negligentiam in non procuranda absolutione. *Navar. loc. cit.*

56 Viduę post mortem maritorum jux. morem Patrię è domo per annum vel mensem non exeuntes, tenenturne audire Missam dieb. festis?

℞ Non: sed talis consvetudo debet ab Episcopo expelli. *Tolet. & Navar. ubi supra.*

57 Clericus vagabundus, debetne admitti ad celebrandũ

℞ Non, sicut & criminosus notoriè. *Conc. Trid. Sess. 22. decret. de observ. in celebr. Miss*

58 In Missis estne licitum ob devotionem alicujus novos ritus ac preces pias adhibere?

℞ Non, sed solùm illas, quas Ecclesia Catholica approbavit. *Conc. Trid. ubi supr.*

59 Certus numerus Missarum & Candelarũ, estne removendus?

℞ Non; nisi tales ritus magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inventi sint. *Conc. Trid. ubi supr.* Unde omittenda est potiùs Missa etiam in necessitate, quàm aliquid (ut sunt mixtio aquę, panis azymus, fractio Sacramenti & elavatio &c. nisi excuset exiguitas materiæ, vel inadvertentia) de ejus ritibus prętermittendũ *Sylvest. v. Missa. q 2. S. Antonin. p. 3. t. 13. cap. 6 § 6. Soar. disp. 84. sect. 2*

60 Celebrans sine calceamentis aut non pręmissis orationibus, dum se induebat vestibus, peccatne mortaliter?

℞ Non, modò absit contemptus *Armill. v Missa §. 6. Navar. de celebr. Miss cons. 3 n. 4.*

61 Deficiente Ministro poteſtne Sacerdos solus, vel cum fæmina ministrante, celebrare?

℞ Solus celebrare nequit. nisi id fiat in aliqua magna necessitate, puta ob viaticum sibi, vel alijs ministrandum. *Roder. in sum. Lib. 1 Cap. 249. n. 1. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. a. 5 ad 11 Soar. disp 87. sect. 1.* Cum fæmina verò nunquam. *Idem Sot. & Soar. ubi supr. can. In sancta dist 1 de Consecr & c. 1 de Cohab. Cler. & Mulier*

62 Poteſtne Sacerdos celebrare sine Missali?

℞ Poteſt, modò id fiat sine scandalo, & Sacerdos omnia memoriter sciat, aut saltim Canonem habeat. *Roder. ubi supr. n 19. Angel. v. Missa §. 37.*

# CAPUT XI.
## De Extrema Unctione.

1 Quid eſt Extrema Unctio?

℞ Eſt quædam immediata ad gloriam & ingressum ad Cælum præparatio. *Conc. Trid. Sess. 14 cap. 1. in Prooem. h. t.*

2 Quis instituit hoc Sacramentum?

℞ Christus Dominus. *Marc. 6.* quod per Jacobum Apostolum promulgatum eſt. *Iacob. 5 Conc. Trid. d. Sess. 14. can. 1 h t.*

3 Ad quid institutum fuit hoc Sacramentum?

℞ Ad confortandos juvandosq; animos infirmorum contra diaboli tentationes & difficultates, in articulo mortis illis occurrentes, repellendas. *d: Sess 14. cap 2 & can. 2. h. t.*

4 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?

℞ Materia, forma, Minister cum intentione, suscipiens & effectus. *Tolet. in sum. Lib. 7 cap. 1.*

5 Quotuplex eſt Materia?

℞ Duplex: Remota, Oleum olivarum ab Episcopo in die Cœnæ Domini solenniter consecratum. Proxima, ipsa unctio. *d. Sess. 14 cap 1 h. t.*

6 Quæ eſt forma?

℞ Iſta verba: *Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat Tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, locutionem & tactum.* Quæ reperitur ad unctionem cujuslibet sensus; in necessitate verò sufficit unica prolatio formæ, sed sensus omnes ad prolationem cujuslibet inungantur. *d. Sess. 14. cap 1 h. t.*

7 Poteſtne hæc forma mutari ab Ecclesia?

℞ Non: si mutetur sensus *Tolet. & Conc. Tr Sess. 14 c 3*

8 Eſtne de necessitate formæ, in nomine Patris &c.

℞ Non. *Tolet. ubi supra.*

9 Quare hæc forma eſt deprecativa, cùm aliorum Sacramentorum sit imperativa?

℞ Quia, cùm infirmus non reputetur de hoc mundo, sed de alio; ideo Sacerdos deprecatur & non jubet. *Navarr. cap. 22. n. 15.*

10 Quis eſt Minister hujus Sacramenti?

℞ Episcopus, Parochus, vel de ejus consensu quilibet Sacerdos; si verò consensus expressus vel conjecturalis saltim absit, tenebit Sacramentum, sed Sacerdos manebit excommunicatus. *d. Sess. 14. cap. 3. h. t.*

11 Si Episcopus in die Cænæ Domini, ut hoc Sacramentum conficiat, fit infirmus, absens, aut sedes vacet, quid agendum?

℞ Necesse eſt adire proximiorem Episcopum & ab eo petere consecrationem Olei Sancti, ac antiquum comburendum eſt *c. Quoniam. de sent: excom. in 6. & c. si Episcopus. de suppl negl. Prælat. in 6.*

12 Poteſtne fieri in Ecclesia interdicta?

℞ Poteſt. *jux DD. in d. c. Quoniam de sentent. excom. in 6 & gloss. in c. 1. de Reliq. & ven. Sanct. v. Consecratio.*

13 Quibus datur?

℞ Adultis morti propinquis ex morbo, partu vel senectute, etiam iteratis vicibus, modò fit mora & interrumpatur ægritudò, non vero in eadem infirmitate; nec pueris, perpetuo amentibus & suspendendis, datur. *Tolet. Libr. 7 cap. 3. & Conc. Trid. sess. 14. cap. 3 h. t.*

14 In quibus partibus infirmi unguntur?

℞ In his, in quibus peccare possunt; quod si illis careant, unctio fit in locis vicinis, & stupa, qua tergitur unctio, comburitur. Sacerdotibus verò, cùm jam sint unctę, non inunguntur palmę interiùs, sed exteriùs; Fęminę tamen in renibus ob pudorem & honestatem, non inunguntur. *Valent. Libr. 1 t. 15. §. 3. n. 4.*

15 Daturne unctio in dubio?
℞ Datur si constat adhuc aliqualiter infirmum non esse mortuum, *Tolet. ubi supr.*
16 Qui sunt effectus hujus Sacramenti?
℞ Remissio peccatorum, salus animę, confortatio contra tentationes Diaboli in articulo mortis, alleviatio infirmi ab egritudine. *d. Sess. 14. can. 2. h. t.*

## CAPUT XII.
## De Ordine.

1 Quid est Ordo?
℞ Est signaculum quoddam exterius, per quod spiritualis potestas traditur Ordinato. *Mag. Sent, in 4. dist. 24.*
2 A quo fuit institutum hoc Sacramentum?
℞ A Christo Domino, & est verè & propriè Sacramentum, qui Christus Dominus dedit potestatem Apostolis & eorum successoribus consecrandi Sacerdotes, qui habent potestatem peccata remittendi & retinendi. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. & can. 3. h. t.*
3 Quis instituit Ordines Majores & Minores?
℞ Christus Dominus. *d. Sess. 23. cap & can. 2 h t.*
4 Ad quid sunt instituti Ordines Minores?
℞ Ut per eos, veluti per gradus ascendatur ad Sacerdotium. *d. Sess. 23. can. 2. & 6. h. t.*
5 Prima Tonsura estne Ordo?
℞ Non, sed dispositio ad Ordines *Tolet. in sum. cap. 1. h. t.*
6 Quot sunt Ordines?
℞ Secundùm Theologos septem, secundùm Canonistas, qui firmis rationibus & authoritatibus innixi, dicunt esse Octo Ordines n. Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolitatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum & Episcopatum distinctum à Presbyteratu. *can. Cleros dist. 21. Valen. Libr. 1. t. 11. n. 3. & 4. ac alii.*
7 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?
℞ Materia, forma, Minister, suscipiens & effectus. *Tolet. ubi supr.*
8 Quæ est Materia hujus Sacramenti?
℞ Est instrumentum, per cujus traditionem confertur Ordo. *Valen. loc. cit, § 1 n. 2.*
9 Quæ est forma?
℞ Verba, quibus in traditione Materię utitur Ordinator. *Franc. de V. t. h. t. n. 229.*
10 Quando traditur potestas & imprimitur Character Ordinato?
℞ Quando tangit instrumentum sui Ordinis simul cum prolatione verborum: & quidem in Ostiario, tangendo Claves: in Lectore, librum; in Exorcista, exorcismum; in Acolito, ampulas & Candelabrum cum cereo: in Subdiacono, Calicem & patenam absq; hostia & vino: in Diacono, Evangelia: in Presbytero, calicem cum vino & patenam cum Hostia: in Episcopo, quando imponitur ei manus super caput simul cum Libro. *Bellarm. cap 9 h. t. Sylvest. v. Ordo 2. n. 4:*
11 Estne necessarius tactus instrumētorū ad Ordinē?
℞ Est, simul cum prolatione verborum. *S. Th. q. 34. a. 3 ad 5.*
12 Cur in traditione Calicis vacui & patenæ Subdiacono, Episcopus nulla verba profert?
℞ Quia solùm datur illi usus tangendi sacra vasa. *Fornar. in Addit.*
13 Imprimiturne character in quolibet Ordine majori & minori?
℞ Affir. *Conc. Trid. Sess 23 cap. 2. can 2. & 4. h. t. S. Th. suppl. q. 35. a. 2.* & alii. quamvis *Navar. cap. 22. n. 18.* quatuor Minores Ordines & primam Tonsuram dicat esse Sacramentalia, nec imprimere characterem.
14 Quando Sacerdos accipit potestatem absolvendi, & quando potest illa uti?
℞ In ordine Presbyteratus; sed non potest illa uti, donec illi Episcopus det facultatem post examen, etiamsi sit regularis. *d. Sess. 23. cap. 15. de Ref. & Clement. Dudum §. ac inde. de sepult.*
15 Ad Sacerdotium requiriturne necessariò Missa?
℞ Affir. *Sylvest. v. Ordo.*
16 Sacra unctio & ceremonię, quę fiunt, suntne contemnendę?
℞ Non, imo amplectendę & venerandę. *d. Sess. 23. can 5 h. t.*
17 Si quid prętermittatur in ordinatione, est ne iterandus Ordo?
℞ Si sit de substantia Ordinis, iterari debet; si verò non sit, suppleri debet, ut si quis non ungatur, poterit postea ungi. *Sylvest. & Fornar. ubi supr.*
18 Quis est Minister Ordinis?
℞ Episcopus, qui per se ipsum, si non fuerit ęgritudine impeditus, subditos suos debet ordinare, aliter probatos & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittat. *d. Sess 23. cap. 3. 8. 9. & 10. de Ref.* Possunt tamen Abbates suis subditis & alii ex concessione vel Privilegio Papę, Minores, non verò Majores Ordines conferre. *d. Sess 23 cap 10. de Ref. S. Th. in 4. sent. dist. 7. Covar. Libr. 1. Var. Resol. cap. 10 n. 9. & 10.*
19 Qui sunt Superiores in Ecclesia?
℞ Papa & Episcopi. *d. Sess. 23. can 7. h. t.*
20 Quam potestatem habent?
℞ Confirmandi, Ordinandi, consecrandi Ecclesias & Altaria sine populi, vel potestatis sæcularis consensu. *d can. 7 h t.*
21 A quo quis debet ordinari?
℞ A proprio Episcopo *d Sess 23. cap 8. de Ref.*
22 Quid requiritur, ut Episcopus sit legitimus?
℞ Ut assumatur authoritate Papæ & sit Consecratus *d Sess 23. can 8. h t*
23 Si Episcopus resignet dignitatem & locum, quos Ordines. potest conferre?
℞ Minores, sed si resignaret Episcopatum tantùm, & non dignitatem, tunc conferre potest & Majores, sed de licentia illius Episcopi, in cujus Diœcesi fiunt Ordines. *Sylvest. ubi supr.*
24 Ordo collatus ab Episc. excomunicato valetne?
℞ Affir quia talis Episcopus per excommunicationem non amittit potestatem. *Durand. q. 2. Enriq. Lib 10. cap 21.*
25 Ordinatus ab Episcopo excommunicato, quam pænam incurrit?
℞ Si sciat de excommunicatione Episcopi Ordinatus, incurrit pęnam suspensionis, quoadusq; proprio Episcopo visum fuerit. *Enriq. ubi supr. Tolet. in addit. ad sum. cap. 5. n. 3.*

26 Epis-

26 Episcopus titularis, quem vocant de Annulo, potestne conferre Ordines minores familiari suo sine licentia proprii Episcopi?
℞ Non, sub pœna suspensionis. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2. de Reform.*
27 Ordinatus à Papa pro inferiori Ordine, ad superiorem potestne à proprio Episcopo promoveri?
℞ Non, sine speciali licentia Papæ; quia ubi ille incipit, inferior non debet finire. *c. Cum in distribuendis. de Tempor. Ordin. Abb. in c. Postulasti. n. 10. de Cleric. excom. celebr.*
28 Quibus modis efficitur quis subditus Episcopi proprii?
℞ 3bus: ratione domicilii, beneficii simplicis, vel Curati & originis. *c. Cum nullus de Temp. Ordin. in 6. & Piasec. Prax. Episcop. p. 1. Cap. 1. a. 2. ubi alios cit.*
29 In Diœcesi, in qua natus est Pater, filius ratione originis potestne ordinari?
℞ Potest. *Piasec. loc cit. n 6. & Quarant. v. Ordo. fo. 350.*
30 Filius Naturalis potestne ordinari in Diœcesi, in qua natus est Pater?
℞ Non, sed in qua nata est Mater; talis enim Matrem sequitur. *Piasec. d. n. 6. & l. cum legitimè. ff. de stat. homin.*
31 Si quis nascitur in mari vel itinere, à quo Episcopo debet ordinari?
℞ Ab Episcopo, in cujus Diœcesi ejus Pater natus est. *DD. in c. Rudolphus. de Rescript.*
32 Libertus à quo Episcopo, debet ordinari?
℞ Ab Episcopo illius Diœcesis, in qua Dominus Liberti manet; ab hoc enim Originem & libertatis beneficium obtinuit. *l. Assumptio. ff. Ad municip.*
33 Domicilium quoto tempore acquiritur?
℞ DecēAnnorū spatio. *Accur. in l. Hæres. §. Proinde ff. de Judic. Barth. in l. Lex Corn. §. si tamē ff. de Injur.* imò etiā momento temporis potest acquiri si adsit animus perpetuò manendi, quod arbitrio Episc. relinquitur, qui ex conjecturis in facto occurentibus judicare potest, an assumptum est domicilium. *Abb. in c. fin. de Paroch. & alii, quos Piasec. loc. cit. n. 7. affert.*
34 PotestneEpiscopus servientem sibi ordinare ratione domicilij?
℞ Potest, nisi talis priùs acceperit aliquos ordines ab Episcopo suæ originis, vel abEpiscopo, in cujus Diœcesi habet beneficium, vel si ordinatus fuerit ad titulum Patrimonii; tunc necessariò requiritur expressa licentia illius Episcopi. *Quarant. v. Ordo fol. 351.*
35 Potestne Episcopus ordinare familiarem suum non subditum?
℞ Potest, si per triennium cum illo fuerit & det illi statim beneficium. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 9. de Ref.* quod triennium sive ante Episcopatum, sive post reputandum est. *Garc. p. 2. cap. 5. n. 83.*
36 Talis familiaris ad quem titulum potest ordinari?
℞ Ad titulum patrimonii, pensionis vel beneficii. & potest illi dare dimissorias, dummodo alicui Ecclesiæ adscribatur. *Congr. Card. in d. Sess. 23. cap. 9. de Refor.*
37 Qui habitat per triennium in Urbe Romana ad latus alicujus Cardinalis, vel Episcopi, à quo debet ordinari?
℞ A Vicario Sanctissimi de licentia sui Domini. *Declarat. 3. de. Sess. 23. cap. 9. de Ref.*
38 Si quis habeat beneficium in aliqua Diœcesi, & habeat domicilium vel originem in alia, poteritne ordinari in illa, in qua habet beneficium?
℞ Poterit, etiamsi beneficium sit simplex, vel Curatum, vel Præstimoniale, vel Præstimonialis portio, modò beneficium congruum sit ad sustentationem. *Congr. Conc. in d. Sess. 23. cap. 9. de Ref. & gloss. c. Cum nullus. v. Ecclesiasticum. de Temp. Ordin.*
39 Si tale beneficium solùm habeatSubdiaconatum annexum, poteritne suscipere reliquos Ordines ab illo Episcopo in cujusDiœcesi habet beneficiū, an ab Episcopo suæ Originis?
℞ Ab Episcopo in cujus Diœcesi habet beneficium: majore enim subjectione & residentiam habet ratione beneficii, quàm ratione Originis. *Quarant. v. Ordo. fol. 350.*
40 Si quis habeat pensionem super Beneficio sito in unaDiœcesi & habeat originem in alia, poteritne ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi existit talis pensio?
℞ Negativè: quia ratione pensionis non efficitur quis subditus; cùm pensio non sit verè titulus canonicus, ut beneficium. *Vgolin. Libr. 2. cap. 25. §. 3. de Off. & potest. Episcop.*
41 Si quis habeat patrimonium in una Diœcesi & in alia domicilium, vel Originem, à quo Episcopo debet ordinari?
℞ Ab Episcopo Originis vel domicilij; quia ratione patrimonii non efficitur quis subditus. *Ugol. l. c.*
42 Potestne Episcopus ordinare alienum subditum?
℞ Non: quod si faciat, manet suspensus per annum & Ordinatus, quò adusq; proprio Episcopo videbitur, suspenditur. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 8. de Ref.*
43 Si aliquis Episcopus ordinet aliquem alterius Diœcesis in fideParentū; quia dixerunt illum natum esse in ejus Diœcesi, incurritne aliquam pœnam Episcopus?
℞ Non. *Bonac. disp. 8. q. unic. punct. 5. n. 13. de Sacram.*
44 Potestne Episcopus in aliena Diœcesi conferre Ordines, absq; licentia Ordinarii loci?
℞ Non: alias ab exercitio Pontificalium, & Ordinati ab executione Ordinum, ipso jure fiunt suspensi. *Conc. Trid. Sess. 6. cap. 5. de Refor.*
45 Potestne Episcopus, de licentia Superioris loci exempti, facere ordinationes in loco exempto?
℞ Non; quia requiritur licentia Episcopi, in cujus Diœcesi consistit talis locus exemptus. *Bonac. loc. cit. punct. 4. n. 18.*
46 Episcopus exercens pontificalia in aliena Diœcesi de licentia Ordinarii loci, poteritne ordinare suos subditos & familiares?
℞ Affir. jam enim habet licentiam ordinandi; imò & hos, qui veniunt cum dimissoriis literis, potest ordinare. *Conc. Trid. in declarat. Sess. 6. Cap. 5. de Ref. & Bonac. ubi supr.* (è contra?
47 Græci possuntne ordinari abEpiscopo latino, vel
℞ Non: sed Græci subjecti Episcopo latino, ab Episcopo Græco de licentia ejus, sicuti è contra, debent ordinari. *c. Quod translationem. de Temp. Ordin.*
48 Presbyteri Græci, si ordinentur ante matrimonium

nium, poſſuntne poſt Ordines ducere uxorem?

℞ Non: ſi loquamur de Subdiaconatûs, Diaconatûs & Præsbyteratûs Ordinibus, ſi verò de Minoribus, nihil refert. Uxoratus enim poteſt ordinari, ſed ſi ejus Uxor moriatur, non poterit tranſire ad ſecundas nuptias, quemadmodum & mulier mortuo marito. *S. Th. in Add. a. 3. p. q. 52. a. 4. Azor. p. 1. Inſt. moral. Libr. 13. cap. 14. &c.*

49 Quibus debet dari facultas ut ordinentur à quocunq; Epiſcopo?

℞ Omnibus habentibus legitimam cauſam, ob quam non poſſunt ordinari à proprio, quæ debet in literis exprimi. *Conc. Trid. Seſſ. 7. cap. 11. de Ref.*

50 Si Epiſcopus ante Ordinationem moneat, ne excommunicati, aut per examen reprobati, aut non approbati ad Ordines accedant, & non declaret expreſſe ſe non habere intentionem ordinandi illos, tales ſi accederent, remanerent ne ordinati?

℞ Remanerent; quia Eccleſia præſumit Epiſcopum tanquam perſonam publicam habere intentionem ordinandi. *c. Veniens. de eo, qui furt. Ord. ſuſcep. Henriq. Navar. Cons. 2. de eo, qui furt.*

51 Si hujuſmodi Ordinationi, inſciô Epiſcopô aliquis excommunicatus, per examen reprobatus, aut non approbatus, vel dimiſſorias literas non habens ſe intromittat, Epiſcopus Ordinans ipſum incidit ne in aliquam pænam?

℞ Negativè: quia ad pænam aliquam incurrendam, requiritur voluntas & intentio operantis. *Molfes. in ſum. Tom. 1 tract. 2. Cap. 2. n. 13.*

52 Talis Ordinatus quam pænam incurrit?

℞ Suſpenſionis, etiamſi Epiſcopus ante ordinationem nihil declaraverit. *Quarant. in ſum. bullar. v. Ordo & Avil. p 3 diſp. 5. dub. 7 de Cenſur.*

53 Quis dicitur proprius Diæceſanus Regularium?

℞ Si Regulares ſint nullius Diæceſis, propter utilitatem eorum, proximior Epiſcopus; alias ille Epiſcopus in cujus Diæceſi ſitum eſt Monaſteriũ. *Bull. Clem. VIII. Romæ* 15. *Martii.* 1596

54 Si quis eſt profeſſus in aliqua Religione, dimiſſuſq; ex ea, à quo Epiſcopo debet ordinari?

℞ Ab Epiſcopo ſui originis. *Navar. Conſil.* 104. *de Regul.*

55 Abbas, Presbyter, & ab Epiſcopo benedictus, cùm poſſit, ut dictum *n. 18. h. t.* quemadmodum & Cardinalis Presbyter, non Epiſcopus, ſuis ſubditis conferre Minores Ordines, num etiam eoſdem ſæcularibus conferre queat?

℞ Affir. modò tales ſæculares à proprio Epiſcopo habeant ſpecialem facultatem ordinandi ab Abbate hujuſmodi. *Piaſec. Prax. Epiſcop. p. cap. 1. n* 8. & 9 *Fornar. cap. 5. n. 8. h t. Vaſques. 3. p. tom 3. diſp. 24. 3. n. 33*

56 Dicti Abbates poſſuntne conferre Ordines Minores Religioſis alterius Religionis?

℞ Poſſunt, ſi ferant dimiſſorias ſui Superioris & habeant ſpecialem (qnia generalis non ſufficit) facultatem Epiſcopi illius loci, in quo Ordines conferendi ſunt. *Azor. p. 2. Libr. 3. cap.* 48. *q.* 15. & *Quarant. v. Ordo §. Abbatibus.*

67 In ſuſcipiente Ordines, requiriturne proprius conſenſus?

℞ Requiritur, ſi ſit adultus; quia ordinatio per vim non tenet; ſecus ſi per metum. *Ang. Ordo 3. n 25. Sylveſt. Ord. 4. q 1.* niſi metus ſit talis, qui cadat in conſtantem virum; taliter enim ordinatus, non tenebitur ad caſtitatem, per *c. Perlatum. de iis, quæ vi metusve cauſa. fiunt Angel. loc. cit. Navar. cap.* 22. *n.* 51. *Conſ.* 2 3. 4 & 5. *de his, quæ vi &c.*

58 Puer ante uſum rationis ſi ordinaretur, teneretne (Ordo?

℞ Teneret: *S Th. in Add. ad 3. p. q 3. a 2 Fornar. in addit. Tolet. cap. 3. h. t. Sot. in 4. diſt. 25 q. 1. a. 2.* Ætatis enim defectus characterem non impedit. *Panor. in c. Vel non eſt compos. de Temp. Ordin.* & intentio Eccleſiæ in hac re ſufficit pro illo, quemadmodum in Baptiſmo *Fornar. ubi ſupra.*

59 Talis puer ordinatus poſt uſum rationis obligareturne ad votum caſtitatis?

℞ Non: niſi poſt uſum rationis, cognita voti obligatione id ipſum ratificet. Ad votum enim voluntas deliberata requiritur. *S. Th. loc. cit. Imol. in Clem. Generalem de ætat. & qualit.*

60 Si talis puer ante uſum rationis conſecraretur in Epiſcopum, eſſetne Epiſcopus?

℞ Negat. *iux S. Th. loc. cit. q. 39. a. 2. Enriq. Libr.* 10. *cap. 14. §. 3. h. t.* Epiſcopus enim eſt ſponſus Eccleſiæ, jam autem ad ſponſalia requiritur proprius & liber conſenſus. *c. 1. 4. & 5. de deſponſat. impuber.* quamvis *Tolet. in ſum. Lib.* 1. affirmativam partem teneat ex eo; quia character Epiſcopatus, non ſit diſtinctus à charactere Sacerdotis, ſed ſolùm extendatur in Epiſcopo per additionem novæ poteſtatis. *Idem ſentit. Reginald. cap. 1. n. 5.*

61 Dormiens, vel amens poteſtne ordinari?

℞ Si ante dormitionem, vel amentiam habuit voluntatem ſuſcipiendi Ordines, tenet Ordo & character imprimitur, ſi verò non habuit, contrarium aſſerendum eſt; quia ad ſuſcipiendum Ordinem requiritur voluntas actualis vel habitualis. *Fornar. loc. cit. Tolet. cap. 3 h. t. & Sylveſt. v. Ordo.*

62 Factus ſemel Sacerdos, poteſtne rurſus fieri laicus & nubere?

℞ Non, propter characterem; qui nec deleri, nec ab illo auferri poteſt. *Conc. Trid. Seſſ. 7. can. 9. de Sacr. in gener. & Seſſ. 23. cap 4. h. t.* Poteſt tamen de plenitudine poteſtatis Summus Pontifex ob graviſſimam cauſam & neceſſitatem diſpenſare in hoc caſu, quemadmodum cum Caſimiro Monacho Ord. S. Benedicti, Monaſterij Cluniacenſis Diacono, Miecislai II Regis Poloniæ filio, ad Regni Poloniæ diadema *Benedictus* IX. Papa, ad enixas Polonorum preces, Anno 1040. diſpenſavit. *Annal. Regn. Polon.* Plura exempla vide *in Prax. diſpenſ. Apoſt. Pyrr. Corrad. Lib. 8. cap. 10. n. 28.*

63 Excommunicatus ſi faciat ſe promoveri, quid eſt agendum?

℞ Si id ſcienter fecerit & ſit ſæcularis, ab Ordinibus ſuſceptis eſt perpetuò ſuſpendendus, ſi verò Regularis, ab executione Ordinis & Officij removendus; ſi autem ignorabat ſe eſſe excommunicatum, ſæcularis, à ſolo Papa, Regularis, à ſuo Superiore eſt abſolvendus. *c. Cum illorum. de ſent. excomm. & ibi gloſſ.*

64 Si quis exerceat Ordinem, quem non habet, quam pænam incurrit?

℞ Laicus, excommunicandus, Clericus degra-

dandus & ambo Curiæ sæculari tradendi sunt. *Bull. Clemen VIII. Papæ.* Et si alias: *Die* 1. *xbris* 1601. *Piasec. Prax. Episcop. p.* 2. *cap.* 4. *a.* 14. *n.* 10. *ubi alios citat.*

65 Si quis suspenditur à celebratione Missarum, quibus testibus uti debet ad sui liberationem?

℞ Illis, quibus nihil obiici potest, alias omni exceptione majoribus & idoneis. *c. Licet. de Test. b.*

66 Ordinans Clericum sine provisione sufficienti, quam pœnam incurrit?

℞ Nullam, sed tenetur eum alere, donec provideat ipsi de beneficio. *c. Episcopus. & c. Cum secundum. de Præben.*

67 Ordinatus decipiens Ordinatorem, asserendo & verisimilibus documentis probando sufficientem provisionem, licet talis non sit, quam pœnam incurrit & an Episcopus tenetur ipsi providere?

℞ Non tenetur; quia alias absq; culpa puniretur. *c. Cognoscentes de Const.* & Ordinatus ex fraude sua, quæ nemini patrocinari debet, reportaret commodum. *c. Sedes Apostolica. de Rescript.* imò taliter promotus incurreret suspensionem ipso facto. *d. c. Cum secundum.*

68 Ordinans & Ordinatus cum pacto de non petenda provisione, quam pœnam incurrit?

℞ Suspensionem ipso iure: Ordinatus quidem ab ordine suscepto, Ordinans verò à collatione ordinum. *c. penult. de simon.*

69 Potestne Episcopus sine pœna, vel ejus Secretarius pro collatione Ordinis aliquid exigere, vel sponte oblatum recipere?

℞ Non: Secretarius tamen, si non habeat aliunde salarium, potest. *Conc. Trid. Sess.* 21. *cap.* 1 *de Ref.*

70 Quid datur per Ordinationem ordinato?

℞ Spiritus Sanctus, characteris impressio, potestas consecrandi & absolvendi. *Conc. Trid. Sess.* 23. *can.* 4. *h. t.*

## CAPUT XIII.
## De Scrutinio in Ordine faciendo.

1 Quid est scrutinium?

℞ Est inquisitio seu examinatio per eum facta, ad quem spectat. *Hostien. Lib.* 1 *t.* 12 Nam si fiat per alium, non valet scrutinium. *c.* 1 *de Off. Legat. & Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 18. *de Ref.* nisi fortè fiat, non ad præjudicandum, sed ad instruendum; ac per Superiorem approbetur.

2 Quotuplex est Scrutinium?

℞ 2plex. Unum, quod fit ante Ordinationem, & aliud, quod fit in ipsa Ordinatione. *Host. loc. cit.*

3 Quando fieri debet scrutinium primum & quid in illo agendum?

℞ Feria quarta ante Ordinationem. *jux. can. Quando. dist.* 24. vel alia die secundùm consvetudinem loci, qua Episcopus vel Archidiaconus adscitis sibi prudentibus viris, divinæ legis peritis ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, ordinandorum legitimum ortum, titulum, ad quem ordinari intendunt, scientiam necessariam, temporum interstitia, ætatem, vitam & mores, literas testimoniales præcedentium Ordinum, ac exercitium illorum; hæc enim omnia in Ordinando requiruntur, diligenter examinabit. *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 7 *de Ref. & Const. Provinc. Gnesn. Lib.* 1. *t.* 8. *de Temp. Ord.*

4 Quando fit & quomodo scrutinium secundum?

℞ In ipsa Ordinatione, cùm Archidiaconus (ad quem de jure communi examen & præsentatio Ordinandorum spectat. *c.* 7. & 9 *de Off. Archid.*) ordinanti Episcopo Ordinandos commendat, dicens: *Postulat S. Mater Ecclesia* &c. ac quærenti Episcopo, *num sciat esse dignos?* respondens: *Scio & testificor &c.* Hostien. *loc. cit.* §. 5.

5 Quam cognitionem debet habere Archidiaconus, ut tuta conscientia diaconandum vel presbyterandum testetur esse dignum?

℞ Sufficit, ut non habeat scientiam in contrarium: quia tamdiu quis præsumitur esse bonus, donec probetur malus. *c.* 1. *h. t.*

6 Si aliquis sit notoriè virtuosus & doctus poterit-ne absq; examine promoveri ad sacros Ordines?

℞ Affir. quia testimonium populi æquivalet examinationi. *can. Nullus & ibi gloss. dist.* 24. Unde benè notus, qualificatus & ab Universitate aliqua studiorum generalium approbatus, non est examinandus. *Abb. in c. Fraternitatis. de Cleric. non resid.* nisi quando examen requiritur pro forma, ut in promovendo ad curam animarum. *gloss. in can. De Petro. v. ignota. dist.* 4.7. *c. Mandata. de Præsumpt. Abb. in c. Constitutis* 2. *de Appell. n.* 4. *& ibi Dec. n.* 7. *Cyned. ad Decr. Collect.* 15. *n* 3. & 9. *Ugol. de Potest. Episcop. cap.* 56. §. 19. *n.* 6

7 Quod scrutinium requiritur ad primam Tonsuram?

℞ Ut tonsurandus sit Confirmatus, sciat legere, scribere, rudimenta fidei calleat & ut probabilis de ipso conjectura sit, eum non sæcularis judicij vitandi fraude, sed ut Deo serviat, hoc vitæ genus elegisse. *Conc. Trid. Sess.* 23 *cap.* 4. *de Reform.*

8 Cui debent conferri Minores Ordines?

℞ Illi, qui est bonæ indolis, qui intelligit linguam latinam, animum habet serviendi Ecclesiæ & qui temporum interstitia servavit, nisi Episcopo aliter visum fuerit. *Conc. Trid. S. ss* 23. *cap* 11. *de Ref.*

9 Ut quis promoveatur ad majores Ordines, quid requiritur?

℞ Requirruntur omnes conditiones. *n.* 3. *hoc cap. enumeratæ.*

10 Si Episcopus ordinet Clericum non subditum, quid debet examinare?

℞ Literas dimissorias, quarum tenorem debet sequi, testimonium de scientia sufficienti; non enim eum tenetur examinare, si tamen velit, poterit. testimoniales præcedentium Ordinum, ne per saltum promoveatur; Literis enim, & non Clerico danda est fides. Cætera requisita ad proprium Episcopum spectant. *c.* 2. *de Cler. peregrinis & can.* 6. & 9. *dist.* 71. *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 3. 5. & 8. *de Ref.* Quod intelligendum est de sæcularibus Clericis, non autem Regularibus; quia hi debent omnino examinari, privilegijs quibuscunq; quò ad hoc penitus exclusis. *d. Conc. Trid. Sess* 23. *cap.* 12

*cap 12. de Ref. Gemin. n. 5. Quarant. in sum. bullar. v. Ordo & v. obligatio Episcoporum. ac C ngr. Conc. ita censuit.*

11 Ad beneficium Curatum idoneus repertus, debetne iterum ad Ordines examinari?

℞ Negativè, nisi interstitium temporis & aliæ circumstantiæ adsint. *Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. & ibi Declar.*

12 Approbatus ad dignitatem, debetne ad suscipiendos Ordines iterum examinari?

℞ Debet, nisi simul & semel suscipiat Ordinem & dignitatem: tunc enim unum examen sufficit ad utrumq;. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 5. de Ref. decl. ult.*

13 Potestne Episcopus habenti beneficium Curatum inhibere, ne ordinetur?

℞ Potest ex causa. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 1. de Ref.*

14 Post reprobationem examinatorum, daturne appellatio.

℞ Datur, quò ad effectum tantùm devolutivum.

15 Si quis habeat facultatem à sede Apostolica, ut ordinetur à quocunq; Antistite, debetne examinari de vita, moribus, scientia, & à quo.

℞ Affir. à proprio Episcopo, vel ab illo, à quo suscipit Ordines, nisi hæc omnia in rescripto sum. Pontif. ei indulgeantur. *Bonac. de sacram. disp. 8. q. un. punct. 4. n. 27.*

16 Si talis per longum tempus abfuit à sua Diæcesi, à quo debet fieri approbatio?

℞ De scientia à proprio Ordinario; de moribus & vita, ab Episcopo in cujus Diæcesi per longum tempus commoratus est. *Moisesj. in sum. tom. 1. tract. 2. cap. 2. n. 20.*

17 Potestne Episcopus examinare, à suo antecessore promotos?

℞ Non potest, nisi nova causa interveniente. *c. Accepimus de Ætat. & qualit. Ordin.*

18 Diaconus, carens scientia, si est penuria Sacerdotum in illa Provincia vel Civitate, potestne promoveri ad Sacerdotium?

℞ Ignarus nunquam promovendus est ad Sacerdotium. *can. Illiteratos. dist. 36. & can. Ignorantia. dist. 38.* quamvis jam promoto possit conferri Parochialis Ecclesia, si magis peritus nequeat inveniri.

19 Episcopus, quando ordinavit minus idoneum, quid agere debet?

℞ Debet eundem suspendere: quia inscitia Sacerdotum nec excusatione digna est, nec venia. *can. 3. dist. 38.*

20 Clerici pauperes, qui suo labore tenentur quærere victum, quam scientiam ad beneficium simplex habere debent?

℞ Sufficit illis literatura talis, ut intelligant ea, quæ legunt. *Innoc. c. 1. de sum. Trinit. & fid. cath.*

21 Ordinatus teneturne & à quo, suorum ordinum literas recipere?

℞ Affir. imò cujuslibet Ordinis Sigillo, & manu Ordinantis subscriptas, quas usq; ad mortem servare debet. Literæ enim istæ sunt per modum sententiæ, quæ si absq; scriptis proferatur, nomen sententiæ non meretur. *can. Legum. 2. q. 1.*

22 Si quis habet literas Ordinis Diaconatûs, & non habeat aliorum Ordinum inferiorum, sufficiuntne illi ad Ordinem Presbyteratûs assequendum?

℞ Negativè. quia *Cerem. Clemen. VIII.* præcipit ut Ordinatores, non solùm de scientia & aliis qualitatibus *n. 3. h. cap. expressis* inquirant, sed etiam Literas anteriorum Ordinationum videant, ne quis per saltum promoveatur. ut *tot. tit. de Cler: per salt. promot. & de eo, qui furt. Ord. suscep.* Clerico enim asserenti se esse ordinatum & non probanti, non creditur.

23 Si quis literas Ordinis inferioris domi relinquat, vel eas aliquo casu amittat, quid facere debet, ut promoveatur?

℞ Si istæ haberi nequeunt, nec novæ per extractum ex Metrica Ordinandorum procurari queunt, suam ordinationem per testes idoneos probare debet, ut loco prædictarum literarum serviat, *Navar. de Præsent. Cons. 4. & de success. ab intestat. Cons. 5 Boer. dec. 171. n. 23.*

24 In isto casu sufficitne juramentum istius, qui vult promoveri?

℞ Si talis, sit vir bonus, ministret in illo Ordine, & habeat famam publicam, quòd sit ordinatus; sufficiet juramentum ipsius: quia id, quod alteri non generat præjudicium, potest probari per juramentum; nihilominus solenne hujusmodi juramentum in manibus Judicis præstitum, debet servari loco literarum prædictarum. *Felin. in c. super iis. de Accusat. n. 18. Boer. ubi supr. Covar. pract. quæst. cap. 33. n. 3.*

25 Si Episcopus sciat per confessionem in Clerico occultum impedimentum, potestne prohibere ne ordinetur?

℞ Non, sed potest monere *c. Ex tenore de Tempor. Ordin.* quia probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit. *can. Christiana. 32. q. 5.* & crimen occultum, solum Deum habet ultorem. *l. Jusjurandi C. de Jurejur.*

26 Cur in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus descendentes à Judæis, vel à parentibus neo conversis, non recipiuntur?

℞ Quia ex peculiari causa ad hunc casum habent statuta à Sede Apostolica confirmata, & antiquissimis consvetudinibus roborata, quæ vim legis habent, cùm deficit lex. *can. Consvetudo. dist. 1*

27 Tales descendentes à Judæis vel Mauris, suntne ordinandi?

℞ Quamvis Constitutio Pauli IV. Papæ, per Gregoriũ XIII. Confirmata id prohibeat, ne nim. incidant in superbiam, putantes, quòd fides Christiana eis indigeat. *can. Quoniam. dist. 48.* tamen si per multos Annos probati fuerint in fide Christiana, possunt ordinari. *Piasec. Prax. Episcop. p. 1. cap. 1. a. 3. n. 6. ubi alios cit.*

28 Qui sunt incapaces Ordinis?

℞ Non baptizatus, Mulier, Hermaphroditus, si tamen prævalet in illo sexus virilis, recipit characterem, sed non executionem, si verò æquè incalescat, non recipit characterem. *Sylvest. v. Hermaphr.* Puer, illegitimus, ignarus, excommunicatus, Judæus, Hæreticus, Irregularis, Usurarius, Peccator publicus, Uxoratus, servus, ad ratiocinia obligatus, corporevitiatus, Bigamus, non Confirmatus: & licet in pluribus istorum Ordo teneat, tamen admitti non debent *Tolet Lib. 1. cap. 48. n. 4. & Cap. 64. n. 7. Sylvest. v. Ordo. & alii DD.*

29 Quæ-

29 Quæ ſunt crimina impedientia promotionem ad ſuperiores Ordines, etiam poſt peractam pænitentiam ?

℟ Solum crimen homicidij, quod irregularitatē poſt ſe trahit: alij verò criminoſi poſt peractam pænitentiam poſſunt promoveri & in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. *c. Quæſitum. de Temp. Ordin.*

30 Quibus caſibus poteſt ordinari, qui Matrimonium contraxit ?

℟ I Si nondum matrimonium conſumavit & caſtitatem in Religione profeſſus, qualiter fecerunt B Macharius & Alexius. *can. Scripſit. nobis.* 27.*q.*2.etiamſi uxor in mundo remaneat & ad ſecunda vota tranſeat. *c. Verum. de Converſ. Conjugat.* II. Si conſumato matrimonio uxor ſimiliter Religionem profiteatur, aut continentiam voveat. *d. can. Scripſit nobis. & c. 4. & 5. de Convers. Conjug.* III. Si uxor publicè adulteretur, Vir licitè Monaſterium ingredi poteſt, modo cum illa poſt adulterium hujuſmodi, commercium non habeat. *c. Conſtitutus & ibi gloſſ. de Convers. Conjugat.*

31 Quam pænam incurrit, qui poſt contractum matrimonium ante copulam, abſq; religionis ingreſſu fecit ſe ad S. Ordines promoveri ?

℟ Eſt ſuſpenſus, & mortua Uxore, non poterit ad alios promoveri, neq; in ſuſceptis miniſtrare, nec beneficia obtinere. *Sylveſt. v. Ordo 5. n. 7. ſed Sanch. Lib. 7. diſt. 38. n. 3. tenet*, tantùm peccare mortaliter.

# CAPUT XIV.

## De temporibus Ordinandorum.

1 Prima Tonſura quando conferri debet ?

℟ Quacunq; die & hora, ſive iejunus, ſive non ſit Epiſcopus, ſive in ſuo, ſive non Epiſcopatu exiſtat; cùm prima Tonſura ſit voluntariæ jurisdictionis. *Rebuff. in Prax. tit. de Cler. & à quib & quomodo &c. n. 12.*

2 Prima Tonſura poteſtne ſimul conferri cum quatuor Minoribus Ordinibus ?

℟ Licet Tonſura ſit diſpoſitio ad Ordines, & congruum deberet requiri tempus intermedium, ad electionem futuri novi ſtatus ; tamen Epiſcopus juxta diſpoſitionem Concilij Tridentini diſpenſat, & confert Tonſuram cum quatuor Minoribus Ordinibus inſimul, ſeu una die. *Seſſ. 23. cap. 11. de Reform. Remiſſ. 2. ubi DD. citantur.*

3 Minores Ordines quo tempore conferri debent?

℟ Præter Quatuor tempora, Sabbatum Magnum, & Sabbatum ante Dominicam Paſſionis, diebus Dom. & Feſtis duplicibus, etiamſi non ſint de præcepto, in Miſſa, vel ſine Miſſa, etiam à non jejuno Epiſcopo conferri poſſunt. *Piaſec. in Prax. Epiſcop. p. 1. cap. 1. a. 8. n. 6. ubi alios cit.* Hæc tamen Ordinum collatio fieri debet intra Diæceſim. *Conc. Trid. Seſſ. 6 cap. 5. de Ref.*

4 Majores Ordines quo tempore conferri debent ?

℟ In publica Ordinatione: videlicet quatuor temporum, Sabbato Magno, & Sabbato ante Dominicam Paſſionis, non obſtante contraria conſvetudine, in Cathedrali Eccleſia, præſentibus Canonicis; aut ſi in alio loco, præſente Clero, & in digniori, quantum fieri poteſt, Eccleſia. *jux. Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 8. de Ref.* in Miſſa, de neceſſitate præcepti, non autem Sacramenti, conferantur. *c. Quod ſicut. junct. gloſſ. v. dividatur. de Elect. Piaſec. loc. cit.*

5 Præter prædicta tempora, poſſuntne alio tempore Ordines Majores conferri ?

℟ Poſſunt in duobus caſibus: I. Si tanta ſit Ordinandorùm multitudo, ut nequeant omnes in Sabbato ordinari, tunc in diem Dominicam ſequentem collatio differri poteſt. *c. Literas. h. t.* II. Si tam ab Ordinato, quàm ab Ordinandis ſervetur jejunium uſq; ad ſequentem Dominicam. *can. Quod à Patribus. diſt. 75.*

6 Alio tempore jam ne conferri non poſſunt?

℟ Poſſunt diebus Dominicis & feſtivis, à Summo Pontifice, qui hanc facultatem aliis Epiſcopis in favorem Ordinandorum concedere ſolet. Præinſerta etenim prohibitio à jure poſitivo originem habet, quo Sumus Pontifex ſolutus eſt. *Valen Libr. 1. n. 4. h. t.*

7 Quam pænam Ordinatus extra prædicta tempora incurrit ?

℟ Suſpenditur ab executione Ordinis, donec pænitentiam ab Epiſcopo (qui ſcilicet in culpa non fuit) impoſitam, impleverit. *c. 8. & c. 16. ac ibidem gloſſ. h. t.*

8 Poſſuntne conferri omnes ſimul una die ?

℟ Non, ſed gradatim. *can. 2. diſt. 59.* ſervatis temporum inteſtitiis, de quibus infra; alias ſi duos, vel tres Ordines Majores una die aliquis ſuſceperit, ſuſpenditur ab uno, vel duobus ultimis, non autem à primo, quem legitimè ſuſcepit. *c. 13. & 15. h. t.* etiamſi ſit Regularis. *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 13. de Reform.*

# CAPUT XV.

## De Ætate & qualitate Ordinandorum,

1 Prima Tonſura & quatuor Minores Ordines quo ætatis anno conferri poſſunt Ordinando ?

℟ S. Congr. Conc. nullam eſſe à *Conc. Trid.* Primæ Tonſuræ & 4. Minoribus Ordinibus præfinitam ætatem; unde inſiſtendo cann. antiq. Prima Tonſura & tres Minores Ordines ſeptimo, Acolytatus duodecimo anno, completis, conferri debent. *can In ſingulis. diſt 77. & Cum nullus. de Temp Ord. in 6.*

2 Ad Sacros Ordines Majores, quæ ætas requiritur?

℟ Ad Subdiaconatum, 22, ad Diaconatum, 23. ad Presbyteratum 25 annorum ſufficit inchoatorum ætas, præter quam, aliæ qualitates *n. 3. cap. 11.* ſuperiùs enumeratæ, requiruntur, ut nim. eorum, qui ad Ordines aſſumuntur, excepta ætate, probata vita, ſenectus ſit. *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap 12. de Reform.*

3 Quis diſpenſat in prædicta ætate ?

℟ Sumus, Pontifex, vel de licentia ejus, Epiſcopus. *Gloſſ. in Clement. ſi. v. annum, h. t. & c. 1. §. Non immines & ibid. Joan. Andr. n. 2. h. t. in 6.*

4 Qua pæna ante legitimam ætatem Ordinans & Ordinatus, puniuntur?

℟ Epiſcopus ſciens, ſuſpenditur à collatione Ordinum, quos contulit. *c. Vel non eſt compos. de*



Temp.

*Temp. Ord. & c. fin. eod. t. in 6* Ordinatus verò per Const. Pii II. Papæ *Cum ex Sacro um.* ipsò factò, efficiuntur suspensi eousq;, quousq; absolutio non subsequatur. *Rebuff. in prax. in Reg. de. Clerico male prom. gloss. 4. n. 3.*

# CAPUT XVI.
## De Dimissoriis.

1 Quæ nam dicantur Literæ Dimissoriæ?

℞ Illæ, quibus datur alicui potestas suscipiendi Ordines ab alio, quàm à proprio Episcopo. *Valen. Libr. 1. t. 1. §. 6. n. 1.*

2 Quotuplices sunt istæ dimissoriæ?

℞ 2plices: *Speciales*, quibus datur alicui facultas ordinandi à tali, vel tali Episco, qui ab alio, in Dimissoriis non expresso, nequit ordinari. Unius enim expressio, est alterius exclusio. *c. Non ne bene. de Præsumpt.* Et *generales*, quibus datur facultas ordinandi à quolibet Episcopo. *Valen. loc. cit. n. 2* Item aliæ sunt ad Ordines tantùm suscipiendos. aliæ cum dimissione ex Diæcesi.

3 Quis Dimissorias dare potest?

℞ I. Summus Pontifex, & quidem omnibus Christianis, tanquam generalis Episcopus totius mundi. *c. 1. de Temp. Ordin. in 6 & can. 17. 9. q. 3* II. Proprius Episcopus suis subditis, sive sit Episcopus Originis, sive domicilii, sive beneficii. *c. Cùm nullus. de Temp. Ordin. in 6.* non verò Archiepiscopus subditis Epicopi. *D D. in d. c. Cum nullus.* III. Abbates & alii superiores Religionum, si habeant speciale indultum Sedis Apóstolicæ. *d. c. Cum nullus.* IV. Vicarii generales habentes hanc potestatem ab Episc: specialem. *Pasec. Prax. Episc. p. 1. cap. 1. a. 2. n. 20.* vel si ipse Episcopus longè absit. *d. c. Cùm nullus.* V. Capitulum sede vacante annô vacationis elapsô, intra annum verò illis tantùm, qui obligatione beneficii ad suscipiendos Ordines arctantur. *d. c. Cùm nullus & Conc. Trid. Sess. 7. cap. 10. de Reform.*

4 Exspirantne morte dantis?

℞ Non, nisi per successorem revocentur. *Card. in Clement. fin. q. 5. de Elect.* Gratia enim per mortem concedentis, nō exspirat *c. Si super. de Off. Leg. in 6.*

5 Potestne quis absq; dimissoriis ab alieno Episcopo ordinari?

℞ Potest in casibus: I. si proprius Episc: fuerit suspensus à collatione Ordinum; quia alienos subditos sine licentia ordinaverit, & suspensio ejus sit manifesta. *c. Eos, qui. de Temp. Ord. in 6* II. Quando quis Episcopo per triennium cohabitavit, ut dictum *n. 35. de Ordin.*

6 Dantes dimissorias, quid debent in eis declarare?

℞ Se esse impeditos absentiâ, ægritudine, vel alia legitimâ causâ. *Zerol. in Prax. Episcop. p. 1. n. 5. v. dimissoria.*

7 Episcopus quid præstare debet, antequam det dimissorias?

℞ Debet examinare subditum de vita, moribus, scientia & ætate. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 3. de Ref.* aut hujusmodi examen alteri personæ, vel ipsi Episcopo, qui ordinaturus est suum subditum, qui commodè propter distantiam vg. loci coram se non potuit comparere, comittere. *Reginal. in Prax. tom. 2. Lib. 3. tract. 1. Cap. 5. n. 24.*

8 Episcopus existens in aliena Diæcesi, potestne dare dimissorias suo subdito?

℞ Potest, sive in propria sive in aliena existat.

9 Episcopus Italiæ, potestne Ultramontanum cum dimissoriis generalibus proprii Episcopi ordinare?

℞ Non, sine licentia Sum. Pontificis, nisi Episcopus in literis declaret, ob justam causam, talem se nolle, vel non posse ordinare; quia tunc tolletur omnis scrupulus. *c. Sæpe. de Temp. Ordin. in 6. & ibi gloss.*

10 Priores Ordin. Hierosolymitani, possuntne dare dimissorias suis subditis sæcularibus & Regularibus?

℞ Ex decret. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 10. de Ref.* non possunt, sed solùm Professis sui Ordinis

11 Fratres Carthusiani & cæteri Regulares, ut ordinentur ab alieno Episcopo, tenenturne habere dimissorias proprii Episcopi?

℞ Non: sed sufficiunt illis suorum Superiorum, & Episcopus Ordinans poterit dispensare cum illis in interstitiis. *Vasqvez. p. 3. tom. 3. disp. 246. cap. 6. n. 55.*

12 Dimissoriæ concessæ ab eo, qui promotus altiùs est, vel renuntiavit Episcopatui, eruntne validæ?

℞ Erunt, *ut dict. n. 4. h. t.* si tamen per multos annos executioni non sunt demandatæ, Episcopus ordinans, ob crimen aliquod & impedimentum, quod per protractionem temporis contrahere poterat Ordinandus, easdem ad novum Episcopum pro approbatione remittet, aut saltim seriò de impedimento inquiret. *Navar. Libr. 1. Cons 5. n. unic. Euriq. Libr. 10. cap. 22 de Sacr. Ord.*

13 Episcopus factus hæreticus vel excommunicatus & Canonici omnes dispersi, subditi pro dimissoriis, possuntne adire Metropolinum?

℞ Non, sed debent recurrere ad Sum. Pontificem; quia nullibi hæc facultas data est Metropolitano, *D D. per. c. Cùm nullus. de Temp. Ordin. in 6. & can. Salvo. 9. q. 3. cum seqq.*

14 Si omnes Canonici sint dispersi, vel hęretici facti, unus sede vacante resideat, quis, tunc dat dimissorias?

℞ Quia tunc unus Capitulum facit, ipse dat dimissorias. *D D. in d. c. Cùm nullus. de Temp. Ord. in 6.*

15 Literę Dimissoriales datæ à Capitulo sede vacante, vel à Vicario Episcopali, exspirantne novo Episcopo, vel Vicario adveniente?

℞ Non: propter rationem datam *n. 4. h. t.* Episcopus tamen Ordinans ad evitandas aliquas fraudes, vel ob reverentiam novi Episcopi, sine scientia ejus non debet easdem executioni demandare; quia aliud est, quod de jure jubetur, aliud, quod de urbanitate fieri debet. *Salzed. L. defin. & Gutierr. qq. can. Libr. 2. cap 17. n. 2. tex. in c. Cùm nullus. de Temp. Ord. in 6.*

16 Abbates & alii Regularium Superiores etiam exempti, dantes dimissorias non subditis, quam pęnam incurrunt?

℞ Suspensionis, ab Officis & beneficiis per annum. *Conc. Trid. 23. cap. 10. de Ref.*

17 Ordi-

17 Ordinans & Ordinatus sine dimissoriis, quam pœnam incurrit?

℞ Ordinans manet suspensus per annum à collatione Ordinum, Ordinatus verò quamdiu proprio Episcopo videbitur, qui si celebret, fit irregularis. *d. Seß. 23. cap. 8. de Ref.*

18 Si Clericus Ultramontanus ordinetur sine dimissoriis ab Episcopo Italiæ, & ob id incurrat suspensionem, à quo est absolvendus?

℞ A Summo Pontifice, vel à proprio Episcopo, ad quem spectabat concessio dimissorialium. *Moises, in sum. Tom. 1 Cap. 18. n. 18* Episcopus autem talis punitur pæna arbitraria, sed condigna. *d. c. Sæpe. de Temp. Ord. in 6to.*

# CAPUT XVII.

## De Patrimonio & beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur.

1 Poteſtne quis ordinari sine aliquo titulo?

℞ Negative: debet enim habere patrimonium, beneficium simplex vel curatum sufficiens ad honestæ vitæ sustentationem. *Reginal. in prax. for. pænit. tom. 2. Libr. 30. tract. 1. cap. 6. n. 34.*

2 Estne taxata quantitas patrimonii, vel beneficij?

℞ Non, sed relicta est arbitrio Episcopi, consideratis locis, provincijs, personis & pennuria rerum. *Garc. de Benef. Tom. 1. p. 2. cap 5 n. 112.*

3 Patrimonium, qualem debet habere qualitatem?

℞ Quòd debeat esse, habita ratione loci & personæ, sufficiens ad victum, quòd in re mobili, vel in certis reditibus sit situatum, quòd alienari non possit, antequam Clericus habeat, unde sustentari possit, & tunc ad alienationem necessariò requiritur licentia Episcopi. *Conc. Trid. Seß. 21. cap. 2. de Refor.*

4 Poteſtne quis ordinari habens sufficientiã v. g. ex Doctoratûs Professione?

℞ Non: ita respond. Congr. Conc. ut liquet ex illis verbis: *quamvis alias sit idoneus moribus, scientia &c. d. Seß. 21. cap. 2. de Ref.*

5 Musicus, sculptor, pictor, vel habens aliam artem honestam ad commodam sui sustentationem, poteritne ad talem Titulum ordinari?

℞ Non: quia certa & infallibilis non est sustentatio. *Garc. loc. cit. n. 125.*

6 Ad titulum beneficii Seminario adjuncti, poteritne quis ordinari?

℞ Poterit, modò sit sufficiens ad sustentationem Clerici, & duret tamdiu, quamdiu Clericus non habebit aliud beneficium sufficiens. *d. Seß. 21. cap. 2. de Ref. §. Eum beneficium. Garc. loc. cit n. 104.*

7 Poteſtne Eiscopus ordinare aliquem ad titulum donationis bonorum mobiliũ factæ tali ordinato?

℞ Affir. *Congr. Concil. 10. April. 1598.* modò donatio non sit ficta, sufficiens ad sustentationem & quæ deinceps alienari nequeat absq; licentia Episcopi, talisq; Clericus sit utilis & necessarius Ecclesiæ. *d. Seß. 21. cap. 2. de Ref. §. Patrimonium.*

8 Ad Ordines suscipiendos, sufficitne habere beneficium simplex in aliena Diœcesi?

℞ Sufficit; licet alij velint Curatum, modò sit sufficiens ad sustentationem; cùm enim lex non distinguat an Curatum, an verò simplex debeat esse beneficium? nec nos fortassis distinguere debemus. *gloß. c. Cùm nullus. de Temp. Ord. in 6. v. Ecclesiasticum. Gemin. Franch. in d. c. Cùm nullus. & Ugol. de. Off. Episcop. cap. 26. §. 3. in fin.*

9 Habens patrimonium, vel beneficium tenue, conjunctum tamen cum stipendio & elemosyna Missæ, habetur sufficiens sustentatio, poteritne aliquis ad hunc Titulum ordinari?

℞ Non; quia eleemosyna & alia accidentia pluribus ex causis n. infirmitate, penuria fidelium &c. deficere possunt. Censuit. *Congr. Conc. 13. Febr. 1598. Seß. 21. cap. 2.*

10 Si quis habet beneficium tenue, sed junctum patrimonio, fit sufficiens ad sustentationem, poteſtne ad illud promoveri?

℞ Affir. respondit *S. Congr. Conc. Anno eod. non obstante Bull. Pii V.*

11 Habens beneficium Curatum insufficiens ad sustentationem, teneturne ad illud intra annum jux. præscriptum ss. cann. promoveri, vel illud dimittere.

℞ Non tenetur, sed illud dimittere debet. *Garc. p. 2. cap. 2. n. 121. fol. 129. alleg. Congr. Conc. ita declarasse.*

12 Ut quis ordinetur ad tit. pensionis, quid requiritur?

℞ I. Quòd verè obtineat pensionem. II. quòd sit sufficiens ad ejus sustentationem. III. quòd eam non extinguat, neq; redimat, donec babeat, unde aliunde vivere possit. *Ugolin. de Off. & potest. Episc. fol. 20*

13 Poteritne Clericus patrimonium, ad quod ordinatus est, alienare?

℞ Non; nisi habeat aliunde, unde commodè vivere possit. *Reginal. in prax. Tom. 2. Libr. 3. tract. 1. cap. 6. n. 34.*

14 Si Ordinarius acceptet resignationem beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus est, ad quid obligatur?

℞ Ad sustentandum congruè talem Clericum, etiam cum successoribus suis Episcopis. *Garc. de Benef. tom. 1. p. 2. cap. 5.*

15 Si Episcopus solenniter dicit & facit obligationem se daturum alimenta alicui, poteritne talis ordinari?

℞ Non: quia sustentatio Clerici debet esse in re certa, fructifera, & non debet dependere à futuro eventu. *Garc. loc. cit.*

16 Regulares ad quem Titulum ordinantur?

℞ Ad titulum paupertatis jux. eorum privilegia. *Henriq. Lib. 13. cap. 33. S a. disp. 31. Sect. 1. n. 35.*

17 Ordinatus Regularis ad tit. paupertatis in Subdiaconum, & postea reliquit Religionem de jussu suorum Superiorum, poteritne ad eundem titulum ultra ordinari?

℞ Non, sed titulum patrimonii, vel beneficii.

18 Regularis suscipiens omnes ordines ad titulum paupertatis ante professionẽ, quã pænã incurrit?

℞ Est suspensus, & si exerceat Ordinem, efficitur irregularis. *Bull. Pii V.* Romanus Pontifex. *publicata 1568.*

19 Episcopus ordinans Clericum & sciens illum non

non habere beneficium, nec patrimonium, quam pænam incurrit?

℞ Debet illi conferre beneficium, vel patrimonium ita, ut eo mortuo, talis Clericus possit sustentari. *c.2.de Præb n. Soar. disp.31. sect.1.n.33.*

20 Qui non habet beneficium, vel patrimonium, quam pænam incurrit?

℞ Si nihil dicat, nec faciat fraudem, nullam pænam incurrit; quia de jure adhuc tali, pæna non est imposita, si verò dicat se habere patrimonium in scriptura, ut faciat fraudem, amittit executionem Ordinis. *can.2.dist.70. Navar. Consil. 14. de Temp. Ordin.*

21 Quare Clericus ordinatus sine patrimonio nõ incurrit, & regularis ordinatus ante professionẽ, incurrit suspensionem?

℞ Quia pæna Clerici imponitur Episcopo, qui illum ordinavit; & pæna regularis imponitur ipsi, ut arceatur à tali delicto: fefellit enim Episcopum & Superiorem suum.

22 Clericus Ordinatus cum pacto non petendi victum ab Episcopo, vel ab eo, qui ei patrimonium donavit, quam pænam incurrit?

℞ Est suspensus, à Papa absolvendus propter fraudem. *c.pen.de Simon. Fornar. in Add. cap.8. de Ordin. Tolet. & Navar. in Man. cap.27.*

23 Clerici Societatis JESU possuntne ordinari ante professionem ad titulum paupertatis?

℞ Possunt; quia non sunt comprehensi in Bull. Pij V. imò habent ad hoc privilegium Gregor. XIII. ut notat. *Henriq. Lib.13. cap. 37. § 1 & Soar. loc. cit. n. 38.*

## CAPUT XVIII.
## De Interstitiis.

1 Quæ dicuntur Interstitia?

℞ Tempus, quod debet intercedere à susceptione unius Ordinis, ad alterius susceptionem. *can. In singulis dist.77. Conc. Trid. Sess.23. Cap.11.13. & 14. de Ref.*

2 Quantum tempus requiritur à susceptione unius Ordinis, ad susceptionem alterius?

℞ Annus integer; ut in Ordine, in quo constitutus est, Clericus sese exerceat, antequam ad alium transeat. *d. Sess. 23. cap. 14. de Ref.*

3 In computando tempore interstitiorum Annus ne integer? an quatuor interstitia, quæ propter mobilium festorum varietatem citiùs occurrunt, attendi debent?

℞ Quatuor interstitia, non annus. *Molfes. in sum. tom.1. tract.2. cap.14. n.8. Fornar. de Sacr. Ordin. Cap. 3 n.6. & sic Sixtus V. ex sent. Congr. Conc. declaravit.*

4 In minoribus Ordinibus suntne interstitia servanda?

℞ Sunt, ubi est talis Consvetudo. *d. Sess.23. cap.11. de Ref.* In nostro autem Regno Poloniæ passim omnes Ordines Minores cum prima Tonsura una die, non servatis interstitiis, conferuntur, idq; ex fundamento *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 11. de Ref.* ubi dicitur: *nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.*

5 Duo Maj. Ord. eidem una die, possuntne conferri?

℞ Non; imò si Episcopus id fecerit, manet suspensus. *c. Literas. de Tempor. Ordin. & Conc. Trid. Sess. 23. cap. 13. de Ref.*

6 Potestne dispensare Episcopus, in interstitiis, ut 4. Minores Ordines & Subdiaconatus, eodem die, eidem personæ conferantur?

℞ Negativè: quia hoc à Summo Pontifice in Cerem. est expresse prohibitum & ss. cann. vetant. *Navar. tamen in man. cap. 25. n. 71. Eman. Sa. in aphor. Confes. de Sacr. Ord.* tenent contrarium, ubi talis est consvetudo In interstitijs verò ideo dispensat ex justa causa quia ipsi est concessum per *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 11. & 14. de Ref.*

7 Si quis habeat justas causas recipiendi S. Ordines intra decursum unius Anni, sufficientiam ejus, Episcopusne proprius, an ille, ad quem mittitur pro suscipiendis Ordinibus examinare debet?

℞ Proprius Episcopus; quia est actus jurisdictionis, quem exercere debet in suos subditos, ut *supra dictum cap. 13.*

8 Quis debet dispensare super interstitiis cum Regularibus, an Episcopus ordinans, an ille, in cujus Diœcesi commorantur?

℞ Ordinans Episcopus videns causam justam per Superiores eorum expressam. *Quarant. in sum. Bullar. v. Ordo. prope finem fol.395.* referens Congr. Conc. ita decidisse. Faciliùs autem super interstitiis cum Regularibus dispensatur, quàm cum sæcularibus. Unde inferre licet, quòd cum sæcularibus, non Episcopus proprius, sed Ordinans cum dimissoriis, super temporum interstitiis dispensare potest.

9 Capitulum sede vacante, potestne dispensare super interstitiis?

℞ Potest per se, vel suum Vicarium in casibus requisitis. Respon. S. Congr. Concil quam refert *Quarant. loc. cit. v. Capitulum. quæsito 10.*

10 In quibus casibus prædicta fieri debet dispensatio?

℞ Si Clericus Curatum habeat beneficium, ad quod intra annum promoveri tenetur, si est arctatus ad Missas per se absolvendas, etiam ex causâ devotionis si est Nobilis, graduatus, Annum trigesimum ætatis excedens, vel in eo constitutus, bene meritus, vel si penuria Sacerdotum id exposcat, propter quam Episc. potest dare facultatem Parocho bis in die celebrandi. *Congr. Con. 7. August. 1627. declaravit teste Barbos in Coll. Bull. v. Parochus. fol.534. Pyrrh. Corrad. Prax. Dispensat. Apost. Libr.4. cap.4. n.4. 5. & 6.*

11 Quis potest dispensare super prædictis interstitiis?

℞ Sum. Pontifex, vel de ejus facultate Episcopus, Capitulũ sede vacante. *Pyrrh. Corrad. loc. cit.*

12 Sine interstitiis servatis Ordinatus, qua pæna punitur?

℞ Nulla est expressa *à Concilio Trid. loc. cit* peccat tamen ordinatus & puniri potest ad arbitrium. *Navar. Cons.4. & 6 de Temp. Ordin. & Piasec. Prax. Episcop. p. 1. cap. 1. art. 8. n. 7. v. Nullam etiam.*

## CAPUT XIX.
## De servis non Ordinandis & eorum manumissione.

1 Quis dicitur servus?

℞ Qui jure gentium contra naturam subiicitur dominio alterius, *§. servitus. Inst. de Jur. Person.*

2 Du-

2 Duratne hoc servitutis genus ad præsens in Christianitate ?

℞ Non: imò jura municipalia omnium ferè Provinciarum Christianitatis, talibus dant licentiam ad statum Ecclesiasticum aspirandi; quemadmodum in Regno Nostro Polon. Cmethonū filijs hujusmodi licentia est concessa. *Stat. Herburt. v. Cmetho §. Item providentes. §. Item quod Cmethonum & §. statutū.*

3 Ubi durat servitutis genus, potestne ordinari servus ?

℞ Ante plenam manumissionē non potest. *c. 1. h. t.*

4 Quid est manumissio ?

℞ Est de manu, idest de potestate missio. *t. t. ff. de Offic. Consul. & Offi. Prætor.*

5 Quomodo fieri solet manumissio ?

℞ De jure Civili pluribus modis: I. Dominus manu tenens servum ante Prætorē, eundē è potestate sua impactô ei colaphô, emittit, & sic liber fit. II. per scripturam. III. per testamentum. IV. si servus liberet à morte corporali Dominum cum proprio periculo. &c. *l. Adeo. ff. de Acqv. rer. domin.*

6 Cur servi ordinari prohibentur ?

℞ Duabus de causis nimir. ratione justitiæ, respectu Domini; ne illi fiat injuria re sua invito subtracta: unde procederent blasphemiæ in Nomen divinum & sanctam fidem; & ratione religionis; non posset enim servus ordinatus liberè Deo ministrare; quia à domino in servitutem traheretur. *can. Quicunq; & can. Ex antiquis. dist.* 54. qui namq: divinæ militiæ est aggregandus, debet esse immunis ab alijs.

7 Quid juris si servus ordinetur ?

℞ Si scit Dominus, & tacet, vel non contradicit, fit statim liber *can. 20. dist.* 54. si Dominus ignorat, & Episcopus vel præsentator sciat eum esse servum, servus efficitur liber, sed Episcopus, vel præsentator tenetur dare domino duos servos æquè bonos. *can. 19. dist.* 54. si verò domino, Episcopo & præsentatore ignorantibus, ordinetur, & constitutus est in Minoribus, servituti obnoxius manet. *can. 10. dist.* 54. quod si in Subdiaconatu sit, vel Diaconatu, det pro se alium, quem si non habet, sua, etiam minima, in oculis domini amittat, quæ si dominus recipit, videtur consentire in libertatem. *l. Ult. C. de Cond. ob turp. caus.* si verò in Presbyteratu existat, liber est, sed amissione peculij mulctatur. *can. 9. dist.* 54. si illud non habet, servit domino in divinis officiis. *d. can. 10. dist.* 54. Si autem Monachus factus est, ejus repetitio ad triennium tantùm domino concessa est, ultra verò remanet Monachus & liber. *d. can. 20. dist. 54. & gloss. c. 2. h. t.*

8 Servus Ecclesiæ, si ab ea manumissus ordinetur, bona post mortem ejus ad quem spectant ?

℞ Ad Ecclesiam: quia ipsa dedit ei libertatem, quod est majus; ipse tenetur dare ei bona, quod est minus; quam si accusat, vel contra eam testatur, libertate & honoris gradu privatur. *c. 3. h. t.*

9 Clericus in Minoribus constitutus & domino redditus, gaudetne fori & canonis privilegio?

℞ Non: quia non defert habitum & tonsuram. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 6. de Ref.* Iubetur enim ejusdem esse conditionis, cujus erat ante gradum. *can. 2. dist.* 54.

10 Spurius potestne ordinari ?

℞ Non. *c. 5. h. t. & c. 1. & ult. de Filiis Presbyt.* non potest enim ostendere patrem, vel si ostendit, tunc verecundum, quem habere non licet. *l. Vulgo. ff. de stat. homin.*

11 Natus ex patre servo & matre libera, potestne ordinari ?

℞ Potest: talis enim liber est, cùm partus sequatur ventrem. *c. 8. h. t.*

12 Ecclesia manumittens servum ut ordinetur, cum conditione, ut ei perpetuò deserviat, potest ne talis alteri Ecclesiæ servire ?

℞ Negativè: Conditio enim adimpleri debet: sed si absolutè manumittatur, poterit alteri Ecclesiæ deservire; quia libertas debet ampliari. *c. 6. h. t.*

## CAPUT XX.
## De Filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non.

1 Qui dicuntur illegitimè nati ?

℞ Qui non sunt nati de legitimo matrimonio, ut Manzeres, Spurij & Nothi. *gloss. c. 10. §. Persona v. Manzeres. de Renunt.*

2 Qui Manzeres, Spurij & Nothi dicuntur ?

℞ Manzeres, nati de scorto, Spurij de Concubina, Nothi, de adulterio. *d. gloss. loc. cit.* juxta illud:

*Manzeribus scortum, sed mœcha nothis dedit ortum,*
*Ut seges à spica, spurius sic est ab amica,*
*Sunt naturales, qui nobis sunt speciales.*

3 Quis dicitur natus ex Sacrilego concubitu, vel incestuoso ?

℞ Qui natus est ex parentibus Ordinem sacrum habentibus, vel votum castitatis, vel professionē in aliqua Religione emittentibus, vel de conjunctis in gradu affinitatis, vel Consangvinitatis.

4 In probatione legitimitatis, qualis testis est magis idoneus ?

℞ Pater & mater, quorum verbo statur. *c. 3. de Fil. legit.* magis tamen matris; quia est certior patre. *jux. l. C. de Rei vendic. & c. 10. de Probat.*

5 Si quis voluerit probare Clerici filium natum ex uxorata, cui nam incumbit probatio ?

℞ Opponenti: quia ipse pro se habet præsumptionem juris & de jure. *Jason. Consil. 125. vol. 4.*

6 Filius natus ex uxorata, de qua probetur rem habuisse cum alio, eritne ut illegitimus reputandus?

℞ Negat. sed semper præsumitur legitimus. *d. c. 10. de Probat. Filiuc. tract. 9 de Censib cap. 5. n. 144.*

7 Filij illegitimi, possuntne ordinari ?

℞ Non, jure comuni attento, ob tres causas. I. Ob excellentiam Sacramenti dignitatisq; Clericalis, quæ non solùm personæ meritum, sed etiam originis honestatem exposcit, nec infamibus, aut turpibus committi debet. *c. 11. de Excess. Prælat.* II. In detestationem criminis paterni. *can. 2. dist. 82.* III. Ob timorem incontinentiæ paternæ, cujus futuri immitatores præsumuntur. *can. 4. dist. 28. & can 10 dist. 56.* juxta illud:

*Sæpe solet similis filius esse Patri.*

8 Illegitimus potestne habere dignitates ?

℞ Potest sæculares, secus Ecclesiasticas *Abb. in c. 1. h. t.*

9 Per ignorantiam promotus, recipitne characterem?
℞ Recipit, sed non habet executionem Ordinis. *can. fin. dist.* 56.

10 Filii illegitimi Clericorum, possuntne in eadem domo cum Patribus habitare?
℞ Possunt: sunt enim patres eorum naturales, tenentur eos alere & bene educare. *can. Sicut hi.* §. *Necess. dist.* 47.

11 Cum illegitimo, quis potest ad Ordines dispensare?
℞ Ad Minores Ordines & beneficia simplicia, Episcopus; quò ad Majores Ordines & beneficia Curata, non tamen ad duo, ac alias dignitates, solus Papa *d.c.*1.*h.t.in* 6.*&Const. Provinc. Gnesn. Lib.*1.*h.t.fol.*68

12 Pater & filius cum dispensatione factus Sacerdos, potestne in eadē Ecclesia cum Patre celebrare?
℞ Potest, pro devotione & recipere eleemosynam. *S.Cong. Conc. declar. quam refert. Garc. p.*7 *cap.*3.*n.*73.

13 Reciprocæ resignationes factæ à Clericis, in favorem filiorum illegitimorum, suorum beneficiorum, Ecclesiarum diversarum, suntne validæ?
℞ Negativè: ita censuit. *S. Congr. Conc.*2.*Jul.* 1590. *super. Sess* 25.*cap.*15.*de Ref.*

14 Filij illegitimi possuntne habere beneficium in eadem Ecclesia, in qua pater?
℞ Negativè. *Conc. Trid. ubi sup.*

15 Filius illegitimus, potestne habere beneficium in eadem Ecclesia, in qua Pater?
℞ Non. *c.* 16. *& c.* 17. *h. t.* tam immediatè, quàm mediatè, ut patet ex verbis illis *Conc. Trid. Sess.* 25. *cap.*15.*de Reff.* longissimè arceatur.

16 Filius illegitimus, potestne tamen in aliquo casu obtinere beneficium Patris?
℞ Potest, quadam dispensatione juris, præcipuè, si ordinetur sciente Episcopo, ad beneficium sibi collatum post mortem patris, donec ei de alio beneficio provideatur. *Abb. & Joan. Andr. c. Veniens. h. t.*

17 Matricem Ecclesiam patre regente, filius illegitimus in Filiali, potestne habere beneficium?
℞ Non, si uniatur principaliter; quia tunc pro una reputatur: secus si accessoriè sit unita. *Congr. Conc.*17. *8bris.* 1592. *sess.*23.*cap.*15.*de Ref.*

18 Si pater fuerit Musicus, Oeconomus, vel Officialis alius, Ecclesiæ alicujus, filius ejus illegitimus, poteritne in eadem Ecclesia obtinere Canonicatum, vel aliud beneficium?
℞ Negativè; quia *Conc. Trid. loc. cit.* dicit: *quoquo modo ministraverint* & ita *S. Congr. Conc.* 1574. *Mense xbri* declaravit; poterit tamen obtinere Capellaniam, quæ habetur pro salario, non verò pro beneficio. *d. Congr. Conc.* At verò in Ecclesia quæ habet alternativam residentiam, non poterit filius unam obtinere, & pater alteram, ast pater jus totum cedere debet filio, reservata sibi pensione. *Congr. Conc. loc. cit.* §. *In eadem.*

19 Filij illegitimi, possuntne admitti ad concursum beneficij, quod obtinuit pater?
℞ Etiamsi sint legitimi, immediatè non admittuntur, ut tollatur ab Ecclesia hæreditaria successio. *c.*11.*& gloss. ibid. v. Amovere. h.t.*

20 Filius legitimus Episcopi, potestne admitti ad concursum in eadem Diœcesi, in qua Pater ejus est Episcopus?
℞ Potest, imò in eadem Ecclesia Cathedrali potest esse Canonicus. *c.*12.*h.t.* tamen illud beneficium habere non potest, quod habuit Pater. *Abb. c.*1.*n.*3.*h.t.*

21 Nepos legitimus, ex filio legitimo, potestnè obtinere Canonicatum in Ecclesia, in qua Avus ejus obtinuit?
℞ Affirmativè. *c.*7. *h. t.*

22 Si vir & uxor Conjuges, emisso voto castitatis in ante, post procreent filium, eritne legitimus?
℞ Erit, & potest ad Ordines promoveri. *c.*14.*h.t.*

23 Illegitimi, nati ex incestuoso coitu, vel sacrilego, possuntne ingredi Religionem?
℞ Non: etiamsi sint legitimati à principio. *Bull. Sixti. V.* si verò tales fecerint professionem, non valebit, & Superiores excommunicantur excommunicatione Sum. Pontifici reservata. *Bull. ead.*

24 Tales possuntne esse saltim servi in Monasterio?
℞ Possunt, & habere habitum Conversorum, & in eo habitu professionem facere. *Bull. ead.*

25 Quis potest dispensare, ut filius succedat in Ecclesia Patris?
℞ Solus Papa. *d.c.*17.*&* 18.*h.t.*

26 Si quis legitimatur per subsequens matrimonium, potestne ingredi religionem, vel ad dignitates promoveri?
℞ Potest: quia subsequens Matrimonium tollit hanc irregularitatem. *Zoes. Libr.*1.*n.*14.*h.t.*

27 Quæ est causa dispensandi cum illegitimis?
℞ Utilitas, vel necessitas Ecclesiæ. *Abb. ubi supr.*

28 Illegitimus ad obtinendam pensionem, indigetne dispensatione?
℞ Non. *Paleot. de natis spur. q.* 58.

29 Dispensatus ad Sacros Ordines, potestne absq; alia dispensatione obtinere beneficium?
℞ Potest: quia ordinatus carere non debet beneficio. *c.&. h.t.*

# CAPUT XXI.

## De obligatis ad ratiocinia Ordinandis, vel non.

1 Qui dicuntur ad ratiocinia obligati?
℞ Qui aliena bona sibi commissa administrant, quales sunt, Tutores, Curatores, factores, Procuratores, dispensatores, bonorum administratores & alij ejusmodi homines. *Valen. libr.*1.*h.t.n.*1.

2 Possuntne isti ordinari?
℞ Non, nisi finito Officio & redditis rationibus. *c.un.h.t.& can. Legem. dist.*53.

3 Quare tales ordinari prohibentur?
℞ Quia curis sæcularibus assveti ita in volvuntur, ut ordinum ministerio vacare, ut expedit, nequeant. tum quia ex talium ordinatione, nota aliqua infamiæ redundare posset in Ecclesiam: veluti si contingat eos in rationibus reddendis doli argui, ideo præmoniti ad fugiendam laicorum jurisdictionem, se curant in præjudicium creditorum, ordinari. *d.c.un.h.t.& can. Legem dist.*53.

4 Non redditis tamen rationibus, potestne quis ordinari?
℞ Potest, modò fidejussorem talem det, qui pro ipso, velut principalis debitor ubiq; respondeat. *Abb. in d. c.* 1. *n.* 12. *h. t. Diaz. in pract. Canon. cap.* 20. *n.* 6.

CAPUT

## CAPUT XXII.
### De Corpore vitiatis Ordinandis, vel nō.

1 Qui dicuntur Corpore vitiati?

℞ Qui sunt, vel *Debilitati*, habentes quidem omnia, sed tantùm aut unum, aut plura inefficacia & inutilia membra, ut si quis habeat oculum cæcū, manū aridā, crus contractum &c. vel *Mutilati*. carentes aliquo corporis membro necessario ad usum Ordinum, ut manu, oculo, digito canonicis &c. *Hostien. in sum. h. t. §. 1. de quib. vide can. 1. dist. 49.*

2 Cur tales arceantur ab Ordinibus?

℞ Quia eorū incompositio corporis, inæqualitatē indicat mentis. *can. 8. dist.* 41. & natura componit membra, prout moribus animæ convenit, ita, ut cujus facies deformis est, vix queat præditus esse bonis moribus; fæda enim facies, malos mores significat. *Rhasin. Medic.*

3 Quando deformitas impedit promotionem ad Ordines?

℞ Quando est talis, ut impediat exercitium ordinis, vel aliorum oculis notabilem deformitatem præseferat; quia sicut sponsa Christi debet esse sine macula & ruga, sic Sacerdos, qui eam repræsentat, debet esse absq; deformitate. *Abb. in c. 1. h. t.*

4 Iam ordinatus, amisit digitum in duello, poteſtne celebrare?

℞ Potest, cum dispensatione Episcopi. *c. 1. h t.* Faciliùs enim dispensatur cum Ordinatis, quàm cum Ordinandis. *Seraph. decis.* 625. *n* 6. Talis enim si ad unum officium non est aptus, ad aliud potest esse aptus: v. g. ad Confessiones audiendas, prædicandum verbum Dei; qualis fuit V. Beda, Dydimus Alexandrinus, Robertus Scotus, à puerili ætate cæcus, insignis Theologus, de quibus Surius in sua Hist. & in Universitate Cracovien. Biezanovius, Orator & Poëta, in virili ætate visu orbatus, bis mille scriptis in publicum editis, Clarissimus.

5 Enuchus, poteſtne ordinari?

℞ Si natus sit talis, non repellitur; si verò causam dedit, ut fieret talis, repellitur, & indiget dispensatione; quia sibimet ipsi ex sua voluntate, vel utilitate hanc deformitatē intulit. *Abb. in c. 3. h. t.*

6 Si quis ex voluntate, vel infirmitate castratus, debetne servare virilia, ut ordinetur?

℞ Non; est enim hoc figmentum ignorantium. *Abb. ubi supr. n.* 6. imò si illi hoc ex infirmitate vel casu aliquo accidat, non indiget dispensatione. *can.* 8. *dist.* 55. Qui enim non habet culpam, non debet habere pænam. *d. c. 3. h. t.*

7 Carens ungvibus in pollice, poteſtne promoveri?

℞ Si sit fortis in pollice, potest licitè absq; dispensatione; quia non est notabilis deformitas. *c. fin. h. t.*

## CAPUT XXIII.
### De Clericis Peregrinis Ordinandis, vel non.

1 Quis dicitur Clericus peregrinus?

℞ Qui in remota Provincia est ortus & non subest jurisdictioni Ordinantis. *tot. dist* 71.

2 Talis Clericus, quas literas debet habere, ut possit ordinari?

℞ Dimissorias (de quib. supr. Cap. 16.) proprij Episcopi continentes causam, ob quam peregrinatur & in aliqua natione moratur, ac quam ob rationem ibi ordinari velit, modò literæ prædictæ, non sint suspectæ, & sigillo proprij Episcopi munitæ, quamvis 5. Episcoporum sigilla olim requirebantur. *c. 1. de Clericis peregrinis.*

3 Ut se quis Clericus peregrinus probet ordinatum in Diaconum, sufficitne ejus juramentum, si velit promoveri ad Presbyteratum?

℞ Non; sed necessariæ sunt literæ formatæ Episcopi, qui eum promovit in Diaconum. *c.* 2. *de Cler. peregr.*

4 Clericus peregrinus, poteritne celebrare sine licentia Parochi, vel Diæcesani?

℞ Non; sive sit sæcularis, sive regularis, nisi priùs literas suæ ordinationis ostenderit. *c. 3 & 4. de Cler. peregr. & Const. Fravin Gnesn. Lib. 1. de fil. Presb. fol.* 69. Ecclesia enim Clericos peregrinos habet suspectos; solent enim esse criminosi, infames, excommunicati, fugitivi, & alijs similibus obnoxij. *can. Afros. dist. 98 & c. 1. de Temp. Ord. in 6.*

## CAPUT XXIV.
### De Clerico non ordinato ministrante.

1 Quæ Sacramenta possunt exerceri ab iis, qui non sunt ordinati?

℞ Solus Baptismus, idq; tempore necessitatis. *c. 1. h. t. & ib. gloss.*

2 Si quis Clericus ministret in Ordine, quem non habet, quam pænam incurrit?

℞ Deponitur ab Ordine suscepto, & ampliùs non est ordinandus. *d. c. 1. h. t.* quod si celebret Missam non Presbyter, vel audiat Confessiones, propter idololatriam & magnum animarum periculum, traditur Curiæ sæculari, debitis pænis plectendus. *Bull. Clemen. VIII. Et si alias*, ampliata per Urb. VIII. Const. *Apostolatus Officium* quò ad minorennes, seu non minus, quam 20. Annos completos habentes, quas refert *Piasec. in Prax. Episcop. p. 2. cap. 4. a 14. n.* 11.

3 Si Diaconus celebret Missam, qualiter punitur?

℞ Ad Sacerdotium nunquam promovetur, & ab Ordine Diaconatus suspenditur ad tempus. *c.* 2. *h. t* in beneficio tamen retinendo, misericorditer cum eo agi potest; ne sustentatione privatus, ad sæculi negotia in opprobrium Cleri cogatur reverti. *d. c.* 2.

4 Cum Clerico non ordinato ministrante, poteritne Episcopus dispensare?

℞ Peracta pænitentia poterit quò ad Minores susceptos & beneficium, quod habebat, non verò quò ad Ordines suscipiendos. *Abb. in d. c.* 2. *h. t. & c. Dilectus. de Tempor. Ordinan.*

5 Ut aliquis incurrat hanc irregularitatem, ut non ordinetur, quæ requiruntur?

℞ Ista tria: I. ut in Ordine Sacro quis ministret, nam Minores, etiam laici exercent. II. Ut ministret seriò, nam jocò celebrans in Ordine illo, quem non habet, non facit injuriam. *can. Illud.* 15. *q* 1. III. Ut ministret solenniter; nam citra Solennitatem exercens Ordinem, non incurrit irregula-

regularitatem. *Navar.cap.27.n.242.* Unde canens Epistolam aut Evangelium sine stola aut manipulo, non fit irregularis; quia potiùs exercet Officium Cantoris, non Subdiaconi, vel Diaconi. Addit quartum requisitum: *Idem Navar. loc. cit.* ut adsit intentio faciendi verum ministerium Ordinis.

## CAPUT XXV.
### De Clerico Excommunicato, vel Deposito ministrante.

1 Clericus depositus celebrans, quam pœnam incurrit.

℞ Excommunicatur, incarceratur, & si persistat, damnatur exiliô. *DD.in c.1.& 2. h.t.*

2 Sacerdos depositus vel degradatus, poteſtne consecrare?

℞ Non: si tamen consecrat, conficit Sacramentum: non enim ob id amittit characterem. *Abb.d. c.1.& 2.h t.*

3 Si aliquis Sacerdos damnetur ad rogum, debetne fieri degradatio tantùm ab Ordine Sacerdotij, an etiam ab aliis?

℞ Ab omnibus Ordinibus Majoribus & Minoribus, incipiendo à prima Tonsura, usq; ad Sacerdotium. *Abb.in d.c 2.h t.n.1.*

4 Sacerdos, depositus, degradatus, suspensus, excommunicatus, teneturne recitare divinum Officium?

℞ Affir; non enim ex suo delicto debet reportare commodum, alias peccat mortaliter. *Abb.l.cit.n.8*

5 Si Excommunicatus celebret, incurritne irregularitatem ante monitionem?

℞ Affir; quia irregularitas est pæna juris, quæ incurritur ipso facto, & sic non indiget monitione. *c. Pastoralis in fin. de Appell.*

6 In irregularitate contracta ab excommunicato celebrante, poteſtne dispensari ab Episcopo?

℞ Licet sint aliquæ opiniones DD. tenen. partem affirmativam, tutiùs tamen tenere, quòd solus Papa possit dispensare in hac irregularitate. *c. 1. de sent. excom. in 6.*

7 Clericus depositus ab Episcopo, poteritne emendatus, ab eo restitui?

℞ Si depositus fuit ob contumaciam & postea fit obediens, poterit restitui: si verò depositus fuit ob crimen sacrilegij, incendij, assasinij, hæreseos, ob vel similia, non nisi à solo Papa. *gloss. fin. in can. Si quis Presbyter. 7. q. 1 can Contumaces. dist. 50.*

8 Si plurimi Clerici sint excommunicati & omnes celebrent, suntne omnes deponendi?

℞ Si quadragenarium numerum, multitudinem designantem, excedant, principaliores deponendi, alij verò arbitrariè puniendi: multitudini enim parcendum est. *juxta illud gloss. c. 4. h t. Ob populum multum, crimen pertransit inultum.*

9 Si excommunicatus vel interdictus celebret, quid requiritur, ut deponatur?

℞ Si in contumaciam, monitio; monitio enim semper præcedit vindictam; si verò deponatur propter delictum hæreseos, assasinij &c. non requiritur monitio. *Abb. in c. 3.& 4. h. t.*

10 Si aliquis per famam sciat se esse excommunicatum & celebret, qua pæna punitur?

℞ De rigore, debet deponi, licet cum eo possit misericorditer dispensari. *c.5.h.t.*

11 Si quis faciat Collationem excommunicato, quam pænam incurrit?

℞ Si sciat excommunicatum, privatur collatione: punitur enim in eo, in quo peccavit, & excommunicatus amittit beneficium, nisi dispensetur à Papa. *c.7.h.t.*

12 Sacerdos celebrans scienter in Ecclesia interdicta, quam pænam incurrit?

℞ Privatur beneficijs, fit irregularis & per solum Papam dispensatur. *Abb.d.c.7.h.t.*

13 Si alicui in excommunicatione existenti, & tempore collationis absoluto, provideatur de beneficio, valebitne talis collatio?

℞ Affir. quia ex una parte iste, cùm absolvitur, fit capax, ex alia parte per collationem homo constituitur in jure talis beneficij: collatio enim dat verum jus. *c. 8. h. t.*

14 Si quis suspensus, vel excommunicatus, ignoranter celebret, quam pænam incurrit?

℞ Si ignorantia non sit crassa & supina, non incurrit irregularitatem, neq; in ea indiget dispensatione. *c. 11. h.t.*

15 Quæ est ignorantia crassa & supina, & quare dicitur supina?

℞ Quando aliquis scire se esse excommunicatum facile potuisset, tamen in investigatione negligens fuit. Dicitur autê supina, ad similitudinem hominis jacentis in terra supinè, qui facile potest videre, quæ sunt juxta pedes suos & ea non videt. *Abb.in d.c. 11.n.3.h.t.*

## CAPUT XXVI.
### De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

1 Quis dicitur furtivè Ordines suscipere?

℞ Ille, qui non examinatus, aut non admissus, aut contra prohibitionem Superioris ingerens sese Ordinandis, ordinari se fecit, aut admissus tantùm ad inferiores, temerario ausu, etiam Maj.Ord. se initiari fecit eodem die, vel eodem die duos Majores Ordines suscepit, aut per saltum se ordinari curavit. *Valen. Lib. 5. n.1.h.t.*

2 Qui furtivè Ordinem suscepit, qua pæna punitur?

℞ Si super hoc excommunicatio lata sit, talis sine Papæ dispensatione nec ministrare in illo Ordine, nec ad altiorem promoveri potest, nisi Monasterium ingrediatur, vitam moresq; emendet: quo casu etiam Abbas illius loci, quò ad alios Ordines dispensare cum illo poterit. *c.1. 2. & 3.h.t.* si verò super hoc sententia lata non fuerit, poterit Episcopus post peractam pænitentiam, si alia non impediant, cum tali dispensare. *d. c. 2 & 3.h.t.*

3 Si Episcopus ordinando dicat: non intendimus ordinare non examinatos & ritè non approbatos, & aliquis contra prohibitonem ordinetur, quid agendum?

℞ Talis denuo ordinandus est, injunctâ ipsi priùs pænitentiâ ob grave delictum, quod commisit. *Lopez in Praxi Criminal.cap.25.*

CAPUT

## CAPUT XXVII.

### De Clerico per saltum promoto

1 Quis dicitur per saltum promotus?

℞ Qui prætermisso Ordine inferiori, suscipit Ordinem superiorê, sive id sciat, sive ignoret. *c.1.h.t.*

2 Si quis ante Minores Ordines susciperet Sacerdotium, teneretne?

℞ Teneret. I. quia Minores Ordines non sunt de necessitate Majorum, sed de congruentia & præcepto Ecclesiæ. II. quia aliqui tenent Minores Ordines non esse Sacramenta, quæ dant gratiam & characterem imprimunt, inter quos est *Sotus, Michaël. Medin. Libr. 1. de Sacram.* sed solùm dispositiones; ideoq; *Magister*, ab Ecclesia institutos fuisse opinatus est. III. quia potestates Majorum & Minorum Ordinum, non sunt distinctæ. *S. Th. in 4. sent q.23. a.5. Abb. in c. un. h. t.* cæterum ob id non debet ministrari sacerdotium, nisi priùs suscipiantur Minores. *præter citat. DD. tenent. Abb. c.1.h.t. Bonav. 4 sent. dist. 24 q.3. & alii.*

3 Si quis non Sacerdos consecretur in Episcopum, tenebitne Ordo Episcopatus?

℞ Secundùm sententiam eorum, qui tenent Episcopatum non esse distinctum Ordinem à Sacerdotio, putantq; non posse conferri, nisi Sacerdoti, non tenebit. *S. Th. q.39. a.2. Sylvest v. Ordo. 2. § 1. Archid. Richard. Durand. Henriq. Lib.10. cap. 14.* Ego cùm teneam cum Canonistis Episcopatum distinctum esse Ordinem, sequor sententiam oppositam, quam probabilem asserit *Tolet. Libr. 1. Cap. 71. Abb. in c. un. h.t. & gloss. can. un. dist. 52.* Ratio est, quia præposteratio Ordinis, non vitiat Ordinem susceptum, licet impediat executionem, donec resumatur Ordo præteritus. *Abb. ubi supr. n.5.*

4 Si quis non recordetur se aliquem Ordinem suscepisse, qualiter debet ordinari?

℞ Sub conditione sic: si non es ordinatus, ego te Ordino, ut caveatur Ordinum iteratio. *Abb. ubi supr*

5 Si quis per saltum promoveatur de Subdiacono in Presbyterum, qua pœna punitur?

℞ Si ignoranter id fecerit, post pœnitentiam factam ordinatur in Diaconum & postea dispensatur ad Sacerdotiû. *c.1.h.t. & d. can. 1. dist. 52.* si verò id scienter fecerit, suspensus est, etiamsi omissis Minoribus ordinetur. patet ex *d. c. 1. h. t. Navar. cap. 27. n. 242. Tolet. Libr. 1. cap. 71 n. 7. Hostien. in sum. h.t.* imò *Navar. loc. cit.* addit talem Clericum Ordinem prætermissum suscipere non posse sine dispensatione. Et ita respondit *Congr. Conc. Trid. 1588. super cap. 14. de Ref. in fin. sess. 23.*

6 Taliter promotus, est ne ipso jure suspensus?

℞ Quàvis *d. can. un. dist. 52.* dicatur Episcopi facto talem suspendendû esse, cõmuniùs tamen receptum est, suspensionem hujusmodi esse latæ sententiæ. *d. c. un. h. t.*

## CAPUT XXVIII.

### De Clerico malè ordinato.

1 Quis dicitur Clericus malè ordinatus?

℞ Qui vel simoniace, vel ab Episcopo Simoniaco, vel ante legitimam ætatem, vel sine licentia proprij Episcopi Ordinem suscepit &c. De quibus sparsim supra & infra.

2 Clericus suscipiens Ordines ab Episcopo, quem credit esse simoniacum, qua pœna punitur?

℞ Ab Ordine suscepto suspenditur & ad alios non potest promoveri. *c. 35. de Simon. can. 117. 1. q. 1.*

3 Ordinatus ante legit. ætatem, qua pæna punitur?

℞ Suspenditur ab exercitio usq; ad legitimam ætatem. *c. 14. de Tempor. Ordin.*

4 Ordinatus Simoniacè, qua pæna punitur?

℞ Est suspensus ab Ordine. *can. si Episcopus. 1. q. 1.*

## CAPUT XXIX.

### De Schismaticis & Ordinatis, ab eis.

1 Quid est Schisma? *(in sum.*

℞ Est illicitus recessus ab unione Ecclesiæ. *Goffret*

2 Unde dicitur Schisma?

℞ A scissura, quia per Schisma, scinditur vnitas Ecclesiæ. *can. Schisma. 24. q. 1.*

3 In quo differt Schisma ab hæresi?

℞ Differrunt sicut genus & species; nam omnis hæreticus est Schismaticus, sed non è converso, quamvis schisma ab unitate & obedientia Papæ separet hõines, & sit species hæreseos. *can. 27. 24. q. 3*

4 Facta per Schismaticos, quam validitatẽ habent?

℞ Nullam: imò collationes per schismaticos factæ, alienationes & ordinationes, irritæ & nullæ sunt, & omnes suspenduntur, tanquam res factæ à non habente potestatem *c. 1. h. t.*

5 In quibus casibus gesta à Schismaticis valent?

℞ In Sacramentis, quæ conferunt communem effectum gratiæ Sacramentalis, ut est Pœnitentia, Eucharistia & Baptismus; & licet isti sint suspensi quò ad se, non verò quò ad alios. *ut in c. Vestra. de Cohab. Cleric. & Mulier. & Abb. d. c. 1. n. 4. h. t.*

6 Si Schismaticus conferat Ordines, imprimiturne Character?

℞ Si sit Episcopus & servata Ecclesiæ forma conferat Ordines, imprimitur character, sed talis manet suspensus & indiget dispensatione Apostolica. *can. Detrahit. 1. q. 1. & Abb. loc. cit.*

7 Schismaticus, quam pænam incurrit?

℞ Excommunicationis & suspensionis, aliquando pæna capitali punitur. *d. c. 1. h. t.*

8 Ordinatus à Schismatico, quam pænam incurrit?

℞ Si id sciens fecit, est excommunicatus, suspensus & privatur Officio & beneficio, nisi cum ipso dispensetur. *c. 2. h. t.*

9 Quis poterit dispensare cum Schismaticis & Ordinatis ab eis?

℞ Solus Papa. *Abb. c. fin. n. 7. h. t.* (diturne ei?

10 Si Episcopus dicat se dispensare cum aliquo, cre-

℞ Propter periculum & rei gravitatem debet monstrare dispensationem. *gloss. in can. si qui sunt. dist. 81. & Abb. tot. h. t.*

11 Schismatici an contrahant irregularitatem?

℞ Non videntur contrahere; cùm in ss. cann. nullibi fiat expressa mentio irregularitatis, nisi sit conjuncta cum hæresi. *can. Qui contra 24. q. 1. can. 8. dist. 12. can. 4. 1. q. 7. c. 5. de Elect. & Azor. 1. p. Inst. moral. Libr. 8. cap. 20. q. 18.*

## CAPUT XXX.

### De Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiavit Episcopatui, vel ab excommunicato.

1 Episcopus qui renuntiavit loco, vel simul loco & dignitati, potestne conferre Ordines, & quos?

℟ Vide supra *Cap.* 12. *n.* 23. *de Ordine.*

2 Ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati ordinatus majori Ordine scienter, quam pœnam incurrit?

℟ Irregularis fit, nec in susceptis ministrare, nec ulteriùs ante dispensationem ascendere potest. *c.* 1. *h. t.* si verò ignoranter (nisi crassa & supina fuerit ignorantia) poterit cum illo proprius Episcopus dispensare. *d. c.* 1. *& ibi Abb. h. t.*

3 Episcopus in dubio renuntians Episcopatui, censeturne renuntiare loco tantùm, aut dignitati & loco?

℟ Loco tantùm; quia qui renuntiat dignitati præsumitur hoc facere propter crimen, nisi constet ex devotione hoc fecisse. *c. Post translationem. de Renunt.*

4 Ordinatus ab Episcopo excommunicato recipitne characterem?

℟ Recipit, sed non executionem. *Abb. c.* 2. *h. t.* Ordo enim validus est, etiamsi ab Episcopo interdicto, suspenso, vel simoniaco conferatur. Ratio; quia talis potestatem Ordinis non amittit. *arg. can. Non nocet* 1. *q.* 1. *& can. Baptismus. de consecr. dist.* 4. *S. Th. Sct. Durand. Henriq. & alij.*

5 Quis dispensat in tali executione, ut iste possit celebrare?

℟ Si ordinatus fuit scienter, solus Papa; si ignoranter, proprius Episcopus. *c. fin. h. t. & Abb. ibid. n.* 1

6 Excommunicatus, potestne alium excomunicare?

℟ Negativè: quia cùm sit extra Ecclesiam, non potest alium extra Ecclesiam mittere. *can. Audivimus* 24. *q.* 1.

## CAPUT XXXI.

### De Dispensationibus in Ordine.

1 Quid est dispensatio?

℟ Est juris communis relaxatio, facta cum causa justa & rationabili ab eo, qui jus habet dispensandi. *gloss. can.* 5. 1. *q* 7 *§. nisi rigor. v ut plerisque.*

2 Requiriturne semper causa in dispensatione?

℟ Affir. Cavetur enim *Decr. Conc. Trid. sess* 6. *cap.* 2. *de Ref.* quòd dispensationes concedi debeant ex veris & rationabilibus causis, unde & Sum. Pontifex non dispensat in secundo gradu, nisi inter magnos Principes & ex publica causa.

3 Debetne ista causa exprimi in dispensatione?

℟ Debet: alias nulla redditur dispensatio, & taliter dispensatus, non erit tutus in foro interiori, secus in exteriori. *Abb. in c. Quæ in Ecclesiarum. de Constit. & gloss. c. Non est. de Voto v. adimplere.*

4 Aquo originem sumpsit dispensatio?

℟ A Deo. Dispensavit enim cum transgressoribus divini præcepti Adam & Eva *can. Serpens. dist.* 1. *de Pœnit.* cum Noe & filijs ejus, maximè Cham reprobo. *can. Quia ex sola.* 24. *q.* 1. cum humano genere, quando pro nostra redemptione misit Filium suum. *can. In scripturis.* 8. *q.* 1. &c. mirùm ergo non est, cùm homines cum hominibus dispensant; cùm omnis Dei actio, sit nostra instructio. *can. Exemplum.* 12. *q.* 1.

5 Ad quid inventa est dispensatio?

℟ Ut esset pars justitiæ distributivæ; cùm enim Legislator facit legem communem omnes comprehendentem. *l.* 1 *ff. de Legib.* eveniunt multæ causæ, propter quas naturalis ratio, pro tunc non considerata, svadet factum illud non debere comprehendi sub illa generali determinatione.

6 Quæ sunt causæ moventes ad dispensationem?

℟ Multæ: potissimùm tamen, personæ, necessitatis, loci, temporis, utilitatis Ecclesiæ, ætatis, scandali, majoris boni, futuri boni, eventus rei, discretionis, pietatis, misericordiæ & religionis. *Pyrh. Corrad. Dispen. Apost. Lib.* 1. *Cap.* 1. *n.* 12.

7 Ad quos spectat, attento jure Canonico, dispensatio?

℟ Ad Sum Pontif. tanquam Vicarium Christi in terris, & in aliquibus casibus ad Episcopos.

8 Potestne Episcopus dispensare in ætate tam ad Ordines, quàm ad assecutionem beneficij?

℟ Non, nisi de expressa licentia Sum Pontificis. Const. Pij II. quam refert *Piasec. Prax. Episcop. p.* 1. *cap.* 1. *a.* 10. *n.* 11. ab illo tamen, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, dispensatio Papalis debet examinari. *Conc. Trid. Sess.* 22. *cap* 5. *de Ref.*

9 Potestne Episcopus in solennitatibus alias publicationibus, sive Bannis cum aliquo dispensare?

℟ Potest ex legitima causa. *Declar. Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de Refor. Matrim. §. si tot.* si tamen non dispensat, fieri debent diebus festivis, non verò feriatis. *Idem. Con. loc. cit.*

10 Regulares debentne facere prædictas publicationes, sicut sæculares?

℟ Non, nisi habeant Parochialem Ecclesiam. *Mo fes Tom.* 1. *tract* 2. *Cap.* 1. *n.* 56.

11 Episcopus, cùm potest (*ut supr. cap.* 10. *dictum*) dispensare super interstitijs, quas causas respicit?

℟ Utilitatem & necessitatem Ecclesiæ. *Conc. Trid. Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.* & alias causas expressas *supr. cap.* 10. *n.* 10. *Utilitas* verò intelligitur, si sit doctus, Sanctus & profuturus Ecclesiæ in universali, vel particulari. *Necessitas*, quia meliùs gubernatur Ecclesia pluribus ministris, quàm paucioribus.

12 Cùm Episcopus Ordinans dispenset cum Regularibus super interstitijs (*ut dict. cap.* 10. *n.* 8) quòmodo poterit cognoscere causas utilitatis, vel necessitatis eorum?

℟ In hac re credere debet literis & testimonijs Superiorum talium Regularium qui ordinantur. *Bonac. de Sacr. disp.* 8. *q. un. punct.* 5.

13 Potestne Episcopus dispensare cum Bigamo ad unum Beneficium & primam Tonsuram.

℟ Jux. *Abb. c.* 1 *Qui Cleric. vel voventes.* In *Bigamia similitudinaria*, alias cum illo, qui habuit viduam uxorem, etiam ad Majores Ordines dispensare potest. *Et ista est communis DD. sententia.* In *Bigamia vera*, alias cum illo, qui habuit duas uxores & utramq; cognovit. *Et in bigamia interpre-*

*pretativa*, alias cum illo, qui in sacris constitutus, vel post votum solenne Religionis, de facto contraxit, & matrimonium (licet fuerat nullum. *can. Omnium. dist.* 32. & *c.* 1. *de Cler. Conjug.*) consumavit, non dispensat, nisi solus Papa. *c. un. de Bigam. in 6.* & *alij DD. quos cit. Franc. Prax. Episc. p.* 1. *cap.* 1. *a.* 10. *n.* 13. Quod si fecerit, manet suspensus à collatione Ordinum, promotus verò ab executione, & amittit beneficium, fructusq; perceptos non facit suos. *d. c. un. de Bigam. in 6.*

14 Poteſtne Papa dispensare, ut Clericus Majorum Ordinum, fiat Laicus & ducat Uxorem?

℟ Potest de plenitudine potestatis (quemadmodum cum Casimiro Monacho Rege Poloniæ, *ut supra cap* 12. *n.* 62. *dictum est* ac cum alijs per *Pyrh. Corrad. Prax. Dispensat. Apostol. Lib.* 8. *cap.* 10. *n* 28. allatis dispensavit) idq; ex gravibus causis: ne nimir. amittatur successio, nomen alicujus insignis & præclari Viri pereat, ut sedentur controversiæ inter magnos Principes, si in aliquo Regno vel statu jure hæreditatis succedere deberet aliquis Sacerdos, Episcopus, vel Cardinalis &c. Ratio est: quia Papa potest dispensare in omnibus Decretis *Conc. Trid.* in omnibus Matrimonij impedimentis, inter quæ connumeratur Ordo sacer. *Abb. in c. Cum olim. de Cleric. Conjug.*

15 Poteſtne Episcopus dispensare, ut quis duo habeat beneficia?

℟ Potest, dummodò sint compatibilia *c. Gratia junct. gl. §. v. de jure. de Rescript in* 6. & unum non sufficiat ad sustentationem, attenta qualitate Clerici. *Tolet. Lib.* 5. *cap.* 81. imò consvetudine generali servatur, ut in pluralitate talium beneficiorum non petatur dispensatio. *Rebuff. Hoied. quos cit. Piasec. Prax. Episc. p.* 2. *cap* 5. *a.* 3. *n.* 116.

16 Investigatio defectus scientiæ cui committitur, & quando potest in eo dispensari?

℟ Episcopo, *ut d. ct. cap.* 13. tunc verò in defectu est dispensandum, quando est penuria aliorum Sacerdotum, neq. est spes inveniendi sapientiores, sed taliter promoti discant, ut ex officio suo alios sciant docere. *can. Qui Ecclesiasticis. dist.* 37 *§. Ecce.* Qui enim discere recusat, magis Diaboli, quàm Christi membrum esse ostenditur. *can. Nullus. dist.* 38.

17 Ordinatus ante ætatem, si ministrat ante dispensationem, estne Irregularis?

℟ Non, sed peccat mortaliter. *Sylvest. v. Irregularitas, n.* 13. & 14.

## CAPUT XXXII.
## De Sponsalibus.

1 Unde originem sumpserunt Sponsalia?

℟ A veteribus, quibus moris erat stipulari & spondere sibi futuras Uxores, indeq; sponsi & sponsæ appellatio nata est. *l.* 2. & 3. *ff. h. t.* spondere verò à sponte, idest voluntate, deducit Varro *Libr.* 4. *de Lingva Latina.*

2 Quid sunt Sponsalia?

℟ Est mutua futuri Matrimonij repromissio. *can.* 3. 30. *q.* 5.

3 In Sponsalibus mutavitne aliquid *Conc. Trid.*?

℟ Non mutavit, sed reliquit ea in terminis juris communis. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. Matr.*

4 Quotuplicia sunt Sponsalia?

℟ 2plicia: *de futuro*, idest matrimonio contrahendo. Et hæc propriè Sponsalia vocantur. *c.* 2. 30. & *ult. h. t.* Et de *præsenti*, alias ipsum matrimonium contractum, non consummatum. *can.* 12. 27. *q.* 2. *c. Veniens & alijs. h. t.*

5 Quæ requiruntur ad Sponsalia de Futuro?

℟ Ætas septennis completa, tam in fæmina, quàm in Masculo. *c.* 3. *h. t.* consensus mutuus utriusq; & liber. *c.* 1. *h. t.* & *c.* 5. *de Despons. Impub. can.* 3. 31. *q.* 2. Ac ideo in *l.* 1. *ff. h. t.* sponsalia dicuntur esse futurarum Nuptiarum repromissio, ut designetur reciproca obligatio consensus, qui exprimi debet aliquo signo exteriori, ut mutuò innotescat. *c.* 25. & 31. *h. t.*

6 Quare ætas septennis saltim, non verò minor requiritur ad Sponsalia?

℟ Quia huic ætati inest aliquod animi judicium, quo intelligant contrahentes, quid agant. *l.* 14. *ff h. t.*

7 Quomodo contrahuntur Sponsalia?

℟ Re, Verbis, literis, & consensu.

8 Quomodo contrahuntur re sponsalia?

℟ Per nudam subarrationem, vel annuli immissionem factam mulieri à viro, & è contra, vel per traditionem alicujus rei secundùm consvetudinem Provinciæ in signum desponsationis. *Abb. in c. fin. de Despons. impub.* Immissio verò annuli facienda est in quarto digito à pollice computan. in quo dicitur esse vena usq; ad cor pertingens. *Abb. loc. cit.*

9 Quomodo contrahuntur Verbis?

℟ Quando ab ipsis contrahentibus proferuntur verba reciproca hæc vel similia idq; vel purè: *ut ego te accipiam in uxorem & ego te in maritum*, vel *ego te in meam, & ego te in meum. c. penult. h. t.* & *c.* 3. *de sponsa duorum.* vel sub conditione: *ut ego te in uxorem accipiam, si tantum dotis nomine dederis*, *vel si consentiat pater.* quæ conditio ex eventu pendet. *c.* 3. & 5. *de Condition. appesit.* & *c. un. h. t. in* 6. vel *ego te accipiam in Uxorem*, *si intra tale tempus volueris* quo casu in certum diem & tempus sponsalia contrahi dicuntur, quod si sponsa intra dictum tempus sponsalia de futuro effectuare noluerit, sponsus à promissione liber est, aliamq; eligere potest *c.* 22. *h. t.* Hæ tamen conditiones debent esse honestæ & canonicis institutis non contrariæ; quia turpes aut impossibiles, ob favorem matrimonij pro non adiectis habentur. *Abb. in. c. fin. de Pact.* & *l. Generaliter ff. de Verb. obligat.*

10 Quomodo contrahuntur Literis?

℟ Cùm absentes inter se de futuris nuptiis per Epistolam, Nuntiũ vel procuratorem specialem, paciscuntur. *c. Procurator. de Procurat. in* 6. Et talis modus per Nuntiũ contrahendi videtur servatus esse in B. V. Maria, quæ Internuntio Gabriele facta est Sponsa Altissimi.

11 Quomodo contrahuntur consensu?

℟ Quando mulier interrogata, an velit desponsari tali viro, inclinet caput, vel faciat aliquod aliud

aliud signum externum in contestationem consensus interioris; quia tunc illud signum æquivalet verbis & consensui exteriori. *Abb. in c. fin. de de Desponś. impuber.*

12 Cùm Procurator Sponsalia tam de futuro, quàm de præsenti contrahere possit, quæ ætas in illo requiritur?

℞ Sufficit, ut habeat usum rationis; quia ætas & alia requisita ad verum Matrimonium non requiruntur in procuratore, sed in dante mandatum; ipse enim est contrahens & ipse se obligat. *DD. in c. fin. h. t.*

13 Procurator ad contrahenda sponsalia, poteſtne alium substituere?

℞ Non, nisi habeat id expressum in mandato; quia in materia Sacramenti Matrimonij non sufficiunt verba generalia, sed necessariò apponenda sunt specialia, nec non particulares personæ. *Abb. in c. fin. h. t. & c. 9. h. t. in 6.*

14 Contrahens per procuratorem, si revocet coram Notario & testibus mandatum, antequam puella consentiat, eruntne sponsalia vel Matrimonium?

℞ Nec Matrimonium erit, nec sponsalia tenebunt, licet sint contracta propter ignorantiam revocationis mandati cum effectu. Quia Matrimonium pendet ex libero consensu & voluntate contrahentis, non attenditurq; voluntas futura, sed præsens; & nemo potest obligari, ut semper retineat eandem voluntatem: cùm etiam in ipso actu matrimonii, potest quis dissentire & nolle illud, quod priùs voluit. *Hostien. in sum. h. t. §. qualiter. DD. & d. c. Procurator. de Procurat. in 6.*

15 Sponsalia de præsenti per legitimum procuratorem facta, debentne iterum ratificari ore proprio per sponsum & sponsam, cùm personaliter conjunguntur?

℞ Non, sed solùm debent recipere Sponsi Ecclesiæ benedictionem. Ratio est, quia illa sponsalia habent eandem vim, quam habet matrimonium inter sponsum & sponsam præsentes. *DD. in c. fin h. t.*

16 Pater pro filio, poteſtne de præsenti, vel de futuro contrahere?

℞ Potest de futuro pro filio impubere, qui cùm pervenerit ad annos discretionis, si vellet, non tenebitur adimplere sponsalia, à Patre promissa, nec eum pater cogere, persvadere tamen potest; at verò pro filio impubere pater de præsenti non potest contrahere. *c. 1. de Despon. impuber.*

17 Qui dicuntur impuberes?

℞ Qui generare, vel concipere nondum possunt, quemadmodum puberes, qui generare & concipere possunt. *c. 3. de Despon. impub.* Unde unus pubes, alter impubes, interveniente necessitate urgentissima in Conjugio tolerantur, ob bonum pacis. *c. 2. de Despon. impub. & ibi gloss.*

*Pax ut servetur, moderamen juris habetur.*

18 Sponsalia ante septennium de futuro contracta, suntne valida?

℞ Non, imò nulla, nisi post septennium consensu convalescant *c. 4. de Despon. impub.* vel malitia, quemadmodum in sponsalibus de præsenti, in aliquo sponsorum superet ætatem. *c. 14. de Despon. impub.*

19 Si impuberes contraxerint per verba de præsenti, talis contractus resolviturne in matrimonium, an sponsalia?

℞ Quamvis verba de præsenti, matrimonium sonent; tamen interpretatione juris, in sponsalia de futuro resolvuntur. *DD. in c. 8. de Despon. impub.*

20 Si impuberes contraxerint sponsalia, possuntne statim dissolvi per mutuum consensum?

℞ Non, sed est pubertas expectanda. *c. 7. 8. & 10. de Despon. impub.*

21 Si adsit juramentum in sponsalibus de futuro quid agendum cum talibus sponsis?

℞ Sunt movendi ad sponsalia de præsenti, vel pæna carceris, *jux. Marc. Ant. Genuen. in Prax. Neapol. cap. 14.* etiam censuris Ecclesiasticis. *c. 11. de Despon. impub.* quamvis defloratio non accesserit, modò constet de consensu. *Farinac. decis. Criminal. 73.* si tamen omninò sint renitentes, cogi non debent. *c. 2. h. t.* quia coactiones plerumq; difficiles solent habere exitus. *c. 17. h. t.* & matrimonium coactè initum, est ipso jure nullum. *c. 6. 13. & 21. h. t.*

22 Si mulier impubes, nupta alicui de futuro, petat licentiam contrahendi cum alio de præsenti, & jam habeat legitimam ætatem, virq; ejus juret eam in pubertate cognovisse, quid agendum?

℞ Talis mulier non auditur, quia in favorem matrimonij plus creditur viro. *c. 6. de Despon. impu.*

23 Sponsalia de futuro per realem copulam, transeuntne in matrimonium?

℞ Jux. *c. fin. h. t.* jure antiquo transibant, non autem modò. Quia ad rationem matrimonij pertinent etiam testes & Parochus, alioquin esset clandestinum, quod est contra. *Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 1. de Ref. Matr.*

24 Si in sponsalibus contractis apponatur pæna, poteritne exigi?

℞ Non: quia in matrimonio requiritur summa libertas, pæna autem dicit metum. *c. 29. h. t.*

25 Si loco pænæ fiat aliqua donatio Ecclesiæ, non impleta conditione, eritne valida?

℞ Affir. *c. 4. de Condition. apposit.*

26 In sponsalibus sufficitne dubius consensus?

℞ Non, sed clara approbatio. *c. un. junct gloſſ. de Despon. impub.*

27 Poteſtne quis dare pignus mulieri, promittendo cum ea contrahere, ita tamen: ut si cum ea non contrahat, amittat pignus?

℞ Negativè: quia tale pignus est quasi pæna; jure tamen civili. *l. 3. & 5. C. h. t.* Major 25. annis, qui conrraxit de futuro, & non vult, de præsenti contrahere nullâ habitâ justâ causâ, duplicat Arras, minor verò easdem solùm amittit.

28 Quibus modis dissolvuntur sponsalia de futuro?

℞ I. Morte alterutrius, quæ omnia solvit. *Novel. 22. Cap. 20. in princip. de nuptijs.* II. Mutuo consensu, vel dissensu puberum. *c. 2. h. t.* III. Ingres-

su Religionis alterius sponsi. *can. 26.27.q. 2. §. Ecce. & c.16.h.t.* IV. Susceptione Ordinis Sacri. *c.1.& 2. Qui Cleric. vel. voven.* V. Discessu alterius ad remotas terras, altero non præmonito. *c.5.h.t* jure tamen Civili statutum est, ut sponsa sponsum absentem per triennium expectet. *l.2. C. de Repudiis* VI. lapsu temporis præfixi ad contrahendū de præsenti.*c 12.h.t.* VII. Si conditio sponsalibus, etiā juratis adjecta, nō sit impleta *c 3. de Condit. apposit.* VIII. Per sponsalia de præsenti cum altera. *Navar. cap. 22. n 25.* sed is sponsus videtur puniendus propter fractionem fidei & Contractus, qui jam est, non voluntatis, sed necessitatis.*l.7 §.3 ff. de eo, quod certo loco. Gutier. Tract. de iuram Confirmat.cap.51.n 4.& Lib 1.Can.quæst.cap. 18. n. 10.* IX. Per supervenientiam lepræ, paralyseos, aut alterius contagiosi morbi, aut propter amissionē nasi oculi vel alterius membri, aut etiam notabilem deformitatem in alterutro contrahentium. *c 25.de Jure iuran.c.fin.de Conjug.lepros.* X. per atrocem sævitiam sponsi, vel sponsæ antea incognitam & postmodum detectam. *c.24.h.t.* XI. propter supervenientem affinitatem, vel cognationem sive Spiritualem, sive naturalem, sive legalem. *c. Veniens.deCognat.Spirit.* XII. Propter votum Castitatis in sæculo emissum ante sponsalia. *c.6 Qui Cler. vel voventes.* XIII. Propter subsequentem alterius fornicationem, sive voluntariam, sive coactam. *d.c 25 de Jure iuran.* sive carnalem, sive spiritualem scil. hæresim, vel Apostasiam. *c. 2 de Divort.ca .6 8.& simili 28.q 1.*

29 Illicitus coitus, solvitne Sponsalia de futuro?

℞ Affir. *Enriq. Lib. 2. cap. 14. n. 6.*

30 Potestne Episcopus dispensare, ut qui habuit illicitum coitum cum una, contrahat cum alia?

℞ Affirmativè.

31 Sponsalia de præsenti ante ætatem unius secuta carnali copula, transeuntne in Matrimonium?

℞ Negativè cum *Sanchez tom 1 Libr. 3. de Matrim. disp. 40.n.3. Reginald. in prax.tom. 2. Libr. 31. cap. 23. n. 182.*

32 Sponsalia per verba de futuro contracta, si solvantur mutuo consensu, vel per Sponsalia de præsenti, inducuntne aliquod impedimentum?

℞ Non, sed ita se habent, quasi facta non fuissent. *Sa v. Matrimonium n. 12.*

33 Sponsalia & Matrimonium possuntne celebrari temporibus interdictis?

℞ Possunt coram Parocho & testibus, sed nuptiarum solennitates, convivia, introductio ad domum & carnalis copula certis temporibus prohibentur. *Declarat. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 10. de Ref. Matr.& Const. Provinc. Gnes. Libr.4.fol.251.§.9.*

34 Sponsus stuprans Sponsam, qua pœna punitur?

℞ Arbitraria, sed gravi; quia post *Conc. Trid.* Sponsalia de futuro, copula subsecuta, non transeunt in Matrimonium. *Ledesma.in sum.tom. 1. Tract. de Matrim. cap. 6. Concl. 8.*

## CAPUT XXXIII.
## De Desponsatione Impuberum.

1 Quis dicitur Impubes? dictum supra *cap. 32. n.17.*

2 In qua ætate dicitur quis esse pubes?

℞ Vir in ætate 14. annorum. *c. 10. h. t.* mulier in ætate 12. completorum, tam secundùm *ll.* quàm secundùm cann. *c.6.h.t. & l. Minorem ff. de ritu Nuptiar.* In minori ætate ex regula Medicorum jus judicat communiter, Mulierem non posse concipere, nec Virum generare; quod fallit, si malitia superet ætatem.

3 Quid intelligitur hic per malitiam?

℞ Prudentia *c.9.h.t.* quæ ut plurimum evenire solet ante prædictam ætatem in illis, qui inter delicias nutriuntur ac majores vires roburq; corporeum sibi quærunt. *Navar. Cons.4.n.13.* Quare legitur ex *D.Gregor.Lib.4. Dialog.* quendam puerum ætatis 9. annorum Nutricem suam impregnasse. *D.Hieronym.* audisse, quendam puerum 10. Annorum similiter gravidam fecisse Nutricem. In Regno Neapolitano (ut Viri magna fide digni testati sunt) puellam 10. Annorum peperisse, &c.

4 Supposità igitur prædictâ malitiâ, ante requisitam n. 2. ætatem, potestne aliqua puella inire Matrimonium?

℞ Potest: pubertas enim non consistit in annis, sed in potentia generandi. *c.3.h.t.*

5 Habens ætatem 14. Annorum & potentiâ coeundi carens, poteritne licitè contrahere?

℞ Poterit: est enim ætas à lege constituta; posse autem generare vel non posse, experientiâ tantùm comprobatur, meliùs tamen faceret, si expectaret talem potentiam, ex sent. *Abb. in c. Pubes.n.4. h.t. Laudabilem. de Frigid. & malefic.*

6. Per quæ signa cognosci potest pubertas, ut judex possit declarare, an aliquis ante ætatem possit contrahere Matrimonium?

℞ Per signa exteriora, inspiciendo personam, membra robusta, agilitatem & formam. *Abb. loc. cit & Barthol. in l. de ætate. ff. de Minorib.*

7 Ad Matrimonium requiriturne potentia coeundi & proximitas ætatis simul, an separatim?

℞ Necessariò requiritur potentia coeundi; quia in ea constitit validitas Matrimonij: at verò proximitas ætatis sine potentia, nihil valet. *Abb. in c. De illis. n. 4.h.t.*

8 Si quis nitatur habere carnalem copulam etiam intra vas debitum, non tamen habeat, consummatne Matrimonium?

℞ Negativè: quia non tactu, sed reali copula consumatur Matrimonium. *c.10. h.t.*

9 Si quis desponsetur de futuro absq; consensu, & Sponsalia ex defectu consensûs dissolvantur, oriturne ex inde publicæ honestis impedimentum?

℞ Negativè: quia ex defectu consensûs nunquam fuerunt sponsalia: si verò solvantur ex alia justa causa, semper oritur impedimentum publicæ honestatis. *c 5 h.t.*

10 Mulier impubes desponsata, cùm pervenerit ad pubertatem petiit licentiam nubendi alteri viro, debetne ei dari?

℞ Si vir ejus juret eam, etiam proximam pubertati, carnaliter cognovisse, deneganda est talis licentia. *c.6.h t.*

11 In causa marimoniali cui creditur, Viro an mulieri?

℞ Viro, si juret in favorem Matrimonij; si verò juret ad dissolvendum Matrimonium, vel sponsalia, creditur mulieri juranti pro matrimonio. *d. c. 6. h. t.*

12 Si aliqua puella fuit apta ad concipiendū, fuitq; cognita à viro, consummaturne Matrimonium?

℞ Non consummatur, si fuit cognita ante septennium, quamvis in illa, malitia superet ætatem; secus si post septennium, alias cùm proxima fuit pubertati, videlicet circa annum 10 ætatis; quia tunc potest concipere, quod obstetricibus & mulieribus peritis, prævio earum juramento, de veritate dicenda, est comittendum. *Abb. in c. Continebatur. h. t. in 6. can. si quis 23. q. 1. & c. fin. de eo, qui cogn. Consang. Uxor. Juæ.*

13 Potestne aliqua puella deflorari à viro & non concipere, neq; esse apta ad concipiendum?

℞ Potest. *Abb. loc. cit.*

14 Si quis contrahat per verba de præsenti cum puella ante pubertatem, videlicet in Anno 11. eritne validum matrimonium?

℞ Erit supposità malitià ætatem superante; secus si non superet quia ad Matrimonium requiritur in utroq; consensus verus, quem ante 12. annum puella habere non præsumitur. *Ledesm. q. 45. Covar. Navar. c. fin. h. t.*

15 Sponsalia inter infantes facta, convalescuntne per lapsum temporis?

℞ Negativè, nisi post temporis lapsum secum habitent, se sponsos verbo vocent, vel facto se, ut sponsi, osculentur; quia tunc apparet eosdem factos majores septennio in eadem voluntate perdurare, seu alias expressè, vel tacitè sponsalia ratificare. *c. un. h. t. in 6.*

16 Minores obliganturne in matrimonio?

℞ Obligantur, nisi fuerit illis violentia facta tempore contractus *c. 7. & 11. h. t.*

17 Ut quis sponsalia sive de futuro, sive de præsenti contrahat ante legitimam ætatem, num declaratio, an dispensatio requiritur?

℞ Declaratio, si non notabile tempus desideretur & malitia suppleat ætatem. Si verò notabile tempus desideretur? etiamsi malitia suppleat ætatem, dispensatio requiritur. *Pyrrh. Corrad. Prax. Dispens. Apost. Lib. 4. cap. 3. n. 16 & 17*

18 Quis potest in prædicta ætate dispensare?

℞ Licet minimum tempus desideretur v. g. duorum mensium, ex usu antiquo fit recursus ad Sedem Apostolicam. *Pyrrh. Corrad. loco cit. n. 7.* licèt *Sanchez. de Matr. Lib. 7 disp. 104 n. 12.* dicat posse Episcopum ex urgentissimâ causâ dispensare.

## CAPUT XXXIV.

## De Sponsa Duorum.

1 Qui dicitur sponsus, vel sponsa duorum?

℞ Ille, qui contraxit cum duabus, sive cum prima per verba de præsenti, & cum altera de futuro, sive è contra. *c. 1. h. t.*

2 Sponsalia de futuro posteriora, præjudicantne prioribus de futuro?

℞ Non præjudicant, quemadmodum & sponsalia de præsenti posteriora, non præjudicant prioribus, etiam de præsenti: primis enim sponsalibus adhærendum est. *d. c. 1. h. t.*

3 Contrahens cum una de futuro, cum altera de præsenti, cui adhærebit?

℞ Sic faciens, licet graviter peccet, adhærebit tamen illi, cum quâ de præsenti contraxit, propter fortius vinculum superveniens. *d. c. 1 h. t.* Contrahens verò cum utraq; de præsenti successivè, adhærebit illi, cum qua primò contraxit. *d. c. 1. h. t.* quia vinculum prioris matrimonij est indissolubile, atq; eo durante non potest alter Conjugum alteri jungi *c. 8. de Divort.* quamvis matrimonium primum sit inutile propter morbum, vel exsectionem. *can. 25 32. q. 7.* aut sterilitatem. *can. 27. ibidem* aut diuturnam conjugis absentiam. *c. 2 de secund. Nupt.*

4 Quibus modis sponsalia contrahuntur de futuro?

℞ IV. I. Per verba de futuro, ut dict. supr. *cap. 32. n. 4.* II. per verba de præsenti, quando uterq; vel alter est impubes: quia tunc ex interpretatione juris resolvuntur in sponsalia de futuro. dict. supr. *cap. 32. n. 19* III. Per traditionem arrarum præcedentibus verbis, vel signis. *dict. eod. cap 32. n. 8.* IV. Per subtractionem annuli de digito, præcedentibus similiter verbis, vel signis. *DD. in c. fin. de Despon. impub.*

5 Ad quem Judicem spectat punitio viri vel mulieris, qui per verba de præsenti secundò contrahunt?

℞ Ad Judicem Ecclesiasticum, utpote in causâ spirituali. *Stat. Herb. v. Spirituales. § Differentias, Conc. Tri. sess. 24. cap. 20. de Ref.*

6 Quam pœnam incurrit, qui contrahit cum duabus mulieribus, vel mulier cum duobus viris?

℞ Est infamis, & punitur, ut suspectus de fide; quia non bene sentit de Sacramento matrimonij. *l. 1. ff. de iis, qui notan. infam.*

7 Qui non servat sponsalia, quam pœnam incurrit?

℞ Peccat mortaliter, quamvis non sint jurata & obligatur per Judicem ad servandam fidem. *Abb. in c 1. h. t & supr cap. 32 n 21.*

8 Quam pœnam incurrit, qui sponsam de præsenti alterius duxit in uxorem?

℞ Nunquam eam uxorem habere potest, & in pane & aqua per septem Quadragesimas pœnitere bebet *c. 2. h. t.*

9 Si lis sit de matrimonio, quid Judex debet præcipere litigantibus?

℞ Debet ponere pœnā, ne lite pendente cum alio contrahant, & si contraxerint de facto, debet eos separare & punire arbitrariè. *c. 4. h. t.*

20 Carnalis copula & juramentum, adduntne majus vinculum in matrimonio?

℞ Respectu essentiæ matrimonij, juramentum nihil addit intrinsecè pertinens ad illud, sed ex alio titulo, magis obligat; copula verò carnalis efficit indissolubile matrimonium, quod non solvitur per ingressum religionis, sicut solvitur, quando solùm ratum est. *Abb. in c. Licet. n. 4. h. t.*

CAPUT

## CAPUT XXXV.
### De Conditionibus appositis in desponsatione & alijs Contractibus.

1 Matrimonium spirituale, qualis est electio ad Ecclesiam, potestne esse sub conditione, ut eligo te Stichium, si es doctus?

℞ Negativè: quia electio debet esse determinata, certa & suffragium purum. *c.2.de Elect in 6.*

2 Potestne matrimonium carnale contrahi purè, vel sub conditione?

℞ Potest, ut supr. dict. *Cap.32. n.9.* quemadmodum & alij contractus, modò conditio sit licita & non reprobata.

3 Contrahens sponsalia de præsenti, quæ sunt ipsum matrimonium sub conditione licita, teneturne illa (non effectuata conditione) consummare?

℞ Negativè: quia contractus hujusmodi pendet ex eventu conditionis. *c.5.h.t.* quòd si consummat, eo ipso videtur recedere à conditione, ac ex tunc incipit valere matrimonium. *c.6.h.t.*

4 Matrimonium sub conditione honesta contractum, habetne effectum de præsenti, vel de futuro?

℞ Si conditio est honesta de præsenti, ut *contraho tecum, si es dives, vel virgo.* tunc stante conditione habet effectum matrimonium, non stante, non habet; at si conditio est de futuro, ut *contraho tecum, si tua mater dederit mihi 1000. aur.* tunc impleta conditione, effectum habebit matrimonium. *Abb. d.c.5.h.t.*

5 Si quis desponsetur sub conditione ad certum tempus, quo transacto & conditione non impleta, habeat copulam, tenebiturne ratione illius ad matrimonium?

℞ Negativè: quia transacto tempore & conditione non adimpleta, sponsalia conditionalia evanuerunt; quia conditionalis consensus nullus est ante conditionem exstantem. *l. Cedere diem. ff. de Verb. signific.* si ergo nullus præcessit consensus, solus coitus matrimonium non facit. *c. ult. Qui Cleric. vel voven.* Illa tamen copula, utrum fuerit post transactum tempus, & non impletam conditionem, debet probari. *Abb. c. Per tuas. n. 3. h. t.*

6 Si quis juravit recipere Uxorem ea conditione, ut priùs donentur ipsi 100.aur. teneturne absq; receptione aureorum eam recipere?

℞ Negativè: quia Conditio fuit justa & debet priùs adimpleri; nisi recederet ab ea conditione, aut sponsam cognosceret. *c.3.h.t.*

7 Conditio turpis posita in sponsalibus, vitiatne Matrimonium?

℞ Non, si non est contra substantiam & bonum Matrimonij (quod reduci potest ad 3plex genus scil. fidem, prolem & indissolubilitatem) ut si quis dicat: *accipio te in uxorem, ut furtum facias, quæstum corpore quæras, parentem interficias* &c quare in istis casibus & similibus, Conditio nō debet adimpleri & matrimonium tenet. *c.1.h.t.*

8 Conditio turpis contra substantiam Matrimonij scil. *duco te in Uxorem, ut sumas potiones, ut sterilis evadas, vel si conceperis, sumas potum, ad abortum faciendum,* vitiatne matrimonium?

℞ Vitiat & reddit nullum; quia est contra substantiam, finem & bonum matrimonij, nempe procreationem prolis: videtur enim verbis & non opere contrahere. *c.fin.h.t.*

9 Si ponatur in matrimonio Conditio impossibilis, ut *nubo tecum si tetigeris digito Cælum, volaveris, sine potu & cibo vixeris,* vitiatne matrimonium?

℞ Non; quia talis conditio habetur pro non adjecta ob favorem matrimonij. *d.c.fin.h.t.*

10 Si ponatur conditio in Matrimonio, quæ non pendet ex voluntate adimplentis: ut *nubo tecum, si hodie coram Rege sermonem habebis, vel cras fies primus Senator,* in non eventu, vitiabiturne Matrimonium?

℞ Non, facta ex sua parte sufficienti diligentia. *d.c.fin.h.t. & Tolet.Lib.7.cap. 17.§. Tertia conditio.*

11 Matrimonium contractum cum Pagano, vel Judæo, eritne validum?

℞ Non, sive sciat, sive non, Judæum vel Paganum esse: quia ad firmitatem matrimonij, oportet, ut sit ejusdem fidei. *can.15.& 16.28.q.1.*

12 Matrimonium contractum cū Hæretico tenetne?

℞ Tenet jux. communem DD. sententiam: quia hæreticus est baptizatus & de gremio Ecclesiæ. *Abb.d.c. fin. n. 5. & 6. h. t.* cæterum *d. can. 16. 28 q. 1.* præcipitur Parentibus: ne filios & filias suas dent ad domos hæreticorum, sed potiùs illos accipiant, ut se profiteantur futuros Catholicos.

13 Aliquis infidelis voluit baptizari & non habuit aquam, dimissa sunt ei peccata, etiam originale, potestne contrahere cum Christiana?

℞ Non potest: quia baptismus est janua omnium Sacramentorum *gloss. d. can. 15.28.q.1 v. alienam.*

14 Si quis donet agrum Ecclesiæ cum conditione quòd singulis diebus dicantur pro eo duæ Missæ, non impleta conditione, poteritne donatarius talem revocare donationem?

℞ Non, ob favorem Ecclesiæ, sed poterit vel ipse vel ejus hæres petere, ut conditio adimpleatur, at si clausula fuerit expressè posita, quòd non impleta conditione possit revocari donatio, revocatur. *c. 4. h. t.*

15 Quando aliquid donatur Ecclesiæ sub conditione, præsumiturne, quòd causa finalis Conditionis fuit conditionalis, vel non?

℞ Negativè, nisi id exprimatur; quia major perfectio est, quòd quis donet purè, quàm sub conditione. *Abb. in d.c.4.h.t.*

16 Conditio posita in consecratione Ecclesiæ, nempe, ut non sit subjecta Episcopo, valebitne?

℞ Non, & Ecclesia non obstante conditione hujusmodi remanet consecrata. *Abb. c. fin.n.8. h.t.*

## CAPUT XXXVI.
### De Matrimonio.

1 Unde dicitur Matrimonium?

℞ Potiùs à Matre, quàm à Patre: quia ob id nubit, ut fiat Mater, matrisq; nomen speret; tum ob lenimentum onerum, dolorum & laborum, quos

quos suffert circa prolem. Est enim ante partum onerosa, in partu dolorosa, post partum laboriosa. *c. 2. & ibi gloss. v. legitima. de Convers. Infidel.*

2 Quid est Matrimonium?

℟ Est legitima viri & mulieris conjunctio individuam vitæ consvetudinem retinens. *c. 11. de Præsump. & §. 1. Inst. de Patria potest. in princ.*

3 Præcellitne alia Sacramenta Matrimonium?

℟ Præcellit ratione loci; quia est institutum in Paradiso. *can. 2. 32. q. 2. §. His ita.* ratione temporis; quia est antiquius cæteris. *Arg. in l. Venum ff. si cert. petat.* ratione amplitudinis; quia consistit etiam inter infideles. *c. Gaudemus. de Divort.* & ratione mysterij; quia designat conjugium inter Christum & Ecclesiam per mysterium Incarnationis contractum. *c. 5. de Bigam. non ordin.*

4 Quando Matrimonium est institutum?

℟ Si habeatur respectus ad prolem, ante lapsum Adæ, cùm Deus dixit: *crescite & multiplicamini.* si verò habeatur respectus ad remedium contra vulnus peccati, fuit institutum tempore legis naturæ. Si autem habeatur respectus ad certas & determinatas personas, fuit institutum ex nova lege, secundùm quam rationem est verum Sacramentum. *d. can. 2. 32. q. 2. & c. 15. de Divort. S. Th. Libr. 4. Sent. dist. 26. q. 1. a. 1.*

5 Quis instituit Matrimonium, ut Sacramentum?

℟ Christus Dominus. *Math. 19. Marc. 10. ad Ephes. 5. Conc. Trid. Sess. 24. can. 1. h. t.*

6 Potest ne esse matrimonium in pari sexu?

℟ Non, ut constat ex definitionis verbis illis: viri & mulieris; unde conjunctionem, qua viri viris & mulieres mulieribus commiscentur, morte ulciscuntur leges, non solùm divinæ. *Gen. 19. Levit. 18 Exod. 20.* sed & humanæ. *l. 31. C. Ad l. Juliam de adult.* At jure canonico, si tales Clerici fuerint, deijciuntur à Clero & ad agendam pœnitentiam in monasterium detruduntur, laici autem excommunicantur & à cætu hominum arcentur. *c. 4. de Excess. Prælat. & c. 13. de Vita & honest. Cleric.*

7 Polygamia seu pluralitas Uxorum aut Virorum simul, estne prohibita?

℟ Est, repugnatq; 4. finibus matrimonij, qui sunt: procreatio prolis & educatio, socialis cohabitatio ad familiam rectè administrandam muniaq; domestica inter se congruè toleranda & subeunda, remedium concupiscentiæ, ac deniq; Sacramentum seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. *Valen. Libr. 4. t. 1. §. 5. n. 3.*

8 Quid per conjunctionem matrimonialem intelligitur?

℟ Vinculum animorum natum ex mutuo consensu interiori & contractu exteriori, tanquam causa efficiente; non autem conjunctio corporum: quia matrimonium nō concubitus, sed consensus facit. *l. 30. ff. de Reg. Jur. can. 2. & 5. 27. q. 2.* Unde matrimonium solo consensu contractum, absq; copula carnali, est verè matrimonium *can. 6. & 9. 27. q. 2.* Et tale Matrimonium fuit inter D. Joseph. & B. V. Mariam. *can. 3. 27. q. 2.*

9 Quid tamen operantur copula & juramentum in matrimonio?

℟ Juramentum majorem firmitatem, copula verò ita firmat matrimonium, ut etiam per ingressum religionis, non possit quis separari à Conjuge, nisi ambo consentiant & voveant castitatem. Sylvest. v. matrimonium. *can. 22. & seqq. 27. q. 2. v. Castimoniam & c. Cùm sis præditus. de Convers. Conjug.*

10 Quæ inveniuntur in hoc Sacramento?

℟ Materia, forma, minister, suscipiens & effectus. *Tolet. in sum. Lib. 7. cap. 5.*

11 Quæ est materia & forma hujus Sacramenti?

℟ Materia *remota*, sunt ipsi Conjuges; *proxima*, Consensus utriusq; & expressio ejus in mutuam Corporum traditionem *iux. illud. 1. Corinth. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet* &c. *Forma.* sunt Verba ipsa Conjugum vel signa externa exprimentia consensum. verba verò magis idonea sunt hæc: *Ego te accipio in meam, & ego te in meum maritum. c. penult. de sponsal.* vel etiam alia consensum exprimentia, modò seriò & non joco pronuntientur, alioquin non obligarent. *l. 3. §. fin. ff. de Oblig. & Act.*

12 Quis est Minister & Effectus Matrimonij?

℟ Ipsi contrahentes, siquidem is est minister Sacramenti, qui formam Sacramenti superinducit materiæ, quod faciunt Contrahentes, Parochus autem ex *Conc. Trid. prærequisitus*, est accidentarius minister quatenus ex officio jungit & benedicit Contrahentibus *Valen. loc. cit n. 3.* Effectus verò matrimonij est, quòd ad mutuam cohabitationem conjuncti cogantur, uti etiam ad mutuam debiti redditionem, eò, quòd inter eos sit individua societas etiam ante consummationem; quòd Uxor sequatur Virum tanquam suum caput, cujus est gerere rem familiarem, eligere domicilium &c cui non debet retractare uxor, nisi vitæ aut corpori ejus adsit periculum, peccandi occasio immineat, aut causa urgentior vel pactum obstet, quod licitum est, modò non sit turpe, aut matrimonio contrarium *gloss. per totum c. 1. de Conjug. lepros.*

13 Matrimonium quomodo debet fieri & quæ forma ejus post *Conc. Trid. est servanda*?

℟ Libero consensu, cum legitima ætate, denuntiationibus tribus in facie Ecclesiæ, præsente Parocho proprio, vel de ejus consensu altero, duobus vel tribus testibus, Confessione peccatorum & Communione, sed confessio & communio non sunt essentialia hujus Sacramenti. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

14 Potestne Papa dispensare, ut quis contrahat Matrimoniū in gradibus lege divina prohibitis?

℟ Potest, quemadmodum cum Clerico in Sacris existente, vel Religioso, ut dict. supr. *cap. 31. n. 14.* sed ex magna causa respiciendo pacem, utilitatem Ecclesiæ, vel alicujus Regni. *DD. in c. Literas de Rest. Spoliat. Abb. in c. Per Venerabilem. n. 21. Qui filii sint legit.*

15 Quis potest instituere gradus impedientes & dirimentes matrimonium, & illos, in quibus non licet contrahi, & quis in illis potest dispensare?

℟ Summus Pontifex. *Conc. Trid. Sess. 24. can. 3. & 4. h. t.*

CAPUT

# CAPUT XXXVII.

## De Matrimonio Clandestino.

1 Quod dicitur Matrimonium Clandestinum?

℞ Quod clam contrahitur absq; denuntiationibus, præsentiâ Parochi & testium contra præscriptum *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Matr.* Et quamvis tale matrimonium libero consensu Contrahentium contractum, jure antiquo ratum & verum fuit. *c 1. de Cland. despons.* tamen *Conc. loc. cit.* ob gravissima incommoda, quæ contingere solebant, etiam in fundamento cann. antiquorum. *can. 12. & aliis 32. q. 2. & can.* 3. 30. *q. 5.* nullum & irritum fecit.

2 Si qui contraxerint clandestinè, postea velint contrahere servatâ formâ *Conc. Trid.* indigentne dispensatione?

℞ Non, sed solùm facultate Ordinarij, qui, vel ejus Vicarius matrimonium taliter contractum, declaravit nullum: quod si iterum contrahant clandestinè graviter punientur. *Bonac. de Matr. q. 3. n. 18. Sanchz. Lib. 6. disp. 70. n. 13. & Libr. 1. disp. 20. n. 13.*

3 Clandestinè contrahentes, adjuvantes, consentientes, Notarij & testes, qualiter puniuntur?

℞ Judicis arbitrio, & graviter, ac potissimùm criminaliter, vel aliqua reclusione, aut pænitentiâ publicâ. *Sanch. de Matr. tom. 1. Libr. 3. dist. 46. n. 8. & Declar. Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Matr. n. 3.*

4 Matrimonium Clandestinum inter hæreticos contra præscriptum Concilij contractum, estne validum?

℞ Non est, si in illa Diœcesi, vel Provincia Conc. prædictum publicatum & acceptatum fuit, ac ideo, si vir ad fidem convertatur, poterit, servatâ formâ Concilij cum hac, vel cum aliâ iterum contrahere. Quia etiam hæretici formam prædicti Concilij, ubi est publicatum & receptum, tenentur observare. *S. Congr. Conc. loc cit. n. 11.*

5 In Sacramento Matrimonij, possuntne aliqua mutari?

℞ Non, in ijs, quæ sunt de substantia Sacramenti; quia sunt de jure divino. Et licet. *Conc. Trid.* Matrimonia clandestina invalida declaravit, cùm priùs fuerint valida, materiam tamen non mutavit, quæ, ut fuit ante, ita nunc est eadem, de qua supr. *cap 36. n. 11.* quamvis solennitates ad contrahendum Matrimonium omnino necessarias præscripserit. *Conc. Trid. d. Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Matr.*

6 Matrimonium Clandestinum convertiturne in sponsalia de futuro, ita, ut postea aliquis eorum, possit cogi ad promissionem servandam, præcipuè, si intervenerit copula, propter honorem sponsæ?

℞ Negativam tuendo partem; quia tale matrimonium, est contractus omnino nullus & irritus, per *Conc. Trid. supr. cit.*

7 Cùm matrimonium clandestinum prohibeatur, prohiberine debeant & sponsalia de futuro?

℞ Non: quia Conc. loquitur tantùm de Matrimonio, ideo ejus decisio, quamvis sit correctoria, non est extendenda ad non expressa. *l. Præcipimus. ad fin. C. de Appell.*

8 Mulier, quæ amisit virginitatem sub prætextu matrimonij, fortè ignorans, quòd tale matrimonium fuit clandestinum, quam actionem potest intentare contra eum, qui eam defloravit?

℞ Non actionem matrimonij, quia matrimonium fuit nullum, sed fraudis, damni & amissæ virginitatis & forsan violentiæ; ne malitia eorum videatur lucrosa. *l. 1. in princ. & l. Ne ex dolo. ff. de dolo.*

9 An saltim in articulo mortis valeat matrimonium clandestinum?

℞ Non: cùm Conc. Trid. præter formam à se traditam, initum matrimonium irritet indistinctè, nulla posita exceptione. *Sanchez. Lib. 3. disp. 17 n. 4. Sarmient. select. Interpr. cap. 6. n. 7* quo casu nihil proficit dispensatio Episcopi, qui in lege Superioris non dispensat.

10 Potestne Episcopus dispensare, ut sine Parocho, vel alio Sacerdote, & absq; testibus, matrimonium contrahatur?

℞ Non potest hoc sibi arrogare, cùm illi solùm per Concil permittatur licentia remittendi denuntiationes, non verò super præmissis dispensandi. Inclusio enim unius, est exclusio alterius. *arg. c. Nonne. de Præsumpt.*

11 Judex in sententia irritante Matrimonium Clandestinum, potestne uti verbis ad placitum?

℞ Non, sed declarare debet tale matrimonium inter Stichium & Bertam initum, fuisse & esse irritum *per Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

12 Impuberes, si contrahant clandestinè, irritumne erit Matrimonium, an in sponsalia de futuro resolvetur?

℞ Cùm Decr. Conc. Trid. tale Matrimonium (ut sæpe dictum est) irritet & partes faciat inhabiles ad sic, non tamen ad rursùs, modò servent formam Conc. contrahendum, non videtur posse extendi ad impuberes, qui sunt per se inhabiles ad contrahendum de præsenti; unde potiùs tale matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro. *Navar. in sum. cap. 22. n. 57. & Consil. 2. de Despon. impub.*

13 Prohibitio Nuptiarum solennium, estne licita certis temporibus?

℞ Est, eam enim Ecclesia, justis de causis instituit, utpote ab Adventu Domini, usq; ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum usq; ad Octavam Paschatis inclusivè. *Conc. Trid. Sess. 24. can. 11. & cap. 10. de Ref. Matr.*

# CAPUT XXXVIII.

## De Denuntiationibus in Matrimonio.

1 Quæ solennitates ex Con. Trid. requiruntur ad contrahendum Matrimonium?

℞ Tres denuntiationes ante Matrimonium contrahendum, per Parochum, vel de ejus licentiâ alium Sacerdotem, in Missis majoribus; tribus continuis diebus festivis, vel Dominicis, coram populo ad divina audienda congregato; cum mutuo consensu intendentium contrahere, factæ. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

2 Cùm Episcopus ( ut dict. Cap. 37. n. 10. ) possit remittere denuntiationes, quibus ex causis ?

℞ I. Ob pudorem propter aliquam inter contrahentes disparitatem, ut si Nobilis, ducat ignobilem, dives pauperem, senex juvenem. Palud. in 4. dist. 28. q. 2. a. 3. concl. 3. Navar. in Manual. cap. 22. n. 70. II. Si virgo sit sub tutela iniqui tutoris, qui eam ignobili & disparis conditionis tradere intendat. Barb. de Potest. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 41. III. Si Magnates contracturi sunt, qui non nisi cum magna deliberatione contrahere solent. Sanch. de Matr. Lib. 3. disp. 9. n. 6. IV. Propter verecundiam, cùm aliqui in concubinatu permanentes existimantur tanquam vir & uxor. Sylvest. v. Matrimonium 6. q. 7. a. 2. V. Ob imminens tempus, quo matrimonium solenniter celebrari nequeat. Bonac. q. 2. punct. 6. n. 7. VI. Quando priùs contractum est Matrimonium publicè & repertum est nullum, ob impedimentum occultum. Sanch. ubi supr. VII. Si qui in concubinatu deprehensi à Judice essent plectendi, ut possint dicere se esse conjugatos. Sanch. ibid. n. 16. VIII. Ob periculum animæ, ut si duo sint concubinarij, & velint contrahere, ut in bono statu constituantur, ne, si fiant denuntiationes, interim commisceantur. Sanch. ibid. n. 17. IX. Cùm meretrix in lupanari exposita, vellet contrahere, ne sponsus, aut illa mutet voluntatem. Idem Sanch. n. 17. X. Ad evitanda scandala, ob aliquam factionem quæ statim vitari possint secutô Matrimoniô. Sanch. ibid. n. 18. XI. Si quis in mortis articulo constitutus vult ducere in Uxorem Concubinam, ut proles ex ea suscepta legitimetur, vel ut securior illius ex hac vita transitus efficiatur. Id. San. n. 19. XII. Si vir defloratæ virgini à se damnum quantocyus reparare intendat & periculum sit in mora. Et hæ sunt frequentiores causæ, licet aliæ inveniantur.

3 Cùm remittit Episcopus denunt. quid debet facere ?

℞ Scire, num impedimentum aliquod non sit vel de hoc requirere à parte & duobus testibus, etiam, si opus est, prævio juramento. Sanch. loc. cit. disp. 8. n. 2.

4 Potestne dispensare Episcopus ; ut denuntiationes fiant diebus profestis ?

℞ Non: quia faceret expressè contra Conc. Trid. Ricc. in Prax. for. Eccl. p. 1. resol. 224. n. 3.

5 Si omittantur denuntiationes eritne irritum matrimonium ?

℞ Non: quia sunt de solennitate, non de necessitate. Navar. cap. 22. n. 7. Conink. de Sacram. disp. 27. dub. 5. n. 49.

6 Qua pæna puniendi sunt, si ante denuntiationes Matrimonium consummant?

℞ Pæna stupri, quæ in aliquibus locis est taxata in peccunia. Ricc. loc. cit. n. 2.

7 Si intra 4. Menses nòn contractum est matrimonium post denuntiationes, debetne iterari ?

℞ Debent, propter emergens de novo impedimentum. Barb. de Potest. Episcop. p. 2. alleg. 32. n. 55.

8 Si contrahant ex diversis Parochijs, in ambabus ne debent fieri denuntiationes ?

℞ Affir. si fieri potest commodè, sed sufficit, ut fiant in Parochia sponsæ. Bonac. loc. cit. n. 11.

# CAPUT XXXIX.

## De Parocho in Matrimonio.

1 Quis dicitur proprius Parochus in Matrimonio ?

℞ Cui principaliter incumbit cura animarum in domicilio fixo sponsi vel sponsæ. Declarat. S. Congr. quam refert. Navar. Cons. 4. n. 1. de Cland. despons.

2 Quid requiritur in Parocho ad servandam formam Conc. Trid. in Matrimonio ?

℞ Præsentia moralis & humana cum intelligentia & advertentia actus. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de Refor. Matr. in Remiss. §. Præsente Parocho. Unde valet Matrimonium, etiamsi Parochus nulla verba dicat, vel non consentiat, vel sit ligatus, vel claudat aures, vel repugnet ; quia solùm requiritur ejus præsentia & intelligentia, non verò actio.

3 Si Parochus sit præsens, sed dormiat, valetne Matrimonium ?

℞ Non, quia dormiens non est præsens intellectu, ac veluti si esset mortuus.

4 Si quis in præsentia Parochi occultè contrahat, & Parochus nihil intelligat; quia fuit à longè & verba Secretè prolata, non intellexit, vel non audivit, valetne Matrimonium ?

℞ Non ; quia requiritur Parochi præsentia cum intelligentia rei, ut dict. n. 2.

5 Parochus, ut assistat Matrimonio, debetne esse Sacerdos ?

℞ Sufficit, ut sit Parochus primâ Tonsurâ insignitus, ut colligitur ex verbis generalibus Conc. Trid. loc. cit. sed substitus debet esse actu Presbyter, ut colligitur ex dict. Conc. verbis: vel alio Sacerdote. Convenientiùs tamen est, ut Parochus non Sacerdos, deleget vices suas Sacerdoti. Piasec. Prax. Episcop. p. 2. cap. 4. a. 4. n. 16. referens S. Congr. ita respondisse.

6 Sufficitne Parochi tacita licentia Substituto concessa, vel requiritur expressa ?

℞ Si licentia sit generalis ad administranda omnia Sacramenta, tunc substitutus non habitâ licentiâ speciali & in scripto, potest assistere matrimonio, secus si talem non habeat, requiritur expressa. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr. in Remiss. § Licentia.

7 Si Parochi tam Viri, quàm Mulieris secum disputent de benedictione contrahentium, quid agendum ?

℞ Si Vir accedat ad domū mulieris ad contrahendū, Melieris Parochus erit proprior ad benedicendū; sicut è contra. Barb. de Potest. Episcop. alleg. 32. n. 64.

8 Aliqua mulier, vel vir, potestne habere duos Parochos & coram quocunq; contrahere ?

℞ Potest, si per dimidium anni maneat in hac Parochia, per aliud verò dimidium in alia; unde ubi manet, tempore contractus, ibi contrahere potest. Sanch. disp. 24.

9 Estne proprius Parochus viri & mulieris, si tantùm recreationis causâ ad ejus Parochiam sæpè sæpius divertatur, & non habitet ?

℞ Nega-

℞ Negativè: cùm non soleat majori parte anni, ibidem habitare. *Sanch. Libr.* 3 *disp.* 22. *n.* 12.

10 Parochus proprius in aliena Parochia, poteftne affiftere Matrimonio fuorum Parochianorum?

℞ Negat. *Navar. Conf.* 14. *n.* 3. & *seqq. de Clandest. despon.* ex ratione Conc Trid quòd poftulat præfentiam Parochi, ut præftet fuam authoritatem, tanquam perfona publica; jam verò Parochus in aliena Parochia eft perfona privata. *arg. l.* 3. *ff. de Off. Præsi.* Verùm contrarium verius eft: quia ex Conc. Trid. requiritur præfentia proprij Parochi, ut matrimonio contrahendo fuam præftet authoritatem, quam etiam extra Provinciam præftare poteft. eft enim actus jurifdictionis voluntariæ, nullum ftrepitum judiciarium adjunctum habens; ac ideo in alieno territorio, fine judicis territorij læfione exerceri poteft. *Sanch. Lib.* 3. *disp.* 19. *Menoch. Cons.* 398. *Lib* 4.

11 Quam pænam incurrit Parochus affiftens Matrimonio alienorum Parochianorum?

℞ Ipfo jure tam diu fufpenfus eft, quamdiu Loci Ordinario videbitur. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. Matr.*

12 Quis debet habere librum Contrahentium?

℞ Quilibet Parochus, in quo annotare tenetur nomina & cognomina Conjugum, Teftium duorum vel trium, & fui ipfius, tanquam teftis magnæ authoritatis, tum locum & diem contracti Matrimonij *Conc. Trid. loc. cit.*

13 Eftne licita confvetudo, ut contrahentes dent aliquid Epifcopo, vel Parocho, circa contractum Matrimonij?

℞ Eft: quia non datur ratione benedictionis, fed ratione fuftentationis. *c. Ad Apostolicam. de simon.* & *Decl. Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 1. *de Ref. Matr. n.* 15.

## CAPUT XL.
## De Vagabundorum Matrimonio.

1 Quis dicitur proprius Parochus vagabundorum & peregrinorum?

℞ Cùm vagabundi nullam certam fedem habeant; poffunt contrahere coram Parocho loci, in quo tunc morantur; quia talis Parochus illorum proprius eft. *declaravit Eugen. Pap. referente Cajetano v. Absolutio.* In Regno tamen noftro *Const. Provinc. Gnesn. Lib.* 4 *Cap* 1. § 6. *fol.* 249. cautum eft: ut Magiftratus tales vagabundos feverè coerceat. Parochiq; eos non copulent, nifi præmiffa diligenti inquifitione ac ea Ordinario delata, ab eoq; ad copulandum licentiâ obtentâ. Accidit enim tales improbos homines effe, qui relicta prima uxore, in alio loco contrahit cum alia, in tertio, cum tertia &c. Verùm alia eft ratio peregrinorum & alienigenarum, in loco aliquo ad certum tempus commorantium: quia hi contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia pro tunc habitant. *Declar. S. Congr. Conc. Trid sess.* 24. *Cap* 7. *de Ref. Matr.*

2 Per quot tempus, non dicitur, quis vagabundus?

℞ Si per octo annos in una habitat terra *d. Declar. Conc. Trid, Sess.* 24 *Cap.* 7. *de Ref. Matr.*

3 Si Parochus non præmiffa diligenti inquifitione & non petità Epifcopi licentiâ, vagabundos copulet, peccatne mortaliter?

℞ Peccat: Matrimonium tamen valere refolvunt *DD. in Remiss. Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 7. §. *Ec re ad Ordinarium. citati.*

## CAPUT XLI.
## De Contrahentibus Matrimonium.

1 Quid debent facere Conjuges ante confummationem matrimonij?

℞ De confilio, non autem de præcepto, triduò ante confummationem, debent confiteri & communicare. *Conc. Trid. Sess.* 24 *cap.* 1. *de Ref. Matr.*

2 Quæ ætas in Contrahentibus requiritur? dict. fupr *ca.* 33. *n.* 2. quæ fimiliter ætas in Procuratore, Matrimonium pro alio contrahente, debet effe. *dict. supr. cap.* 12. *n.* 12.

3 Mutus & furdus poffuntne contrahere Matrim.

℞ Poffunt: quia Matrimonium confiftit in confenfu interno, expreffo nutu, aut indicio aliquo exteriori. *c.* 22. & 23. *de sponsal.* & *Matrim.*

4 Furiofus poteftne contrahere matrimonium?

℞ Dum in furore eft, ex deffectu confenfûs, non poteft. *c.* 24. *de spon.* & *Matr.*

5 Si folo confenfu contrahitur Matrimonium, ad quid verba & alia figna æquivalentia requiruntur?

℞ Quia ad rationem Sacramenti, requiritur fenfibilitas, quæ habetur per figna exteriora: unde mutus per figna exteriora, quæ ejus confenfum exprimunt, rectè contrahit Matrimonium, non verò puer ante ætatem prærequifitam, propter defectum confenfûs. *c.* 25. *de spons* & *Matr.*

6 Si Catholici fint in loco hæreticorum ubi non eft Parochus & Epifcopus, poffuntne contrahere abfq; Parocho?

℞ Poffunt, fervatâ tamen, in quo poffunt, formâ Concilij, nempe duobus, vel tribus teftibus, imò & tunc contrahere poffunt, quando & Epifcopus & Parochus adfunt, fed lateant, propter metum hæreticorum. *Decl. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. Matr. n* 11.

7 Puella, quæ clandeftinè contraxit & confummavit, poteritne in Religione profiteri.

℞ Quia matrimonium clandeftinum irritum eft, talis mulier poterit religionem ingredi & in ea profiteri, poft cujus profeffionem Vir obtenta declaratione Judicis juxta formam *Concil. Trid.* poterit cum alia contrahere. *Conc. Trid. loc. cit.* & *can.* 27 *q.* 2.

8 Quis eft perfectior ftatus, cælibatus, an conjugalis?

℞ Cælibatus & Virginitatis. *can.* 41. 27. *q.* 1.

## CAPUT XLII.
## De Impedimentis Impedientibus Matrimonium.

1 Quæ & quot funt impedimenta contrahendum Matrimonium impedientia?

℞ Ifta 5 verfu feqventi expreffa.

*Interdicta, fides, votum, sponsalia, crimen.*

2 Quid intelligitur per interdictum ?

℞ Ecclesiæ vetitum, seu prohibitio, qua stante (nim. Dominica prima Adventus Christi, ad diem Epiphaniæ inclusivè & à feria quarta Cinerum usq; ad Octavam Paschatis inclusivè, ubiq; à media nocte, ad mediam computando) Nuptiæ Solennes prohibentur. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 10. de Ref. Matr. & ibi Remiss.*

3 Quid per fidem denotatur ?

℞ Catechismus, seu Instructio de rebus fidei, quæ fit ante januam Ecclesiæ, cùm Patrini nomine Infantis, num credat, num abrenuntiet Diabolo &c. à ministro Sacramenti Baptismi interrogati, respondent. *can. 61. dist. 4. de Consecr. &c. 5. de Cognat. Spirit.*

4 Quid intelligitur per votum ?

℞ Votum simplex v.g. non nubendi, suscipiendi sacros Ordines *c. 6 Qui Clerici. vel voven.*

5 Quid designatur per sponsalia ?

℞ Cùm quis uni promisit Matrimonium per sponsalia de futuro, unde cum alia non potest contrahere de præsenti, nisi prioribus sponsalibus dissolutis. *can. 50. 27. q. 2.* Ex CRIMINE ut notat. *gl. ss. can. 13 27. q. 1* proveniunt ista.

*Incestus, raptus, natus de fonte levatus,*
*Morsq; Sacerdotis, mors & propriæ mulieris,*
*Vel si solennem pænam geris, aut Monialem*
*Ducis, te prohibent hæc Conjugium celebrare,*
*Si tamen istud agas, nequeunt te dissociare.*

6 Quid per ista crimina versibus expressa intelligitur ?

℞ Per *Incestum*, fornicatio cum affine in gradu prohibito. *can. 8 35. q. 2. & 3.* per *Raptum*, intelligitur abductio alienę sponsę de ejus consensu, invitis tamen ejus Parentibus *c. 6. de Raptorib.* per *natum de fonte levatum* intelligitur, ut si quis in Baptismo, vel Confirmatione propriũ filium, vel filiam suscipit, ut cum Uxore cognationem Spiritualem contrahat. *can. 5. 30. q 1.* per *mortem Sacerdotis*, intelligitur Presbytericidium per Judicem declaratum. *c. 2. de Pænit. & Remiss.* per *mortem propriæ mulieris*, denotatur uxoricidium. *can. 7. 33. q. 2.* per *solennem pænam*, designatur publica pænitentia, quæ alicui ob crimen imponitur. *can. 12. 33. q. 2* per *Monialem* intelligitur Monialis non professa; quia si esset professa invalidum esset matrimonium & punitione dignum. *can. 17. 27 q. 1.*

## CAPUT XLIII.

## De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

1 Quæ sunt impedimenta dirimentia Matrimoniũ?

℞ Hæc, versibus sequentibus expressa.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Si sis affinis, si fortè coire nequibis,*
*Si sponsam rapis, si clandestinus inibis,*
*Hæc celebranda vetant connubia, facta retractant.*

### De Errore & Conditione.

2 Quid est error in Matrimonio ?

℞ Est alterius pro altero suppositio. *can. 11 dist. 38. & can. 7. 22. q. 2.*

3 Quotuplex est error in Matrimonio ?

℞ 4plex: Personæ, conditionis, fortunæ & qualitatis. *Personæ*, ut cùm quis contrahit cum Berta, putans esse Gemmam, vel Gemma cum Stichio, putans esse Titium. *Conditionis*, cùm is, qui servus est vel serva, liber vel libera creditur. *Fortunæ*, cùm is, qui pauper est, dives existimatur, vel è contra. *Qualitatis*, cùm is, qui reputatur bonus, malus est, Nobilis aut Virgo, quæ non est talis. *Valen. Libr. 4. t. 9. in princ. & can. un. 29. q. 1.*

4 Omnisne error dirimit Matrimonium ?

℞ Non: sed solùm Personæ & Conditionis. *can. un. 29. q. 1 §. 1.* Quia propter errorem non dicitur quis in personam consensisse, quam animo non concepit. *arg. l. 9. ff. de Contr. & empt.* & stante tali errore, nec quidem Sum. Pontifex efficere potest, ut matrimonium initum teneat; quia non potest supplere consensum. *Zoes. Libr. 4. t. 9. n. 1.* similiter Conditio dirimit Matrimonium, propter errorem circa statum, qui gravior est, & omnẽ consensũ aufert. *c. 2. & fin. de Conjug. servor.*

5 Si quis scienter cum serva contraxit, tenetne Matrimonium ?

℞ Tenet, sibi enim id imputare debet, quemadmodum & ille, qui cùm resciverit esse servam, tamen illam cognovit. videtur namq; eo facto in eam consensisse. *c. 2. de Conjug. Servor.*

6 Si quis contraxit cum serva & invenit eam liberam, tenetne Matrimonium ?

℞ Tenet: quia conditio errantis non fit deterior, imò melioratur. *d. can. un. 29. q. 1*

7 Si servus nubat servæ, quam putabat liberam, tenetne Matrimonium ?

℞ Tenet. quia non est deterior errantis Conditio, idem tenendum si serva, nubat servo, putans eum esse liberum. *Abb. in c. 2. de Conjug. servor.*

8 Quare error fortunæ & qualitatis non dirimit Matrimonium?

℞ Quia talis error non tollit consensum in personam præsentem. *Valen. loc. cit. n. 7.*

9 Si quis meretricem publicam ducit, quid consequitur ?

℞ Remissionem peccatorum: cùm inter opera charitatis non minimum est, errantem ab erroris semita revocare. *Abb. in c. Inter opera. de Spons. & can. 12. dist. 45.*

## CAPUT XLIV.

## De Impedimento Voti.

1 Unde dicitur & quid sit votum ?

℞ Votum dictum à vovendo: est deliberata promissio Deo facta de aliquo bono meliori. *S. Th. q 88. a. 1. & 2.*

2 Quotuplex est votum ?

℞ Quamvis multiplex sit votum, hic tamen est 2plex solùm: simplex & solenne. Illud est, quod consistit in nuda & simplici promissione Deo facta Hoc quod vel susceptioni Ordinis Sacri, vel professioni religionis approbatæ conjunctum est *c. un. de voto. in 6.*

Simplex votum, quid operatur in Matrimonio?

℞ Non

℞ Non dirimit contractum, sed contrahendum impedit matrimonium. *c.* 3. *Qui Cleric. vel voven. matr.* Quia matrimonium est fortius vinculum voto simplici.

4 Votum solenne, quid operatur in matrimonio?

℞ Matrimonium contrahendum impedit & contractum dirimit. *d. c.* 3. & 7. *Qui Cler. vel voven. & Conc. Trid. Sess.* 24. *can.* 9 *de Sacr. Matr.*

5 Ex quo jure votū solenne dirimit matrimonium?

℞ Ex solo jure Ecclesiastico: quia non aliunde habet, quòd dirimat, quàm ratione solennitatis superadditæ. Ideoq; cùm Solennitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione sit inventa. *c. un. de Voto in* 6. sequitur inde, posse Sum. Pontificem super eo dispensare, prout aliquoties constat dispensasse. dict. supr. *Cap.* 12. *n.* 62. & *cap.* 31. *n.* 14.

6 Quam pænam incurrunt Clerici, si non attentò votò, matrimonium contrahunt?

℞ Ipso facto sunt excommunicati fiuntq; irregulares, in qua irregularitate post peractam pænitentiam Episcopo dispensare concessum est, modò cum vidua, vel corrupta non contraxerint *c.* 1. & 2. *Qui Cler. vel. voven.* & *c.* 4. *de Convers Conjugat.*

## CAPUT XLV.
### De Impedimento Cognationis.

1 Quid & quotuplex est Cognatio?

℞ Est vinculum, quod vel naturaliter, vel jure sangvinis, vel juris dispositione inter aliquos contingit. Estq; 3plex: Spiritualis, Legalis & Naturalis. *Valen. Libr.* 4. *t.* 11. *n.* 3. *de quib. infr.*

2 Quæ dicitur Cognatio Spiritualis?

℞ Illa, quæ vulgo Compaternitas & Commaternitas appellatur, nata ex constitutione Ecclesiæ inter aliquos ex Baptismi & Confirmationis collatione, vel recipientis hæc Sacramenta susceptione, indeq; spiritualis dicta est. *c. ult. de Cogna. Spirit. in* 6.

3 Quare ista Cognatio nata est ex constit. Eccl.

℞ Quia nullum habet fundamentum in jure naturæ, licet habeat aliquod in jure divino, ubi 1. *Petri* 1. *appelletur regeneratio per Christum facta*; ac proinde restat, quòd sit inducta per Ecclesiam. *can.* 2. 5. & *alijs multis.* 30 *q.* 1. *c.* 6 & *similibus. de Cognat. spirit. tum c.* 1. *eod. tit. in* 6.

4 Cur ex Baptismo & Confirmatione nascitur, non verò ex alijs Sacramentis?

℞ Quia per Baptismum & Confirmationem & non per alia Sacramenta renascitur & regeneratur homo ad vitam æternam, seu unus ab alio recipit esse quoddam Spirituale. *can.* 1. 2. & 3. 30. *q.* 3. In his enim Sacramentis, ministrans est quasi generans, susceptor sive patrinus, est quasi mater, quæ nomine Ecclesiæ in suo gremio suscipit baptizatum & confirmatum. Ac propterea, ut per naturalem nativitatem, naturalis exsurgit cognatio impediens & dirimens matrimonium; ita per spiritualem, spiritualis cognatio oritur, similiter impediens & dirimens Matrimonium ob peculiarem reverentiam, quam alter alteri debet; cui maximè repugnat actus conjugalis. Sed de hac cognatione, uti & de legali, seu Civili ac naturali infra.



## CAPUT XLVI.
### De Cognatione spirituali.


1 Quid est Cognatio Spiritualis?

℞ Est attinentia quædam proveniens, & Sacramenti baptismi & confirmationis collatione, vel ad illud tentione. *can.* 1. & *seqq.* 30. *q.* 1.

2 Inter quas personas contrahitur cognatio spirit.

℞ Ex Baptismo, inter *baptizantem, baptizatum, baptizatique Parentes, inter suscipientem, susceptum, susceptique parentes.* Ex confirmatione, inter *Confirmantem, Confirmatum Confirmatique parentes, ac unum, vel unam tenentes.* Ultra non egreditur *Conc. Trid. sess* 24. *cap* 2 *de Ref. Matr.* (ut patet ex apposito infra schemmate.) Et quamvis plures personæ, tam ad baptismum, quàm ad confirmationem assistant, inter eas nihilominus non contrahitur cognatio. *d. Conc. loc. cit. Unde versus:*

*Unus semper erit compater spiritualis,*
*Alter carnalis, nec fallit regula talis.*




3 Poteſtne Episcopus concedere, ut duo viri vel mulieres aliquem baptizatum de fonte baptismali suscipiant?

℞ Est prohibitum per Conc. Trid. loc. cit. sed solùm debet esse unus vel una, aut ad summum unus & una. *can. Non plures. de Consecr dist* 4. & *c. Quamvis h. t in* 6. Consvetudo tamen locorum aliquando plures admittit, cæterum inter omnes non contrahitur cognatio, sed tantùm inter designatos, ut patet *ex n.* 2. *supra.*

4 Si plures suscipiant unum de fonte, nullo designato neque scripto in libro à Parocho, contrahuntne omnes Cognationem, qui taliter confusè & sine electione tenuerunt?

℞ Affir. quia non fuit facta electio, quis eorum contraxit. *d. c. Quamvis. h. t. in* 6. Unde si plures Patrini, vel Patrinæ pro solennitate adsint, Parochus diligenter interrogare debet, quis nam, vel ad summum unus & una, suscepturi sunt baptizandum de fonte, ejusq; vel eorum nomina in libro baptizatorum connotare & docere eos prædictam cognationem contraxisse teneri. *d. Conc. loc. cit.*

5 Si puer fuit domi baptizatus, & postea ad Ecclesiam ductus; ut Chrisma ei imponeretur & solennitates fierent, assistentes solennitatibus, contrahuntne aliquam cognationem?

℞ Non: quia cognatio non contrahitur ex Chrismate & solennitatibus, sed ex baptismo: & sic cognationem illi Patrini contraxerunt, qui domi baptizato astiterunt, sive fuit baptizatus à lai-

co, sive à muliere, sive à Sacerdote. *Navar. in man. cap. 22. n. 40.*

6 An Episcopus potest dispensare, ut sint duo Viri, locò Viri & mulieris, vel è contra?

℞ Negativè. *Zerol. in Prax. Episcop. p. 1. v. Baptismum.* §. 4. *Sanch. Robell. Reginal.* (S. fonte?

7 Parentes Carnales debetne filios suos suscipere ex

℞ Nō, ne inter ipsos oriatur cognatio *Abb. c. 1. n. 2. h. t.*

8 Si quis levet filium suum ex fonte sacro, debetne separari à sua uxore ratione Cognationis Spiritualis?

℞ Non: si ignoranter fecerit; quia eum ignorantia excusat, poteftq; invicem & exigere & reddere debitum: si verò scienter fecerit à petitione debiti arcetur; quia ex sua malitia non debet reportare commodum. *c. 2, h. t.*

9 Si Stichius de S. fonte suscepit filium Titij, Titius poteritne suscipere filium Stichij?

℞ Poterit: quia non est prohibitum in jure. *c. 3. & ibi Abb. n. 2. h. t.*

10 Mortuo suscipiente, Pater suscepti potestne cum suscipientis Uxore Vidua contrahere Matrimonium?

℞ Potest; quia illa non contraxit cognationem spiritualem cum illo, licet maritus ejus levando filium ejus contraxerat. ut colligitur *ex numero 2, hujus Capitis.*

11 Inter Patrem baptizati & tenentem in fonte, quæ contrahitur Cognatio? (*c. 6. h. t.*

℞ Sufficiens ad dirimendū matrimoniū contractū

## CAPUT XLVII.
## De Cognatione Legali.

1 Quid est cognatio Legalis seu Civilis?

℞ Est proximitas personarum ex adoptione vel arrogatione proveniens. *Hostien. in sum. h. t.* quæ primò à legibus Civilib. inventa & inducta §. 2. *Instit. de Nupt.* tandem à ss. cann. acceptata & approbata est. *c. un. h. t. & can. 1. 30. q. 1.*


2 Quo differt Adoptio ab arrogatione?

℞ Eò: quia adoptio fit imperio Magistratus, hoc est cujuslibet Judicis, idq; eorum, qui in potestate Patris naturalis sunt, nec adoptione esse desinunt; jam verò arrogatio fit authoritate Principis, eorum scilicet, qui sui juris sunt & qui habent, quæ possident, ac cum his omnibus transeunt in potestatem Arrogatoris jux illud.

*Arrogo, qui suus est & habet: meus esse necesse.*
*Patris adopto suum, nec patris desinit esse.*

3 Quotuplex est Cognatio Legalis?

℞ 3plex: 1ma *quasi ascendentium & descendentium*, quæ neq; dissolutione adoptionis, nec emancipatione tollitur. 2da est quasi trasversalium, quæ contrahitur *inter adoptatum & filios naturales Adoptantis.* Et hæc durat, durante adoptione & filio naturali existente in potestate patris, alias, non. *c. un. h. t. can. 1. & 6. 30. q. 3. & l. Per adoptionem. ff. de Rit. Nupt.* 3tia. est quædam legalis affinitas, quæ contrahitur *inter adoptantem & Uxorem adoptati & inter adoptatum & Uxorem Adoptantis.* Et hæc durat perpetuò, quemadmodum & prima: ac ideo adoptans non potest contrahere cum Uxore filij adoptati, nec Filius adoptatus cum Uxore Adoptantis, & si contrahant, dirimitur Matrimonium. *d. can. 1. 30. q. 3. & Abb. in d. c. un. h. t.* ut ostendit appositum *Schemma Cognationis Legalis*




4 Qui debet esse major, Adoptans, an adoptatus?

℞ Adoptans, & debet præcedere adoptatum in plena pubertate, alias adoptio nulla erit. §. *Minorem. Inst. de Adopt.*

5 Castratus, vel spado possuntne adoptare?

℞ Non, quia adoptio imitatur Cognationem naturalem: & cùm hi non possunt generare, neè etiam pussunt adoptare; quia adoptio est actus viri potentis §. *Illud. Inst. de adopt.*

6 Sacerdos potestne adoptare?

℞ Potest: quia adoptio est actus charitatis; & sicut potest generare, ita potest adoptare. *Abb. in d. c. un. h. t. n. 4. & l. Si Pater ff. de Adopt.*

7 Senex, in nimia senectute poteritne adoptare?

℞ Poterit, licet probabiliter ob senectutem non possit generare, ut habeat solatium in sua infirmitate. *d. l. si Pater.*

## CAPUT XLVIII.
## De Cognatione Naturali seu Consangvinitate.

1 Quid est Consangvinitas?

℞ Est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. *Lancell. Inst. Iur. Canonic. Lib. 2. t. 13.* §. *Naturalis* Dicitur *Vinculum personarum:* ad differentiam brutorum, in quibus non oritur consangvinitas, quamvis descendant ab eodem sangvine; quia non sunt personæ. Dicitur *ab eodem stipite.* hoc est persona illa, à qua aliqui traxerunt Originem: ut Sereniss. & Invictiss. Rex feliciter Polonis regnans *Augustus II.* est stipes *Friderici* Principis & eorum, qui ab eo descendunt. Dicitur *Descendentium,* ad differentiam Angelorum, quorum unus ab alio non descendit Dicitur *carnali propagatione contractum,* ut per hoc excludatur Eva à Consangvinitate Adami, quæ non per carnalem propagationem, sed per formationem de costa lateris Adæ est producta. Gen. 2. unde inter se, nec consangvinei nec Affines fuerunt, sed principium Consangvinitatis & Affinitatis. Sed ut ista cognatio evidentior fit, videatur sequens.

ARBOR

# ARBOR CONSANGUINITATIS.



## Explicatio hujus Arboris.

2 Quæ conſiderantur in hac arbore ?

℞ Tria potiſſimùm: ſtipes, linea & gradus.

3 Quid eſt Stipes ?

℞ Eſt perſona illa, à qua omnes aliæ perſonæ, de quarum conjunctione quæritur, deſcendunt, neq; in computationem perſonarum æqualis, vel inæqualis lineæ venit.

4 Quid eſt Linea ?

℞ Eſt ordinata collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, diverſos gradus continens & numeros diſtinguens. *Hoſt. in §. Quid linea. h. t.*

5 Quotuplex eſt linea ?

℞ 3plex: Aſcendentium, deſcendentium & Collateralium. *l. 1. ff. de Gradib.*

6 Quæ dicitur linea Aſcendentium ?

℞ Illa, in qua continentur perſonæ, à quibus Nos Originem duximus, ut ſunt Pater Mater, Avus Auia, Proavus proavia, Abavus Abavia &c. aſcendendo in infinitum.

7 Quæ dicitur linea Deſcendentium ?

℞ Illa, in qua continentur perſonæ, quæ à nobis & ab alijs originem duxerunt, ut ſunt omnes à folio vacuo deſcendentes per ſexum maſculinum & fæmininum, nempe Filius filia, Nepos neptis, Pronepos proneptis, Abnepos Abneptis &c.

8 Quæ dicitur linea Collateralis seu transversa?
℞ Quæ continet in se illos, qui non à nobis per generationem, nec nos ab illis, verumtamen ab eodem sanguine, idest stipite & communi parente nobiscum, duxerunt originem. ut Frater, Soror, Patruus, Amita, Avunculus, Matertera, & alij superiores ex transverso.
9 Quæ sunt personæ in primo lineæ gradu ?
℞ Supra, sunt: Pater, Mater, infra Filius, Filia, ex transverso Frater, Soror.
10 Quæ Personæ in secundo gradu ?
℞ Supra: Avus, Avia, infra, Nepos neptis, ex transverso, Fratris, Sororisve filius vel filia. Patruus, Amita, Avunculus, Matertera, Frater Patruelis, vel amitinus; soror Patruelis, vel amitina, Consobrinus Consobrina.
11 Quæ sunt personæ in tertio gradu ?
℞ Supra, Proavus proavia, infra, Pronepos proneptis, ex transverso, Patruus magnus, Amita magna, Avunculus magnus, Matertera magna Propior Sobrinus, Propior sobrina, Horum Filius Filia, Fratris Sororisve Nepos, vel Neptis.
12 Quæ sunt personæ in quarto gradu ?
℞ Supra, Abavus, Abavia, infra, Abnepos Abneptis, ex transverso, Propatruus proamita, Proavunculus promatertera, Horum Filij & Filiæ, Horum Nepotes neptes, Horum Pronepotes proneptes.
13 Quotuplex est iterum linea Collateralis, seu transversa ?
℞ 2plex : *Æqualis*, ubi personæ, de quibus quæritur, æqualiter distant à communi stipite , ut fratris nepos & sororis neptis. *Inæqualis*, ubi personæ, de quibus quæritur, inæqualiter distant à communi stipite , ita quod una remotior est, quàm alia, ut Fratris nepos, & Sororis Filia.
14 Quid est gradus ?
℞ Est habitudo seu intervallum distantium personarum, quo cognoscitur, quota agnationis, vel Cognationis distantia, duæ personæ inter se differunt.
15 Numeri in folijs Arboris præinsertæ positi, quid significant ?
℞ Quoto gradu personæ à se invicem distant. Et quidem superior folij numerus, computationem canonicam graduum ad Matrimonium spectantem, inferior verò computationem Civilem, ad successiones pertinentem, designat.
16 Jus Civile, quot Regulas habet in computatione graduum ?
℞ Duas : 1MA. est hæc : *In linea recta ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ, una dempta, hoc est stipite,* à quò computatio initium sumit. ut si quis quærat? quoto gradu, Proavus à Petrucio ( qui per folium vacuum denominatur ) distat ? utroq; igitur computato & intermedijs, sunt quatuor personæ, dempta una, tres sunt gradus: ac proinde in tertio gradu sunt conjuncti: 1*mum* enim Pater , 2*dum* Avus, 3*ium* Proavus constituit.
2DA REGULA est : *In linea æquali collaterali seu transversa, tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite*; quæ Regula locum habet , tam in linea æquali, quàm in inæquali, nominanturq; personæ ascendendo & descendendo. v.g. vult quis scire, quoto gradu de jure Civili sint sibi invicem juncti soror mea & fratris mei filius? nominando itaque personas, inveniet quartum gradum, scil. Sororem meam, Patrem meum. Fratrem & Fratris Filium, dempto stipite, remanebunt tres personæ, quæ etiam tres constituunt gradus.
17 Jus Canonicum in supputatione graduum, quot ponit Regulas ?
℞ Tres: Ascendentium & descendentium, Collateralium in linea æquali & Collateralium in linea inæquali.
REGULA PRIMA , *Ascendentium & descendentium in linea recta* hæc est, quæ supra in jure Civili.
REGULA SECUNDA, Collateralium in linea æquali hæc: *Quoto gradu quis distat à communi stipite , toto distant inter se.* v g. facio Patrem meum stipitem inter fratris mei nepotem & Sororis meæ Neptem ( quia illi sunt in linea æquali) quilibet distat à stipite tertio gradu, & secundùm jus Civile sexto gradu.
REGULA TERTIA pro linea Collaterali inæquali. *Quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto distant inter se.* v. g. Patrem faciendo stipitem, fratris nepos, & sororis filia, sunt in distantia inæquali; facta igitur computatione à remotiori nim. fratris nepote , ad communem stipitem, distabunt à se tertio gradu, dempto stipite scil. Patre.
18 Inter jus Canonicum & Civile in supputatione graduum, quæ est differentia ?
℞ Hæc: quia in jure Civili propter tutelas, hæreditates , ut nimirum hæreditas , vel tutela ab una ad alteram personam deferatur, gradus computantur secundùm numerum personarum. & quot sunt personæ , de quibus quæritur, computatis intermedijs, una dempta, tot sunt gradus inter eas. In jure verò Canonico computantur gradus , ut demonstretur ad quotam generationem à Consangvineorum Nuptijs sit abstinendum: Cùm ergo absq; duabus personis fieri Nuptiæ nequeant, canones ideo duas personas in uno gradu constituunt.
19 In linea ascendenti & descendenti in infinitum , prohibitumne est matrimonium ?
℞ Affir. quia in matrimonijs contrahendis naturale jus & pudor debet inspici. Pudor enim est filiam suam ducere Uxorem; ideo Adam si hodie viveret , non posset ullam ducere Uxorem. *Covarr. p. 2. cap. 6. §. 10. Abb. in c. 8. de Consang. & Affinit.*
20 Inter Collaterales ad quem gradum prohibetur?
℞ Olim ad septimum. *can. Nullt.* 35. *q.* 2. hodie ad quartum gradum inclusivè prohibetur ita, ut in illo nemo contrahere debet, nisi cum dispensatione S. Sedis. *c.* 8. *de Consang. & Affinit.*
21 Consangvineus Mariti, potestne contrahere cum Consangvinea Uxoris ejus ?
℞ Potest, nec indiget dispensatione ; quia nulla oritur Consangvinitas & Affinitas inter consangvineos Uxoris & mariti. *Abb. in c. Quod super de Consang. & Affinit. n.* 2. 3. & 4.
22 Dispensatio data à Summo Pontifice, valetne , si est

si est cum falsa causa concessa?

℞ Negativè: præsumitur enim Papam dedisse talem dispensationem respectu illius causæ, quam utiq; non dedisset, si interposita esset talis causa. *Abb. in c. Quia circa. de Consang. & Affinit.*

23 Infideles conjuncti in prohibito gradu, debetne separari post baptismum?

℞ Si gradus prohibitus est illius generis, in quo solet Ecclesia dispensare, non debent separari. *Abb. in c. De infidelibus. eod. tit.*

24 Estne Matrimonium apud Judæos?

℞ Est; quia omnes in suo ritu habent matrimonium, sed solus Christianus baptizatus celebrat verum Ecclesiæ Sacramentum. *Abb. ubi supr. n.4.*

## CAPUT XLIX.
## De Crimine dirimente Matrimonium.

1 Quotuplex est crimen dirimens Matrimonium?

℞ 3plex: *1mum est adulterium* alterius conjugis cum datione fidei mutuæ de contrahendo matrimonio post mortem propriæ Conjugis. Quam enim quis per adulterium antea polluit, illam Uxorem habere non potest, nisi prima fuerit illegitima. *c. 2. De eo, qui duxit. in matr. quam polluit. 2dum Crimen* est, si maritus vel Uxor una cum alio conspiraverit in mortem Conjugis animo simul contrahendi matrimonium. Hoc enim casu nullo modo possunt inter se matrimonialiter conjungi, quamvis non intercesserit adulterium & quamvis alter esset infidelis, ac ad ejus conversionem patrata fuisset talis occisio. *c. 1 de Conversion. Infid. & c. 3. ac ibi gloss. v. Machinata. de eo, qui duxit &c. 3tium Crimen* Machinatio in mortem alterius tantùm, quod licet alij cum secundo conjungant, distingvitur tamen ab eo: quia ibi requiritur utriusq; machinatio, licet non intervenerit adulterium, hic autem requiritur adulterium, & alterius machinatio sufficit. *c. 2. & 6 de eo, qui ducit &c.*

2 Si quis vivente uxore cum alia contraxit, quam tamen nec ante contractum, nec post cognovit, mortuâ primâ debetne separari ab altera?

℞ Peractâ pænitentiâ & novô accendente consensu, remanet in matrimonio cum secunda contracto. quia contractus non facit impedimentum, sed adulterium & homicidium. *c. 8. de eo, qui duxit &c.*

3 Si quis vivente prima, secundam hujus rei insciam duxerit uxorem, mortuâ primâ, remanebitne cum secunda novo consensu adveniente.

℞ Affir. nisi vivente prima spoponderit cum alia contrahere. *c. 7. de eo, qui duxit &c.*

4 Si quis vivente prima, secundam hujus rei insciam Uxorem duxerit & eam cognoverit, mortuâ primâ, poteritne petere divortium cum secunda?

℞ Negativè: quia lucrum de suo dolo non debet reportare, mulier verò petere potest. *c. 1. de eo, qui duxit &c. c. Sedes Apostolica. de Rescirpt & can. Dictum. 30. q. 1.*

5 Si quis separatus quò ad thorum à prima uxore, cum alia hujus rei conscia contraxerit, mortuâ primâ, debetne ab illa separari?

℞ Debet, sed post peractam de adulterio pænitentiam, potest cum alia contrahere. *c. 4. de eo, qui duxit &c.* quamvis secundæ longo tempore cohabitavit & filios ex ea suscepit. *c. 5. eod tit.*

6 Si adulteri alio fine, quàm matrimonij futuri, uxorem trucident v. g. ne prodantur, poteruntne secum contrahere?

℞ Poterunt: *Laym. Lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 10. n. 2.*

7 Per hæresim alterius Conjugis, dissolviturne matrimonium?

℞ Negativè. *Conc. Trid. Sess. 24. can. 5.*

8 Matrimonium ratum & non consumatum, dirimiturne per professionem Religionis?

℞ Affir. *Conc. Trid. Sess. 24. can. 6.*

## CAPUT L.
## De Disparitate cultus.

1 Quis dicitur disparis cultus?

℞ Ille, qui à fide Catholica discrepat, quales sunt Judæi, Pagani, Saraceni &c. *Hostien. in sum. de Convers. Infidel.* unde tales fidelibus nubere non possunt, propter disparitatem cultus; & si nubant, matrimonium dissolvitur. *can. 16. 28. q. 2.*

2 Si alter infidelium convertatur ad fidem, dirimiturne statim matrimonium inter illos?

℞ Non. Ratio est, ut per conversionem unius, alter convertatur. Contingit enim sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem, & è contra. 1. Corith 7. tum, ne per spoliationem Conjugis, alter retrahatur à conversione. Si tamen infidelis discedat, vel fidelis non possit cum eo sine blasphemia nominis Dei & peccato, ad quod pertrahi posset, permanere, eum relinquere & cum alio contrahere poterit. *can. 2. 28. q. 2. & c. 7. de Divort. jux illud.*

*Desere spernentem, vel blasphemare volentem,*
*Vel te credentem scelus ad mortale trahentem;*
*Nam sunt absq; mora sic vincula rupta priora.*

3 Converso Patre ad fidem, & matre in infidelitate obduratô animô existente, proles cujus conditionem sequi debet?

℞ Conversi ad fidem, ob favorem fidei Christianæ, si verò filius major sit, & velit esse Christianus, de manu infidelium eripi debet, minor tamen tribus annis penes matrem infidelem remaneat, post restituendus Patri converso. *c. 2. de Convers. Infid. & ibi gloss. jux illud.*

*Mater alit puerum trimum, trimoq; minorem,*
*Majorem verò pascere patris erit.*

## Cap. LI.
## De vi, vel metu impedimento dirimente Matrimonium.

1 Quid est vis & metus?

℞ Est impetus majoris rei, qui repelli non potest. *l. 2. ff. Quod metus causa &c.* Metus verò, est trepidatio mentis instantis, vel futuri periculi causâ. *l. 1. ff. eod.*

2 Quotuplex est metus in Matrimonio?

℞ 2plex; *Reverentialis & ordinarius,* non amittendi

v. g. amicitiam, favorem &c. *Et cadens in constantem* Virum & ad matrimonium tanquam ad minus malum permovens, qualis est metus mortis, mutiliationis, servitutis, verberum, carceris, exilij, stupri; amissionis bonorum, vel majoris partis. &c. Et talis metus Matrimonium, quod maximè liberum esse debet, reddit nullum. *c.* 13. *&* 14. *de Spons. & Matr.*

3 Matrimonium propter metum reverentialem contractum, debetne dissolvi?

℞ Non: quia talis metus non cadit in constantem Virum. *l.* 6. *C. h. t.* nisi minæ aut verbera, aut alius gravis metus accedat. *c.* 11. *de Despons. Impub.* solæ tamen minæ non sunt justa causa metuendi, nisi ab eo procedant, qui solitus sit eas exequi. *l.* 9. *C. h. t. ibi non jactationibus & protestationibus.*

4 Mulier metu justo contrahens matrimonium, postea sponte cohabitans viro, validaturne per hoc tale matrimonium?

℞ Affir. quia per illam taciturnitatem & cohabitationem, videtur in virum consensisse. *c.* 20. *de sponsal. & Matr.*

5 Magistratibus & Dominis directè, vel in directè subditos ad matrimonium contrahendum cogentibus, pœna ipsô factô excommunicationis à Conc. Trid. imposita, extenditurne ad privatas personas?

℞ Non: peccant tamen graviter & eorum peccatum, Ordarij dignum excommunicatione judicare possunt. *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 9. *de Ref. Matr. & ibi Declarat.* §. *Cujuscunq;*

## CAPUT LII.

## De Ordine imped. dirimen. Matrimonii.

1 Quis Ordo dirimit Matrimonium?

℞ Ordo Sacer, & professio emissa in Religione approbata. *Conc. Trid. Sess.* 24. *can.* 9. Quia in Minoribus Ordinibus constituti, possunt contrahere. *can.* 3. *dist.* 32. *& can.* 8. §. *si qui.* 12. *q.* 1.

2 Ordo Sacer qua ratione dirimit Matrimonium?

℞ Non solùm ratione voti annexi, verùmetiam ratione sui. Nam si quis in Ordinatione nollet vovere, & accepto Ordine contraheret matrimonium, illud esset irritum, non tamen ratione voti; quia etiam ipsi Ordini lex Ecclesiastica irritans Matrimonium, est annexa. *Valen. Lib.* 4. *t.* 6. *n.* 1.

3 Si quis matrimonio non consummato, uxore non consentiente, Sacris initietur, quid agendum?

℞ Inducendus est ab Episcopo, ut Religionem ingrediatur; si verò renuerit & uxor institerit, compelli debet per Censuram ad Matr. consummationem reddendumq; uxori debitum, non verò exigendum. Et talis ab executione Ordinum suspensus est & irregularis, vivereq; debet cælebs post mortem Uxoris. *Extravag. Ioan.* 22. *unic. de voto & voti redempt.*

4 In Sacris constitutus, & scienter matrimonium contrahens, quam pœnam incurrit?

℞ Ipsô factô est excommunicatus. *Clement. un. de Consang. & Affinit.*

5 Per ingressum Religionis, dirimiturne matrimonium ratum & non consummatum?

℞ Dirimitur, etiam invito altero Conjuge post emissam professionem. *Conc. Trid. sess.* 24. *can.* 6. secus si sit consummatum; quia tale sola morte alterius dissolvitur.

6 Si Diaconus contractô matrimoniô, velit ad Ordinem Presbyteratus promoveri, quis cum ipso dispensat?

℞ Episcopus, injunctâ ipsi priùs & expletâ ab ipso pro tanto excessu pœnitentiâ, idq; post evidentem vitæ correctionem. *c.* 1. *Qui Cleric. vel voven.*

7 Beneficiatus Clericus, per matrimonij contractum, amittitne beneficia & pensiones?

℞ Amittit, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum & Uxor ejus ante consummationem ingrediatur Religionem. *Saa. v. Matrimonium. n.* 31 *& c.* 1. *&* 3. *de Cleric. Conjug.*

8 Conjugatus poteſtne assumi ad S. Ordines, si Uxor ingrediatur Religionem & voveat Domino continentiam?

℞ Affir. *c.* 5. *de Conversione Coniugat.*

## CAPUT LIII.

## De Ligamine impedimento dirimente Matrimonium.

1 Quid intelligitur per ligamen?

℞ Vinculum prioris matrimonij, quo durante, nullus Conjugum matrimonium contrahere potest. *c.* 1. *&* 2. *de Convers. Coniugat.* Concil. enim Trid. *Sess.* 24. *can.* 2. Anathemate ferit illum, qui dicit licere Christianis plures simul habere Uxores.

2 Uxor non certificata de morte Viri, vel è contra, potestne contrahere cum alio?

℞ Non potest, juvenili ætate & carnis fragilitate non obstante, licet factâ diligenti inquisitione ignoret de marito, qui longiori tempore abfuit. *c.* 19. *de Spons. & Matr.* Si tamen contraxerit & dubitet de morte, reddere postulanti, non verò exigere debet debitum. *c.* 2. *de Secund. Nupt.* ac viro priore reverso, ad eundem redire tenetur. *d. c.* 2. *de secund. Nupt.*

## CAPUT LIV.

## De impedimento Publicæ honestatis.

1 Quid est publicæ honestatis justitia?

℞ Est propinquitas quædam ex sponsalibus, aut matrimonio orta. Nam sicut ex carnali copula, sive licita, sive illicita, oritur quædam affinitas inter virum & consangvineos uxoris & è contra, ita ex sponsalibus & matrimonio rato nô consumato, aut etiâ illicito & invalido oritur inter sponsâ & consangvineos sponsi & è contra inchoata quædam affinitas. *l. servus. ff. de. Grad. Affinit.* quæ communiter appellatur justitia publicæ honestatis, seu publica honestas. *c. un. de spons. in* 6. Publica enim honestas dictat & exigit, ut sponsus à cognatis sponsæ suæ, & è contra, abstineat. *c.* 3. 4. *&* 8. *de sponsali. & matr.*

2 Ex quibus sponsalibus oritur publica honestas?

℞ Ex sponsalib. de futuro certis, puris, mox atq; contracta sunt; ex conditionalibus verò, post conditionis eventum. *d. c. un. de spons. in* 6. Item

ex matri-

ex matrimonio clandestino, quod habet rationem sponsaliorum. *Declarat. Congr. Card. Conc. Trid. sess. 24. cap. 3. §. fin. in Remiss.*

3 Ad quem usq; gradum hoc impedimentum circumscriptum sit ex sponsalibus de futuro ?

℞ Ex jure Decretalium ad 4tum. *c. Non debet. de Consang. & Affin.* ex decreto autem *Conc. Trid. sess. 24. Cap. 3. de Ref. Matr.* non excedit primum gradum.

4 Ad quem verò gradum ex spons. de præsenti ?

℞ Quamvis sponsalia illicita & invalida sint, ob aliquod impedimentum, modò non sint nulla ex defectu consensus, inducunt impedimentum publicæ honestatis usq; ad 4 gradum; colligitur ex *d. c. un. de spons. in 6.* Quia sponsalia de præsenti non continentur in restrictione per Concil. Trid. facta ad primum gradum, sed remanserunt in terminis juris communis, ut declaravit Pius V. Constit. *Ad Romanum.* quam refert *Piasec. Prax. Episcop. p. 2. Cap. 4. A. 4. n. 22.*

# CAPUT LV.

## De Affinitate impediente & dirimente Matrimonium.

1 Quid est Affinitas ?

℞ Est quædam personarum proximitas ex coitu proveniens omni carens parentela. *Hostien. in sum. de Consang. & Affinit.*

2 Quotuplex est affinitas ?

℞ Duplex: *Legitima*, quæ per legitimas nuptias contrahitur. Et *illegitima*, quæ per conjunctionem carnis illegitimam inducitur. *c. 1. & 6. de eo qui cognovit &c.*

3 Quot sunt gradus affinitatis?

℞ Tres, quemadmodum & Consanguinitatis: Ascendentium, descendentium & Collateralium:

4 Affinitas, habetne proprium gradum ?

℞ Non habet, sed gradus inter affines nominantur respectu Consanguinitatis. Omnes enim Consanguinei Uxoris Titij, vel ab eo cognitæ, sunt illi affines in eo gradu, in quo sunt Consanguinei Uxoris, vel talis mulieris. Et ita quoto gradu Consangvinitatis talis mulier suis Consangvineis est conjuncta, eodẽ Affinitatis ijsdẽ Titius est conjunctus: vg: Titius & Semphronius sunt sibi in tertio gradu consangvinei: ergo etiam Uxor Titij cum eodem Semphronio erunt in tertio gradu affinitatis. Unde Regula in gloss. c. Non debet. de Consang. & Affinit. annotata *Persona addita personæ, per Carnis copulam, non gradum, sed genus attinentiæ mutat.* v.g. Titius & Stichius frater ejus sunt consangvinei in primo gradu consangvinitatis. Stichius duxit uxorem, illa uxor est persona addita personæ per carnis copulam, illa mutat genus attinentiæ, idest alio genere attinentiæ attinet Titio, quàm Stichius; quia Stichius est Titio consangvineus, & illa est illi affinis, sed non mutat gradum quia sicut Stichius est Titio consangvineus in primo gradu; ita & illa mediante Stichio fratre, est Titio affinis in primo gradu.

5 Consangvinei viri & uxoris sunt ne invicẽ affines?



℞ Non, nec inter eos matrimonium prohibetur. Quia affinitas contrahitur tantùm inter maritum & consangvineos Uxoris, & inter Uxorem & Consangvineos mariti. Unde duo fratres cum duabus sororibus, Pater & filius cum matre & filia licitè contrahere possunt. *c. 5. Consang. & Affinit.* sed pro sufficientiori affinitatis notitia formatur hæc

### Arbor Affinitatis.




### Explicatio hujus Arboris.

In hac arbore affinitatis ponuntur primò in medio 4. Cellulæ. & in prima superiori ponitur primus gradus, in 2da 2dus, in 3tia 3tius, in 4ta 4tus gradus. Deinde à latere dextro dictæ lineæ, ponitur alia linea 4. Cellulas continens. In prima ponitur frater, in 2da. fratris filius, in 3tia. fratris Nepos. Ad dorsum hujus lineæ ponitur alia linea cum 4. Cellulis. in quarum prima ponitur Uxor fratris olim relicta, in 2da Uxor filij fratris, in 3tia Uxor Nepotis fratris, in 4ta Uxor pronepțis fratris. *A latere sinistro* sunt aliæ 4. Cellulæ: in quarũ prima Soror, in 2da Sororis filia, in 3tia Sororis Neptis, in 4ta Sororis proneptis. Ad dorsum hujus lineæ est alia similiter cum 4. Cellulis: in quarum prima, Vir sororis olim relictus, in 2da Vir filiæ Sororis, in 3tia. vir neptis Sororis olim relictus, in 2da Vir filiæ Sororis, in 3tia vir neptis Sororis, in 4ta. Vir proneptis sororis. Ponuntur insuper aliæ duæ cellulæ: una à latere dextro continens relictũ relictæ fratris, altera à sinistro continens relictā relicti sororis, sed solũ ponuntur ad decorũ & ad demonstranda genera affinitatis, quæ hodie prohibitionem non habent.

6 Quare in Cellula Uxor fratris ponitur olim relicta, in alijs verò inferioribus non item ?

℞ Hoc ideo factum fuisse, propter Cellulam, quæ ponitur ad dorsum illius, quæ dicit: Frater habuit Uxorem, mortuo fratre, Uxor ab

eo relicta, contraxit cum alio Viro, illa demum mortua, relictus à relicta fratris vult contrahere cum sorore nunquid potest ? olim non poterat; quia erat sibi in secundo genere & primo gradu, hodie verò potest. Idem dicendum quò ad Cellulam viri sororis.

7 Ab quem usq; gardum extenditur affinitatis impedimentum ?

℞ Post Concil. Trid. non excedit secundum gradum. *Sess. 24. cap. 4. de Ref. Matr.*

8 Oriturne Affinitatis impedimentum ex matrimonio rato, non consummato ?

℞ Non: benè tamen publicæ honestatis impedimentum. *S. Congr.* 1568. 27. *April.*

9 Oriturne ex pollutione extra claustra pudoris ?

℞ Negativè: quia requiritur ea copula, quæ sit sufficiens ad generandum per commixtionem seminis viri & mulieris intra vas naturale. *can.* 1. 35. *q.* 3.

10 Oriturne Affinitas ex copula cum muliere invita, dormiente, ebria, insana &c. ?

℞ Affir. quia talis apta est ad generandum. *Barbos. de Potest. Episc. Alleg.* 51. *n.* 169.

11 Ista affinitas oriturne ex sola reseratione claustri mulieris ?

℞ Non, si non processum sit ad commixtionem & unitatem sangvinis, sicut etiam inter Virum & mulierem, cujus Viri sperma introductum est à Dæmone in uterum mulieris, quamvis ex hoc spermate conceperit. Idem dicendum si uterus mulieris, casu ad se traheret semen viri cum ea ludentis. *Barbos loc. cit. n.* 171. *& Pyrch. Corrad. Prax. Dispen. Apost. Lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 18.

## CAPUT LVI.
## De Impotentia in Matrimonio.

1 Quid est impotentia in Matrimonio ?

℞ Est vitium naturæ, quo quis impeditur alteri carnaliter commisceri. *c.* 1. *de Frigid. & Malef.*

2 Quotuplex est impotentia ?

℞ 2plex: *Naturalis & à principio intrinseco*, ut in puero ob defectum ætatis, in viro ita frigido, ut mulieri commisceri nequeat, in fæmina ita arcta, ut cognosci non possit. Et hæc impotentia si est *perpetua* dirimit matrimonium contractum. *c.* 5. *eod. tit.* si *temporalis*, tam diu impedit, qamdiu inest. *c.* 6. *eod. tit.* Et *accidentalis seu ab extrinseco.* veluti in illis, qui castrati sunt, vel impediti maleficio seu veneficio ab actu conjugali, vel quibus collisi aut contriti testiculi sunt. *l.* 6. *ff. de Liber. & posth. & sparsim per tot. tit. de Frigid. & malef.*

3 Scienter cum impotente contrahens, estne separanda ?

℞ Non, verùm eo casu, si non possit eum habere tanquã maritum, vel uxorem, habeat ut fratrem, vel sororem. *c.* 4. *eod. tit. & can.* 18. 22. *q.* 2. ita ut à concubitu & ab alijs; quæ solis Conjugibus licent, abstineat, alias separari debet. *Zoes. Lib.* 4. *t.* 5. *de Frig. & malef. ubi alios citat.*

4 Hermaphroditus validè ne contrahit ?

℞ Validè, modò contrahat secundùm prævalentiam sexûs. *l. Quæritur. ff. de stat. homin.* si verò utroq; sit æqualis, non dabit illi Parochus præsentiam sui, antequam alterum elegerit cum juramento, quòd alio, quam electo non utetur, *c.* 5. *de Cleric. Conjug. & l.* 9. *ff. de Pact.*

5 Spado, Eunuchus & Castratus, potestne contrahere matrimonium ?

℞ Negativè, etiamsi aptus ad copulam sit, generare tamen non potest utroq; testiculo carens. *c.* 2. *de Frigid. & Malef. & ita Sixtus V. declaravit, quem refert. Gutier. Cann. quæst. Libr.* 1. *cap.* 16. *de quibus etiam fusè Covarr. Tract. de frigid. & Malef. q.* 6.

6 Uxor à natura arcta, teneturne cum periculo corporali pati sectionem ?

℞ Negativè, verùm dirimitur tale matrimonium, redintegratur tamen, si postea appareat Ecclesiam fuisse deceptam, sive decipiatur ex hac, sivè ex alia impotentia *c.* 1 & 6. *de Frigid. & malef.*

7 Si de impotentia constet in matrimonio, statimne est separandum ?

℞ Negativè. tam in frigidis, quàm in maleficiatis, sed triennium & opera carnalis operis est expectanda, nisi breviori spatio post matrimonium contractum constet de impotentia. *c.* 5. *de Frig. & malef.*

## CAPUT LVII.
## De Raptu in Matrimonio.

1 Quid est raptus & num differat à stupro ?

℞ Est mulieris Virginis, seu viduæ, vel Monialis, aut nuptæ, vel etiam masculi, libidinis causâ abductio. *Valen. Lib.* 5 *t.* 17. *n.* 1. Differt à Stupro quia raptus vim includit, sive ea fiat soli raptæ, sive ijs, quorum potestati subest. *l. un. C. de Rapt. Virgin.* Stuprum verò tantùm habet locum in integra, & fieri potest absq; ullo raptu, sicut & raptus fieri potest citra violationem *Valen. lol. cit.*

2 Vim raptus, habentne verba persvasoria ?

℞ Affir. *l.* 1. §. 3. *ff de servo corrupt.* ideoq; Solon magis eum punivit, qui verbis, quàm qui vi abduxit mulierem. *teste Plutarcho in Solone.*

3 Si post sponsalia de futuro sponsus consentientem sponsam abducat, eritne raptor ?

℞ De Jure Civili sic, non verò de jure Canonico; quia Sponsus in sponsam aliquid juris habet ex desponsatione. *l. un. de Rapt. Virg. & c.* 6. *de Rapt. incendiar.*

4 Si fæmina sponte sua & absq; consensu viri fugiat ad domum Judicis nubatq; Viro, eritne tale impedimentum dirimens Matrimonium ?

℞ Negativè: quia pæna raptûs imponitur rapienti per *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 6. *de Ref. Matr.* & non mulieri fugienti: pæna verò extendi non debet. *Tolet in Sum. Libr.* 7. *cap.* 17. *n.* 4.

5 Quid agendum, cùm aliquis rapit mulierem ?

℞ Judex debet eam ponere in loco tuto & libero extra potestatem raptoris, & si ibi consenserit, poterit de novo contrahere; alioquin quamdiu est in potestate raptoris, tamdiu nullum est matrimonium. *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 6. *de Ref. Matr.*

6 Qua pæna puniuntur raptores, eorum adjutores, & quamdiu durat ?

℞ Etiamsi raptor, raptam in loco tuto positam & de novo consentientem ducat, nihilominus & raptor

ptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces, & si fuerint Clerici de proprio decidant gradu. sive verò eandem ducat, sive non, tenetur eam arbitrio judicis dotare. *Conc. Trid. loc.cit.* Et ista pœna infamiæ durat eousq;, quousq; raptor cum rapta non contraxerit; tunc enim ampliùs opponi non potest. *Tolet.ubi supr.*

7 Excommunicatio prædicta comprehenditne eos, qui rapiunt fœminas non animo nubendi, sed conversandi cum eis?

℞ Negativè: Quia ista lex pœnalis, posita est in honorem & favorem matrimonij contra raptores fœminarum animo nubendi, ideoq; non debet extendi ad eos, qui appetitu libidinis rapiunt fœminas: distinctum enim genus peccati committunt. *DD. in Remiss. d. sess. 24. cap.6. citati. & ita respondit S. Congr. 1586. 23. Januar.*

## CAPUT LVIII.

### De diversis casibus Matrimonij

1 Habere solùm unam uxorem, estne de jure divino, vel de jure naturali, vel de jure positivo?

℞ De omni jure: quia Polygamia, idest pluralitas uxorum & mulierum simul, est omni jure prohibita. *constat ex Conc. Trid. Sess. 24. can. 2.*

2 Cur ergo in veteri lege SS. Patres, Abraham, Jacob, & David, absq; peccato plures habuerunt Uxores & concubinas?

℞ Hoc illis fuit permissum à Deo propter prolem propagandam & non ad delectationem carnis. *D. August. Libr. 16. de Civit. Dei. cap. 38.*

3 Summus Pontifex, potestne dispensare in pluralitate Uxorum?

℞ Neque generaliter, neq; specialiter potest, nisi revelatione divina hoc concessum sit. *c. 8. §. Nec ulli. v. divina. de Divort. Bellarm. Controvers. 3. de Matr. Libr. 1. cap. 11.*

4 Causæ Matrimoniales possuntne tractari coram Decano vel Archidiacono visitante?

℞ Negativè, sed solùm coram Episcopo, vel ejus Vicario. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 2. de Ref. Matr.*

5 Si aliqua partium in Causa matrimoniali probet paupertatem, tenebiturne in 2da, vel 3tia instantia litigare extra Provinciam?

℞ Negativè; nisi altera pars expensas litis velit ministrare.

6 Si quis juraverit contrahere cum aliqua muliere, poteritne postea ingredi Religionem?

℞ Imò debet contrahere & ante consummatum matrimonium religionem ingredi: juramentum enim semper est servandum, modò sine peccato & periculo animæ fiat. *c.16. de Spons. & Matr.*

7 Si quis absq; juramento ineat sponsalia de futuro cum Berta, post ineat cum Gemma itidem de futuro, sed cum juramento, quæ spon. erunt valida?

℞ Priora. Ratio est, quia juramentum fuit in præjudicium tertij, quo casu nullo modo obligat. *Sanch. Libr. 1. disp. 10. n. 2. de spons. Enriq. Libr. 11. cap. 3. n. 3. de Matr.*

8 Si quis ineat sponsalia de futuro cum Gemma eamq; cognoscat, post ineat cum Berta etiam de futuro, eam cognoscat & juret de effectuandis sponsalibus de præsenti, quæ erunt valida?

℞ Priora: quia juramentum fuit de re iniqua & cum injuria tertij; imò priora erunt valida etiam absq; cognitione prioris Sponsæ. *Sanch. Libr. 2. disp. 49. de sponsalib. Vasq. Lib. 11. cap. 13. n. 3. de Matr.*

9 Si quis inivit sponsalia de futuro jurata cum Gemma eamq; cognovit, & postea de præsenti contraxit cum Berta, sed eam non cognovit, quæ erunt valida?

℞ Posteriora; quia consensus de præsenti, dissolvit sponsalia priora de futuro, tamen obligatus est post mortem Uxoris, vel post dissolutionem ab ea, virginem, quam violavit, vel viduam bonæ famæ, quam cognovit, ducere, si ipsa voluerit; quia illam fefellit spe futuri matrimonij. *c. 15. & 31. de spons. & Matr.*

10 Si infidelis v.g. Turca, habens plures Uxores convertatur & suscipiat baptismum, quam debet retinere?

℞ Primam: quia matrimonium est etiam vinculum naturale, si verò prima nolit ipsi cohabitare & secunda convertatur, debet cum ea secundùm ritum Christianorum contrahere; quia inter istam secundam & alias Uxores, non fuit vinculum naturale. *d. c. 8. de Divort.*

11 Senex, nimia senectute confectus, poteritne contrahere matrimonium?

℞ Quamvis *l.* Julia & Papia Viris Sexagenarijs & fœminis quinquagenarijs auferatur nubendi licentia, quasi operam matrimonio dare non possent *l. 27. C. de Nuptiis*, tamen ss cann. senibus matrimonium contrahere permittunt quia secundùm jus canonicum matrimonium non solùm est remedium naturæ, seu infirmitatis, verū & humanitatis solatium. *an. 41. 27. q. 1.* senes enim ex propria virtute generare possunt, habentq; habitum, licet ejus Officium per accidens sit suspensum, quò ad generationem. *Sanch. Lib. 7. disp. 92. n. 19. & seqq.*

12 Potestne Maritus & quanto tempore sine ullo scrupulo conscientiæ ab uxore abesse?

℞ Potest eousque, quousque Uxor, vel è contra, de absentia non conqueratur, sive sit absentia per menses, sive per annos. Ratio est, quia effectus Matrimonij est, habere prolem & consortium vitæ: cùm per Sacramentum fiant vir & mulier una caro. *Abb. in c. 1. de Conjug. lepr.*

13 Si Vir absit ab Uxore cum ejus consensu & in remotis existat, infirmusq; sit, vel paupertate pressus, teneturne post aliquot menses & uxoris querelam de absentia ac vocationem, cum periculo vitæ ad uxorem redire?

℞ Negativè: quia quod à principio fuit voluntarium, post non debet retractari. tum quia talis vir ex impedimento legitimo excusatur à culpa, quandoquidem cum periculo vitæ vel cum infirmitate non tenetur quis iter facere commorandi causâ cum Uxore, tenetur tamen si mediocrem habet commoditatem, quæ arbitrio prudentis Confessarij, vel Judicis, judicanda est. *Abb. & DD. in d. c. 1. de Conjug. lepr.*

14 Si uxor & Maritus conveniant inter se, ut unus habitet in Hispania, alter in Polonia ratione mercantiæ vel militiæ, aut alia de causa, per quot annos potest licitè unus ab alio abesse?

℞ Quousque pactum durat, dummodo in altero non sit periculum incontinentiæ vel adulterij; quia tunc debet alter alteri succurrere ex præcepto Sacramenti matrimonij. Quia sicut maritus & Uxor possunt, habitando in una domo, servare continentiam eamq; vovere ex voluntate utriusq; ita possunt consentire, ut alter habitet in una Regione, alter in altera, præcipuè si adsit causa utilitatis. *DD. in d.c. 1. de Conjug. lepr*

15 Quis providere debet, ne Conjuges vivant separatim, sed potiùs vitam ducant maritalem?

℞ Judex Ecclesiasticus, qui ob periculum adulterij potest compellere censuris virum, ut cohabitet Uxori. quia laicus per matrimonium subijcitur Ecclesiasticæ potestati, sed etiam Judex laicus potest punire virum non cohabitantem Uxori, vel è contra, propter scandalum Reipublicæ, & Confessarij tenentur non absolvere Viros non cohabitantes Uxoribus: cùm sit magnum peccatum. *DD. loc. cit.*

16 Si duo ritè contrahant cum intentione nunquã exeundi, sed servandi perpetuò castitatẽ, valebitne matrimonium?

℞ Valebit, nec dissolvi potest, licet non habeant intentionem consequendi finem matrimonij nempe generationem filiorum. Ratio est, quia substantia Matrimonij consistit in mutuo consensu, non in fine generationis. *can. 2. & 3. 27. q. 2. & l. Nuptias. ff. de Reg. Jur.*

17 Si infidelis habeat Uxorem consangvineam in gradu prohibito, poteritne post Baptismum eam retinere?

℞ Non, si est gradus prohibitus jure divino, veluti inter ascenden. vel descen. secus si solùm est prohibitus lege positiva, tunc poterit eã retinere: quia ante baptismum non erat obligatus ad mandata Pontificia. *c. 8. de Divort. & l. Nemo. de Judæis.*

18 Si quis fuerit fornicatus cum aliqua muliere & sororem ejus ducat in Uxorem absq; dispensatione, valebitne tale matrimonium?

℞ Non, si contrahatur ante dispensationem, & filij nati ante talem dispensationem erunt illegitimi, ad quos legitimandos requiritur expressa mentio in dispensatione. *Tolet. Libr. 7. cap. 15. §. primum est.* Et qui ante dispensationem cognovit mulierem, tenetur id exprimere Sum. Pontifici, alias dispensatio erit nulla. *Pyrrh. Corrad. Prax. Dispen. Apost. Libr. 7. cap. 3.*

19 Judæi contrahuntne legitimas Nuptias?

℞ Contrahunt, & ideo habent filios sub potestate sua, & gaudent hoc privilegio, quòd sint sub potestate Imperatoris Romani. *d. c. 8. de Divort. & Abb. c. fin. de Convers. Infidel. n. 3.*

20 Cognoscens carnaliter matrem, antequam cum filia ejus consummet matrimonium, tale matrim. debetne separari?

℞ Si est delictum occultum non separatur, secus si est publicum; & cum alia ex dispensatione contrahere potest, & illa alteri nubere. Sed si sponsam cognovit, & postea matrem, nec illam, nec aliam potest habere Uxorem. *Conc. Later. 3. cap. 4. de eo, qui consang. &c.*

21 Causæ matrimoniales coram Arbitro possuntne tractari?

℞ Negativè. *c. Causa. de In integr. restit.* nec in illis fieri potest compositio. *c. fin. de Transact.*

## CAPUT LIX.
## De secundis Nuptijs.

1 Quæ dicuntur Nuptiæ secundæ?

℞ Non illæ solùm, quæ primas proximè seqvuntur, sed etiam tertiæ, quartæ, ac demum quotiescunq; iterantur post mortem, vel divortium uxoris primæ. *can. 10. cum simil. 31. q. 1.*

2 In quo differunt primæ nuptiæ à secundis?

℞ In hoc: quia secundæ nuptiæ à Parocho non benedicuntur, ut primæ. *c. 1. & 3. h. t.* Data enim in primis nuptijs benedictio, semper durat nec est iteranda, nisi consvetudine contrarium sit introductum. *Navar. in man. cap. 22. n. 83.* aut sint secundæ ex parte viri tantùm, ut si viduus ducat virginem, quia tunc benedici possunt. *Armil. v. matrimonium. n. 71.*

3 Parochus secundas nuptias benedicens, quam pœnam incurrit?

℞ Suspensionis ab officio & beneficio, ac sic suspensus debet ad S. Sedem remitti. *d. c. 1. h. t.* verùm hodie arbitrio Judicis est puniendus. *Abb. in d. c. 1. n. 5.*

4 Mulier, vel vir intra annum luctus nubens, incurritne aliquam pœnam?

℞ Quamvis de jure Civili mulier intra annũ luctus alias intra Annum à morte mariti alteri nubens, notetur infamiâ. *l. 1. & 2. C. h. t.* tamen de jure Canonico nullam pœnam incurrit. Quia à momento obitûs, libera est à potestate viri, etiamsi miraculosè resurgeret. *Abb. in c. supr. h. t. n. 2.*

5 Dubitans de morte conjugis, potestne nubere?

℞ Non: nisi priùs certus omnino sit de ejus morte; quòd si nubat, reddat, non exigat debitum, ac certior factus de vita uxoris primæ, relinquat adulterinos amplexus & revertatur ad Conjugem priorem. *c. 2. h. t.*

6 Ut quis securè transeat ad secundas nuptias quomodo potest probare mortem prioris uxoris.

℞ I. per evidentiam, vel notorietatem facti. II. per testamentum. III. per Librum mortuorum. IV. per duos testes, licet unus tantùm fuerit oculatus. V. per literas tempore belli prolatas, ex quibus liquet plurimos occubuisse, inter quos censeatur virum exstitisse. VI. per diuturnam absentiam scil. 10. annorum concurrentibus alijs circumstantijs, nempe quod erat senex, infirmus &c. VII. si navigavit & navis per longũ tempus non apparuit, nec de illa notitia exstitit. VIII. per famam cum uno teste aut alijs adminiculis, veluti si fama fuerit universalis ejusq; appareat causa rationabilis, concurrat diuturnitas absentiæ &c. *Abb. in c. In præsentia. de spons. in 6. & glos. c. 5. §. si autem. v. præsumatur. Ut lite non contest.*

7 In

7 In probanda morte mariti, debentne adhiberi graviores probationes ?

℞ Affir: quia agitur de periculo animæ, Sacramenti non soluti iteratione & partis infamia, quamvis alij dicant, quòd vir absens longo tempore, præsumatur mori, jux. illud *Job. cap.* 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis &c.* tum quòd ex una parte, quòd absens moriatur, sit casus difficillimæ probationis, ex alia verò urgeat periculũ humanæ incontinentiæ.

8 Quantum tempus requiritur absentiæ, ut ex illo alter conjugum justum dubium habens de morte alterius, possit transire ad secundas nuptias & perseverare in matrimonio absq; periculo adulterij ?

℞ Dum quis spatio 10. annorum abest, nec de illo habetur aliqua notitia, sive per literas, sive per famam. Iste enim magis reputatur mortuus, quàm vivus; quia longa & diuturna absentia, pro morte reputatur. *l fin. § ult C. de Bonis aut jud. possid.* Verumtamen ista absentia 10. annorum debet alijs adminiculis fulciri ad hoc, ut secundæ nuptiæ ineantur. Unde Judices Ecclesiastici stante hujusmodi absentia viri, mulieri non statim dant facultatem ad secundas nuptias conuolandi, donec illam, præter edicta per Decanatus & Parochias in talibus fieri solita, aliquo probabili adminiculo firmet.

9 Si aliqua mulier justa de causa sit dubia de morte primi viri, & nubat secundo, ista dubitatio debetne interpretari in favorem primi Matrimonij, ad hoc, ut statim separetur à secundo viro, vel in favorem secundi, ut cohabitet secundo, donec certò sciat de vita primi ?

℞ In fauorem secundi 1mo. propter incontinentiam amborum. 2do. propter periculum, ne secundus vir eam relinquat. 3tio: quia in dubijs interpretandum est, pro re minus dubia, & magis favorabili reo *l. Favorabiliores. ff. de R. g. Juris & tex. in c* 2. *h. t.* ubi Papa non judicavit illos, qui dubij erant, separandos, sed quoad durat dubium, cohabitarent simul ac redderent, sed non peterent debitum. *gloss in d. c.* 2. *h. t.* Et mulier si viro nubit alieno, eousq; non est adultera, quousque nesciat illum esse alienum. *can.* 5. 34. *q.* 1. & 2.

## CAPUT LX.
## De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

1 Si quis, vivente prima uxore, etiam non cognita, contraxerit cum secunda scienter eamq; cognovit, mortuâ primâ, potestne secundam habere uxorem ?

℞ Non; quia secundum Matrimonium stante primo non tenuit, & adulterium fecit eum inhabilem ad contrahendum cum secunda, nisi primum Matrimonium fuerit invalidum, vel nisi ignoranter contraxerit cum secunda putans esse primam mortuam. *c.* 2. *h. t.* Poterit tamen cum alia contrahere. *Barb. in d. c.* 2. *h. t.*

2 Si quis vivente uxore fornicatur cum aliqua muliere, sed non contrahit, mortuâ primâ, poteritne cum ea contrahere ?

℞ Affir. quia ad impedimentum non sufficit adulterium, sed adulterium simul & Matrimonium. *Abb. in c.* 1. 3. & 5. *h. t.*

3 Si quis vivente uxore prima, det fidem alteri post mortem primæ contrahendi, poteritne ?

℞ Poterit; quia nullum est impedimentum in jure. *Abb. in c.* 2. *h. t.* modò non mahinetur in mortem primæ. *supr. cap.* 49. *n.* 1.

4 Si aliqua mulier propter adulterium sit separata à viro, & ingrediatur Religionem, poteritne ejus vir contrahere cum alia ?

℞ Non, vivente prima: & si contraxerit etiam interveniente morte uxoris primæ, ab ea separabitur, factâ tamen pænitentiâ de adulterio commisso poterit contrahere cum alia. *c.* 4. *h. t. & ibi Barbos:*

5 Ignoranter rem habens cum uxorata, potestne post obitum uxoris suæ cum ea contrahere ?

℞ Potest: quia non fuit adulterium formaliter ex parte utriusq; *Sylv. v. Matrimonium.* 8 *q* 9. *dict.* 4. *Sanch. Libr.* 7. *disp.* 79. *n* 31 *de Matr.*

6 Promissio alterius de contrahendo cum ea, quam polluit per adulterium, si non sit expressè acceptata, inducitne impedimentum ?

℞ Negativè: quia ante acceptationem non fuit propriè promissio, sed pollicitatio. *Barbos. in c.* 8. *h. t.* ubi alios citat. Requiritur enim, ut sit ab alterô expressè acceptata, non verò per taciturnitatem. *Barbos. ibid.* Vide plura huc spectantia *supr. cap.* 49.

## CAPUT LXI.
## De eo, qui cognovit Consangvineam uxoris suæ.

Quid, quotuplex, quot gradus habet; & adquem extenditur, tum alia de affinitate, vide supr. *cap* 55. & de Cognatione naturali, seu Consanguinitate. *cap.* 48. Hic autem quæritur ?

1 Affinitas superveniens ex illicito coitu, quid operatur ?

℞ Dissolvit sponsalia de futuro, *c.* 2. & 8. *h. t.* non verò de præsenti, nisi sint facta cum impubere: quia hæc resolvuntur in sponsalia de futuro, dict. supr. *cap.* 32 *n.* 19. *Abb. in d. c.* 8. *h. t. n.* 3.

2 Ex dicto unius deponentis Affinitatem, separaturne Matrimonium contractum ?

℞ Non: quia jam est Sacramentum celebratum, suntq; in possessione Conjuges, quæ ut tollatur, requiritur major probatio. *c.* 3. *h. t.* secus in impediendo Matrimonio. *Farin. in prax. Crimin. p.* 2 *q.* 63. *n.* 48.

3 Si quis cognovit carnaliter consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ, dissolviturne Matrimonium contractum ?

℞ Non: quia Matrimonium ante illam copulam jam erat consummatum: sed talis est incestuosus, graviterq; punitur, nec potest petere, reddere tamen tenetur debitum, atq; indiget dispensatione. *c.* 1. *h. t.*

4 Si quis habeat copulam cum sorore uxoris suæ, vel affine in gradu prohibito ignoranter, qua pæna punitur?

℞ Nulla: quia ignorantia eum excusat, & potest petere & reddere debitum. *Abb. in d. c. 1. n. 3. h. t.*

5 Incestus impeditne Matrimon: contrahendum?

℞ Impedit. *Abb. ubi supr.* si verò de facto contraxerit, tenet, sed incestuosus peccat, punitur, & non exigit, sed reddit debitum. *c. 4. h. t.* non tenet autem, si contrahat cum propinquis, v. g. matre, sorore. *Abb. in d. c. 4. & 8. h. t. n. 3.*

6 Si mulier contrahat sponsalia de præsenti, & nondum cognita à viro suo, cognoscat alienum, quod crimen committit?

℞ Adulterij: quia fregit fidem viro proprio. *Abb. in c. 6. n. 5. h. t.*

7 Si quis defloret puellam 7. annorum & postea contrahat cum ejus sorore, eritne validum matrimonium?

℞ Non: sed dirimendum; quia priùs per coitum illicitum factus est una caro cum sorore suæ sponsæ. *c. 7. h. t.*

8 Si quiConjuges afferant affinitatem inter se præcessisse & id ipsum rumor viciniæ confirmet, suntne separandi?

℞ Non, nisi accedant rationabiles & fide dignæ probationes: quò ad thorum tamen possunt separari. *Barb. in Collect. in 5. n. 1. & 5. & c. super. h. t.*

9 Fæmina violenter cognita à Consangvineo mariti, estne culpanda & num potest exigere debitum?

℞ Non, sed qui taliter cognovit eam, tanquam veri incestus reus, sine spe maneat conjugij. *Sanch. de Matr. Lib. 7. disp. 15. n. 10.* nec petitione debiti privatur; quia affinitas iniquè ei illata est. *Barbos in c. 6. n. 4. h. t.* Verùm *Sanchez. cum. DD. citatis à Barb. loc. cit. n. 5.* dicit Copulam cum fæmina invita, coacta, ignorante, dormiente, ebria & insana contractam, sufficere ad contrahendam affinitatem; quia talis fæmina potest generare.

10 Oriturne ista affinitas ex penetratione vasis fæminei absq; seminis emissione?

℞ Negativè *Sot. in 4. sent. dist. 41. q. un. a. 2. v. Quod si objicies & Sanch. Lib. 7. disp. 64. n. 7.* Ex sola enim vasis penetratione, fæmina generare non potest.

11 Poteſtne Episcopus dispensare in impedimentis impedientibus?

℞ Potest, non autem dirimentibus. *Vgol. de potest. Episc. cap. 60. §. 3.*

12 Poteſtne Episcopus cum eo dispensare, qui cognovit consangvineam uxoris suæ, ut petat debitum?

℞ Non, nisi illum ignorantia aut incontinentiæ periculum permoveat. *Abb. in c. 4. h. t. n. 5.*

13 Conjugatus cognoscens solutam, quod crimen committit.

℞ Adulterij. *Abb. loc. immediatè citato.*

14 Causæ Incestus in quo judicio terminandæ?

℞ In Spirituali. *Conc. Vormatien. 1. cap. 79. Conc. Colonien. 1. cap. 5.*

15 Qua pæna puniuntur Incestuosi?

℞ Sunt infames, accusare, nec testificari possunt: *Calistus 1. Epist. 2. can. 4. 3. q. 4.* Excommunicati. *can. De his 35. q. 3.* donec pæniteant *Conc. Mogunt. sub Leon. 4. cap. 28.* Si non corriguntur per judicium spirituale, tunc per sæculare debent corrigi. *Conc. Turon. 3. cap. 41. & Colon. 1. cap. 5.*

## CAPUT LXII.

## Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere possunt.

1 Quamuis majoribus Ordinibus initiatus (ut dict. supr. *cap. 52. n. 1. & 2.*) matr. contrahere nequeat, ille tamen qui ad minores Ordines promotus & illis credens annexum votum castitatis, num queat contrahere?

℞ Potest, nec tenetur ad hujusmodi voti observationem *Sanch. de Matr. Lib. 7. disp. 31.*

2 Quod votum magis obligat, simplex, an solenne?

℞ Obligant æqualiter in genere apud Deum; quia eadem est in utroq; promissio, sed ex quantitate pænæ & reatus differunt in transgressione: quia transgrediens votum solenne graviùs peccat. *can. 12. & 14. 27. q. 1.* tum quia votum solenne contractum matrimonium dirimit, simplex solùm contrahendum impedit. *Abb. in c. 6. & fin. h. t. n. 2.*

3 Votum ingrediendi religionem, dirimitne Matrimonium contractum?

℞ Non; quia tale votum est simplex, impedit tamen contrahendum. *Abb. in c. 3. n. 2. & 3. h. t.*

4 Susceptio sola habitus Religiosi, non verò professio dirimitne contractum matrimonium?

℞ Contractum non dirimit, sed impedit contrahendum. *Abb. in d. c. 3. & 4. n. 4. h. t.*

5 Si quis profiteatur de licentia uxoris aliquam religionem, & postea ab uxore revocetur, ad quid obligabitur?

℞ Ad servandam continentiam, quantum ex se, ut sit imitator religionis, quam suscepit. *Abb. in d. c. 4. n. 4. h. t.*

6 Episcopus an potest dispensare in voto castitatis perpetuæ ac religionis?

℞ Non potest, authoritate propria, nisi ad id habeat commissum Papæ, aut urgeat aliqua gravis causa, v. g. periculum incontinentiæ, impedimentum adeundi Sum Pontificem. *Navar. in manual. cap. 12. n. 76. Azor. Instit. moral. p. 1. Lib. 11. cap. 19. q. 11.*

7 Quam pænam incurrit, post votum simplex contrahens Matrimonium?

℞ Licet Matrimoniū teneat propter fortius vinculum, & propter periculum incontinentiæ, peccat tamen contrahens taliter; quia facit contra promissionem Deo factam. *Abb. in c. 5. h. t. n. 1.*

8 Clerici, vel voventes si Matrimonium contrahunt, qua pæna puniuntur?

℞ Efficiuntur Irregulares; nec in susceptis Ordinibus ministrare, neq; ad majores ascendere possunt, ac separari ex nullitate matrimonij debent. *Abb. in c. 1. n. 1. h. t.* Ex quo sequitur, quòd cùm sint facti irregulares, privandi sunt per sententiam Judicis beneficijs. *Benedict. de Capr. in c. 1.*

in c. 1. de Cler. Conjug. & alii DD. quos citat. Lopez in prax. crimin. canonic. cap. 84. Monachi verò excommunicantur, donec ad Monasterium redeant, ibiq; tamdiu pænitentiam agant, quamdiu illis præceptum fuerit. Conc. Turonen. 2. can. 16. & Lopez. loc. cit.

9 Laicus dimissa uxore S. Ordinibus initiatus, quomodo punitur?

℞ Ab Officio & beneficio suspensus, præter publicam pænitentiam, qualis blasphemis injungi solet, ad Monasterium ad certum tempus detruditur. Ita judicatum in sacro Inquisitionis Senatu, testatur Jacob. Septim. in Cath. instit. cap. 40. n. 14.

10 Clerici Societ. Jesu, post tria vota simplicia, possuntne Matrimonium contrahere?

℞ Non possunt: & si de facto contrahant, irritum & nullum est Matrimonium: sed hoc intelligendum est, quamdiu sunt in Religione, secus si egressi fuerint. De qua re videre licet Decretum propr. mot. Greg. XIII. 1584.

11 Clerici Minorum Ordinum, si contrahant, quomodo puniuntur?

℞ Nullâ pænâ, sed beneficia eorum, si quæ habent, ipsô factô vacant. c. 1. & 3. de Cleric. Conjugat.

## CAPUT LXIII.

## De Conjugio Leprosorum & servorum.

1 Leprosi possuntne contrahere matrimonium?

℞ Possunt: imò unus leprosus cum sana, vel è contra, debentq; invicem sibi reddere debitum, si contineri non possunt. c. 2. h. t, modò redditio non cedat in reddentis damnum notabile & infectionem, quod judicio Medicorum relinquunt DD. à Barbos. in Collect. Decretal. Lib. 4. t. 8. c. 2. n. 2. citati.

2 Gallicô morbô laboranti Conjugi, teneturne sanus reddere debitum?

℞ Non: propter notabile damnum & infectionem reddentis; nisi morbus gallicus, vel lepra præcesserit Matrimonium, idq; sciente altero conjuge. DD. à Barbos. loc. cit. n. 3. & 4. allegati.

3 Uxor, leprâ, vel aliô morbô infecta, petens à viro sano debitum, potestne eum excusare horror naturalis?

℞ Potest & debet excusare tantus, ut virgam aptam copulæ minimè reddat, quamvis infectionis cesset periculum. Sanch. de Matr. Lib. 9, disp. 24. n. 21. à Barbos. ut supr. n. 5. citat.

4 Lepra, vel alio morbo superveniente, potestne alter conjugum sanus petere divortium?

℞ Non, etiamsi matrimonium non sit consummatum. Abb. in c. fin. n. 2. h. t.

5 Lepra superveniente, possuntne sponsalia de futuro solvi?

℞ Possunt. dict. supr. cap. 32. n. 28. Nondum enim vinculum indissolubile, matrimonium, intercessit. c. fin. h. t.

6 Servus contradicente domino contrahens matrimonium, liberaturne per hoc à servitijs domino debitis?

℞ Negativè. c. 1. de Conjug. servor.

7 Si dominus servitium exigat, & eo ipso tempore Uxor debitum petat, cui nam obediendum?

℞ Uxori potiùs, ob periculum fornicationis & magnum ei præjudicium; cùm propter moram modici temporis, nullum, vel modicum fiat præjudicium domino. gloss. in d. c. 1. v. servitia. eod. tit.

8 Ubi consvetudo est, ut partus sequatur conditionem patris, natus ex libero & ancilla, liber ne est, & an, ut liber contrahit matrimonium?

℞ Affirmativè ad omnia: est enim talis consvetudo servanda in libertatis favorem per c. 3. eod. tit. Inspecto tamen jure Civili: partus sequitur conditionem ventris, & natus ex ventre servo subjicitur ei, qui ventris dominus est. l. Partum, C. de Rei vendic.

9 Quis debet probare servitutem in matrimonio?

℞ Ille, qui eam allegat. Abb. in c. fin. n. 6 eod. tit. Plura de hac materia Supra cap. 43. à. n. 4.

## CAPUT LXIV.

## De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

1 Unde dicitur interdictum?

℞ Quasi inter duos dictum, ut cùm Judex prohibet, ne Gemma contrahat cum Beryllo, donec prohibitio in suo judicio ventiletur & finiatur. §. Exhibitoria. Instit. de Interdict.

2 Quot modis fit hoc loci interdictum?

℞ Per legem, cùm lex certis anni temporibus matrimonia solenniter celebrari prohibet. ut dict. supr. cap. 42. n. 2. Per Judicem, cùm Judex pendente lite de matrimonio, vel eas, vel alias nuptias contrahi specialiter interdicit. c. 1. & ult. h. t. Et per Parochum, cùm Parochus ob impedimentum sibi delatum, vel ob ejus suspicionem sponsis interdicit, ne secum contrahant. c. 2. §. sanè. de Clandest. desp.

3 Stante aliquo horum interdicto, vel omnibus, dirimiturne matrimonium contractum?

℞ Non: licet contrahendum impeditur. Sed sponsi contra facientes interdicto, puniuntur, & interim separantur, donec constet de causa interdicti. c. 1. h. t. & Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. de Ref. Matr.

4 Estne irritum matrimonium, si contra prohibitionem temporalem Pontificiam ineatur?

℞ Negativè. Sanch. Lib. 7. disp. 2. n. 4. de matr. Reginald. in prax. pænit. Lib. 31. n. 189. Hoc enim Sum. Pontifex nunquam legitur tentasse. Navar. Cons. 1. n. 2. & Cons. 2. n. 3. h. t. Cæterum causâ svadente, quemadmodum in hac materia generalis Conditor legis; ita specialis, quò ad aliquos sponsos, & localis, quò ad aliquê locum est Sumus Conditor potestq; ex causa svadente inter aliquos interdicere matrimoniû. Hostien. in sum. h. t. in fin.

5 Potestne S. Pontifex aliquem perpetuò ad matrimonium ineundum reddere inhabilem?

℞ Quamvis ad continentiam perpetuam nemo, nisi ex proprio consensu, stringi possit, & imperari virginitas nequeat, cùm sit magis voti, quàm præcepti. can. Integritas. 32. q. 1. ac demum matrimonio in remedium concupiscentiæ à na-

tura indultô, nemo invitus privari queat; tamen in potestate id esse Summi Pontificis inhabilē aliquem ad matrimonium contrahendū perpetuò reddere, si delicti gravitas mereatur. Si enim ex causa libertas à natura cōcessa eripi possit per capitis diminutionem, cur etiam ad matrimonium aliquis exigente delicti gravitate non possit reddi inhabilis. *Sic fecit Urbanus V. ut testatur. Sanch. Lib. 7. disp. 1. n. 8.*

6 Si Consangvinei contrahant contra interdictum Ecclesiæ, vel Judicis, quomodo est procedendum?

℞ Debent separari, donec causa cognoscatur, & ob transgressionem puniri. *c. fin. h. t.* Qui verò scienter contraxerunt in gradu prohibito, excommunicantur. *Abb. d. c. fin. n. 4. h. t.*

## CAPUT LXV.

## De Donationibus inter Virum & Uxorem & de dote post divortium restituenda.

1 Quid est dos?

℞ Est pecunia, quæ ab uxore, vel alio ejus nomine, pro sustinendis oneribus matrimonij marito datur, vel remittitur. *l. 20. & aliis. C. de iure dotium.*

2 Quotuplex est dos?

℞ Duplex: *Profectitia*, quæ à patre, vel parente, idest ab avo paterno, vel proavo de bonis ejus aut facto profecta est. *l. 5. in princ. ff. de iur. dot. & l. 6. C. eod.* Et *Adventitia*, quæ à quovis alio, vel ex ipsius mulieris bonis data est. *d. l. 5. §. si pater. ff. eod.*

3 Quid est donatio inter Virum & Uxorem, alias propter Nuptias?

℞ Est illa pecunia, quam sponsus, vel alius ejus nomine facit sponsæ in securitatem dotis. *l. 19. & ult. C. de Donat. ant. nupt.*

4 Quare fit ista donatio propter Nuptias?

℞ Ut mulieri sit cautum de dote recuperanda solutô matrimoniô, si ea vel perierit, vel deterior facta fuerit culpâ mariti. Unde jure novissimo doti ita est adæquata, ut non modò pari quantitate constitui debeat; sed & iisdem pactis ac Constitutionibus. *l. 9. cum Authen. seqq. C. de Pact. Convent.*

5 Suntne aliquæ donationes propter nuptias prohibitæ?

℞ Omnes lucrativæ, quibus factis, donans fit pauperior in rebus suis, & recipiens locupletior; quæ si fuerint factæ, non tenent, nisi fuerint confirmatæ morte donatoris?

6 Quæ sunt permissæ donationes propter Nuptias?

℞ Omnes remunerativæ, ut si plebeius Nobilem ducat Uxorem, Vidua Adolescentem, rudis literatum, cui potest in compensationem præeminentiæ aliquid donare. *gloss. l. si voluntate. v. petendis. C. de Dotis promiss.*

7 Soluto Matrimonio ex causa licita, cui dos, & cui donatio restitui debet?

℞ Dos mulieri, aut ei, qui illam dedit. *c. 1. & 2. h. t.* donatio verò propter nuptias facta, marito, nisi de consvetudine, vel ex pacto de lucrandâ dote, contrarium inducatur. *c. fin. §. sane. h. t.* Bona autem quæ stante Matrimonio communiter conjuges acquisiverunt, æqualiter inter eos dividi oportet. *c. 2. h. t.*

8 Dos & donatio ex vetito Matrimonio scienter contracto, cui cedit?

℞ Fisco, nisi minor ætas, vel alius error taliter contrahentes excuset. *c. 5. h. t.*

9 Mulier ob adulterium judicio Ecclesiæ separata, perditne dotem?

℞ Affir. cedit enim lucro mariti innocentis. *c. 4. h. t.* cæterum non ipsô factô, sed per sententiam Judicis. *Sanch. Lib. 10. disp. 8. n. 13. Farinac. q. 142. n. 66.*

10 Mulier à marito expulsa, vel ejus sævitiam fugiens, si tunc fornicetur, amittitne dotem?

℞ Quamvis non deberet amittere isto casu, ne vir reportet commodum ex sua malitia; tamen veriùs est contrarium: quia Vir fornicationis mulieris fuit solùm causa remota, non ordinata ad adulterium. *l. 38. ff. de statu lib.* Et mulier quæcunque potiùs amittere deberet, quàm alteri dare sui copiam. *DD. in c. Sacris. de his. quæ vi &c.*

11 Mulier amissa dote per sententiam Judicis propter adulterium, si de simili adulterio Viri resciverit, potestne agere de restitutione dotis?

℞ Potest & lucratur eandem, imò & virum. Paria enim delicta, mutua compensatione tolluntur. *DD. in c. 4. h. t. & c. fin. de Adult.*

12 Vir propter adulterium, amittitne dotalitium, seu donationem propter nuptias?

℞ Amittit & cedit uxori innocenti, sicut dos nocentis uxoris, viro innocenti. *DD. d. c. 4. h. t.*

13 Si spiritualiter uxor fornicata fuerit, dos cui cedit?

℞ Fisco: quia non tam in maritum, quàm in Rempublicam peccat. *l. 3. de Bon. damnat.* & simpliciter inquit *Covarr. h. t. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 6. & seq.* quòd bona hæreticorum Fisco deferuntur.

14 Si in Rescripto alicui simpliciter delegata sit causa cognoscendi super matrimonio, non facta mentione de dote, potestne quidquam statuere de dote?

℞ Potest, tanquam de re accessoria & conjuncta matrimonio? *c. 3. h. t.*

15 Propter adulterium, uxor amittitne paraphernalia, utpote vestes, clenodia, lectisternia &c.?

℞ Affirmativam partem tenent *DD. in c. 4. v. Dotalitium. h. t.* sed non desunt; qui contrarium sentiant.

16 Donatio facta Concubinæ, valetne?

℞ Valet, modò non sit facta à Clerico, vel milite, & donator eandem scientibûs legitimis hæredibûs & creditoribûs exhibeat Concubinæ, alias in damnum alterius non valebit. *l. 2. C. de Donat. & Abb. in c. fin. n. 4. h. t.*

17 Post divortium licitum, aut mortem Viri, si dos non restituatur mulieri, unde debet sustentari?

℞ Si non habeat unde sustentetur, debet alimentari à marito, vel ejus hærede, usq; ad integram

gram restitutionem dotis cum fructibus, in quibus tamen computanda sunt alimenta data. *Abb: in c. 3. n. 6. h. t.*

18 Contrahentes contra impedimentum publicæ honestatis, lucranturne dotem?

℞ Non, si scienter faciunt, sed fisco cedit. *Abb. in c. 5. n. 11. h. t.*

19 Judex sæcularis estne competens in causa separationis propter adulterium?

℞ Non; sed Ecclesiasticus, *Abb. in c.4. n. 3. h.t.*

## CAPUT LXVI.

### Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari.

1 Quis potest Matrimonium coram Judice Ecclesiastico, ut dissolvatur, accusare?

℞ Si Matrimonium est dissolvendum ob frigiditatem, maleficium perpetuum, adulterium, errorem, conditionem, vel aliud impedimentum, non continens delictum Conjugum, tunc accusatio ad solos spectat conjuges; si verò delictum contineat, ut si in gradu vetito contrahendum vel contractum est, tunc quilibet ad accusationem, signanter tamen fiscalis officij, admittitur. *DD. in c. 2. h. t.*

2 Repelluntúrne aliqui ab accusatione Matrimonij?

℞ Repelluntur illi, qui tempore denuntiationum tacuerunt, nisi probabiliter ignoraverint cum juramento, quòd objecta de novo didicerint & quòd ex malitia, aut odio, vel quæstu &c. non accusent. *c. fin. h. t.*

3 Qui testes in matrimonio sint idonei?

℞ Si agatur de impedimento non continente delictum Conjugum, testes idonei sunt omnes notitiam habentes impedimenti: si autem agatur de impedimento delictum Conjugum continente, Parentes, Cognati, agnati, vel his deficientibus, antiquiores & honestiores. Hi enim notitiam affinitatis vel Consangvinitatis optimè scire supponuntur. *c. 3. h. t. & in.1.36.q.6.cum seqq.cann.*

4 Isti testes, quemadmodum & partes, debentne personaliter coram judice comparere?

℞ Affir. Literatorium enim testimonium est reijciendum. *c. 2. h. t.* nisi illos legitima causa excuset à comparitione personali, ut dicetur infr. de Testib.

5 In causa matrimonij absente reo, pussuntne recipi testes?

℞ Si agatur de fœdere & validitate Matrimonij, modò sint testes legitimi, possunt recipi, & Judex potest in Causa sententiari. *c. 1. h. t.*

6 Alterius Conjugum protestatio, valetne de non consentiendo in Matrimonium ad hoc, ut contractum dirimatur?

℞ Valet: modò fiat parte sciente & consentiente & protestans justo metu ad contrahendum matrimonium permoveatur. *Navarr. in sum. cap. 22. n. 78.* secus si fiat parte ignorante & metu recedente; quia protestatio contraria facto, nihil operatur *Idem Navar. Comment. 3. n. 14. de Regularib. & Janson. in l. 8. §. Morte. n. 14. v. secunda conclusio. ff. de nov. oper. nuntiat.*

7 Matrimonium metu initum, validaturne copulà metu gravi extortà?

℞ Negativè. *Menoch. de Præsump. Lib. 3 n. 31 cum seqq. Navarr. Ledesm. Henriq. Sanch. &c.*

8 Ad dissolvendum Matrimonium, quot testes requiruntur?

℞ Duo, omni exceptione majores; quia agitur de magno partis præjudicio. *c. 22. de Testib.* verùm ad impediendum matrimonium sufficit unus testis. *Sanch. Lib. 2. disp. 45. q. 4. n. 30.*

## CAPUT LXVII.

### De Conversione Conjugatorum.

1 Quid est conversio Conjugatorum?

℞ Est mutatio status unius in alterum. v.g. matrimonialis in Religiosum. *tot. tit. de Convers. Conjug.*

2 Alter Conjugum, potestne ingredi Religionem, vel ordinari?

℞ Potest, sed mutuo & libero alterius consensu, ita tamen, ut uxor, si sit juvenis, & de incontinentia suspecta, etiam Religionem ingrediatur, ac in ea profiteatur; secus si est senex, sterilis, & talis. quæ absq; suspicione manere in sæculo possit; quia tunc votum continentiæ ejus sufficiet, in manibus Episcopi emissum. *c. 4. & seqq. h. t.*

3 Sempérne in hoc casu requiritur authoritas & scientia Episcopi?

℞ Affir. *can. 23. 27. q. 2.* quamvis irrita non sit professio, si fiat sine authoritate & scientia Episcopi, modò consentiente, vel dissimulante uxore. Vir enim uxore mortua, ex hac ratione post professionem, cum alia matrimonium nec inire, nec ad sæculum redire potest. *c. 9. & 10. h. t.*

4 Potestne aliquo casu absq; consensu uxoris, Vir ingredi Religionem, vel ordinari?

℞ Potest: I. Si matrimonium necdum fuit consummatum, & tunc alteri in sæculo manenti liberum est ad secunda vota transire. *c. 2. & 7. h. t.* II. Etiam post consummatum, Uxor potest ingredi Religionem, si à Viro per vim fuerat cognita: gravis enim injuria ipsi illata est, propter quam jure suo privari non potest. *DD. in d. c. 7. h. t. Sanchez. Lib. 2. de Matr. disp. 23 n. 6. ubi alios citat.* III. Si alter Conjugum committat adulterium, tunc alteri innocenti licebit ingredi religionem. *can 21. 27. q. 2.* & colligitur ex *c. 15 16. & 17. h. t.* quod intelligitur, ut causâ cognitâ, separatio fiat authoritate Judicis, partim ad evitandum scandalum, partim ne repeti possit, & cogi ad redeundum; vel etiam intelligitur, si alter Conjugum, præstito consensu, alteri ingrediendi religionem, adulter factus est: *liquet ex allegat. jurib.* IV. Si alter labatur in hæresim, facta separatione judicio Ecclesiæ, alter innocens professus est religionem, tunc non tenetur, ad alterum etiam emendatum, & reversum, reverti, secus si non fuerit facta separatio judicio Ecclesiæ. *c. fin. h. t. junct. c. 6 de Divort.*

5 Mulier data facultate Viro ingrediendi Monasterium, quando & ipsa compellitur ingredi?

℞ Quando emisit votum castitatis, & castè non vixit,

vixit, compellitur adimplere votum & religionem ingredi, ut omnis tollatur suspicio: si verò nullum fecit votum, non potest compelli, sed poterit revocare maritum ex Monasterio. *c. 18. h. t.*

6 Mulier, quæ tali modò compellitur ingredi Religionem, compelliturne facere professionem absolutò annò?

℞ Non: quia ipsa non obstrinxit se votò religionis, sed tantùm compulsa est ad ingressum ob custodiam continentiæ. *Abb. d. c. 18. h. t.*

7 Maritus infidelis, potestne repetere suam uxorem factam fidelem?

℞ Si factus est fidelis & peregit pænitentiam, potest, sed mulier si monasterium ingredi velit, potest. Maritus enim adulter factus in fide, amisit potestatem in mulierem. *Abb. c. fin. h. t.*

8 Si quis ab uxore obtinuerit in scripto licentiam ingrediendi religionem, ipsa remanente in sæculo, poteritne?

℞ Si ipsa suspecta est de incontinentia, Episcopus debet ei restituere virum & compellere, ut exeat de Religione & cohabitet illi. *c. 1. h. t.*

9 Si Conjuges ad invicem voverunt continentiam ex mutuo consensu, & alter eorum ingrediatur religionem, talem ingredientem potestne alter revocare, ut simul vivant?

℞ Negativè: quia ambo simul renuntiaverunt usui Matrimonij, quò ad copulam; propterea non potest alter è monasterio revocari: cùm professio emissa sit strictior obligatio, & præferatur alijs causis. *c. 20. h. t.*

10 Si mulier det licentiam marito ingrediendi religionem, videturne eò ipsò vovere implicitè castitatem; cùm ipsa (ut supra dictum) vel ingredi religionem, vel votum solenne in sæculo emittere debeat?

℞ Videtur vovere implicitè: quia qui vult aliquid tacitè, videtur velle id omne expressè, quod est necessarium ad consequendum illud, quod cupit. *can.* 10. 33. *q.* 5.

11 Si uxor, datâ licentiâ marito ingrediendi religionem, ignoret se tacitè vovisse castitatem; poteritne eundem repetere?

℞ Poterit: quia hæc ignorantia est juris, quæ excusat mulierem. *Bald. in l. Cùm allegas. Col. 4. in princ. C. de usu.*

12 Si uxor, datâ licentiâ marito ingrediendi religionem, dolò & persvasionibûs circumventa, post professionem probatò dolò poteritne eum revocare?

℞ Si servavit continentiam in sæculo & probatò dolò & circumventione mariti (qui dolus nemini suffragari debet) poterit; si verò non servavit continentiam, etiamsi fuerit circumventa, non poterit eundem revocare. *c. 16. h. t.*

13 Si mulier per dolum det licentiam ingrediendi religionem, & maritus ante vel post ingressum comittat adulterium, poteritne eundem repetere?

℞ Affir. sive commiserit ante, sive post adulterium. *Abb. in d. c. 16. n. 7. h. t.*

14 Si mulier vi & metu adacta, det licentiam marito ingrediendi religionem, poteritne eundem repetere?

℞ Poterit: & in hoc casu sufficit metus reverentialis; quò probatò, poterit mulier maritum è monasterio propter periculum incontinentiæ revocare. *c. 17. h. t.*

15 Si mulier dedit licentiam per metum & tacuit per duos annos, poteritne maritum suum revocare?

℞ Poterit: quia consensus datus per metum, non præsumitur ratificari lapsu temporis. *Abb. in d. c. 17. n. 6. h. t.*

16 Conjugatus potestne promoveri ad sacros Ordines?

℞ Potest de licentia uxoris continentiam voventis in aliqua religione, nisi sit senex. *Abb. in c. 5. h. t. & gloss. ejusd. c. 5.*

17 Quæ est differentia inter Conjugatum ordinatum, & Conjugatum, qui ingressus est religionem, si uterq; id fecit de licentia Uxoris?

℞ Quia Conjugatus ordinatus tenetur alere uxorem, non verò conjugatus religiosus; quia hic vovit paupertatem. *Abb. in d. c. 5. n. 4. h. t.*

18 Clericus conjugatus poteritne de fructibus beneficij alere uxorem?

℞ Poterit, etiam filios, quamvis illegitimos. *Abb. ibid. n. 5.*

19 De licentia Uxoris ordinatus, poteritne ad Episcopatum promoveri?

℞ Poterit, sed uxor ejus priùs profiteatur aliquam religionem, etiamsi sit senex & sterilis. *c. 7. h. t. & ibi gloss. v. sacrum velamen.*

20 Concubinarius poteritne promoveri ad Episcopatum?

℞ Post longam pænitentiam & continentiam poterit. *Abb. in d. c. 7. n. 2. h. t.*

21 Uxoratus invita uxore professus religionem, tandem ab ea revocatus, mortua uxore tenebiturne redire ad religionem?

℞ Si noluerit, non tenetur, sed cum alia contrahere non potest. *c. 3. h. t.*

22 Professus religionem Uxore sciente vel dissimulante, illâ mortuâ, poteritne redire ad sæculum & aliam ducere?

℞ Non: quia tenetur adimplere votum; quod si aliam ducat, dirimendum est matrimonium. *c. 10. h. t.*

23 Si maritus voveat castitatem, poteritne exigere debitum?

℞ Non, sed reddere tenetur, quemadmodum & uxor, si voveat. *Abb. in c. 6. n. 2. & c. 9. h. t.*

24 Si maritus vivente uxore & consentiente vel non, voveat religionem, illâ mortuâ, tenebiturne in illa permanere?

℞ Affirmativè. *Abb. in d. c. 9. n. 22. h. t.*

25 Qui vovit castitatem consentiente uxore in sæculo, illâ mortuâ poteritne contrahere cum alia?

℞ Non, sed compellitur intrare religionem. *d. c. 9. h. t.*

26 Uxor sine consensu Mariti, potestne vovere jejunium, servare castitatem, dare eleemosynam, vel portare cilicium?

℞ Non: quia cùm non habeat potestatem sui corporis

poris

poris, illud non debet ineptum ad usum matrimonij reddere. *Abb. in c.* 1. *n.* 5. *h. t.*

27 Si quis nolit cohabitare uxori suæ, debetne compelli & per quem?

℞ Debet, per Judicem Ecclesiasticum ad cujus Officium id spectare dignoscitur. *Abb. d. c.* 1. *n.* 4. *h. t.*

28 Si Vir & uxor communi consensu voverunt continentiam, possuntne eandem non servare?

℞ Negativè, imò ad eandem servandam à Judice Ecclesiastico debent compelli: non enim communi consensu possunt se liberare ab obligatione Deo facta. *Abb. in c.* 1. *n.* 6. *h. t.* Si verò id ausi fuerint, filius tanquam ex sacrilego coitu natus, est illegitimus. *Abb. ibid. n.* 8.

29 Si sponsa efficiatur tertij Ordinis S. Francisci, dissolvunturne per id sponsalia?

℞ Non, sive sint de præsenti, sive de futuro: quia qui sub hoc tertio Ordine sunt, non profitentur, sicut religiosi, qui vivunt in Claustro; tertia enim regula instituta est etiam pro illis, qui vivunt in sæculo conjuncti matrimonialiter. *Abb. in d. c.* 9. *n.* 6. *h. t.*

## CAPUT LXVIII.

### De Divortijs seu Separatione thori.

1 Quid & unde dictum Divortium?

℞ Est dissolutio matrimonij, quæ utroq; Conjuge contingit. *can.* 1. 32. *q.* 7. Dictum à diversitate mentium; quia in diversas abeunt partes, qui distrahunt matrimonium. *l.* 2. *ff. h. t.*

2 Quotuplex est divortium?

℞ 2plex: quò ad vinculum, & quò ad separationem à thoro & cohabitatione, durante tamen matrimonij vinculo. *Valen. Libr.* 4. *t.* 19. *n.* 1.

3 Quot sunt causæ, propter quas separatur matrimonium quò ad vinculum?

℞ 14. ut dict. supra. *cap.* 43. *& seqq.*

4 Quot sunt causæ, propter quas separatur matrimonium quò ad thorum & cohabitationem.

℞ Sex: I. Mutuus consensus, ad perfectiorem statum acquirendum; ut si uterq; Conjux voveat perpetuam castitatem, aut ad religionem transeat. *c.* 1. *de Convers. Conjugat.* II. Fornicatio spiritualis, si nim: alter Conjugum labatur in hæresim, vel gentilismum. *c.* 2. *& 6. h. t.* III. Impulsio ad peccatum, propter quam alter alteri sine periculo offensionis divinæ, suspicionis apud homines, participationis in crimine, cohabitare nequit. *d. c.* 2 *h. t.* IV. Nimia sævities, nisi fortè maritus arbitriò judicis det sufficientem cautionem de non offendenda uxore. *c.* 13. §. *si verò. de Restit. spoliat.* V. votum ultramarinum ad eliberandam sanctam terram etiam invita uxore. *c.* 9. §. *Quod autem. de voto & voti redempt.* VI. Adulterium, per quod intelligitur omnis illicitus coitus, etiam contra naturam. *c.* 5. *h. t.*

5 Quibus casibus non separatur matrimonium quò ad thorum & cohabitationem?

℞ 1*mo.* propter adulterium materiale, ut si mulier vim passa fuerit. *can.* 3. 32. *q.* 5. vel eam quis fraude sub specie mariti cognoverit. *can.* 6. 34. *q.* 2. Caro enim non potest corrumpi, nisi mens fuerit corrupta. *can.* 2. 32. *q.* 5. 2*do.* propter paritatem adulterij, si nimirum tam Vir, quàm mulier pari crimine teneantur. *c.* 6. *& fin. de Adult.* Paria enim delicta, mutua compensatione tolluntur. 3*tio.* Si vir fuerit Uxoris author adulterij, veluti si eam prostituerit. Non enim potest petere puniri illud crimen, quod permisit. *arg. l. Gracchus C. ad l. Juliam. de adult. & Sanch. Libr.* 10. *disp.* 5. *n.* 5. *& 6.* 4*to.* Si Vir cognitò adulteriò uxoris, rem cum ea habuit. *can.* 4. *& 6.* 32. *q.* 1. *Abb. in c.* 5. *h. t.*

6 Potestne maritus ab uxore adultera propria authoritate recedere?

℞ Non potest, sed opus est authoritate Judicis spiritualis. *Navar. in man. Cap.* 22. *n.* 21. *Sanch. Lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 10. *h. t.*

7 Quando fit separatio ob nimiam sævitiem viri, quis debet alere uxorem, præcipuè si Uxor nullam dotem exhibuit?

℞ Vir, & quidem congruè & honestè. Non enim separatio hujusmodi facta est propter defectum mulieris, quemadmodum fit, quando separatur propter adulterium. Vir namq; licet habeat potestatem corrigendi uxorem, tamen hæc potestas debet fundari in charitate Christi & non in tyranidē declinare. *Abb. in l. c.* 8. *de Restit. spoliat.*

8 Quæ dicitur nimia sævities viri?

℞ Non solùm illa, ex qua possit mors sequi, sed etiam illa, ex qua sequi potest aliquod damnum scil. vulnus, incarceratio, mutilatio, læsio alicujus membri, negatio victus, vestitus necessarij, aut quid simile. *Abb. in c.* 8. *n.* 4. *de Rest. Spoliat.*

9 Quando fit separatio quò ad thorum & cohabitationem, quis Judex debet taxare alimenta necessaria præbenda à marito pro sustentatione mulieris?

℞ Ecclesiasticus considerata viri & mulieris qualitate, opulentia & divitijs; imò etiam vir expensas litis mulieri subministrare tenetur. *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 20. *de Ref.*

10 Si vir separatus ab uxore propter sævitiem, det sufficientem cautionem de non offendenda uxore, uxor verò probet capitale odium Viri contra se, debetne ei restitui sub dicta fidejussione?

℞ Non debet: quia ad conservandam vitam nulla sufficit fidejussio, & nemo potest, stante odio capitali viri præcipuè calidi & iracundi, fidejubere de non interfectione uxoris: cùm fidejussio satisdatioq; non immutet malevolum propositum. *c.* 13. §. *si verò fin. & gloss. c.* 8. *v. sufficienti. de Rest. Spoliat.*

11 Potestne fieri separatio absq; causa in jure non expressa?

℞ Non potest. *Sixtus V. Constit.* 46. Ad compescendam.

12 Lite pendente in causa Separationis vel divortij uxor ubi locari debet?

℞ In monasterio Monialium, vel apud consangvineos proximos, nec inde exeat sine Judicis sententia; quod si inde aufugiat & impudicè vivat, gravissimè punitur. *Sixtus V. dict. Constit.*

P 13 Se-

13 Separationes, in prædictis casibus, exceptô Adulteriô, suntne temporales an perpetuæ?

℞ Temporales & eousq; durantes, quousq; causæ earum durant, alias causa cessante, tenetur conjux ad alterum reverti. *Sanch. Libr. 10. disp. 15. n. 2. Saâ v. divortium. n. 9.*

## CAPUT LXIX.
## De Dispensationibus in Matrimonio.

1 Quid est dispensatio in Matrimonio?

℞ Est sublatio impedimentorum, quæ faciunt matrimonium nullum, vel quæ impediunt ejus usum. *Ugolin. de Off. & potest. Episcop. fol. 168.*

2 Quis dispensare potest in gradibus prohibitis?

℞ Summus Pontifex, etiam in secundo gradu, sed inter magnos Principes & ob publicam causam. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matr.*

3 Quis potest dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium?

℞ Summus Pontifex. *Tolet. in sum. Libr. 7. Cap. 18. n. 3.*

4 Qui impetrarunt dispensationem à Papa & ante præsentationem ejus Ordinario vel Delegato, habuerunt carnalem copulam; suntne puniendi?

℞ Sunt arbitriô Ordinarij vel Delegati. *Declarat. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 5. de Ref. Matr. v. facta relatione.*

5 Potestne in aliquibus impedimentis dispensare Episcopus?

℞ Potest, quæ nimirum matrimonium contrahendum impediunt, non tamen dirimunt contractum. *Palud. Lib. 4. dist. 28. q. 2. Armil. v. Matrimonium. n. 60. & Piasec. Prax. Episcop. p. 2. Cap. 1. n. 3. n. 11. & seqq.*

6 Potestne Episcopus in aliquibus impedimentis dirimentibus matrimonium contractum, dispensare?

℞ Authoritate ordinariâ non habet hanc facultatem, ut constat *ex Declarat. Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5. v. Episcopus.* secus authoritate delegata, quam passim habent Episcopi, & quando matrimonium est publicè contractum, impedimentum verò est occultum, ac separatio fieri non potest sine magno scandalo, nec facilè potest adiri, ob paupertatem contrahentium, Papa ac alijs de causis urgentibus. *Sylvest. v. dispensatio. q. 9. n. 15. Navar. in Man. cap. 22. n. 85.*

7 Potestne Episcopus dispensare in Cognatione Spirituali, orta post contractum matrimonium?

℞ Potest. *Joan. Andr. in c. 2. de Cognat. Spirit. Sylvest. v. Matrim. 8. q. 7.*

8 Si Episcopus dispenset in impedimento occulto & dirimenti, in quo foro dispensare videtur?

℞ In foro interiori: quia si impedimentum detegatur, Fiscalis contra tale matrimonium agere solet ad separationem, donec procuretur Apostolica dispensatio, licet tales mitiùs puniantur. *Sanch. Tom. 3. Lib. 8. disp. 6. n. 16. Enriq. de Matr. Lib. 12. Cap. 3. n. 1.*

9 Dispensatio obtenta à Papa inter Consangvineos cum falsa causa & narrativa, valetne?

℞ Non valet & est nulla, nisi postea Papa eandem confirmet. *c. 6 de Consang. & Aff. & Concil. Colonien. 2. p. 7. cap. 46.*

10 Quot sunt causæ, quibus Papa movetur ad dispensandum super Matrimonio?

℞ Undecem principaliores, constat ex praxi Curiæ Romanæ, quæ enumerantur in Remiss. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5 §. Idq; ex causa.* sed plures accumulant. *Navar. cap. 22. n. 87. Sarmient. Lib. 1. select. cap. 9.*

## CAPUT LXX.
## De Adulterio, Stupro & Incestu.

1 Quid est Adulterium?

℞ Est alieni thori violatio. *can. 15. 32. q. 5.* Adulterium enim committit, qui solutus maritatam accedit, vel è contra: eadem enim castimonia requiritur in marito, quæ in uxore. *cann. 19. 20. & fin. 32. q. 5.*

2 Committiturne Adulterium in Sponsa aliena?

℞ Quamvis per *l. 13. §. sed & in ea ff. ad l. Juliam. de adulterijs & per l. 7. C. eod.* committi videatur, tamen veriùs est contrarium, eò, quòd sponsalia de futuro, non tam ponant thorum, quàm spem thori, & non tam jus præsens, quam futurum. *l. 6. §. 1. ff. h. t.*

3 Quis potest accusare mulierem de adulterio?

℞ Si agatur de sola separatione thori, solus Maritus. *c. 4. h. t.* idq; intra 60. dies, *l. 6. ff. ad l. Juliam. de Adult.* Si verò agatur jure Civili ad pœnam mortis, post maritum, pater, frater, patruus, avunculus & alij, quos verus dolor incitat ad hoc, ne temerè liceat fœdare connubia. *L. 30. C. eod.*

4 In causa adulterij, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit violenta præsumptio, si nudus cum nuda in eodem lecto jacentes reperti sunt. *Abb. in d. c. 4. n. 5. h. t.*

5 Si Maritus Uxorem in adulterio deprehendat, potestne impunè adulterum occidere?

℞ Inspecto jure communi Civili, potest: sicut hoc & in Regno nostro Poloniæ consvetudine introductum erat, nulla tamen lex specialis invenitur, præter Statut. *Boleslai* Audacis, quòd ad Adulterarum ubera catuli canum admovebantur. *Cromer. in vita ejusdem Regis.* verùm jure canonico prædicta occisio, etiam in recenti crimine, non est permissa. *can 6. & seqq. 33. q. 2*

6 Potestne Maritus sua authoritate, quò ad thorū, separationem facere ob adulterium uxoris?

℞ Si adulterium sit publicum, potest: sed non potest lucrari dotem, nisi per sententiam; si verò non sit publicum, non potest absq; sententia Judicis; quia pæna non potest imponi, nisi per Judicem. *Abb. in c. 7. n. 6. h. t.*

7 Quibus modis palam dicitur fieri adulterium, ut Judex ex officio suo contra illud procedat?

℞ *1mo.* ut si mulier ita adhæsit alicui publicè, ut cum eo dormiat, vivat, ac si essent Maritus & Uxor. *2do.* Si palam admisit viros. *3tio.* Si filium habet ex alieno Viro. *Abb. in c. 6. n. 6. h. t.*

8 Maritus, teneturne cum adultera Uxore habitare?

℞ Non:

℞ Non: ne videatur esse patronus, ejus turpitudinis; si tamen adultera pænitentiam egerit, debet eam honestatis, & non necessitatis debito, (quia etiam post peractam pænitentiam potest eam accusare) recipere. *c.* 3. *& ibi. gloss. h. t.*

9 Si Vir cognoscat Uxorem post adulterium, poteritne amplius contra illam agere?

℞ Non, si scivit adulteram & cognovit; quia per conjunctionem carnis, ei pepercit. *DD. in c.* 7. *h. t.*

10 Propter crimen Sodomiæ, admittiturne separatio thori?

℞ Affir. quia major fit injuria Matrimonio per Sodomiam, quàm per adulterium. *Ioan. Andr. Anchar. & Archidiac. in c.* 4. *h. t.*

11 Si mulier dicat Sacerdotem secum commisisse adulterium, debetne ei credi?

℞ Si desint testes vel fortes præsumptiones saltim, non creditur ei propter authoritatem Sacerdotis. *c.* 5. *h. t.*

12 Quando quis cognoscit aliquam, & ipsa affirmat se esse virginem, vir negat, cui credendum?

℞ Mulieri, nisi vir probet contrarium. *Abb. c.* 1. *n.* 2. *h t.*

13 Si Maritus inveniatur adulter in fide, committendo crimen hæreseos, & mulier fiat adultera, compensanturne invicem adulteria?

℞ Negativè: quia in delictis diversi generis nulla fit compensatio; cùm unicuiq; delicto debeantur pænæ distinctæ & inæquales. *Abb. c. fin. n.* 4. *de Convers. Conjugat.*

14 Si uxor, facta separatione propter adulterium, probet cum suo Marito affinitatem, & Matrimonium declaretur nullum, poteritne recuperare dotem propter adulterium amissam?

℞ Negativè: I. quia mulier quantum ex se verum commisit adulterium; quia uxorata & non libera reputabatur. II. quia daretur occasio alijs mulieribus commitendi tam nefarium crimen, si hæc non puniretur in dote. III. quia sic violavit Matrimonium debet omnino puniri, ut sit cæteris mulieribus in exemplum. *l. si Uxor. ff. de Adulter.*

15 Maritus deprehendens uxorem in adulterio, poteritne ei indulgere, & punire in recenti adulterum?

℞ Negativè: nam si indulget uxori, & viro videtur indulgere. Majorem enim injuriam fecit ei mulier adultera, quàm vir: unde si relaxat, quod majus est, debet relaxare, quod minus est.

16 Mulier potestne accusare virum de adulterio, sicut vir mulierem?

℞ Non potest, quò ad pænam capitalem, bene tamen quò ad separationem thori; & tunc mulier justè lucrabitur dotem suam, & dotalitium datum propter nuptias, nec non arras, *Abb. in c.* 1. *n.* 2. *&* 3. *Ut lite non contest.*

17 Mulier adultera, potestne cogi invita, ut ingrediatur monasterium?

℞ Potest, etiamsi factâ reconciliatione ei vir pepercerit, non ut faciat professionem, quia tantò beneficiò non est digna, sed ut faciat pænitentiam pro suo adulterio. *c.* 19. *de Convers. Conjug.*

18 Potestne Episcopus excommunicare adulterum, vel adulteram?

℞ Potest, sed debet attendere, quòd sit publicum adulterium: ne sua excommunicatione faciat publicum, quod est secretum. *Abb. in c.* 6. *n.* 5. *h. t.*

19 Clericus adulter, qua pæna punitur?

℞ Post confessionem vel convictionem efficitur infamis, & depositus ab Officio & beneficio, ad monasterium pro agenda pænitentia perpetua detruditur. *Abb. in c.* 4. *de Judic. & can.* 10. *dist.* 81.

20 Clericus deflorans virginem, quam pænam incurrit?

℞ Debet cogi ad ipsam dotandam & præterea arbitriò Judicis secundùm qualitatem delicti & personæ, corporaliter castigatur. *Abb. in c.* 2 *h. t. n.* 2.

21 Potestne Episcopus cum Clerico adultero dispensare?

℞ Potest, & in alijs inferioribus criminibus. *DD. in c* 10. *de Iudiciis.*

22 Quando quis deflorat virginem, quæ dos ei debet assignari à Judice?

℞ Locupletior, quàm requirit qualitas ipsius personæ, propter injuriam factam virgini. *Abb. in c.* 1. *n.* 4. *h. t.*

23 Si Maritus dotet uxorem, quòd eam ante defloravit violenter, & matrimonium inter eos sine prole dissolvatur, dos illa ad quem pertinebit?

℞ Ad mulierem: quia eam jam acquisivit propter crimen à Marito commissum. *Abb. in d. c.* 1. *n.* 3. *h. t.*

24 Si tempore conceptionis mulier admittat viros alios, filius postea natus cujus præsumitur?

℞ Si Vir non erat absens, sed illo tempore habitabat cum uxore, filius præsumitur propter vim matrimonij legitimus, unde pro illo in favorem infantis judicandum est. *Abb. in c.* 6. *n.* 7. *h. t.*

25 Quid & quotuplex est Stuprum?

℞ Est illicita defloratio virginum aut viduarum honestè viventium. *l. Inter Stuprum. ff. de Verb. sign.* Et aliud est non violentum, idest cum consensu virginis, diciturq; defloratio. Aliud violentum, quod ponit injuriam supra fornicationem. *Zoes. in Decretal. Lib.* 5 *t.* 16. *n.* 14.

26 Stuprum de jure Civili quomodo punitur?

℞ Pæna mortis, si est perfectum, imperfectum, deportatione. *l.* 1. *in fin. ff. de Extraord. cognit.* ac in honestioribus, publicationis dimidiæ partis bonorum, in humilioribus coërcitionis corporalis cū relegatione. §. *Item lex Iulia. Instit. de Publ. jud.*

27 Stuprum de jure Canonico qualiter punitur?

℞ Stuprator Virginis honestæ, tenetur eam dotare & habere uxorem; nisi Pater nolit, quo casu dotasse sufficit. quod si ipse renuat eandem ducere, castigatus & excommunicatus, ad agendam pænitentiam in Monasterium detrudendus. *c.* 2. *h. t.* quod si eam non possit ducere ob affinitatem, matrimonium &c. nihilominus do-

tare debet. *arg. l. 22. §. Idem ait. ff de Recept. Arbitr.* Clericus autem præter dotem, pænâ pecuniariâ, vel carcere punitur. *Abb. in d. c. 10. de Jud. Vamts. Cons. 582. n. 5.*

28. Qui dicuntur Incestuosi?

℞ Qui consangvineis vel affinibus intra gradus prohibitos abutuntur, seu cum eis concubant. *can. 2. 36. q. 1. & can. 8. 35. q. 2.*

29 Quæ est pæna Incestûs?

℞ De jure Civili, quemadmodum & adulterij, capitalis. *l. 5. ff. de Quæstion.* De jure canonico, si est Clericus, deponendus est & beneficio privandus. *Jul. Clarus §. Incestus.* Excommunicatus ipsô factô. *Clement. un. de Consangvin.* potest tamen ab Episcopo absolvi. *gloss. in d. Clement.* Laici verò scienter matrem & filiam, duas Sorores cognoscentes, sicut & mulier è contra, pæna ultimi supplicij plecti jubentur. *ex Const. Pii V. Farinacc. in Addit. ad Jul. Clarum §. Incestus. n. 10.*

30 Nati scienter ex Incestuosis nuptijs, suntne legitimi & num succedunt Parentibus?

℞ Negativè. *can. un. 35. q. 7. l. si quis. & Authent. Incestus C. de Incestis nuptiis.*

# LIBER SECUNDUS
## *Continens Materiam Censurarum.*

### CAPUT I.
### De Excommunicatione.

1. Uid est Censura Ecclesiastica?

℞ Est pæna Spiritualis & medicinalis privans primario usu aliquarum actionum Spiritualium per Ecclesiasticā potestatem, ita imposita; ut per eandem ordinariè tolli possit. *Suar. de Censur. disp. 1. n. 5.*

2 Quot sunt species Censuræ Ecclesiasticæ?

℞ Tres: Excommunicatio, suspensio & interdictum. *c. 20. de Verb. Signif.*

3 Quid est Excommunicatio?

℞ Est Censura Ecclesiastica, qua Christianus à communione Ecclesiæ, quò ad fructum & ejus suffragia generalia & à qualibet licita fidelium communione excluditur. *S. Th. Suppl. q. 21. a. 1.*

4 Quotuplex est Excommunicatio?

℞ 2plex: *Major*, quæ est censura Ecclesiastica, privans hominem communione tam activa, quàm passiva Sacramentorum & hominum. *c. 8. 9. & 59. de sent. excom.* Et *Minor*, quæ tantùm separat à perceptione passiva Sacramentorum. *d. c. 59. eod. tit.*

5 Quotuplex est iterum Excommunicatio?

℞ 2plex: *Latæ sententiæ seu canonis est*, qua quis ab ipso solùm canone absq; Judicis ministerio innodatur. *Abb. in princ. Rubr. h. t.* Et *aliæ ferendæ sententiæ seu Judicis est*, quæ non incurritur; nisi præcedente Judicis declaratione. *c. 22. h. t. in 6.*

6 Danturne adhuc aliæ species Excommunicationis?

℞ Dantur: videlicet, *Vera*, quæ incurritur, ipso jure, aut ipsô factô & ligat absq; alia sententiæ declaratione, *gloss. in d. c. 22. h. t. in 6.* *Comminatoria*, quæ non ligat statim, sed expectat Judicis sententiam quia est lata ad terrorem. *Felin. in c. 35. n. 28.* de Rescript. *Justa*, quæ fertur cum omnibus circumstantijs. *Tolet. in sum. Lib. 1. cap. 10. n. 1.* *Injusta*, quæ caret aliqua ex circumstantijs, & fertur ex defectu causæ. *Tolet. ubi supr.* *Valida*, quæ fertur cum legitima causa & servatis omnibus de jure requisitis *Tolet ibid.* *Et invalida seu nulla*, quæ caret his solennitatibus. *Tolet. ibid.*

7 Quando est mentio de excomunicatione, simpliciter lata, quæ est intelligenda Major, vel minor?

℞ Non solùm minor, sed etiam major. *c. 59. h. t.*

8 Quæ sunt servanda in ferenda sententia excommunicationis?

℞ Trina monitio, contumacia, peccatum mortale, & quod feratur in scriptis. *Abb. in c. 3. de dol. & contumac.*

9 Excommunicatio lata servatis de jure servandis, omissa tamen monitione, valetne?

℞ Negativè, nisi sit latæ sententiæ declaratoria. Canon enim est pro monitione. *c. 48. & ibi gloss. h. t.*

10 Quam pænam incurrit Judex excommunicans, aliquem absq; justa causa, monitione & scriptura?

℞ Suspenditur per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ & divinis officijs. *c. 1. §. si quis h. t. in 6.*

11 Si in excommunicatione desit aliqua solennitas, excommunicatus eritne vitandus ab Ecclesia?

℞ Affirmativè, donec declaretur talis nullitas. *Victor. h. t q. 2.*

12 Cur, quando loquimur de excommunicatione, intelligendum est de majori, non minori, ut dict. n. 7. & quando dubitamus, an sit aliquis excommunicatus, excommunicatione latæ sententiæ, intelligendum est de comminatoria?

℞ Quia in primo casu sumus in jure: & sic intelligendum est de majori; cùm sit medicina animæ, unde præsumendum est Ecclesiam uti efficaciori medicina: in secundo verò casu sumus in facto; & sic judicandum est in favorem proximi pro minori damno.

13 Quæ differentia est inter anathema & excommunicationem majorem?

℞ Quò

℞ Quò ad vinculum nulla est differentia, nisi quò ad solennitatem. *can.* 106. 11. *q.* 3. *Covarr.* *n.* 6. *Abb. in c.* 3. *n.* 1. *de Off. Iud. Ordin.*

14 Excusatne aliquando ignorantia ab excommunicatione?

℞ Affir. quando nim. ignorans, quòd faciendo talem rem, incurro excommunicationem. In excommunicatione enim requiritur consensus voluntarius, qui non cadit in ignorantem. verùm ignorantia nunquam excusat in facto de sua natura damnato, puta sacrilegio, furto, adulterio &c. *Abb. in c.* 28. *h. t.* & *Covarr. in c.* 24. *n.* 8. *h. t. in* 6.

15 Quæ est ignorantia crassa & supina? *dix. Lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 15.

16 Exco^{cis} sententia transitne in rem judicatam?

℞ Neg: imò talis absolvi debet post 10. annos, si fiat deterior, etiam invitus: cùm enim excommunicatio est medicina, si non prodest, non est illâ utendum. *Ioan. An r. in c.* 1. *h. t. in* 6. & *Abb. in c.* 3. *n.* 5. *de Cohab. Cleric. & mulier.*

17 Excommunicatio potestne ferri sub conditione?

℞ Affirmativè. *Armill. v. Excommunicatio n.* 18

18 Si Excommunicatio feratur ab Episcopo visitante Diæcesim contra resistentes sibi, Contumacia, trina monitio & scriptura, requiruntur ne?

℞ Non: quia ipsa perturbatio, resistentia & prohibitio visitationis, sufficiunt in hoc casu, omissis alijs solennitatibus; imò. *Conc. Trid. Sess.* 24. *cap.* 10. *de Ref.* Episcopis omnimodam potestatem, ut procedant, tanquam Apostolicæ sedis Delegatis, tribuit. *Sylvest. v. excommunicatio.* 2. *n.* 13.

19 Si excomunic: feratur, ut omnes Clerici ad Processiones sub pæna exco^{cis} ipsô factô incurrenda, accedât, talis excomunicatio eritne valida?

℞ Erit, quia illa requisita insunt occultè in culpa futura. *Covarr in d. c.* 24. § 10. *n.* 1. *h. t. in* 6.

20 De culpa præterita potestne fieri excommunicatio sine præcedenti canonica monitione?

℞ Negativè, & si feratur, erit nulla. *Navar. in man. cap.* 27.

21 Majori excommunicatione, qui ipsô factô innodantur?

℞ Omnes hæretici eorumq; fautores, receptatores, falsarij literarum Apostolicarum, Simoniaci, effractores & spoliatores Ecclesiarum. *c.* 22. incendiarij, injicientes man9 violentas in Clericos, vel consentientes. *c.* 19. & 36. injici mandantes, vel non impedientes, licet possent. *c.* 47. *h. t.* Sunt & alij plures casus, quos videre licet in Corpore juris & alijs Authoribus.

22 Quid efficit excommunicatio major.

℞ Privat hominem tam activa, quàm passiva Sacramentorum participatione (ita ut ea nec dare, nec accipere possit, quod si det, fit irregularis) suffragijs Ecclesiæ, electione tam activa, quàm passiva, suspendit ab Officio & beneficio, liberat subditos ab obedientia superiorum excommunicatorum, à testimonio perhibendo & actoratu repellit, ecclesiasticâ sepulturâ spoliat. *c.* 18. *h. t. in* 6. *c.* 34. *de Elect. can.* 4. & 5. 15. *q.* 6. & *c.* 7. *de Iudic.*

23 Quid efficit excommunicatio minor?

℞ Privat perceptione Sacramentorum passiva, ita ut si suscipiat peccat quidem, non tamen est irregularis. *c.* 10. *de Cleric. excom.* electionem ad beneficia reddit talem, ut meritò irritari possit, licet eam defacto non irritet. *d. c.* 10. *de Cleric. excom*, & quòd tali excommunicatione innodatus, si conferat Sacramenta, peccat venialiter. *Covarr. d. c.* 24. *n.* 12. *h. t. in* 6.

24 Potestas & usus Censuræ Ecclesiasticæ, unde originem sumpsit?

℞ Non est dubitandum, (quidquid contra blaterent Lutherani & similes) quòd ab ipso Christo Domino: patet ex *Math.* 16 & 18. *Quodcunq; ligaveris super terram &c.* ubi verbum *ligaveris* per metaphoram optimè accomodatur Censuræ Ecclesiasticæ, quæ est vinculum seu ligamen quoddam, quo anima irretita tenetur. Post Christum verò, statim ab initio nascentis Ecclesiæ hæc potestas & usus inchoatus, ad hæc usq; tempora sine interruptione durat, quod liquet ex varijs Canonibus Apostolorum & SS. Pontificum.

25 Quibus igitur cōpetat hæc potestas & jurisdictio?

℞ Post S. Petrum Vicarium Christi, Sum. Pontificibus, Episcopis, Legatis Sum Pontificis, Vicario Electo à Capitulo sede vacante & pro tunc ipsi Capitulo, quod succedit in jurisdictionem Episcopalem jure proprio. Concilijs generalibus & Provincialibus, & alijs, quibus est communicata vel delegata jurisdictio. *c. Veniens & ibi gloss. de Eo, qui Ordin. furt. suscep.*

26 Potestne ista potestas excomunicandi, delegari Laico?

℞ Cùm sit ista potestas & jurisdictio de jure positivo, Sum. Pontifex, qui est supra jus positivum, potest eam delegare Laico, quod non facit, sed Clerico saltim primâ Tonsurâ initiato *gloss. in can.* 6. *dist.* 32.

27 Quis & contra quem excommunicationis sententiam profert?

℞ Qui habet jurisdictionem propriam vel delegatam spiritualem, idq; vel in Laicum, vel in Clericum etiam Principem, Regem &c. subditos, ferri & pronuntiari potest, modò in singularem personam, non in Universitatem, vel Collegium pronuntietur: *c.* 5. *h. t. in* 6. Ratio est, quia bona, quibus privat excommunicatio sunt personalia & ad singulos spectant: unde si feretur in universitatem, contingeret aliquos innoxios hac sententia irretiri. *can.* 31. 11. *q.* 3.

## CAPUT II.

### De Ministro excommunicationis.

1 Quis potest proferre sententiam excomunicationis, num etiam Laicus. *ict. immediat n.* 25. & 26.

2 Fæmina habens jurisdictionem, ut aliquæ Abbatissæ, potestne excommunicare?

℞ Negativè quia talis jurisdictio pertinet ad potestatem Clavium, quæ fæminæ non sunt datæ. Et licet B. V. Maria longè dignior & excellentior fuerit omnibus Apostolis, tamen illi Christus Dominus Claves regni Cælorum non commisit, *c.* 10. *de Sent. excomm.*

3 Simplex Sacerdos, vel Parochus, poteſtne excommunicare ſuos ſubditos ?

℞ Negativè; quia non habet juriſdictionem judicialem, niſi eam ſpecialiter delegatam habeat ab Epiſcopo. *Tolet. in ſum. Libr.* 1. *cap.* 6. *n.* 2.

4 Poteſtne Epiſcopus, in aliena Diæceſi propter expulſionem exiſtens, ſuos ſubditos excommunicare ?

℞ Affir. Eſt enim illi in hoc caſu de jure conceſſum. *Clement. unic. de Foro competen.*

5 Poteſtne Epiſcopus, excommunicare ſuum ſubditum pro delicto commiſſo in aliena Diæceſi ?

℞ Non poteſt: quia delicta quò ad punitionem ſequuntur forum loci. *DD. in d. Clement. un. de foro.*

6 Excommunicatus una excommunicatione, poteſtne iterum excommunicari in alia Cauſa ?

℞ Poteſt, ſive ab hoc, ſive ab alio Judice competente. *S. Th. in* 4. *diſt.* 18 *q.* 2. *a.* 3.

7 Sententia lata à Judice excommunicato, tenetne?

℞ Non, ſi ſit publicè excommunicatus. *c.* 24. *de ſent. & re judic.* ſecus ſi ſit occultè: *Abb. in d. c.* 24. *de ſent. & re judic.*

8 Excommunicatio lata à Judice, qui mortuus eſt, vel juriſdictioni renuntiavit; valetne?

℞ Valet, quò ad eos, qui ante mortem, vel renuntiationem eam incurrerunt; non verò ad eos, qui poſt mortem, vel renuntiationem; quia talis excommunicatio exſpirat morte, vel renuntiatione mandantis. *Molin. v. Excommunicatio.*

9 In Interdicto generali v. g. Sum. Pontificis, comprehenduntur Epiſcopi ?

℞ Negativè. *c.* 4. *de Sent. excomm. in.* 6.

10 Poteſtne Epiſcopus proferre ſententiam exco[m]s in ſubditum ſuum exiſtentem extra ſuam Diæceſim ?

℞ Poteſt; ſi ſubditus hujuſmodi deliquit in Diæceſi, & fugit in aliam, tunc prævia citatione, eundem perpenſò delictò excommunicare, ac fructibûs & proventibûs privare licebit. *DD. in c. fin. de for. compet n.*

11 Epiſcopus excommunicatus, poteſtne alium excommunicare ?

℞ Cum diſtinctione, ut dixi n. 7. immediatè. Poteſt, ſi eſt occultè excommunicatus; quia talem Eccleſia non privat juriſdictione: ſecus ſi manifeſtè. *Sot. in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2 *a.* 1

12 Poteſtne Epiſcopus ligare abſentes, ſi generaliter proferat ſententiam excommunicationis per viam ſtatuti ?

℞ Negativè. *c. fin. de Conſtit. in* 6.

13 Quando Judex Eccleſiaſticus, & quomodo debet uti excommunicatione ?

℞ Quando alia non proſunt remedia, licet fuerint adhibita, & qualitas delicti correctionem expoſcit. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *Cap.* 3. *de Ref.* Unde in cauſis Civilibus, quando poteſt fieri realis, vel perſonalis executio, Judex Eccleſiaſticus gladium ſpiritualem non vibret. *d. Seſſ.* 25. *Cap. eod.*

14 Poteſtne Epiſcopus excommunicare aliquem, propter debitum Civile ?

℞ Non poteſt, niſi ſit contumax: ſed debet procedere contra illius bona ejuſq; perſonam. *d. Seſſ.* 25. *Cap. eod.*

15 Si quis dicat, ſe velle eſſe incarceratum & non excommunicatum, quid Judex facere debet?

℞ Debet eundem abſolvere & incarcerare; quia excommunicatio fuit ſolùm in ſubſidium, donec deprehenderetur. *d. Seſſ.* 25. *Cap. eod.*

16 Excommunicatus, ſi promittat ſtare juri, pæniteat de contumacia, eſtne ſtatim abſolvendus ?

℞ Eſt. *Declarat. Conc. Trid. Seſſ.* 25. *Cap.* 3. *de Ref. v. Excommunicationis. verò.*

17 Quando aliquis debitor, ita eſt pauper, ut nullatenus Creditori ſuo ſatisfacere valeat, debetne excommunicari ?

℞ Non, imò ſi eſt excommunicatus, debet abſolvi; ne illi hujuſmodi medicina potiùs ad perniciem, quam ad ſalutem proſit. *Conc. Trid. loc. cit.*

18 Mulctæ pro inſordeſcentia in excommunicatione, cui applicari debent ?

℞ Pijs locis, nec valet contraria conſuetudo, per quam pars etiam minima applicatur Vicario, pars Cameræ Epiſcopali. *Declar. Card. Concil.* §. *Qua piis locis. n.* 10.

19 Contumacia quomodo debet conſtare Judici, ut decernat excommunicationem ?

℞ Ex legitima trinæ citationis executione, aut etiam, ſi citatio verbalis ſit, Executoris fideli relatione, quòd nimirum citatus ſit inobediens, ſe & ſua bona, ne in ea fiat executio realis, abſcondat &c, His itaq; viſis Judex decernat excommunicationem. *DD. ſuper d. Seſſ* 25 *Cap.* 3 *de Ref.*

20 Poteſtne Epiſcopus recuſantem ſolutionem Decimarum excommunicare, abſq; eo, quòd poſſit fieri in bonis ejus executio ?

℞ Poteſt: quia decimæ ſunt alimenta Clericorum, nec tenetur eum abſolvere, niſi in eventu plenæ extraditionis decimarum. *Conc. Trid. Seſſ.* 25 *Cap.* 12. *de Ref.*

21 Poteſtne pars, ad cujus inſtantiam altera pars innodata eſt cenſuris, eaſdem poſt ſatisfactionem removere ?

℞ Negativè: ſi jam incidit in excommunicationem; quia pars non habet poteſtatem ligandi vel ſolvendi, ſed ſolùm in abſolutionem conſentiendi: Cujus autem eſt ligare, ejus & tollere. *c.* 3. *&* 1. *de Off. Judic. Ord.*

22 Si talis excommunicatio eſt injuſta, poteritne ab aliquo tolli, ſine Judicis authoritate ?

℞ Per allegatam legem negativè?

23 Valetne ſententia Judicis Delegati lata ante præſentationem Commiſſionis ?

℞ Negativè. *Saa. v. Excommunicatio. n.* 10.

24 Si Epiſcopo, Princeps ſæcularis committat cauſam ſui ſubditi, poteſtne uti in illa excommunicatione ?

℞ Negativè: repræſentat enim perſonam Principis ſæcularis, cui poteſtas Clavium non eſt conceſſa. *Angel. v. Excommunicatio.* Cognitio enim in materia excommunicationis ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum. *Conc. Trid. Seſſ* 25. *cap.* 3. *de Ref.*

25 Judex, ſi ipſe in excommunicationem inciderit, poteritne à ſe excommunicatum abſolvere ?

℞ Ne-

℞ Negative, si est publicè excommunicatus, secus, si occultè. *Tolet. in Sum. Lib. 1. Cap. 16. n. 12.*

26 Declaratio excommunicationis, quomodo debet fieri?

℞ Parte citata, alias est nulla. *Felin. in c. 35. de Rescript.*

27 Quis dicitur injicere manus violentas in Clericum?

℞ Qui percutit, manibus, sive pedibus, in eum spuit, aquâ perfundit, post vestem detinet, multò magis, si eam rumpit, in rem ab eo detentam manum mittit, *can. 29. & ibi gloss. v. Manus 17. q. 4. can. 13. & ibi gloss. 33. q. 3. & can. 27. 2. q. 7.* equum, cui Clericus insidet, ne abeat, fræ-nat, aut occidit, in carcere aut etiam in hypocausto cum violentia, quamvis non ligatum detinet, cum furore tanto persequitur, ut faciat illum præcipitem in flumen deijcere, vel pati aliquod periculum, aut discrimen ac omnem injuriam, licet non violentam. *c. 19. & 36. de senten. excomm. & ibi gloss.*

28 Judex sæcularis deprehendens Clericum sine habitu & tonsura immiscentem se rebus obscœnis & profanis, eundem comprehendit, incarcerat, inciditne in *can. Si quis suadente*?

℞ Non: quia per hujusmodi delictum talis Clericus amittit, privilegium canonis non absolutè, sed tantùm quò ad incarcerationem; quia postea ad suum Judicem Ecclesiasticum debet remitti, cum suo processu pro pœnis sumendis. *c. 1. de Apost. & reiteran. baptism. ac ibi Abb. & c. 35. de sent. excommun.*

29 Si Judex prædictus cognoscat taleClericum esse Canonicum vel beneficiatum alicujus Ecclesiæ, poteritne eum comprehendere, incarcerare absq; metu *d. can. si quis suadente*?

℞ Quamvis meliùs faciat, si eum absq; violentia ad Episcopum vel ejus Vicarium conducat, non tamen incidet in can. si quis suadente, etiamsi præmissa fecerit. Non defendit enim Ecclesia Clericos in criminibus comprehensos & detentos. *d. c. 1. & ibi gloss. de Apost. & reit. bapt.*

30 Si Judex sæcularis inveniat Clericum noctu indutum longô palliô, vel vestitu, cum armis offensivis vel defensivis, poteritne eum absq; metu *d. can. si quis suadente* incarcerare.

℞ Si illum inveniat enormitatibus se immiscentem, dantem operam rei illicitæ, ut libidini furto, incendijs, violationibus domorum &c. poterit eundem incarcerare & ad Judicem proprium, ut supra remittere; sed si eum inveniat in rebus non prohibitis, non potest in eum sævire, potest tamen Superiori ejus significare. Clerico enim præcipue noctu ad sui defensionem delatio armorum non est prohibita, nisi per hoc amittit privilegium, nisi se, ut dictum enormitatibus immisceat, & sic intelligitur tex *in d. c. 1. de Apost. & reiter. baptism.* ac sic eum DD. exponunt.

31 Judex sæcularis injjciens manus violentas in Clericum prætextu suæ jurisdictionis, à quo debet absolvi, & qua pœna puniri?

℞ Cùm incidat ipsô factô in can. Si quis svadente, debet absolvi à Papa & puniri ad arbitrium. Quia talis Judex nullam habet, nec de jure habere potest, etiam colore & prætextu officij sui, jurisdictionem in Clericum, qui eum dignitate excellit. *c. 3. de sent. excom. & Clement. 1. de Pœnis.*

32 Si talem Judicem pro injectione manuum in Clericum, Episcopus declaret in Canonem incidisse & pro absolutione ad Sum. Pontificem remisisse, talis interim Judex in articulo mortis constituatur, à quo debet absolvi?

℞ A quocunq; sacerdote etiam simplici; illi enim extrema necessitas hanc tribuit jurisdictionem, si tamen convaluerit, tenetur se quàmprimùm, sub reincidentia ipsô factô, conspectui Romani Pontificis præsentare. *d. Clemen. 1. §. jane de Pœnis*

33 Si aliquis Clericus Judici sæculari, vel alteri personæ volens vi rem temporalem eripere, vel aliter injuriare, illum provocaverit ad pugnam, poteritne judex, ut se defendat, vel majus malum evitet, absq; metu *d. can. si quis* in Clericum violentas manus injcere?

℞ Poterit: quia vim vi naturaliter repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ tam in propria persona, quàm in bonis. In hoc enim casu Clericus dedit occasionem pugnæ & privilegium d. can. Si quis, non datur Clerico agenti, sed patienti. *Abb. in c. 1. n. 1. & 5. de Rest. spoliat. & d. c. 3. §. Si verò. de sent. excomm.*

34 Judex vel Laicus, Clericum non dantem operam rebus obscœnis, sed licitis percutiens, incurrit ne in canonem & à quo debet absolvi?

℞ Si leviter & jocò percutiat, non incurrit *can. 29. & ibi gloss. v. Violentas 17. q. 4.* secus si ratione officij, utendo propria potestate percutiat, etiam leviter, incurrit à Papa absolvendus. *d. c. 3. v. Officialis. de sent. excomm.*

35 Judex sæcularis, Ecclesiastico Judici procedenti etiam contra decreta Concilij Tridentini, potestne prohibere, ne sibi subditos excommunicet?

℞ Negative: quia Judex sæcularis super Judicem Ecclesiasticum nullam habet potestatem, & cognitio in materia excommunicationis ad Judices Ecclesiasticos, non verò sæculares, spectat. *Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Ref.*

36 Si Judex sæcularis excommunicatum in actibus judiciorum suorum admittat, defendat, faveat vel occultet, poteritne à Judice spirituali excommunicari?

℞ Poterit, præmissa monitione, defendendo suam jurisdictionem ad quam se laici intromittere non debent. *can. 1. dist. 96. & c. 2 de Judic*

37 Judex Ecclesiasticus, Professor, Abbas, Prælatus, si faciat percuti Clericum usq; ad effusionem sangvinis, indigentne absolutione?

℞ Si tales habeant in Clericum jurisdictionem magisterium, vel superioritatem & percuti faciant correctionis causâ & animô eum emendandi, non indigent absolutione neq; ipsi, si manu propria faciant, neq; mandatarij; quia supplicium & pœnitentia pro culpis & delictis, non solùm est licita in Ecclesia, sed etiam necessaria; modò in tali supplicio modus non excedatur & fiat

& fiat animò correctionis, non vindictæ. c. 1. & 6. 54. §. fin. de sent. excomm.

38 Judex Ecclesiasticus, Prælatus, Abbas, Superior, qui mandat laico, ut injiciat manus violentas in Clericum, inciditne in Canonem siquis?

℞ Affir. tam mandans, quàm injiciens; & à Papa debent absolvi, si id faciant sine necessitate, solùm animò injuriandi. DD. in c. 36 de sent. excomm. & c. 6. §. illi verò. de senten. excomm.

39 Cur igitur in c. 10 de sent. excomm. dicat Papa: quod si laicus injiciat manus violentas in Clericum, se defendendo, aut de mandato suorum Superiorum: non indigeat absolutione?

℞ Hæc difficultas solvitur. ex c 36. de sent. excomm. si nimirum Superior aliter Clericum corrigere vel incarcerare nequeat, nisi cum brachio laici; tunc & superior & laicus propter injectionem manuum in Clericum liberi sunt à canone si quis, modò eorum violentia non excedat resistentiam Clerici. Et in isto casu loquitur textus allegatus. c. 10. de sent. 14.

40 Impuberes, vel etiam puberes, sed joco, aut adinvicem Clerici seipsos percutientes, à quo debent absolvi?

℞ Ab Episcopo: quia illos ætas, hos levitas jocosa excusat. c. 1. de sent. excom.

41 Regulares se adinvicem intra Claustrum percutientes, à quo absolvuntur?

℞ A suo superiore, qui si sit indiscretus ad Ordinarium liberum habent recursum. c. 2. eod. tit.

42 Mulieres, vel aliæ personæ percutientes Clericos, à quo debent absolvi, si dubitatur de accessu earum ad Sum. Pontificem?

℞ Ab Episcopo. c. 6. & 11. eod. tit.

43 Moniales se invicem percutientes, aut Conversas, vel etiam Clericos, à quo absolvendæ?

℞ Ab Episcopo loci, si verò Monasteria sint diversarum Diœcesum, ab utroq; Episcopo. c. 33. & ibi gloss. eod. t.

44 Qui in Clericum consentientem in injectionem manuum, manus violentas injecit, à quo absolvendus?

℞ A Summo Pontifice. c. 36. eod. tit.

45 Si quis habeat privilegium, ut non excommunicetur ab Ordinario, &, Ordinario de privilegio hujusmodi ignorante, excommunicetur, valebitne excommunicatio?

℞ Non: sed tale privilegium Ordinario monstrandum est ante excommunicationem, ne post, aliquod generet scandalum, Abb. in c. 4. n. 14. de Restit. spoliat.

46 Quando in excommunicatione ferenda, requiritur monitio?

℞ Quando fertur pro præcepto negativo, ut cum dicitur, qui non residet ad Ecclesiam, qui tali die non est confessus &c. quia nos latet, an talis habet justam aliquam causam: proinde facta monitione, patet ejus contumacia digna excommunicatione. In præceptis verò affirmativis non requiritur monitio, sed sufficit delicti commissio, sicut in raptore rerum Ecclesiæ, percussore Clericorum DD. in c. 30. §. Qui verò. de Præben. & dignit. Abb. in c. 3. n. 2. de Raptor.

47 Quando Judex Ecclesiasticus ex præsumptionibus ad excommunicationem procedit, quam sententiam debet ferre?

℞ Moderatam & raro, proferreq; debet, ut talis propter præsumptiones & magnum excommunicationis periculum ad cautelam absolvatur. Abb. in c. 2. de Cohab. Cleric. & Mulier.

48 Clerici sæculares, possuntne injicere manus violentas in Regulares, volentes eos spoliare aliqua dignitate, præcedentia, loco, absq; pæna excommunicationis?

℞ Si sit res corporalis & Regularis eandem vi occupet sitq; aggressor; tunc Clericus potest sine metu excommunicationis eum expellere ab illo loco: si verò res sit spiritualis, veluti præcedentia, & potest defendi viâ juris absq; violenta manuum injectione; tunc abstinendum est ab ea. Ego putarem semper abstineri, ne detur scandalum Laicis per Ecclesiasticos, quibus semper debent esse in omni actione exemplò. Abb. in c. 12. n. 22. de Rest. spoliat.

49 Probationes imperfectæ, sufficiuntne ad probandum aliquem incidisse in excommunicationem?

℞ Affir. propter magnum animæ periculum: quia excommunicatio est timenda, & ita sufficit fama cum alijs conjecturis ad probationem. DD. in c. 1. de Usuris. in 6.

50 Declarare aliquem esse excommunicatum, vel incurrisse in excommunicationem, ad quem Judicem spectat?

℞ Solùm ad Judicem Ecclesiasticum, & parte citata, aliàs declaratio est nulla. Felin. in c. 35. de Rescript.

## CAPUT III.

## De Suscipiente Excommunicationem.

1 Summus Pontifex potestne excommunicari?

℞ Negativè: quia est supra legem humanam, & nullius subjacet judicio. can. 13. & ibi gloss. 9. q. 3.

2 Imperator, Reges, Principes magni, possuntne excommunicari, & à quo?

℞ Possunt, licet raro: sunt enim & numerantur inter Oves D. Petro commissas. can. 10. dist. 96. Extravag. Comm. 1 §. In hac. v. Oportet. de Majorit. & obedien. idq; à Sum. Pontifice. d. can. 10. dist. 96.

3 Episcopi, Cardinales, Patriarchæ, possuntne excommunicari?

℞ Possunt, etiam à simplici Sacerdote à Sum. Pontifice delegato. DD in c. 21. de sent. Excomm.

4 Quos ligat excommunicatio?

℞ Subditos tantùm utriusq; sexus. d. c. 21. de sent. excomm.

5 Universitas, Collegium, Communitas, potestne excommunicari?

℞ Non: quia peccatum, ob quod fertur excommunicatio, est particulare, & particularium personarum, non Communitatis: unde si accidit Communitatem excommunicari, intelliguntur illi excommunicati de Communitate, qui delicto,

pro quo excommunicatio fertur, consenserunt. *c. 5. §. fin. de sent. excomm. in 6.*

6 Qui adhuc non possunt excommunicari?

℞ Qui non sunt baptizati;ut Judæi & omnes infideles & si sint Catechumeni. Ratio. quia non potest præscindi à corpore Ecclesiæ, qui non est de Ecclesia, nec communione privari, qui eam non habet. *Tolet. in Sum. Lib. 1. Cap. 7. n. 3.*

7 Mortui, possuntne excommunicari?

℞ Non: quia non subjacent post mortem Ecclesiæ, jamq; non censentur contumaces: possunt tamen per Judicis Sententiam declarari excommunicati, ut humata eorum corpora in loco sacro, exhumentur, & extra locum sacrum sepeliantur vel comburantur, & ne pro illis oretur bonaq; eorum confiscentur. *c. 8. §. In eo verò De Hæretic. in 6.*

## CAPUT IV.
## De Participantibus in Excommunicatione.

1 Communicans cum excomunicato, quam pænam incurrit?

℞ Excomunicationis minoris. *Navar. Cap. 27 n. 25.*

2 Communicans cum excommunicato in Crimine, quam pænam incurrit?

℞ Excommunicationis Majoris. *c. 55 de sent. excomm.*

3 In quibus licet & in quibus non, communicare cum Excommunicato?

℞ Licet in his:

*Utile, lex, humile, & res ignorata, necess.*

Sed non licet in his.

*Os, orare, vale, communio, mensa, negatur. gloss. c. 15. de Sent. Excomm.*

4 Si quis daret eleemosynam excommunicato, quā pænam incurrit?

℞ Nullam; quia est actus charitatis à Deo præceptus. *can. 103. 11. q. 3.*

5 Si quis ex contemptu communicat cum excommunicato, quam pænam incurrit?

℞ Majoris exco'is. *DD. in d. c. 55 de sent. Excomm. & can. 13. dist. 18.*

6 Metu, potestne aliquis excusari à communicatione cum excommunicato?

℞ Quamvis metus attenuet culpam, eam tamen prorsus non excludit. Pro nullo enim metu peccatum mortale debet quis incurrere: secus verò, si quis communicat cum excommunicatis per vim attractus; quia talis ab excommunicatione excusatur. *c. 5. & ibi gloss. de iis, quæ vi metusve.*

7 Qui animo non consentit & communicat cum excommunicatis, estne excommunicatus?

℞ Negativè: sola enim conversatio cum excommunicatis, sine consensu interno ad iniquitatem eorum, non inducit excommunicationem *can. 105. 11. q. 3.*

8 Quando dicitur quis participare cum excommunicato in Crimine?

℞ Quando nimirum dat illi auxilium, consilium, vel eundem aliquo prosequitur favore, idq; sciens ipsum esse in actuali excommunicatione. *c. 18. de sent. excomm. & Tolet. in sum. Lib. 1. cap. 3. n. 1.*

9 Ut communicans cum excommunicato excommunicetur, qualis requiritur monitio, generalis vel specialis?

℞ Si Judex intendat excommunicare generaliter omnes participantes cum excommunicato, debet esse monitio generalis, quæ apponi solet in literis excommunicationis: si verò intendat excommunicare particulariter, debet fieri monitio specialis. *c. 3. & ibi gloss. de sent. excomm. in 6.*

10 Possuntne Conciones haberi apud excommunicatos & interdictos?

℞ Possunt ad eorum conversionem. *c. 43. de sent. excom.*

11 Si qui communicaverint cum excommunicato, possuntne eum accusare de excommunicatione?

℞ Negativè: qui enim alicujus mores priùs approbat, eosdem reprobare non potest *c. 46. eod. tit.*

12 Celebrans scienter coram excommunicato, quam pænam incurrit?

℞ Est redarguendus & arbitriò Judicis puniendus, non tamen incurrit irregularitatem, cùm id in jure non sit expressum. *c. 18. eod tit. in 6.* Irregularitas verò non incurritur, nisi in casibus à jure expressis. *Covar. in Clement. si furiosus. p. 1. à n. 3. de homicid.*

13 Clerici tenenturne usq; ad sangvinis effusionem excommunicatum ex Ecclesia ejcere?

℞ Non, nisi adsit contemptus fidei vel Ecclesiæ. *Victoria de Excommunicatione. q. 22.*

## CAPUT V.
## De Pœnis excommunicationis

1 Laici facientes statutum contra Clericos vel libertatem Ecclesiasticam imponentes ei gravamina, quam pænam incurrunt?

℞ Ipso jure sunt excommunicati. *c. 3. § Nos igitur & c. fin. de Immun. Eccles. in 6. Const. Provinc. Gnesn. Lib. 3. eod. tit. §. Eos qui.*

2 Collatio beneficij facta excomunicato, valetne?

℞ Non valet, nisi sit facta à Papa, qui conferendo beneficium, absolvere solet ab omni vinculo Censurarum. Item non valet facta à Collatore Censuris innodato. *DD. in c. 8. de Cleric. excomm. ministr. & Fel. in c. 9. de Except.*

3 Clausula absolutionis à quibusvis Censuris in Collatione per Papam beneficij addita, comprehenditne insordescentes in Censuris?

℞ Non, propter eorum duritiem. *Tolet. in summ. Lib. 1. cap. 13. n. 2.*

4 Excommunicatus minori excommunicatione, quam pænam incurrit?

℞ Peccat. *Sot. in 4. dist. 2. a. 3.*

5 Excommunicatus exercens Ordinem sacrum, quam pænam incurrit?

℞ Irregularitatis: si verò non sacrum Ordinem exerceat, non incurrit. *S. Th. in 4. dist. 24. q. 2. a. 2. ad 4. & Abb. in c. fin. de Excess. Prælat.*

6 Excommunicatus celebrans, quam pænam incurrit?

℞ Tribus continuis annis ter in hebdomada jeju-

net abstinendo à vino & carne. *can.* 109. 1. *q.* 5.

7 Si quis per annum perseveravit in excommunicatione, quam pœnam incurrit?

℞ Proceditur contra eum, tanquam suspectum de Hæresi. *Conc. Trid. Seß.* 25 *cap.* 3. *de Ref. in fin.*

8 Si Clericus perseverat in excommunicatione per annum, qua pœna punitur?

℞ Finitò annò, privatur omnibus beneficijs, imò aliquando & deponitur, non verò intra annum. *Menoch. de Arbitr. Casu.* 416. *n.* 19. *cum seqq. Farinac. fragment. crimin. p.* 1. *v. Clericus. n.* 254. *cum seqq.*

9 Si excommunicatus ignorans excommunicationem celebret, fitne Irregularis?

℞ Non: quia, ut à peccato, ita & hic ignorantia excusat, nisi sit crassa, supina aut erronea. *c.* 9. *de Cleric. excomm. ministr.*

10 Excommunicatus denuntiatus lucraturne fructus beneficij?

℞ Non. *Abb. in c.* 47. §. *Verum. de Appell. Decius. ibid. n.* 12. nec illi debet provideri de victu, nisi fame periret, modò non opponatur excommunicationi nullitas. *Seraph. Decis.* 1098. licet aliàs degradato, deposito, suspenso incarcerato, debeant provideri necessaria; quia hi non possunt sibi providere, secùs excommunicatus, qui ex mera contumacia perseverat in illa, non petens absolutionem. *Abb. loc. cit. Felin. in c.* 9. *n.* 9. *de Except.*

11 Quam pœnam incurrit Judex, si excommunicat aliquem absq; justa causa, monitione & scriptura?

℞ Per mensem ab ingressu Ecclesiæ & divinis est suspensus & tenetur ad damna & interesse. *c.* 1. *& ibi gloss. v. medicinalis. de sent. excomm. in* 6. *& c.* 58. *de sent. excomm.*

12 Si duo sunt alicui in forma obligati, & contra unum potest fieri realis executio, contra alterum potestne procedi excommunicatione, si non habeat, unde solvat?

℞ Negativè: quia impossibilium nulla est obligatio. *l. Impossibilium. ff. de Regul. Iur.*

13 Si in excommunicatione desit aliqua solennitas, excommunicatus taliter debetne vitari ab Ecclesia?

℞ Debet, donec declaretur talis nullitas. *Victor. de Excomm. q.* 2.

14 Quam pœnam incurrit Clericus excommunicatus, recitans horas Canonicas?

℞ Nullam, imò tenetur ad earum recitationem etiamsi sit degradatus. Non enim debet ex delicto reportare commodum. *Abb. in c.* 2. *de Cler. excom. n.* 8. *Card. in Clemen.* 1 *de Regul.*

15 Quam pœnam incurrit, qui bona Ecclesiæ in proprios usus usurpat?

℞ Excommunicationis à Jure, per solum Papam post restitutionem absolvendus, præterea privatur beneficijs obtentis, & inhabilitatur ad obtinenda, & si fuerit Patronus, privatur jure Patronatus. *Conc. Trid. Seß.* 22. *Cap.* 11. *de Ref.*

16 Clerici, si consentiant in prædictam usurpationem & appropriationem, qua pœna puniuntur?

℞ Eadem, qua usurpantes. *Conc. Trid. loc. cit.*

# CAPUT VI.

## De rebus, quas excommunicati facere non possunt.

1 Excommunicatus potestne condere testamentum?

℞ Quamvis omnis criminosus, cui à jure annexa est pœna, sit intestabilis. *l.* 18 *&* 26 *ff. de Testamen.* tamen excommunicatus de clementia juris, in jure non complectitur; nisi ille, qui percusserit Cardinalem, aut fuerit lapsus in hæresim; quia talis ipso jure est intestabilis. *c. fin. de Pœnis in* 6. *& Authen. Credentes. C. de Hæred.*

2 Excommunicatus, potestne institui hæres in testamento?

℞ Potest: quia est actus alienus in favorem ejus factus.

3 Excommunicatus potestne eligi in Procuratorem?

℞ Non potest. *Maranth. p.* 4. *dist.* 16. *n.* 42. qui etsi postea absolvatur, non tamen per hoc habilitatur, ut agere possit; quia attenditur inhabilitas, quæ à principio erat. *Famin. de Resignat. benef. Lib.* 4. *q.* 1 *n.* 15.

4 Excommunicatus, potestne eligere vel eligi?

℞ Negativè ad utrumq; *Rebuff. in c. Postulasti. n.* 85 *de Cleric. excom. ministr. Azor. Instit. moral. p.* 2. *Lib.* 9. *cap.* 14. *q.* 8. *v. Jus item.* Si verò minori excomunicatione sit inhodatus, eligere potest, sed eligi nequit. *Alagon. in Compend. Jur. Canonic. pag.* 51.

5 Quare excommunicatus potest institui hæres, & non potest eligi?

℞ Quia institutio hæredis pendet ex sola voluntate testatoris; & in sua re quilibet est moderator & arbiter, hincq; institutio hæredis valet: electio autem respicit plures eligendos; quia saltim debet esse inter duos; ex quibus electores tenentur eligere magis idoneum, ac ideo electio non valet.

6 Excommunicatus, potestne emere, vendere & locare?

℞ Potest, imò & alios contractus facere; quia hoc non est illi à jure prohibitum. *Abb. in c.* 8. *n.* 35. *de Dolo & contumac.*

7 Excommunicatus potestne impetrare rescriptum?

℞ Non potest, nisi in causa excom̃is vel appellationis; in alijs verò causis processus nullus, per excommunicatum obtentus. *c.* 1. *& ibi gloss. de Rescript. in* 6.

8 Cùm excommunicatus nequeat exportare Rescriptum, potestne intentare spolium?

℞ Potest: quia spolium est res magni præjudicij si multo tempore quis fuisset spoliatus, aliæ verò actiones possunt quocunq; tempore peti, absq; tanto damno. *DD. in d. c.* 8. *de Dolo & contumac.*

9 Excommunicatus, habetne locum standi in Judicio?

℞ Habet ut citatus, non verò ut Actor, nisi agat in concernentibus animæ periculum, vel petat revocationem attentatorum, aut periculum sit in mora, si res tempore sit peritura. *Barb. in Collect.*

Collect. DD. Lib. 2. Decret. Tit. 1. de Judic. n. 10. & seqq. nec potest Convenientem reconveniré. c. 5. de Except:

10 Si excommunicatus agat contra excommunicatum, poteritne Conventus Convenienti objicere exceptionem excommunicationis?

℞ Poterit: quia se defendit. c. 5. de Except. nec obstat replicatio Actoris contra reum, simili, præcipuè tamen minori, censura ligatum. c. 2. eod. tit.

11 Excommunicatus poteſtne poſtulari, vel in Judicem eligi, vel dicere teſtimonium?

℞ Negativè. Rebuff. in c. Postulastis. n. 95. de cleric. excom. minist. Abb. in c. 34. de Elect. n. 11. nec dicit teſtimonium. Rot. decis. 3. n. 1. niſi contra hæreticos. c. 5. de Hæret. in 6.

12 Excommunicatus, poteſtne ſepeliri in loco Sacro?

℞ Non, imò ſi ſepultus fuerit, & corpus ejus ab alijs diſcerni poſſit, exhumari debet; niſi in mortis articulo ſit abſolutus. Barb. in Collect. DD. in Lib. 3. Decret. c. 12. de ſepult. ubi alios citat.

13 Excommunicatus, poteſtne ſuſcipere, vel conferre Sacramenta?

℞ Negativè. Barbos. in c. 32. n. 2. de Sent. excom. ubi alios cit.

14 Excommunicatus poteſtne admitti, ut pingat Imagines in Eccleſia?

℞ Negativè, & admittens eundem excommunicatur. Conc. Constan. 4. Cap. 7.

15 Excommunicatus poteſtne prædicare?

℞ Non, etiamſi ſit Sacerdos. Concil. Constan. contra art. 17. Joan. Huss. poteſt tamen petere abſolutionem, per procuratorem, quamvis ipſe ſit abſens. DD. in c. 3. de Procurat. in 6.

## CAPUT VII.
## De diverſis Caſibus Excommunicationis.

1 Excommunicato, ſi dicat ſe abſolutum, crediturne?

℞ Negativè: niſi literas abſolutionis in Judicio produxerit. c. 39. de ſent. excom.

2 Si quis volebat percutere laicum, & percuſſit locò ejus Clericum, eritne Excommunicatus?

℞ Si percuſſit ignoranter, & hoc probet, vel juret, non erit: ſi verò hoc præſtare recuſet, vel ille Clericus fuerat pro tunc in veſtitu Clericali, erit Excommunicatus c. 4. de ſent. excomm.

3 Si Clericus non incedat in veſtitu Clericali, percuſſor ejus eritne excommunicatus?

℞ Non, ſi ignoravit probabiliter. Abb. in d. c. 4. de ſent. excomm.

4 Qui cogitavit percutere Clericum, & non percuſſit, eritne excommunicatus?

℞ Negativè: quia excommunicatio eſt pæna impoſita percutienti, non cogitanti.

5 Qui invenit Clericum turpiter ſe gerentem cum Uxore, ſponſa, filia, vel ſorore, & eum percuſſit, vel interfecit, eſtne excommunicatus?

℞ Non, modò facta ſit iſta percuſſio in primo intuitu, præ ingenti dolore, & ſine omni reflexione; primi enim motus, non ſunt in humana poteſtate, adeoq; excuſant. c. 3. & ibi gloſſ. de ſent. excommun.

6 Quid, ſi ſolùm deprehendat Clericum in loco ſuſpecto dictas perſonas amplectentem, oſculantem, & eundem percutiat, incurritne Canonem?

℞ Non incurrit, ſi percuſſio in primo motu fiat, ſecus, ſi percuſſor habeat ſecundam deliberationem. DD. in d. c. 3. de ſent. excomm.

7 Quid, ſi cum remota Conſangvinea inhoneſtè reperiat Clericum, ac eundem percutiat, eritne in Canone?

℞ Erit: quia tunc illi nihil intereſt. imò culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti. d. c. 3. & l. Culpa. ff. de Reg. Jur.

8 Si quis Clericus ex ira, paſſione & injurioſè ſe ipſum percutiat, eritne in Canone.

℞ Affir. quia etiam in ſe ipſo læſit favorem ſtatus Clericalis: ſi enim eſt homicida, qui ſe ipſum, quàm & ille qui alium occidit; ita & hic eſt in Cenſura, qui ſe ipſum, quàm qui & alium percuſſit. can. 9. 23. q. 5. Abb. in c. 36. n. 6. de ſent. excomm. Navarr. Jul. Clar. &c.

9 Si Clericus ob aliquam ſatisfactionem, vel ſuam utilitatem ſponte ſubjiciat ſe laico, ut percutiatur, vel verberetur, quis eorum incidet in Canonem?

℞ Uterq;: Clericus enim non poteſt renuntiare juri & privilegio Clericali, quod non eſt ſuum. d. c. 36. eod. tit.

10 Si Clericus patiatur ſuâ culpâ percuti, eſtne ipſo jure excommunicatus?

℞ Negativè: ſed erit excommunicandus. Abb. in d. c. 36. eod tit.

11 Si quis percutiat laicum habentem Clericalem habitum & tonſuram, putans ſe percutere Clericum, eſtne excommunicatus?

℞ Negativè: quia quis non excommunicatur propter intentionem, ſed propter factum; quamvis graviùs peccet propter audaciam. c. 4. de ſent. excomm. multi tamen DD. & Gloſſiſtæ tenent contrarium, argumentum ſumentes ex Religioſo non profeſſo, nec Clerico, qui depoſito habitu, ſit laicus.

12 Qui permittit percuti Clericum, & qui poteſt eum liberare & non liberat, ſuntne excommunicati?

℞ Affir. quia agens & conſentiens eandem incurrunt pænam. c. 47. de ſent. excomm.

13 Quare cogitans percutere Clericum, non eſt excommunicatus, & non liberans eum à percuſſione eſt excommunicatus?

℞ Quia ex cogitatione non ſuccedit dãnũ percuſſionis, ex permiſſione verò ſuccedit ipſa percuſſio.

14 Licet mandans & percutiens Clericum ſint excommunicati, ſi tamen mandans ante percuſſionem revocet mandatum, vel moriatur, inciditne in canonem?

℞ Non: ſi revocatio, vel mors mandantis ad mandatarium perveniat, alias ſecus. c. 6. §. ſi verò & ibi gloſſ. v. Authoritate. de ſent. excomm.

15 Per Clericum quis intelligitur, ut gaudeat hoc privilegio?

℞ Omnis Clericus etiam primæ Tonſuræ, dumodo

do gestet habitum & Tonsuram. *Tollet. in sum. Lib. 1. Cap. 31. n. 1.*

16 Si Clericum attentantem suam pudicitiam Virgo, aut mulier percutiat, incurritne in Canonem?

℞ Non, si non potest eundem verbis repellere, zelò castitatis accensa, quamvis utatur, ex improviso motu, verberibus, erit extra noxam. *Navar. in summ. cap. 27. n. 85. Zoes. in Decret. Lib. 5. de sent. excomm. n. 55.*

17 Clericum Minorum Ordinum Conjugatum percutiens, incurritne in Canonem?

℞ Non: nisi talis Clericus, habitum clericalem & tonsuram deportet. *c. un. de Cleric. Conjug. in 6.*

18 Clericos Joculatores, histriones, goliardos, bufones &c. si suam artem per Annum, aut etiam post tertiam Prælati, vel Judicis monitionem exercuerint, percutiens incidit ne in Canonem?

℞ Negativè: jam enim sunt ipso jure privati privilegio Clericali. *c. un. de Vita & hon. Cleric. in 6.*

19 Clericum excommunicatum percutiens, incidit ne in Canonem?

℞ Affir. quia Clericus etiam excommunicatus, nihilominus manet Clericus, nec ullibi invenitur hoc exutus privilegio. *DD. in c. 34. de sent. excomm.*

20 Si duo Clerici adinvicem se percutiant, quis illorum erit excommunicatus?

℞ Ille, qui provocavit. Licet enim vim vi naturaliter repellere, nisi provocatus modum in defendendo excedat. *Felin. in c. 18 de homicid. & Abb. in c. 12. n. 19 de Rest. Spoliat.*

## CAPUT VIII.

## De Appellatione ab Excommunicatione.

1 Ad quem effectum datur appellatio ab excommunicatione?

℞ Ferè semper ad effectum devolutivum, sicut à sententia suspensionis & Interdicti, sed aliquando Judex concedit eandem etiam ad effectum suspensivum simul. *c 20. de sent. Excom. in 6. & Abb in c. 53. §. Verum. n. 2 de Appellat.*

2 A qua Excommunicatione conceditur appellatio?

℞ A declaratoria, non autem ab executoria. *Felin. in c. 10. n. 12. de Judic. Abb. in c. 13. n. 8. de Appellat.*

3 Per appellationem suspenditurne excommunicationis executio?

℞ Non solùm suspenditur, sed etiam est nulla, quamvis extrajudicialiter coram Notario publico fiat, cum denuntiatione tamen Judici; modò fiat ante prolationem sententiæ. *c. 40. de sent. Excom. c. 7. & Abb in c. 19. de Appellat. n. 15.*

4 Appellans post excommunicationem prolatam, potestne denuntiari?

℞ Non, priusquam Judex cognoscat de appellatione. *Hostien. in c. 53. de Appellat. Achil. de Grass. decis. 370. alias 4. de sent. excomm.*

5 Si quis appellaverit ante prolationem sententiæ excommunicationis; & voluerit probare esse nullam, & continere errorem intollerabilem; estne vitandus?

℞ Negativè, præcipuè, si fuerit Judex, vel persona docta: imò talis est admittendus ad Divina Officia & ad jurisdictionem exercendam, tum ad probationem suæ defensionis. *DD. in c. 58. de sent. excom.*

## CAPUT IX.

## De Absolutione ab Excommunicatione.

1 Quid est absolutio?

℞ Est actus judicialis, seu potestas quædam, ligata, solvendi. Colligitur *ex Conc. Trid. Seß. 14. Cap. 6 & can. 9. de Pœnit.*

2 Absolutio ab excommunicatione, estne danda non petenti?

℞ Negativè: nisi suadeat publica utilitas, vel scandalum ex multitudine communicantium cum excommunicato, permoveat. *Abb. in c. 3. de Off. Jud. Ordin. n. 6 & Capell. Tolos. decis. 299.*

3 Ab excommunicatione, quis potest absolvere?

℞ A minori, quæ hodie non est in usu; quilibet Sacerdos approbatus: à Majori, à jure lata, si conditor legis, ipsius absolutionem sibi non reservavit, absolvere debet Episcopus. *DD. in c. 29. de sent. excom. Navarr. in Man. Cap. 27. n. 39. Soar. de Cens. disp. 7 sect. 3. à n. 2.* ab excommunicatione demum lata ab homine, nullus alius absolvere potest, nisi ille, qui illam tulit, vel ipsius Superior, aut Successor. *c. 11. de Off. Jud. Ord. Hostien. in Sum de Sent. excomm. n. 12 §. Si verò.* vel à Capitulo sede vacante. *c. un. de major. & obed. in 6.*

4 Si Parochus non sit Sacerdos, potestne absolvere Parochianum à minori excommunicatione?

℞ Negativè: *Navar. Cons 90. n. 4. de Sent. excomm.*

5 Delegatus Papæ finito Officio, poteritne absolvere illos, quos durante officio suo excomunicavit?

℞ Negativè: jam enim ejus jurisdictio causâ finitâ exspiravit. *c. 26. de Off. Jud. Deleg.*

6 Judex excommunicatus majori excommunicatione, poteritne excomunicatum à se absolvere?

℞ Negativè: quia per excommunicationem, tollitur Judicis potestas judicialis. *Tolet. in summ. Lib 1. cap 31. n. 1.* secus si sit Judex minori excommunicatione innodatus. *Sot. in 4. dist 22 q. 3*

7 Communicans cum excommunicato in crimine, à quo debet absolvi?

℞ Ab illo, qui eum excommunicavit, cum quo communicavit. *c. 29 de sent. excomm.*

8 Absolutio ad certum tempus tenetne?

℞ Tenet, sive illud tempus sit tacitum, sive expressum. *Barb. in c 15. de sent. excom. n. 9. ubi alios citat.*

9 Si quis incidat in Canonem *Si quis suadente,* à quo debet absolvi?

℞ Præter articulum mortis; quia tunc à quolibet Sacerdote, ut toties dictum, potest absolvi: à solo Papa, vel ejus Legato. *c. 13. de sent. excomm.* nisi sit mulier, infirmus, mutilatus, senex valetudinarius, pauper, qui probabiliter Romam adire

adire nequit, & omnes, qui non sunt sui juris, ut monachus, impubes & servus, qui omnes ab Episcopo debent absolvi. *d.c. 13. & ibi gloss. de sent. excomm.* Monachi autem, & Canonici Regulares, absolvuntur à suis Abbatibus, his deficientibus, vel nolentibus, à Diæcesano. *c. 2. eod. tit.* Fratres Hierosolymitani S. Joannis (nisi enormitas excessus Sum. Pontificis absolutionem requirat) à suo Priore, qui est semper Sacerdos. *c. 50. & ibi gloss. de sent. excom.*

10 Excommunicatus occultus ob percussionē Clerici, à quo debet absolvi?

℞ Post præstitam satisfactionem à solo Papa, vel ab habente potestatem in casibus reservatis Papæ. *c. 7. eod. tit.*

11 Percutiens Monachum, vel Conversum religiosum, à quo debet absolvi?

℞ A Sum. Pontifice. *c. 5 & 9. eod. tit.*

12 Legatus à latere, potestne absolvere percussorem Clerici, si ad id non habeat speciale mandatum?

℞ Potest, ob præeminentiam sui officij; hoc enim illi de jure est concessum *c. 20. & ibi gloss. eod. tit.* secus autem alius Legatus. *c. penult. & fin. de Offic. Legat.*

13 Qui leviter percussit Clericum, à quo potest absolvi?

℞ Ab Episcopo. *c. 17. de sent. excomm.*

14 Quis debet judicare quando est levis vel gravis percussio vel injuria illata Clerico, ut petatur absolutio ab Episcopo vel à Papa?

℞ Judex Ecclesiasticus attenta qualitate personæ percussæ & percutientis, loco, scandalo, occasione data & alijs circumstantijs. *DD. in d.c. 17. eod. t.*

15 Laicus percutiens Clericum sive graviter, sive leviter, quando est absolvendus?

℞ Post satisfactionem datam Clerico de injuria vel damno; sive in pecunia, sive in pæna corporis, sive in pæna honoris, quam satisfactionem taxabit Judex Ecclesiasticus, attenta qualitate personarum, gravitate injuriæ, loco, tempore & occasione. *can. 1. 14. q. 6. & can. 2. 24. q. 2.*

16 Si quis sepultus sit propter excommunicationem extra Ecclesiam & absolvatur, debetne exhumari, ut ad Corpus ejus fiant ceremoniæ?

℞ Negativè: sufficit enim exhumatio & ad Ecclesiam humatio absq; ceremonijs. *Sylvest. v. Absolutio. n. 8. Navarr. in man. cap. 26. n. 32. n. 271. & 272.*

17 Si quis absolutus in foro conscientiæ, debetne à Judice declarari in foro exteriori excommunicatus?

℞ Si non existat pars, quæ instet, non debet; quia Judex Ecclesiasticus in hoc casu, ut Pater debet esse. *Covarr. in c. Alma mater. de sent. excomm. in 6.*

18 Impetrans absolutionem ex falsa causa ab excommunicatione, valebitne?

℞ Negativè: quia tunc eum Judex non censetur absolvere velle. Hoc censendum de illo etiam, qui pluribus censuris est innodatus, & ab una solùm petat absolutionem. *c. 27. de sent. excomm.*

19 Si quis extorserit absolutionem ab excommunicatione, valebitne?

℞ Non, imò novam incurret excommunicationem. *c. un. de his, quæ metu fiunt in 6.*

20 Excommunicatus ab uno Episcopo, potestne absolvi ab alio, scilicet alterius Diæcesis?

℞ Negativè. *Conc. Regiaticinum Cap. 9. & Conc. Valentinum 2. cap. 13.*

21 Incendiarius denuntiatus, à quo debet absolvi?

℞ A solo Papa. *c. 19. de sent. excomm.*

## CAPUT X.

## De Excommunicatione ad finem revelationis.

1 Quid intelligitur per excommunicationem ad finem revelationis?

℞ Literæ monitoriales continentes excommunicationem latæ sententiæ contra eos, qui perditas res habent, vel de illis sciunt, & non revelant, testimoniū, quod aliunde haberi nequit, supprimunt &c. Colligitur *ex Conc. Trid. Sess. 25. cap. 3.*

2 A quo debent dictæ literæ monitoriales excommunicationem latæ sententiæ continen: concedi?

℞ Ab Episcopo solùm, vel etiam à Vicario ejus habente ad id ejus facultatem *Conc. Trid. loc. cit.*

3 Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, præcipuè si sint nullius Diæcesis, possuntne concedere prædictas Literas?

℞ Negativè: nisi habeant speciale super hoc privilegium Apostolicum. Colligitur *ex Conc. Trid. loc. cit.*

4 In locis immediatè subjectis Sum. Pontifici, in quibus nullius Episcopi est jurisdictio, Prælati illorum locorum propria authoritate possuntne excommunicationem ferre pro rebus deperditis?

℞ Non: sed necessariò recurrendum est ad Sedem Apostolicam; quia vicinior Episcopus dictas literas excommunicationis dare nequit. Constat *ex Conc. Trid. loc. cit.*

5 Capitulum sede vacante potestne concedere hanc excommunicationē ad finem revelationis?

℞ Potest: quia ad Capitulum vel ejus Vicarium transeunt ea, quæ sunt jurisdictionis, qualis est excommunicatio hujusmodi. *Congr. Conc. declar. 1586. 14. August.*

6 Ad obtentionem prædictarum literarum, quæ concurrere debent?

℞ Ista 5. I. quòd nominatim contra testes scil. expressis eorum nominibus, non concedantur, nisi præviâ diligentiâ de exequendo realiter, vel personaliter. *Franc. Marc. decis. 851. & 853. p. 2. per tex. in c. 9. de sent. excomm. in 6.* II. quòd res, pro qua hujusmodi literæ concenduntur, non sit minimi, aut exigui momenti. *Idem decis. 803. p. 2. & Aloys. Ricc. Curia Archiep. Neapol. decis. 90.* III. ut contineant clausulam justificativam, aliàs invalidæ. *Sayr. decis. 3. de Censib. & decis. 3. de Cler. excom. ministr.* IV. quòd adversarius non sit certus, alias cum illo viâ ordinariâ procedi debet. *Alex. Raud. decis. 60.* V. quòd debeant dari in subsidium, hoc est deficiente

ente alia probatione. *Sayr. decis. 4. de Censur.*

7 Quis tenetur revelare & quando?

℞ Quilibet.quotiescunq; retinet rem vel scripturam injustè, vel alios scit injustè retinere. Ut enim scientes, ita & retinentes hæc excommunicatio ligat;quia est generalis. *an.1.dist.19.v.dicen.*

8 Si prædictum monitorium latam sententiam excommunicationis continens, pro aliquibus scripturis exhibendis sit publicatum, & aliqua pars litigans eas habeat,sed sibi contrarias,teneturne illas ratione monitorij adversario suo extradere?

℞ Si litigat & putat se justè litigare, vel dubium habeat, an res sua vel sui adversarij sit; non obligatur: quia nemo tenetur suo adversario arma dare, & in dubio pro possessore tenendum & judicandum est. *c. 1. de Probat.*

9 Si quis litigat de Domo, vel pecunia, quam certò scit suam esse, vel retinet rem Titij, quia Titius illi æqualem vel majorem quantitatem debet; tenebiturne ratione monitorij præfati revelare scripturas, vel restituere rem illam?

℞ Negativè, neq; obligatur tali censura: quia nemo tenetur suam rem alteri tradere, neq; rem, quam justè possidet. *Navar.in man.Cons.5.n.3.*

10 Testes scientes aliquem occultare rem,vel scripturam justè, ut quia ejus est, vel quia habet de ea litem & lis est in dubio; teneturne ratione monitorij revelare vel testificari?

℞ Negativè quotiescunq; enim pars principalis non tenetur ex rationibus supradictis revelare scripturas vel res restituere, toties & testis in ijsdem testari;non plus etenim obligatur testis, quàm principalis. *Ugolin. tract. 2. §. 5.fol. 89.de Off. & potest. Episcop.*

11 Dicta monitoria generalia cum excommunicatione,quibus mandatur, ut detinentes, bona vel scripturas restituant, aut scientes revelent, quomodo sunt intelligenda?

℞ Si nimirum indebitè detinent, vel ea sciunt indebitè detineri, ut furto, usurpatione vel alio injusto titulo; atq; hos solos dicta excommunicatio ligat. *Navarr. de Communi DD. sententia Cons. 35. n. 8. de sent. excomm.*

12 Si quis detinet domum ob id, quòd tantùm pecuniæ, à domino domus debetur, vel quia domus vel res erat sua,vel contra suam voluntatem ablata, vel alijs distributa contra voluntatem suam, & monitoriô expresè caveatur, ut in compensationem talis res non detineatur, sed patefiat; obligabiturne ad revelandam talem rem,vel scripturam virtute dicti monitorij?

℞ Negativè: quia mandatum injustum non obligat,ac talis res vel scriptura est ipsius propria, nemo verò tenetur tradere rem propriam alteri. *Navarr. Cons. 25. n. 18. & Cons. 31. n. 8. de sent. excomm. & Angel. per tex. c. 5. §. fin. v. furtum de sent. excomm.*

13 Detinens aliquam rem ratione rei judicatæ, vel ratione litis, transactionis, pacti cum parte, vel quia ipse priùs rem illam vel domum alteri donavit ad certum tempus, vel pro certis personis, vel cum certis conditionibus, & transacto tempore, vel mortuis personis, talis, qui rem accepit non vult proprio domino restituere nec servare conditiones; sed alteri extraneo donare in fraudem ejus, qui donavit, nunc qui spoliatur propria re, poteritne eam recuperare occultando scripturas & jura, tenebiturne ad revelationem ratione monitorij?

℞ Non tenetur revelare tales scripturas ratione monitorij, imò tenetur recuperare rem propriam quocunq; modo poterit: quia alius injustè possidet rem suam & ipse alteri non tollit aliquando jus. *Ugolin. tract. 2. fol. 88. de Off. & potest. Episcop.*

14 Si quis in aliqua donatione, vel scriptura falsificavit aliquas conditiones, vel fecit scripturam falsam, ut ab aliquo tolleret domum, agrum, vel aliquod jus,dolo vel fraude; poteritne ille, à quo sublata est res ista,falsificare aliam scripturam & simili dolo recuperare rem propriam absq; obligatione restitutionis?

℞ Poterit: quia sicut quis potest rem sibi furtò ablatam, à latrone secretò & furtò recuperare & non tenebitur manifestare latroni tale furtum; similiter qui amittit jus suum per scripturam falsam, poterit similiter per alteram scripturam falsam illud recuperare, & non tenetur se prodere ratione cujuscunq;monitorij. *Id. Ugolin. l. c.*

15 Quando in Romana Curia monitoria dantur, ut quis non possit retinere rem in compensationem, quomodo sunt intelligenda?

℞ Intelligi debent, quando compensatio est injusta, quando nimir. plus accipitur, quàm debetur, vel quando quis detinet certum pro incerto; non autem ligant, quando est justa compensatio, vel quando res est propria, vel quando habetur justa causa retinendi. Ratio est, quia dispositio continens mandata generalia vel particularia, debet semper justè intelligi. *l. si justa & l. si procurator ff. de Cond. ct. indebit.*

16 Si quis habet scripturas suas proprias & in ipsis contineatur jus suum, possunt tamen suo prodesse adversario, teneturne eas tradere ratione monitorij?

℞ Non: quia nemo contra se debet arma dare adversario. *arg. l. 1. & l. Qui accusare. C. de edend. & dict. n. 8. hic.*

17 Tenebiturne quis ratione monitorij revelare id, ex quo resultare possit damnum suæ fortunæ, vel honoris?

℞ Negativè: quia nemo seipsum prodere tenetur. *can. 87. dist. 1. de Pœniten.*

18 Qui de jure non possunt compelli ad testificandum contra aliquam personam in causa sive criminali sive Civili, possentne compelli ad revelationem prædicto monitorio?

℞ Non possunt: jus enim ipsos ab hoc excusat, quales sunt, Consangvinei, servi, familiares & alij,quos jus civile & canonicum excipit. *ut infra de Testib.* nisi in defectu aliorum testium. *can. 2. ibi gloss 14. q. 2.*

19 Quando aliquis est incapax ad solvendum debitum illudq; propterea taceat, tenebiturne ratione monitorij se prodere?

℞ Non, modò habeat animum restituendi, cùm

veno.

venerit ad fortunam meliorem, *l. impossibilium ff. de Reg. Jur. & Abb. in c. 7. n. 3. de Pignorib.*

20 Si aliquis habuit aliquam scripturã, & ante monitorium de revelatione, eandem dilaceravit, combussit, tenebiturne ratione monitorij revelare, se eandem dilacerasse, combussisse?

℞ Non: quia ad impossibilia nemo obligatur, præcipuè si ex revelatione infamia, injuria, damnũ, vel lis oriretur. *d. l. impossibilium. ff. de. Reg. Jur.*

21 Si quis audivit rem contentam in monitorio revelationis, sed non meminit à quo audivit, teneturne id revelare?

℞ Non, neq; ille, qui audivit à persona indigna. *can. 77. 11 q. 3. & can. 7. 22 q. 1.*

22 Si tempore monitorij revelationis sit absens, sed postquam reversus domum, pervenit ad ejus notitiam, tenebiturne revelare contenta in monitorio?

℞ Non, sed opus est contra talem novò monitoriò, ut excommunicatio eundem liget, quæ non habet tractum successivum, sed illico vires sumit. *Angel. & Armil. v. excommunicatio. n. 16.*

23 Illi, quos pars, vel Judex non intendit includere in monitorio, tenenturne revelare?

℞ Negativè. *Sot. de Just. & jure. Lib. 1. Cap. 3. a. 1.*

24 Qui generaliter non obligantur, ex hoc monitorio?

℞ Sciens ex Confessione, absens, ignorans, furiosus, mentecaptus, non subditus monentis, vel exceptus à jurisdictione ejus. *Ant. Cajsius de Monit. q. 17.*

25 Si quis potest per fraternam correctionem corrigere, teneturne ejus delictum denuntiare virtute monitorij?

℞ Negativè: ut fusè in *can. 19 & ibi gloss. 2. q. 1.*

26 Si quis revelavit Judici oretenus, vel in Confessione, satisfecitne monitorio?

℞ Non: quia is, cujus interest, non potest se adjuvare tali revelatione. *Navarr. Cons 5. de furt.*

27 Qualiter revelationes istæ ex monitorio publicantur?

℞ Dantur per Judicem earundem copiæ actorí; secus si procedatur in criminalibus, & infamatorijs causis, aut ex publicatis revelationibus immineret periculum, scandalum, tutiùs est eas parti non concedi. *Piasec. Prax. Episcop. p. 2 Cap. 4. a. 13. n. 19 ubi n. 15. Ordinationem Pij V. 1570. 27. Julij affert.*

## CAPUT XI.
## De absolutione à juramento.

1 Absolutionem à juramento, quis concedere debet Episcopus jurantis, an Episcopus cui juramentum præstitum est?

℞ Quicunq; eorum. *Covarr. Lib. 1. var. resol. cap. 4. n. 5.*

2 Absolutio à juramento, potestne concedi sine partis citatione?

℞ Affir. *DD. in c. 3. de solut.*

3 Absolutio à juramento & cognitio de ejus religione ad quos Judices spectat?

℞ Ad Judices Ecclesiasticos. *c. 34. §. Idem etiam. v. Utrum vero de Elect.*

4 A juramento per metũ exterto daturne absolutio?

℞ Affir, debet tamen servari, si potest sine interitu animæ. *Barb. cum cit: à se DD. in c. 15. de jure jurand.*

5 Summ. Pontifex, à juramento illicito, potestne absolvere?

℞ Quamvis in illis, quæ sunt de jure naturali, quale est votum & juramentum non absolvat Sum. Pontifex. *c. 26. de Jure iur.* adveniente tamen causa justa, puta scandalum intolerabile, absolvere potest. *c. 18. & ibi gloss. v. absolvit de Jureiur.*

6 PotestneEpiscopus concedere absolutionem perjuro à juramento, ad effectum agendi?

℞ Negativè: si est in præjudicium tertiæ personæ. Tunc enim debet peti absolutio à Sum. Pontifice; quia hæc absolutio est Papæ reservata, & si per Episcopum concedatur, non valet *Tolet. in Sum. Lib 4. Cap. 21. n. 2.*

7 Juramentum de tacenda veritate, aut de rebus illicitis, & turpibus agendis, estne relaxandum?

℞ Affir. *c. 26. de accusat & c. 1. de Jureiur.*

8 Juramentum in bello à populo extortum, estne relaxandum?

℞ Est, si bellum est injustum. *c. 29. de Jureiur.*

9 Si quis vi absolutionem à juramento extorserit, eritne absolutus?

℞ Non: sed in iteratam incidit excommunicationem. *DD. in c. penult. de His, quæ vi, metusve &c.*

10 Jurans falsum in damnum alicujus, à quo est absolvendus?

℞ Ab Episcopo, vel in articulo mortis à quolibet Sacerdote. *Conc. Londin. 1. Cap. 7.*

## CAPUT XII.
## De Suspensione.

1 Quid est suspensio?

℞ Est censura Ecclesiastica seu inhabilitas quædam ad Ordines & Officia Ecclesiastica exequenda. *Lancell. Instit. Jur. Can. Lib. 4. t. 15 §. Est autem.*

2 Quotuplex est suspensio?

℞ 3plex: Ab Officio, à beneficio, & ab Officio & beneficio simul. *Clement. 1. § 1. in fin. de Privileg. & Extravag. Comm 3. de Privileg.*

3 Danturne adhuc plures species suspensionis?

℞ Dantur: Alia enim suspensio est à jure, alia ab homine, alia perpetua (quò ad partem scilicet) quia prohibitio totius exercitij, officij vel beneficij in perpetuum, est potiùs depositio vel privatio. *Navarr Cap. 17. n. 151. ubi alios citat.* alia temporalis, alia in totum, alia in partem, alia ab Ordine, alia à pluribus ex his simul &c. *Sylvest. v. suspensio. §. 60. n. 40. & gloss. Clement. 3. de Pænis. v. suspensi.*

4 Suspensio differtne à privatione & depositione?

℞ Affir quia per suspensionem non amittitur beneficium, nec pars fructuum necessaria ad sustentationem, secus per privationem beneficij & depositionem: tum quia suspensio estCensura Ecclesiastica inducens Irregularitatem, secus autem privatio & depositio. *Valen. Lib. 1. t. 39. §. 8. n. 4.*

5 Quis suspendere potest, & quem?

℞ Omnis Superior habens jurisdictionem Ecclesiasticam in sibi subjectos Ecclesiasticos tantùm, quos ut excommunicare, ita & suspendere potest. *gloss. in c.20 de sent. excomm in 6.*

6 Ob quam culpam fertur suspensio, & an ob propriam, an verò alienam?

℞ Ob culpam mortalem, idq; propriam. Quia ex alieno delicto, nemo teneri debet: ac cujusq; noxa, suum sequitur caput. §. *Omnes autem. Inst. de Noxal. actionib.*

7 Qua forma ferenda est suspensio?

℞ Eadem, ut Excommunicatio. nimirum præmissa trina canonica monitione præsertim, si fertur ob contumaciam; nam si feratur in pænam, vel à jure, non opus est monitione, citatio tamen requiritur, ut ex illa reus declaretur suspensus. *Abb. in c.26. de Appell. & in c. 2. n. 2. de Cleric. excomm. ministr.* Debetq; ferri in scripto cum expressione causæ propter quam fertur; quia aliàs Judex incurreret ipsò factò suspensionem à Divinis & ingressu Ecclesiæ per mensem. *c. 1 de sent. excomm. in. 6.*

8 Qui ipsò factò incurrunt suspensionem?

℞ Adulteri, assasini, violatores Ecclesiarum, certantes in duello & alij enumerati apud *Sylvest. v. suspensiones. n.40. Armil. v. suspensio. n.39. Soar. tom.5. disp.31. sect. 2. n.3 qui consuli possunt.*

9 Qui suspenduntur ab homine?

℞ Certa regula in jure non datur, sed id totum prudentis Judicis arbitrio committitur. *Dias. in Pract. Crimin. Cap. 122.*

10 Episcopus incurritne ipsò factò suspensionem, si de illo in jure non est expressa mentio?

℞ Negativè. *c. 4. de sent. excomm. in 6.*

11 Propter quæ crimina Episcopi incurrunt suspensionem ipsò factò?

℞ Habes apud *Piasec. in Prax. Episc. p.2. Cap.4 a. 12. n. 12. & seqq.*

12 Suspensus ab uno Ordine, estne suspensus ad reliquos?

℞ Non: suspensus enim à Superiori, potest ministrare in inferiori Ordine; quemadmodum & Episcopus suspensus ab illis, quæ sunt Pontificalis exercitij, Officium Sacerdotis exercere potest. *Piasec. loc. cit. n. 5.*

13 Suspensus ad tempus certum, lapso tempore manetne suspensus?

℞ Non manet; quia suspensio temporalis, exspirat cum tempore: ita qui suspensus est, donec satisfecerit, post satisfactionem non erit suspensus. *Soar. loc. cit. disp. 29. à n. 6.* Si verò suspensio feratur in pænam absq; præfixione temporis, tunc necessaria est absolutio. *Soar. Sylv. l.c.*

14 Quis potest absolvere à suspensione?

℞ Is, qui eam tulit. Si verò lata sit à jure is ab ea absolvere debet, cui eã jus reservavit; quod si nemini reservaverit, Ordinarius tunc absolvere potest. *gloss. in c. 29 v. retinuit. de sent. excommun. & ibi DD.*

15 Subsequens appellatio, suspenditne effectum suspensionis?

℞ Non suspendit, quò ad effectum suspensivum, bene tamen, quò ad devolutivum. *c. 53 de appell.*

16 Si Confessarius prohibeat Presbytero, ne celebret, talis Presbyter, deberetne haberi pro suspenso?

℞ Negativè: Quia Confessarius prohibere, non verò suspendere potest; quia suspensio jurisdictionem fori externi requirit: ac ideo dictus prohibitus, si celebrat non efficitur Irregularis. *DD. in c. 10. de Cleric. excomm. ministran.*

17 Si quis suspendatur ob senectutem, lepram, debilitatem vel aliam similem causam & celebret, eritne Irregularis?

℞ Non, cùm non sit suspensus ob delictum, peccat tamen mortaliter. *Tolet. Lib.1. Cap.45 n.1.*

18 Suspensus ab Ordine ob fornicationem, si celebrat, quàm pænam incurrit?

℞ Non solùm beneficiò spoliandus, sed etiam deponendus est; ut quem divinus timor à malo non revocat, temporalis saltim pæna à peccato cohibeat *c.13. de vita & honest. Clericor.*

19 Qui non curat intra anni decursum à suspensione absolvi, qualiter punitur?

℞ Elapsò annò, beneficiò privatur. *c.8. de ætate & qualit. præficien.*

---

# CAPUT XIII.
## De Clericis suspensis.

1 Clericus in Sacris, notorius fornicator, estne ipso jure suspensus?

℞ Affir. dum non pænitet. *can fin. 15. q. 8. & Covarr. in Clement. un. de Homicid. p.1. §.1. n.5.*

2 Clerici eligentes Episcopum illegitimum, non habentem legit: ætatem, scientiam, vel bonos mores, suntne suspensi ipso jure.

℞ Sunt à beneficijs ad triennium, non autem ab Officijs, & præterea pro illa sola vice potestate eligendi ipso jure privantur. *c.7. de Elect.*

3 Occupantes, surripientes, vel inter se dividentes bona Ecclesiastica vacationis tempore, suntne suspensi ipso jure?

℞ Sunt ab Officijs & beneficijs, usq; ad plenam satisfactionem. *c.40. de Elect. in 6.*

4 Provocans, vel acceptans duellum, aut descendens in arenam, estne ipso jure suspensus?

℞ Affir. imò etiam efficitur irregularis. *DD. in c. 1. de Cleric. pugnan. in duell.*

5 Admittentes scienter excommunicatos ad divina Officia, vel Sacramenta suscipienda, quam pænam incurrunt?

℞ Suspensionis ipso jure, sive sint sæculares, sive Regulares Clerici, donec de transgressione ad arbitrium Judicis satisfaciant. *c.8 de Privileg in 6.*

6 Parochus alienæ Parochiæ Parochianos, sine licentia proprij Parochi matrimonialiter copulans, quam pænam incurrit?

℞ Ipso jure est suspensus, quamdiu placuerit Episcopo illius Parochiæ, de qua Parochianos copulavit. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Matr.*

7 Clericus obligans Ecclesiam, vel bona ejus, estne ipso jure suspensus?

℞ Affir. idq; tam ab administratione spiritualium, quàm temporalium. *c.2. de solut.*

8 Se-

8 Sepelientes publicum usurarium, in, vel ad Ecclesiam, ipsô factô suntne suspensi?
℞ Sunt, quousq; Episcopo videbitur. *c. 3. de Usuris.* de alijs ipso jure suspensis, videantur *DD. Cap. 12. n. 8. Lib. 2. allegati.*
9 Suspensus ab Officio, poteftne eligere, vel eligi ad beneficium?
℞ Negativè. *Barbos. in c. 8. de Consuet. n. 12. & c. 8. de Ætat. & qualit. præfic. n. 6.*
10 Suspensus ab Officio, estne suspensus à beneficio?
℞ Non: quia suspensio tantùm ligat, quantùm exprimit Judicis sententia. *Navar. Cap. 1. n. 160.*
11 Si Clericus sit suspensus, & arctatus, ut ordinetur intra annum, incurritne pænam *in c. 14. de elect. in 6.* positam, nim. privationem beneficij?
℞ Nõ: quia per eũ non stat, nõ susceptio Ordinũ.
12 Suspensus ab Officio, poteritne audire divina?
℞ Poterit, modò ipse nullum Ordinis actum, tam intra, quàm extra Ecclesiam exerceat. *Gemin. in c. 1. §. Si quis autem. n. 3. de sent. excomm.*
13 Suspensus à passiva susceptione Sacramentorum, si suscipiat, fitne irregularis, sicut qui suspensus est ab activa & exerceat?
℞ Non. quia suscipere non est actus Ordinis. *Sylvest. v. suspensio. §. 5.*
14 Suspensus à collatione Sacramentorum, si baptizat, fietne irregularis?
℞ Si baptizat solenniter, fiet irregularis, secus si privatim, idest eo modo, quo potest sæcularis baptizare tempore necessitatis. *Sylvest. loc. cit.*
15 Suspensus ab Officio prædicandi, si prædicet, eritne Irregularis?
℞ Non, sed peccat & punitur; quia Irregularitas solùm incurritur ex administratione Sacramentorum: secus si prædicet solenniter, & ex suo Officio, sicut tenentur prædicare Episcopi & Parochi. *Calder. in Clement. Cupientes. de Pænis & Navar. in Sum. Cap. 26. n. 163.*
16 Suspensus à beneficio poteftne eligere & eligi?
℞ Potest: quia talis actus est Officij, & non beneficij. *Enriq. & Boer. in c. 9. n. 5. de Except.*
17 Suspensus ab Officio, poteritne percipere fructus beneficij?
℞ Poterit: quia beneficium & officium sunt res distinctæ. *Calder. loc. cit. & Tolet. Lib. 1. Cap. 45. n. 10.*
18 Si quis suspensus est propter delictum, vel ob meram contumaciam, poteritne percipere fructus sui beneficij?
℞ Poterit in quantitate necessaria ad sui sustentationem, maximè si non habeat unde possit vivere aliunde, secus verò contumax; quia si vellet, posset tollere suspensionem: *Barbos. in c. 43. n. 13. de Appell. & DD. ab eo cit.*
19 Si quis suspensus simpliciter, præsumiturne ab omnibus suspendi?
℞ Affir. Judex enim sine nominatione, talis vel talis officij, administrationis &c. suspensionem proferens, sine dubio omnia includit. *Barbos. in c. 2. n. 10. de Off. Jud. Deleg.*

## CAPUT XIV.
### De Suspensione circa Ordines.

1 Promoti ad Sacros Ordines extra tempora, sine licentia suorum Superiorum dolosè mentientes in ætate, vel patrimonio, suntne ipso Jure suspensi?
℞ Affir. *c. 14. de Tempor. Ordin. & Const. Pij V. 1461. 15. kalen. xbris.* CUM EX SACRORUM, quæ suspensio non solùm ad supervenientem ætatem durat, sed perpetuò, donec scil. absolutio subsequatur. *Rebuff. in prax. in Reg. de Cler. malè promot. gloss. 4. n. 3.*
2 Ordinatus sine patrimonio, vel cum pacto non petendi victum ab Episcopo, vel ab eo, qui ei patrimonium donavit, vel à Capellania, ad quam est præsentatus & Ordinatus, quã pœnã incurrit?
℞ Omnes suspensi ipsô factô. Et quidem Ordinator & præsentator, si est Clericus ad triennium, Ordinatus verò perpetuò; per sedem Apostolicã tanquã simoniaci dispensandi. *c. 45. de Simon.*
3 Ordinatus, vel ad beneficium promotus simoniacè, quam pænam incurrit?
℞ Suspensionis ab Ordine & beneficio ipsô factô. *tot. tit. de Simon. Armill. v. Simonia. n. 51.*
4 Clericus in sacris absq; licentia Superioris per diversa loca vagans, quam pænam incurrit?
℞ Suspenditur ad arbitrium Judicis. *can. 3. 20. q. 4. & can. 36. de Consecr. dist. 5.* alii volunt ad menses 6. talem ipso jure suspendi.
5 Si verò sit in minoribus, quam pænam incurrit?
℞ Inhabilitatur ad superiores Ordines & beneficia obtinenda, nisi dederit legitimam rationem suæ vagationis, vel post constanter se gesserit veniamq; post correctionem postulaverit. *c. 5. de Reg. Juris. in 6.*
6 Si quis Clericus ad æquales haustus alios provocet ipseq; sit ebrius continuò, poteftne ad Ordines admitti, vel si in illis sit, propter hoc suspẽdi?
℞ Ebriosi continuò ad Ordines non admittuntur, quod si in Ordinibus, se ingurgitent & alios ad æquales haustus obligent, moniti, ab Officio & beneficio suspenduntur. *c. 14. de Vit. & honest. Cleric. & c. 26. §. Quadam enim. de Jurejur.* Obligatio tamen ad æquales haustus, causâ honoris aut votivæ salutis Principum, amicorum, licita est, modò fit ea cautio, ne quis inebrietur. *Zyp. de jur. Pont. nov. de vit. & honest. Cleric. n. 8.*
7 Suspensus ab exercitio unius Ordinis, durante suspensione, poteftne accipere majorem Ordinẽ?
℞ Negativè: obstat enim illi suspensio, à qua priùs debet absolvi. *Abb. in c. fin. de Apostat.*

## CAPUT XV.
### De suspensione circa Episcopos.

1 Poteftne Episcopus à jure suspensionem, vel excommunicationem incurrere?
℞ Non potest, ob summam ejus dignitatem. *ut supra dict. Libr. 2. Cap. 12. n. 10.* & speciale à jure privilegium; nisi expressa de illo fiat mentio. *c. 4. de sent. excom. in 6.*
2 Episcopus faciens aliquid in damnum & præjudicium aliorum sine privilegio, vel consvetudine præscripta, quam pænam incurrit?
℞ Ingressu Ecclesiæ privatur: debet enim ab omni damno alicui inferendo & cupiditate esse alienus. *can. 6. & 7. dist. 47.*

3 Episcopus privatus ingressu Ecclesiæ, quid potest exercere absq; aliqua pœna?
℞ Potest orare, exercere jurisdictionem, & recipere Sacramenta. *Tolet. in Sum. Lib. 1 Cap. 43. n. 7.*
4 Episcopus suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si domi celebret, fitne Irregularis?
℞ Non, modò Ecclesiam non ingrediatur. *Gemi-nian. in c. 18. de senten. excomm. in 6.*
5 Episcopus suspensus solùm à Pontificalibus, potestne alia exercere?
℞ Potest: quia ab illis non est suspensus. *Gemin. in c. 1. n. 3. de Off. Ordin. in 6.*
6 Episcopus admonitus à Synodo de Concubinatu, si se non abstineat, quam pœnam incurrit?
℞ Ipso jure suspenditur. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 14. de Ref.*
7 Episcopus Ordinans Religiosum cum voto religionis temporali non perpetuo, absq; alio titulo, quam pœnam incurrit?
℞ Suspensus est à jure. *Navarr. Cap 27. n. 158.*
8 Episcopus suspensus à Pontificalibus, si illa exerceat, estne Irregularis?
℞ Non: quia talis pœna non est imposita à jure. *Covarr. p. 4. Clement. un. v. 2. de homicid.*
9 Si Episcopus sit suspensus à collatione majorum Ordinum, potestne conferre Ordinem minorem?
℞ Potest; sed non è contra. *Angel. v. suspensi. § 5.*
10 Episcopus scienter ordinans alienum subditum sine licentia, quam pœnam incurrit?
℞ Suspensionis à collatione Ordinum per annum. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 2. de Reform. & Rot. decis. 731.*
11 In illo anno suspensionis Episcopi, Ordinandi ad quem Episcopum recurrunt pro Ordinibus suscipiendis?
℞ Si suspensio est manifesta, etiam sine licentia sui Ordinarij, ad Episcopum viciniorem. *c. 2. de tempor. ordin. in 6.*
12 Appellatione Episcoporum, qui veniunt?
℞ Patriarchæ, Archiepiscopi, Metropolitani, etiam in materia stricta & pœnali. Ordine enim Episcopali, nullus est superior Ordo. *c. 4. de sent. excomm. in 6. ac ibi gloss. & DD.* casus alij, propter quos ipso jure suspenduntur Episcopi, videantur in *Piasec. ut dict. supr. Lib. 2. Cap. 12. n. 11.*

## CAPUT XVI.
## De Suspensione circa Judices.

1 Judex excommunicans aliquem sine debita monitione & solennitatibus, quam pœnam incurrit?
℞ Pœnam suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & divinis ad mensem. *c. 1. & ibi DD. de sent. excom. in 6.*
2 Judex Ecclesiasticus si injustè, quovis pretio, amore, timore, vel odio aggravat partem aliquam, quam pœnam incurrit?
℞ Præter refusionem litis expensarum parti læsæ, ipso jure per annum est suspensus, per Papam absolvendus. *c. 1. de sent & de re judic. in 6.*
3 Episcopus, vel ejus Vicarius, aut Archidiaconus visitans Ecclesias, si exigit pecuniam, vel munera, & ultra victum suum & suorum, quam pœnam incurrit?
℞ Episcopus ab ingressu Ecclesiæ, Vicarius verò, vel Archidiaconus, ab officio & beneficio est suspensus, donec duplum intra mensem restituat. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 3. de Ref.*
4 Conservatores Sedis Apostolicæ cognoscentes scienter Causas, quæ non sunt notoriæ, quam pœnam incurrunt?
℞ Per annum ab Officio & beneficio sunt ipsò factò suspensi. *c. fin. §. ut autem. & ibi gloss. de Off. Judic. delegat. in 6.*

## CAPUT XVII.
## De suspensione circa Abbates & Religiosos.

1 Regulares admittentes aliquem ad professionem sine solennitatibus à jure positis, aut non finito probationis anno, quam pœnam incurrunt?
℞ Suspenduntur ipsò factò à receptione quorumlibet ad professionem alijsq; pœnis, quæ pro gravioribus culpis infligi solent, mulctantur: & professio ante annum facta, est nulla. *c. 2. §. Quod si forte de Regul. in 6. & Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. de Regul.*
2 Religiosus ad vitam, vel ad certum tempus alicui bona, reditus, vel jura concedens, quam pœnam incurrit?
℞ Suspensionis ab Officio ipso facto, nisi illum necessitas aut utilitas excuset. *Clemen. 1. de Reb. Eccles. non alienan.*
3 Religiosus Procurator, ad breve tempus bona monasterij alienans, quam pœnam incurrit?
℞ Non est suspensus nec excommunicatus, sed mitiori pœna ad arbitrium sui Superioris punitur. *Molin. in Aphorism. v. suspensio. N. 17.*
4 Religiosæ & Abbatissæ fœminis ingressum Monasterij permittentes (excepta fundatrice cum duab. matronis bis in anno absq; pernoctatione) sine licentia Episcopi, quam pœnam incurrunt?
℞ Suspensionis ab Officio. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 5. & ibi Declarat. de Regular. & c. 1. de Stat. Regul. in 6.*
5 Religiosi per administrationem Sacramentorum Sæcularibus Clericis præjudicantes, ac eorum Superiores, si illos de præmissis requisiti à sæcularibus ad satisfactionem non stringunt, quam pœnam incurrunt.
℞ Religiosi sunt ipsò factò excommunicati & à Papa absolvendi, Superiores verò eorum usq; ad satisfactionem eò ipsò sunt suspensi. *Clement. 1. § 1. & 2. de Privileg. & excess. privileg.*
6 Religiosi in Concionib. vel Confessionib. si scienter non injiciant scrupulum de solvendis Decimis sibi confitentibus, quam pœnam incurrunt?
℞ Suspensionis ipsò factò. *Clement. 3 § 2. de Pœnis.*
7 Capitula Cathedralium, Collegiatarum & Regularium Ecclesiarum, quæ vacationis tempore bona Prælati futuri usurpant, quam pœnam incurrunt?
℞ Suspensionis ab Officio & beneficio usq; ad realem restitutionem. *c. 40. de Elect. in 6.*
8 Abbates exempti dantes literas dimissoriales subditis suis sæcularibus, quam pœnam incurrunt?

℞ Si non habeant ad id speciale privilegium Papæ, ipso jure per annum sunt suspensi ab Officio & beneficio. *Conc. Trid. Sess. 23 cap. 10. de Refor.*

## CAPUT XVIII.
### De Dispensatione Suspensionis.

1 Quis dispensat in suspensione lata ab homine?

℞ Is, qui eam tulit vel successor ejus aut Superior. *Enriq. in c. 1. de Cler. excom. minist. n. 6. & Angel. v. suspensio 4. §. 1.*

2 Si Suspensio fit à jure, ad quem pertinet absolutio?

℞ Ad Conditorem vel superiorem illo. *gloss. in c. 16. de Elect. in 6.*

3 Suspensio lata ad tempus, tolliturne ipso facto lapso tempore?

℞ Tollitur absq; nova Judicis sententia vel declarationes. *toties supr dict. & Tolet. Libr. 1. cap. 46. n. 1.*

4 Si aliquis Suspensus ab Episcopo judicialiter, & verbaliter à Papa obtineat dispensationem, poteritne illa uti pro sua voluntate?

℞ Non poterit contra voluntatem proprij Episcopi, imò hujusmodi dispensationem debet eidem præsentare. *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 1. de R f.*

5 Si Episcopus suspendat aliquem verbaliter, dicendo illi, ne celebres, talis à quo debet dispensari?

℞ Ab hocce Episcopo etiam solo verbo. Res enim per quas nascitur causas, per eas dissolvitur. & hujusmodi suspensio fieri solet pro minimis delictis ad metum & terrorem. *D D. in c. 4. de Judic.*

6 Suspensio lata in pænam à Judice per sententiam definitivam, poteritne tolli ab Episcopo?

℞ Non potest, sed à solo Papa loquendo generaliter. Ratio est quia pænæ suspensionis impositæ per sententiam, semper sunt pro delictis gravissimis & sunt pænæ à jure & à legibus, in quibus solus Papa dispensat, ut summus Conditor legum. Ipse enim leges secundùm quas sententia suspensionis lata est, ipse in illis dispensare debet. *Abb. in c. 2. de solut. & Angel. v. suspensio. n. 1*

7 In quibus suspensionibus latis per sententiam à Judice, poterit Episcopus dispensare?

℞ Si suspensio lata sit ab Episcopo, ob Contumaciam, adulterium, vel ob minora crimina adulterio; ut propter simplicem fornicationem, concubinatum, tunc post emendationem, etiam & Vicarius ejus poterit dispensare. Ista enim crimina fragilitatem naturæ humanæ indicant, & ferè semper non habent partem læsam, & si aliquando habent, ratio postulat, ut factâ satisfactione & emendatione dispensentur à Judice, qui tulit sententiam; præcipuè cùm LL. Canonicæ magis respiciant emendationem vitæ, quàm afflictionem corporis. *Abb. & Angel. loc cit.*

8 Suspensus, vel depositus propter homicidium voluntarium, à quo potest dispensari post sententiam?

℞ Quo ad recuperandum vel obtinendum beneficium, ab Episcopo, quò ad exercitium Ordinum vel suscipiendos Ordines, quos non habet, à solo Papa dispensatur. Quia recuperare beneficium spectat ad alimenta necessaria ad vitam, ne Clerici ignominiosè mendicent; at verò suscipere novos Ordines, est res altioris naturæ, cùm sit ministerium maximum in Ecclesia: ideo in illo, quod minus est, dispensat Episcopus, in illo verò quod majus, Papa. *Abb. in c. 2. de Raptor. n. 3.* sed servandum est. *Conc. Trid. de quo dicemus infr. hoc Libr. Cap. 24. n.*

## CAPUT XIX.
### De Interdicto.

1 Quid est Interdictum?

℞ Est Censura Ecclesiastica de sua natura prohibens Sacramentorum usum, divina Officia & sepulturam Ecclesiasticam. *Sylvest. v. Interdictum. n. 9.*

2 In quo excommunicatio cum Interdicto conveniunt, & in quo differunt?

℞ *Conveniunt*; quia tam excommunicatio, quàm interdictum requirit monitionem & scripturam. *c. 26. de Appell. & ibi Abb.* quia Constitutus, tam in excommunicatione, quàm in Interdicto, & celebret, fit Irregularis. *c. 20. de sent excomm. in 6* quia in utraq; sententia fit absolutio recepto juramento de parendo mandatis Ecclesiæ. *c. 52. de sent. excomm. Differunt.* quia excommunicatio fertur in personam, non in rem, & non in Universitatem. *c. 5. §. fin de sent excom in 6.* Interdictum verò fertur in utrumq; *c. fin. eod. tit. in 6.*

3 Semperne monitio debet præcedere Interdictū?

℞ Semper, dum fertur in pænam, secus si feratur ob contumaciam, & inobedientiam, quia ipsa contumacia est vera monitio. *Sot. in 4. dist. 22. q 3. 4. 5.*

4 Quotuplex est Interdictum?

℞ 3plex: *Locale*, cum locus, utpote Ecclesia, Parochia Oppidum, vel Regnum interdicitur. *Sylvest. v. Interdictum 1 n. 6. Personale*, quo solæ personæ, ut non sepeliantur, nec audiant divina, interdicuntur, *Tolet. in summ. Lib. 1. Cap. 51. n. 3.* Et *Mixtum*, idest locale & personale, quo tam personæ, quàm locus interdicitur. *Tolet. ibid.*

5 Quotuplex est adhuc Interdictum?

℞ 3plex: *Generale*, quo interdicitur Civitas vel Provincia aut Regnum. *c. 17. de Verbis signif. Particulare*, quo interdicitur una persona vel una Ecclesia. *Armill. v Interdictum cap. 2.* Et *Mixtum*, quod componitur ex utroq; & interdicitur locus & persona. *Armill. loc. cit.*

6 Interdictum generale loci includitne populum & cives illius loci?

℞ Solùm locum, sed non Cives neq; populum. *Tolet loc. cit.*

7 Interdicto Clero interdiciturne populus vel locus & è contra?

℞ Negativè. *c. 16. de sent. excom. in 6.*

8 Interdicto Clero interdicunturne Religiosi?

℞ Affir: quia Religiosi & Moniales debent servare id, quod servat Ecclesia Cathedralis. *D D. in d. c. 16. de sent. excom. in 6. & Covarr. ibid. p. 2. §. 1. n. 8.*

9 Interdicta Civitate, suburbia & alia ædificia contigua intelliguntur ne interdicta?

℞ Affir. quemadmodum Ecclesia interdicta, ejus

Capellæ & Cæmeterium contiguum, censetur interdictum, secus si non sunt contiguæ Capellæ, aut aliud ex literis Interdicti constet. *c. 16. de sent. excomm. in 6.*

10 Interdicta Universitate: interdicunturne sub ea contenti?

℞ Affir. etiam Religiosi & Religiosæ interdicti censentur. *Navarr. Cap. 27. n. 146. Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 12. de Ref.*

11 Sub interdicto generali comprehenduntur ne infantes & amentes?

℞ Negativè: quia sicut sunt incapaces præceptorum humanorum, ita & pænarum Ecclesiasticarum. *Valen. Lib. 5. t. 39. §. 11 n. 8.*

12 Quis interdicere potest, & ob quam causam?

℞ Qui excommunicare & suspendere potest, is interdicere, idq; ob grave crimen convictum, aut ob contumaciam, & inobedientiam in gravi causa. *c. 1. & ibi gloss. de sent. excom. in 6.*

13 Ista causa, ob quam fertur Interdictum, debetne esse propria an aliena?

℞ Sive sit propria, sive aliena, modò non sit privati alicujus hominis. *Covarr. loc. cit. n. 5.* nec pecuniaria. *Extravag. Comm. 2. de sent. ex omm.* sed Domini loci habentis jurisdictionem. *d. c. 16. de sent. excomm. in 6.*

14 Qui tulit interdictum, ipse debetne illud observare?

℞ Debet: ideo si Episcopus celebret in Ecclesia à se interdicta, incurrit pænam juris scil. Irregularitatem; aliàs nunquam Episcopus à jure vel ab homine censetur interdictus, aut suspensus, nisi specialis ejus fuerit facta mentio. *c. 4. de sent. excom. in. 6.* Potest tamen secum dispensare, *DD. ibid.*

15 Quæ interdicto prohibentur?

℞ Omnia divina Officia, Ecclesiastica sepultura, licet, si quis sepeliatur in Ecclesia interdicti tempore, non sit exhumandus: quia multa facta tenent; quæ fieri prohibentur, *gloss. in c. 28. §. Absolutionis, v. forma. de sent. excomm. & gloss. c. 17. v. sepeliri. eod. tit. in 6.*

16 Quæ permittuntur tempore Interdicti?

℞ Baptismus parvulorum, Confirmatio, pænitentia sanorum, si causam interdicto non dederunt & satisfacere sint parati, pænitentia infirmorum, si interdictum est generale quò ad omnes Ecclesias, aliàs debet recurri ad Ecclesiam non interdictam pro his Sacramentis. *Covarr. ut infra § 2 n. 6.* prædicatio verbi divini. *c. 43. de sent. excomm. & c. 19. eod tit. in 6.* pro qua prædicatione pulsari campana potest, quemadmodum & pro *Angelus Domini* &c. *Navarr. in man. Cap. 27. n. 177. Covarr. in c. fin. de sent. excomm. in 6. p. 2. § 1. n. 7.* Celebratio Missæ clausis januis, & sine sonitu campanarum pro conficiendo SS. Corpore Christi pro infirmis pænitentibus, idq; semel in hebdomada. *c. 57. de sent excomm.* Item celebratio solenniter, cum pulsu campanarum, & apertis januis, admissis interdictis, sed exclusis excommunicatis, diebus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B.V.M. *c. fin. §. In festivitatibus. de sent. excomm. in 6.* tum Festo SS. Corporis Christi per totam Octavam, *per Extravag. Martini V. & Eugenii IV.* Contractus matrimonij. *gloss. in d. c. fin. v. Sacramentis.* solennis tamen benedictio sponsis tunc dari non potest. *Abb. in c. 11. n. 8. de sponsal. & Navarr. loc. cit. n. 179.*

17 Si diebus his solennibus Episcopus (quia Vicarius ejus fulminare interdictum non potest, nisi Absente Episcopo & cum speciali ejus facultate. *Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 4. de sent. excom. §. fin. & c. 2. de his, quæ fiunt à major. part. Capitul.*) Sacris interdicat, estne servandum?

℞ Est; quia populus non debet judicare Episcopum, licet hoc Episcopus non deberet facere, nisi videret delicto talem medicinam profuturam. *Sylvest. v. Interdictum.*

18 Interdictum cùm fertur ob culpam alienam, non habens talem culpam, potestne celebrare, sepelire vel sepeliri?

℞ Potest secretò, ut non veniat scandalum; quia taliter non defraudat intentum Judicis. *c. 11. de Pænit. & Remis.*

19 Finito tempore, cessatne ipsò factò, sine declaratione Judicis, interdictum?

℞ Cessat. *Abb. in d. c. 11. de sponsalib.*

20 Sublato Interdicto, corpora sepulta extra Ecclesiã & exhumata, debentne humari in Ecclesia?

℞ Debent & solenniter, modò circa obitum appareant in eis signa contritionis, seu sint mortui pænitentes. *gloss. in Clement. 1. v. Eis quibus. de sepult. & ibi Abb. n. 17.*

21 Interdicti, posuntne licitè ingredi Ecclesiam?

℞ Possunt orationis causâ, modò in ea tunc divina non peragantur. *Abb. in d. c. 43. n. 2. de sent. ex com.*

22. Tenemurne vitare interdictos in profanis?

℞ Non tenemur, sed solùm in divinis, postquam fuerit denuntiatum interdictum & non ante. *Navarr. loc. cit. n. 170.*

23 Sepeliens Interdictum, quam pænam incurrit?

℞ Si sepeliat Interdictum nominatum, incurrit excommunicationem, à qua non potest absolvi, nisi satisfactione præmissa injuriam passis ad arbitrium Episcopi. *Clement. 1. de sepult.* si sepeliat non nominatum, licet peccet, non tamen incurrit hanc pænam. *Abb. in d. Clement 1. n. 8.*

24 Clericus violans interdictum, quam pænam incurrit?

℞ Celebrans vel aliquem actum Ordini alicui sacro deputatum scienter exercens præterquam in casibus supra expressis, incurrit irregularitatem, per Papam dispensandam, ac inhabilis efficitur ad electiones & est ipse ineligibilis. *c. 18. §. Is vero, & c. 20. de sent. excomm. in 6.* Eandem pænam incurrit, si cum divino Officio & pompa exequiali sepeliat Interdictum. *Sylvest. v. Interdictum 5.*

## CAPUT XX.
### De Cessatione à Divinis.

1 Quid est cessatio à Divinis?

℞ Est quædam omissio & oblatio divinorum officiorum, & executionis sacrorum. *Tolet. in sum. Lib. 1. Cap. 56. de Instruct. Sacerd.*

2 Quoti-

2 Quotuplex est cessatio ?

℞ 2plex, quemadmodum Interdictum: *Generalis*, quæ comprehendit unam Provinciam, vel Civitatem. Et *Specialis*, quæ comprehendit unam Ecclesiam. *Tolet. ibid.*

3 Cessatio à divinis estne Censura ?

℞ Non est: sed quædam pæna imposita ab Ecclesia, propter contemptum eorum, qui non timent Censuras. *Tolet. ibid.*

4 Cessatio imponiturne aliquando à jure ?

℞ Non, sed semper ab homine. *c. 2. & 8. de Off. Ordin. in 6.*

5 Quis potest ponere cessationem à divinis ?

℞ Episcopus, vel ejus Vicarius, aut Capitulum sede vacante, & debet major pars Canonicorum convenire, sicut ad electionem. *DD. in d. c. 8. de Off. Ord. in 6.*

6 Quando Judex ponit cessationem, quid debet agere ?

℞ Debet requirere partem contra quam cessandum est, ut irrogatam offensam emendet, quod si noluerit, tam cessans, quam is contra quem cessatur intra mensem iter arripiant Romam, ut Papa definiat negotium & culpabilem puniat. *gloss. in d. c. 8. v. Quamvis. de Off. Ordin. in 6.* si verò inter partes interveniat concordia, tollit Judex cessationem. *d. gloss. c. 8.*

7 Quid Judex considerare debet, antequam ponat cessationem ?

℞ 1mò Atrocitatem criminis. 2do. qualitatem personæ, contra quam est dirigenda. 3tiò. damnum & expensas. 4tò. utilitatem, quæ ex cessatione potest evenire. *Tolet. loc. cit.*

8 Pro quibus criminibus debet imponi cessatio ?

℞ Pro gravibus, veluti contumacia contra Ecclesiam, vel ejus libertatem, ut si à Judice sæculari detineatur in carcere Clericus, aut si impediatur exhibitio redituum Ecclesiæ, aut si extrahatur aliquis ab Ecclesia violenter ad mortem &c. *Tolet. ubi supr.*

9 Quis debet solvere Canonicis damnum, distributiones, eleemosynas & suffragia pro defunctis, quæ tempore cessationis amittuntur à Clericis ?

℞ Si Cessatio justè fuit imposita, ille, in cujus Contumaciam imposita fuit; si verò injustè, Judex imponens. *gloss. d. c. 2. v. Si Canonici. de Off. Ordin. in 6.*

10 Quis debet cognoscere, an justa fuerit pæna cessationis ?

℞ Judex Ecclesiasticus superior. *Tolet. loc. cit.*

11 Tempore cessationis licetne administrare pænitentiam infirmis ?

℞ Licet, non solùm infirmis, verùm etiam sanis *Enriqu. Lib. 3 cap. 53. v. Interdictum. de Excomm.*

12 Tempore cessationis licetne administrare Eucharistiam ?

℞ Licet, solùm infirmis per modum viatici. *Enriq. loc. cit. cap. 52.*

13 Tempore cessationis licetne administrare extremam unctionem ?

℞ Negativè, neq; etiam Sacerdotibus; cùm hoc Sacramentum non sit de necessarijs. *Enriq. loc. cit. Cap. 53.*



14 Tempore cessationis mortui sepeliunturne in Ecclesia ?

℞ Negativè. *Tolet. & Enriq. loc. cit.*

15 Si quis celebrat tempore cessationis, fitne Irregularis, sicut qui violat Interdictum ?

℞ Negativè; quia cessatio non est Censura. *Innoc. in c. 13. n. 4. de Off. Ordin.*

16 Si Canonici absq; mandato Episcopi, hoc ipsò in ejus contemptum cessent à divinis, à quò puniuntur ?

℞ CùmEpiscopus in sua causa nequit esse Judex, per eundem deferendi sunt Archiepiscopo, tanquam delegato, qui cognita veritate, eosdem arbitriò suò puniet. *d. c. 13. §. Cæterum. de Off. Ord.*

## CAPUT XXI.

## De Sacrilegio.

1 Quid sit & unde dictum Sacrilegium ?

℞ Est usurpatio & violatio, vel læsio rei sacræ. *Hostien. in sum. de Crimin. Sacrileg. lit. a.* dictum quasi rei sacræ legium, idest furtum. *Decian. in tract. crimin. Lib. 6. Cap. 34. h. t.*

2 Quot sunt species Sacrilegij ?

℞ 4. 1ma circa personam in percussione Clerici consistens. 2da in coitu cum Moniali sacrata. 3tia circa locum sacrum, violando Ecclesiam vel Cæmeterium. 4ta. commissio furti in re sacra, aut in loco sacro. *Decian. loc. cit. cap. 15. q. quot species sacrilegii.*

3. De crimine sacrilegij, quis Judex cognoscit?

℞ Solus Ecclesiasticus. *c. 18. §. Prohibemus. de Hæreticis in 6. Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 2. §. sacrosancta. de Foro compet. & Statut. Herburt. v. Spirituales. §. Item pro Decimis.* quamvis alij velint Sacrilegium esse crimen mixti fori, fundati in *tex. c. 5. §. fin. de Pœnis in 6.* qui textus de illis Sacrilegis intelligendus est, qui occiderunt Pontificem. Episcopum, Cardinalem, Præsbyterum, Diaconum. *can. 39. 23. q. 5.*

4 Si quis violaverit immunitatem Ecclesiæ & sangvinis effusione eandem polluerit, per quem Judicem debet puniri ?

℞ Per Ecclesiasticum. *c. 8. de Foro compet. & can. 21. 17. q. 4.* Excipiuntur tamen nonnulli casus in *Const. Gregor. XIV. 1591. kalen. Junij edita, quam refert. Piasec. Prax. Episcop. p. 2. cap. 4. a 8. n. 3.*

5 Detinentes bona Ecclesiæ sine violentia, tamen contra voluntatem ejus, quam pænã incurrunt?

℞ Sacrilegij. *can. 25. 16. q. 7.*

6 Isti Sacrilegi, suntne ipso jure excommunicati ?

℞ Non, sed excommunicandi per sententiam, donec satisfecerint. *c. fin. de Rest. Spoliat.*

7 Si Sacrilegium committatur in personam Ecclesiasticam, sacrilegus estne ipso jure excommunicatus ?

℞ Affir. *can. si quis suadente. 17. q. 4.*

8 Frangens fores Ecclesiæ, quam pænam incurrit?

℞ Sacrilegij, & est excommunicandus. *c. 22. de sent. excom.*

9 Accipiens rem Ecclesiasticam de manu Laici contra voluntatē Ecclesiæ, quā pænam incurrit?

V ℞ Sacri-

℞ Sacrilegij. Laicus enim non habet permissam dispensationem Spiritualium,eamq;dare non potest. *can.* 24. 1. *q.* 7. & *Abb. in c.* 31. *n.* 7. *de Decimis.*

10 Legata post defunctos retinentes, pœnamne furti, an sacrilegij incurrunt?

℞ Sacrilegij: quia rapere quidpiam amico, furtum est; Ecclesiam verò defraudare sacrilegium. *can.* 10. 13. *q.* 2.

11 Invadentes res Ecclesiæ, bona & patrimonia Clericorum, quam pœnam incurrunt?

℞ Sacrilegij. *d. can.* 21. 17. *q.* 4

12 Rem non sacram de loco sacro, vel sacram de loco non sacro accipiens, quam pœnam incurrit?

℞ Sacrilegij. *d. can.* 21. 17 *q.* 4.

13 Si quis de foro Ecclesiastico sit laicus, quam pœnam incurrit?

℞ Sacrilegij. *Abb. in c.* 21. *n.* 3. *de Jure patron.*

14 Prælatus de reditibus Ecclesiæ aliquid usurpans & in Consangvineos excessivè convertens, quam pœnam incurrit?

℞ Sacrilegij. *can.* 3. & *seqq.* 12 *q.* 2. Tenetur tamen de rebus Ecclesiæ Consangvineorum necessitati subvenire. *can.* 14. *dist.* 86. & *c.* 1. *de Cohabit. Cleric.* & *mulier. ac ibid. gloss. v. Subministrent.* si tamen divites sint, vel ut divites illos faciat, non debet subvenire. *can.* 19. 12. *q.* 2.

15 Dubitans de potestate Sum. Pontificis, quam pœnam incurrit?

℞ Sacrilegij. *Hieronym. Gonzal. gloss.* 9. §. 2. *n.* 70.

16 Sacrilegi, qua pœna puniuntur?

℞ Arbitraria juxta facti & personarum qualitatem. Alios enim ad bestias damnasse, alios gladiò truncasse, alios vivos combussisse, alios in furca suspendisse testatur *Hosti n. in sum. h. t. n.* 3. *Cyrill. in sum. Crim. p.* 2. *Rubr.* 26 §. 2. *n.* 11. *de Publ. judic. Boer. decis.* 24. *n* 7. & 13.

# CAPUT XXII.

## De Depositione & Degradatione Clericorum.

1 Quid est Depositio ad Degradationem ordinata?

℞ Est perpetua Clericalis muneris per canonicam sententiam, cum debita solennitate prolatam, privatio. *Soar. de Censuris. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 6.

2 Quid est Degradatio?

℞ Est perpetua Clericalis muneris & privilegii per similem sententiam adjuncta reali actione & ceremonia per canones instituta, privatio. *Soar. ibid.*

3 Quotuplex est depositio Clericorum?

℞ 2plex *Verbalis*, quæ fit per sententiam Episcopi assistente certò numerò Episcoporum. *Conc. Trid. sess.* 13. *cap.* 4. *de Reform.* Et *Realis*, quæ fit adinstar exauctorationis militaris cùm scil. ob grave delictum, Clerico vestibus Clericalibus induto acsi in Officio ministrare deberet, vestes & insignia Ordinis per Episcopum detrahuntur ordine retrogrado. *c.* 2. *de Pœnis in* 6.

4 Solus Episcopus potestne degradare Clericum?

℞ Quamvis solus Ordines conferat, solus tamen degradare & honorem, quem dedit, auferre non potest. *can. fin.* 11. *q.* 7. & *Abb. in c.* 2. *n.* 1. *de Transl. Episcop.* Spiritualia enim faciliùs construuntur, quàm destruuntur. *gloss. d.* 2. *de Pœnis.*

5 Quot itaq; requiruntur personæ in degradatione Clericorum?

℞ Jux. antiqq. cann. in degradando Presbytero, sex, in Diacono & Subdiacono tres Episcopi adesse debuerant. *can.* 3. *et seqq.* 15. *q.* 7. *sed per Conc. Trid. sess.* 13. *Cap.* 4. *de Refor.* locò Episcoporum, totidem Abbates mitræ usum & baculi habentes, aut in defectu horum, aliæ quævis personæ graves in dignitate Ecclesiastica constitutæ & juris scientiâ comendatæ, adhiberi possunt.

6 In deponendo Clerico minorum Ordinum requiriturne dict. personarum interessentia?

℞ Nihil est statutum per cann. antiqq. & Conc. Trid. unde sufficit solius Episcopi sententia *Valen. Lib.* 5. *t.* 39. §. 14. *n.* 1. & *d. c.* 2. §. 1. *de Pœnis. in* 6

7 Solusne Episcopus degradationis sententiæ interesse debet?

℞ Sufficit ejus in spiritualibus Vicarius, eo absente, vel impedito. *Conc. Trid. loc. cit.*

8 De degradatione Episcoporum statuuntne aliquid jura Ecclesiastica?

℞ Jura antiqua statuunt quòd ad nim. depositionē actualem Episcopi, 12. Episcopi requirebantur. *d. can.* 3. *cum seqq.* 15. *q.* 7. sed Conc. Trid. nihil certi statuit: vel quia depositio Episcopi reservata est Summo Pontifici, tanquam proprio Episcopo aliorum Episcoporum, vel quia ob dignitatem Episcopalem non expediebat præsentiam Episcoporum in inferiorum præsentiam commutari. *Valen. loc. cit.*

9 Quæ differentia est inter degradationem, seu depositionem verbalem & Actualem?

℞ 1mò. quia actualiter degradatus, amittit privilegium Clericale, scil. non incidit in excommunicationem, qui eum percutit, verbaliter verò non item *Abb. in c.* 6. *de Pœnis.* 2dò. Degradatus actualiter tradendus est curiæ sæculari, non verò verbaliter, nisi sit incorrigibilis. *Boer. in c.* 9. *de Heret.* 3tio quia degradatio verbalis potest esse contra absentem contumacem, actualis autem requirit præsentiam. *Gemin. in d. c.* 2. *n.* 3. *de Pœnis in* 6. 4to. Ubicunq; in sententijs fit mentio degradationis simpliciter, intelligitur de verbali, non de Actuali. *Abb. in c.* 4. *de Judic.* 5to. Degradatum verbaliter potest Episcopus, qui eum degradavit, restituere; Actualiter verò solus Papa. *Abb. in d. c.* 4. §. *de Adulteriis. n.* 14. *de Judic.*

10 Quæ requiruntur ad degradationem faciendam?

℞ Citatio & accusatio, ac sine his nullus est degradandus. *Hostien. in summ.* §. *quid sit. de Accusat.*

11 Quomodo fit degradatio actualis?

℞ Episcopus Pontificalibus indutus, assistentibus sibi personis de præscripto *Concil. Trid. n* 5. *h. t.* prærequisitis, in Ecclesia publica vel Capella privata *iux. præscriptum Ceremonial. Romani* & *c.* 2. *de Pœnis in* 6. à Clerico aufert singula Ordinum insignia, à majoribus inchoando Ordinibus & in prima Tonsura desinendo, dicens hæc vel similia: ***Authoritate Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, ac Nostra, tibi auferimus habitum Clericalem & deponimus, degradamus, spoliamus & exui-***

*exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio Clericali.* Cui Clerico raditur Caput; ne remaneat aliquod vestigium Tonsuræ, item manus & & digiti, ubi positum fuerat Chrisma: ac demum dictus degradatus vestibûs sæcularibûs indutus redditur Curiæ sæculari tunc præsenti, ut eum in suum forum recipiat; pro quo tamen Ecclesia, seu Judex Ecclesiasticus verè & non fictè, precibûs, non excommunicatione intercedere debet, ut citra mortis periculum in eum sententia moderetur. *can. 9. 17. q. 4. & c. 27. §. 1. de Verb. signif.*

12 Judex sæcularis, receptô taliter degradatô & præstita promissione Judici Ecclesiastico de non puniendo corporaliter, teneturne eidem stare?

℞ Liberum ei est, nec se ampliùs Judex Ecclesiasticus intromittere, nec exinde aliquod irregularitatis periculum perhorrescere debet. *iux Const. Gregorii XIV. cit. itam sup. Lib. huc cap. 21 n. 4.*

13 Judex sæcularis teneturne stare processui per Judicem Ecclesiasticum facto de Clerico degradato & Curiæ sæculari tradito?

℞ Nõ tenetur; cùm sit ejus distincta jurisdictio, si tamẽ vult, potest eundẽ ratificare. Verùm in Causa hæreseos Judex sæcularis processui facto per Judicem Ecclesiasticum non debet contravenire, imò eundem quantocyus exequi, & hoc in favorem fidei. *Abb. in c. fin n. 3. de stat. Monach.*

14 Clericus degradatus potestne consecrare, vel Episcopus etiam degradatus, ordinare?

℞ Potest, omnia munia Clericorum exercere exceptis ijs, quæ jurisdictionem requirunt, & quidem validè, sed illicitè, cùm degradatio non tollat Ordinem; quia hic per characterem indelebilem imprimitur: peccat tamen gravissimè. *Valen. loc. cit. n. 8.*

15 Clericus depositus, vel degradatus, si aliquo casu effugiat mortem, teneturne onera ordini adjuncta sustinere?

℞ Affir. Talis enim horas canonicas recitare, castitatem servare tenetur, nec Matrimonium, si sit in sacris contrahere potest. *Valen. loc. cit.*

16 A quo fit degradatio actualis?

℞ Ab Episcopo, ut supra dictum, licet sententia degradationis possit à Vicario ejus generali in spiritualibus proferri. *Conc. Trid. loc. cit.* degradare tamen non potest, nisi sit Episcopus simul.

17 Propter quæ delicta fit actualis degradatio cum traditione Curiæ sæculari?

℞ Propter hæresim. *c 9. de Haret.* propter abusum SS. Eucharistiæ pro sortilegijs *Genuen. in Prax. Crim. Cap. 84. n. 10.* propter falsificationem literarum Apostolicarum tantùm. *c. 7. de Crimin. falsi. & Abb. in d. c. 9. de Haret.* propter crimen læsæ majestatis contra Papam commissum. *Felin. in c. 35. n. 37. de Rescript.* propter sollicitationem pænitentis in Confessione ad turpia vel propter Celebrationem non ordinati, vel Confessiones audientis. *Const. Pauli IV. Clementis VIII. & Urbani VIII.* propter crimen nefandum contra naturam. *Const. Pii V.* quas refert. *Piasec, Prax. Episcop. p. 2. Cap. 4. a. 14. n. 10. 11. & 12.* tum propter alias culpas in jure expressas, de quibus Clericus accusatus, convictus, vel confessus est. *Dec. in c. 4. de Judiciis.*

18 Propter quæ crimina Clericus deponi debet?

℞ Quæ sunt in jure expressa & pro quibus jus Civile solet imponere pænam mortis. *Felin. in c. 24. n. 25. de Accusat.*

19 Suscipientes Ordinem ab Episcopo degradato, quam pænam incurrunt?

℞ Suspensionis. *arg. in c. de 1. Ordinat. ab Episcop. qui renunt. Episcop.*

---

# CAPUT XXIII.
## De Irregularitate.

1 Quid est Irregularitas?

℞ Est inhabilitas, seu impedimentum canonicum ex se & natura sua directè ac primario impediens acceptionem Ordinum. *Valen. Lib. 5. n. 39. §. 13. n. 1.*

2 Irregularitas distinguiturne à Censuris?

℞ Affir. quia Censuræ licet sint quædam impedimenta canonica respectu aliquarum rerum, vel actionum, tamen directè non impediunt susceptionem Ordinum: ut excommunicatio privat communione fidelium, & sub ea ratione susceptione & usu Ordinum. Interdictum privat auditione divinorum. Suspensio privat muneribus, respicitq; solùm actus eorumq; usus prohibet, & imponitur solis Clericis; jam vero Irregularitas susceptionem Ordinum ac totum statum impedit. *Valen. loc. cit.* Unde patet, quòd Irregularitas non est Censura, sed pæna, proveniens à vitijs animæ seu Corporis, aut ex aliquo delicto. *Ugolin. de Off. & potest. Episcop. fol. 151*

3 Quot sunt species Irregularitatis?

℞ In *genere*, duæ: nempe alia, quæ provenit ex defectu Corporis, & alia ex delicto. In *Specie* sunt octo: natalium, originis, debitæ ætatis, honestæ famæ, Corporis, animæ, ut in Dæmoniaco, & Sacramenti defectus. *Molin. in Aphorism. v. Irregularitas n. 1.*

4 Irregularitas proveniens ex defectu Corporis, sublato tali defectu, tolliturne Irregularitas?

℞ Affir: Si verò ex delicto, semper manet, donec dispensetur. *Tolet. in sum. Lib. 1. cap. 57. n. 6.*

5 Irregularitas proveniens ex delicto, requiriturne ad eam incurrendam intentio & culpa vel non, ut si quis occidat hominem putans occidere feram?

℞ Si adhibuit sufficientem diligentiam & dedit operam rei licitæ, non erit Irregularis; si verò non, ut si occidit in foro, in Civitate, ubi non est locus venandi, proculdubio Irregularis erit, non ratione intentionis, sed ratione negligentiæ. *Angel. v. Homicidium 2. n. 5.*

6 Quæ ætas requiritur ad incurrendam Irregularitatem povenientem ex delicto?

℞ Illa, quæ sit doli capax, & communiter ante 10. Annos non incurritur. *c. 23. & Clement. un. de Homicid. volunt.*

7 Quando contrahitur Irregularitas ex vitio Corporis?

℞ Quando deest aliquod principale membrum

impediens celebrationẽ, ut si sit membro aliquo mutilatus, mutus, cæcus, aut altero oculo præsertim sinistro carens, leprosus, monstrosus & valde difformis. *Tolet. ibid. cap.* 63.

8 Quæ sunt membra quæ non inducunt Irregularitatem, quamvis desint?

℞ Digitus, qui non est ex tribus primis, quibus accipitur hostia, dens, cartilago, auris, testiculi &c. per quæ Ordinis exercitium non impeditur. *Abb. in c.* 1. *de Corp. vitiat.*

9 Qui sunt irregulares ex defectu animæ?

℞ Illiterati, hæretici, neophitæ, Dæmoniaci bigami, Lunatici, insani & infideles. *Tolet. Lib.* 1. *cap.* 54. *n.* 1.

10 Irregularis si defacto suscipiat ordinem, remanebitne suspensus?

℞ Affe, sed Ordo tenet. *Tolet. Lib.* 1. *cap.* 57.

11 Iterans peccatum per quod incurritur Irregularitas incurritne per hoc novam irregularitatem ita, ut si sint 20. occisiones, debeant fieri 20. dispensationes?

℞ Non, sed sufficit una dispensatio, nisi sint diversæ species irregularitatis, quæ debet exprimi in dispensatione, alias nõ esset dispensatio. Ratio est: quia peccatum sæpe repetitum non facit novã speciem Irregularitatis, sed nova species irregularitatis petit novam dispensationem; quia potest esse majoris vel minoris gravitatis, & sic faciliùs vel difficiliùs dispensatur à Sum: Pontifice. *Navarr. Cons.* 27. *n.* 194.

12 Irregularis estne Capax beneficij Ecclesiastici?

℞ Non solùm beneficij, sed & pensionis datæ in titulum. Quia beneficium & pensio dantur in alimentum servienti in aliquo Ordine Ecclesiæ, qui cùm Ordinis sit incapax, etiam & beneficij. *Tolet ibid.* secus ille, qui Irregularis factus post beneficium obtentum. *Tolet. ibid.*

13 Quare Irregularis non privatur beneficijs obtentis, quamvis hæreticus & homicida voluntarius ipsô factô fiant Irregulares & priventur beneficijs?

℞ Quia in hæretico & homicida privatio beneficiorum non venit ratione irregularitatis, sed ratione delicti; & istæ sunt duæ pœnæ distinctæ, una est irregularitas & alia est privatio beneficij. *Tolet. ibid.*

14 Confessarius monens pænitentem ut confiteatur delictum ex quo condemnatur ad mortem, fitne irregularis?

℞ Non sicut Concionator monens Judices, ut faciant justitiam. Ratio est: quia uterq; exercens munus suum facit actum charitatis. Intentio enim illorum non est occidendi hominem, sed vitia extirpandi. *Saà v. Irregularitas. n.* 10.

15 Ad veram rationem Irregularitatis, sufficitne solum homicidium, an requiritur voluntas occidendi?

℞ Requiritur tanquam causa proxima cum intentione occidendi. *Navarr. cap.* 27. *n.* 111. & 220.

16 Si Judex Ecclesiasticus det licentiã Judici sæculari exhumandi corpus & ex tali exhumatione proveniat mors, eritne irregularis talis Judex Spiritualis?

℞ Non: quia actus, qui requiritur ad incurrendam irregularitatem, debet esse proximus & in mortem, vel mutilationem directus, hic verò actus erit remotus & ad bonum finem factus. *Sot. de Inst: & jure. Lib.* 5. *q.* 1 *a.* 7. *Navar. in man. Cap.* 22. *n.* 221.

17 Si quis occidit hominem defendendo se defensione naturali, estne irregularis?

℞ Non, sed ille solùm, qui occidit voluntarie vel mandat, vel qui potest evitare occisionem & non evitat. *Navarr. cap.* 27. *n.* 211.

18 Quot sunt irregularitates, quæ oriri possunt ratione Ordinis?

℞ Sex: 1*ma*. Excomunicatorũ exercentium Ordines. 2*da*. eorũ, qui suscipiunt duos sacros Ordines una die. 3*tia*. eorum, qui ordinantur ab Episcopo excommunicato vel suspenso 4*ta*. eorum qui exercent Ordines, quos non habent. 5*ta*. qui scienter aliquem rebaptizant, reconfirmant, vel scienter assistunt. 6*ta*. qui celebrant in loco interdicto. *Saà v. Irregularis.*

19 Si Sacerdos Censuris innodatus die festo evitando scandalum celebret, fietne Irregularis?

℞ Affir. multi tenent DD. Sed negativè non pauci. Ratio prima vulgaris: quia necessitas non habet legẽ 2. quia præceptũ de evitando scandalo est divinum & naturale, de non celebrando vero propter incursionem irregularitatis est positivum; quia omnis irregularitas est de jure positivo. *Navar. in. c.* 6. *n.* 4. & 7. *Sylvest. in. v. homicidium ult.* §. 1. *n.* 2. *Abb. in c.* 33. *n.* 3. *de decim.*

20 Advocatus, Judex judicans, aut consulens in Causa criminali, fitne Irregularis?

℞ Non, etiamsi votum det ut reus in judicio sangvinis absolvatur, modò non consulat ut condemnetur. *Barb. in* 5. *n.* 4. *Ne Clerici vel Monachi. ubi alios citat.*

21 Si quis colaphum impegit Clerico vel eundem vulneravit & fugit, licetne eundem tuendi honoris causâ persequi & occidere in fuga sine periculo Irregularitatis?

℞ Non licet: quia ista reparatio honoris erit potius species vindictæ, quàm defensionis; quamvis multi teneant contrarium apud *Barb. in c.* 10. *n.* 3. *de Homicid. volunt.*

22 Clericus dubitans an fætus animatus sit & præbens pharmacum gravidæ mulieri ad abortiendum Fætum eritne Irregularis?

℞ Affir. *Barbos. c.* 12. *n.* 5. & *c.* 20. *n.* 3 *de Homicid. volunt.*

23 Si dubitatur, an quis sit irregularis. quis debet cognoscere & judicare?

℞ Episcopus, non verò Iudex Sæcularis. *Navarr. cons.* 27. *n.* 193.

24 Clericus potestne agere in causa criminali contra aliquem coram Iudice Sæculari, absq; labe Irregularitatis?

℞ Potest cum licentia Episcopi & protestatione de effusione sangvinis, vel mutilatione membri; etiamsi certò sciat mortem secuturam. *c.* 2. *de Homicid. in.* 6.

25 Si Clericus agens cum dicta protestatione, habeat in animo, quod ille reus subeat mortis pænam vel mutiletur, & id desideret, fietne Irregularis?

℞ Si sequatur mors, mutilatio membri, fiet: quia in isto casu concurrit voluntas, accusatio exterior & protestatio mendax. *Ioan. Andr. in d. c. 2. de Homicid. in 6.*

26 Quæ sunt irregularitates, quæ tolluntur per baptismum, absq; alia dispensatione?

℞ Illæ, quæ incurruntur ex peccato vel homicidio, & quæ contrahuntur sine peccato, ut in Judice & milite: hæc enim omnia tolluntur per baptismum; quia in baptismo renascitur homo, & fit ut infans. *Saa. v. Irregularitas. n. 9.*

27 Cæteræ irregularitates provenientes ex defectu Corporis, vel ex bigamia, aut ex defectu natalium, vel membri principalis, vel ex nimia deformitate, vel ex lepra, tolluntúrne per baptismum?

℞ Non tolluntur. Ratio est: quia ista impedimenta & deformitates sunt in corpore, & sequuntur hominem baptizatum; aliæ verò irregularitates supra positæ, sunt deformitates animæ, ideo tolluntur aquâ baptismi. *Covarr. in Clement. un. p. 2. §. 3. n. 4. de Homicid.*

28 In Irregularitate proveniente ex illegitimitate, quis potest dispensare?

℞ Ad majores Ordines solus Papa, sed ad unum beneficium simplex & minores Ordines, Episcopus. *ut infr. dicetur.*

# CAPUT XXIV.

## De Dispensatione Irregularitatis.

1 Dispensatio quomodo est interpretanda?

℞ Strictè: quia vulnerat jus commune. *Felin. in c. 27. n. 8. de Rescript.* recedit ab eo, ac ei est odiosa, ideoq; restringenda. *c. 1. de Filiis Presbyt. in 6.* Unde dispensatio debet esse matura ex veris & rationalibus causis concessa. *jux. illud Luc. 12. Quis putas est fidelis dispensator & prudens &c.*

2 Unde dicitur dispensatio?

℞ A verbo penso: quia antequam fiat, ab Episcopo multa pensanda & consideranda sunt. *l. Digna uxor. C. de legib.*

3 Quibus ex causis debet fieri dispensatio Irregularitatis?

℞ Ex causa utilitatis & necessitatis Ecclesiæ. *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 7. & Sess. 23. Cap. 11. de Refor.*

4 In quibus casibus potest dispensare Episcopus super Irregularitate?

℞ In omnibus provenientibus ex occulto delicto, excepto homicidio & illis, quæ ad forum contentiosum devoluta & deducta sunt. *Conc. Tr. Sess. 24. Cap. 6. de Refor.* Summ. verò Pontifex in omnibus Irregularitatibus, cùm sit Supremus Dominus, dispensat.

5 Capitulum sede vacante, potestne dispensare in Irregularitate, in qua dispensat Episcopus?

℞ Potest: quia succedit Episcopo in omnibus jurisdictionem ejus concernentibus, ne Ecclesia in gubernatione detrimentum patiatur. *Abb. in c. 14. de Maior. & Obedien.*

6 Archiepiscopus potestne dispensare cum subditis Suffraganeorum suorum super irregularitate ex delicto occulto provenienti?

℞ Cum Suffraganeis suis potest, non verò cum subditis eorum. Quia Episcopi sunt subditi suo Archiepiscopo, non autem subditi Episcoporum, sunt subditi Archiepiscopo: & *Conc. Tr. d. Sess. 24. Cap. 6. de Ref.* solùm Episcopis dat facultatem dispensandi cum proprijs subditis, non alienis, ne ordo gubernationis pervertatur. *Abb. in c. 11. de Off. Jud. Ordin.*

7 Episcopus potestne delegare facultatem sibi traditam à *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 6. de Ref.* dispensandi in irregularitate provenienti ex delicto occulto?

℞ Potest suo Vicario, vel cuilibet alteri per speciale mandatum. Istæ enim facultates dispensandi, non pertinent ad ministerium & Ordinem, sed ad Jurisdictioně, quæ exerceri possunt à quolibet habente jurisdictionem delegatam. *Felin. in c. fin. de Off. & potest. Judic. Deleg.*

8 Quod est occultum delictum?

℞ Illud, quod non patet per Judicis sententiam, vel per Confessionem factam à reo in judicio, neq; est manifestum pluribus per evidentiam facti. *Abb. in c. 7. de Cohab. Cleric. & mulier.*

9 Quibus modis delictum dicitur occultum?

℞ Duobus 1mò, quando est ita occultum, ut à nemine scitur. 2dò. quando ita occultum, ut à paucis v.g. 5. personis scitur. Et in his delictis Episcopus potest dispensare. *Navarr. in manual. cap. 27 n. 121.*

10 Si delictum deferatur ad forum contentiosum & non probetur, vel falsis testibus probetur, poteritne in illo Episcopus dispensare?

℞ Poterit. Quia *Conc. Trid. loc. cit.* dicit & concedit facultatem Episcopis dispensandi in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus excepto homicidio voluntario & delictis ad forum contentiosum deductis, idest cum veritate & effectu. Unde non sufficit, quòd aliquis ad forum contentiosum deducatur, sed requiritur vera convictio. *Navar. Cons. 2. de Re judic.*

11 Si quis habeat causam manifestam nempe excommunicationem, & delictum, quia occultè celebravit, poteritne cum illo Episcopus dispensare?

℞ Affir: quia ad hoc, ut delictum dicatur manifestum, in quo Episcopus non possit dispensare, utrumq; requiritur, quòd & causa scilicet excommunicatio, & effectus nempe delictum, sint manifesta. *DD. in c. fin. de Cohab. Cleric. & mulier.*

12 Si socius alicujus delicti in Judicio sit condemnatus ad mortem, poteritne Episcopus dispensare cum altero socio negativo & non condemnato?

℞ Affir: quia res inter alios acta, præjudicium alteri facere nequit: ac contingit sæpe, ut in uno eodemq; delicto, unus sit negativus & liberetur, alter verò confiteatur sive verè, sive falsè, & cons-

condemnetur. *l. 1. C. Res inter alios acta. Navar. de Irregul. Cons. 2.*

13 Quod dicitur homicidium voluntarium,in cujus irregularitate Episcopus non potest dispensare, etiamsi sit occultum ?

℟ Quando homicidium est factum cum mera voluntate occidentis, sive sit per insidias, sive per assassinium, sive per seipsum, modò sit injustè factum & volitum ab occidente, habeatq; occidens culpam notabilem, veluti: quia dabat operam rei illicitæ, vel indifferenti, & nullam adhibuit diligentiam; vel si dabat operam rei licitæ, non adhibuit sufficientem diligentiam. Unde ex his casibus contracta irregularitas non potest ab Episcopo dispensari; cùm sit illi prohibitum per *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

14 Si quis dabat operam rei licitæ, pulsando campanam, quæ præceps ruens propter non adhibitam pulsantis diligentiam occidit hominem, vel dabat operam rei illicitæ, ut venationi, maximamq; adhibuit diligentiam, nihilominus tamen, sed non ex sua culpa, occidit hominem, poteritne Episcopus in contracta taliter irregularitate dispensare ?

℟ Affir: quia ad hoc,ut Episcopus non possit dispensare in irregularitate provenienti ex homicidio voluntario hæc requiruntur: voluntas occidentis, injustitia, culpa vel negligentia occidentis: & hæc omnia præter ipsam negligentiam(ut colliguntur ex *sess.* 14. *Cap.* 7. hæc formalia: *qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias*) desunt in istis casibus; proinde dispensare potest, modò negotium ad forum contentiosum non sit deductum & convictum. *Conc. Trid. loc. cit. & Sess. 24. cap. 6 de Ref. Barth. Ugolin. de Off. & potest. Episcop. & c. 9. 13. 14. & 15. de Homic. volunt. vel casual.*

15 Cum Judice, qui per sententiam justam hominem damnat, vel cum milite, qui in bello justo occidit inimicum fidei, poteritne Episcopus dispensare in irregularitate ab ipsis contracta ?

℟ Negativè: quia dicta homicidia, non causantur ex delicto occulto, sed ex mera voluntate occidentis: unde cum talibus solus Papa dispensat, non verò Episcopus. *DD. in Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Refor.*

16 Potestne Episcopus dispensare in irregularitate provenienti ex membri mutilatione ?

℟ Potest: tum quia ipsi per Conc. Trid. non est prohibitum, tum quia mutilatio membri, non est occisio. *Clement. un. de Homic. volunt. vel casual.*

17 Potestne Episcopus in aliquibus irregularitatibus ex homicidijs notorijs provenientibus dispensare ?

℟ Potest. 1*mò*.si quis cum baculo mittat percutere aliquem citra mortem, & inde per accidens sequatur mors.2*dò*.si quis jubeat occidereTitium & errore occidaturSemphronius;quia istis defuit voluntas occidendi. 3*tiò*. si quis defendendo se, occidat aliquem sine moderamine inculpatæ tutelæ; quia potuit fugere & noluit. 4*tò*. cum medico & Chirurgo, qui ex sua imperitia occidunt infirmum. *Navarr. in man. & Emiq. de Irregul. cap.* 19.

18 Si quis Ordine tantùm Subdiaconatus insignitus cantet præsumptuosè utDiaconus Evangelium sine licentia, poteritne Episcopus cum illo dispensare ?

℟ Poterit ad Ordines susceptos & ad unum beneficium, ne mendicet, non verò ad alios Ordines suscipiendos, nisi delictum sit occultum,ut habetur in *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de Ref. & c. 1. de Cler. non Ordin. ministran.*

19 Si homicidium est occultum, per insidias tamen & industriam perpetratum, licet non sit publicum, neq; in judicium deductum, neq; ordine judiciario probatum,à quo poterit dispensari ?

℟ A Summo Pontifice in foro exteriori, non verò ab Episcopo. Quia talis homicida etiamsi sit occultus, habuit tamen voluntatem occidendi, & ad id posuit industriam vel insidias, factusq; est irregularis. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Ref.* In foro tamen interiori, ab Episcopo, vel alio Sacerdote potest absolvi.

20 Si Episcopus prohibeat in Ordinatione, ne quis sub pæna excommunicationis furtivè suscipiat Ordines, aliquis tamen commissò hoc delictò ingressus est religionem,à quo poterit dispensari ?

℟ Ab Episcopo in favorem religionis, quæ multos defectus supplet, si se in illa per aliquod tempus laudabiliter gesserit. *DD. in c. 1. de eo, qui furt Ordines.*

21 Potestne Episcopus dispensare in irregularitate provenienti ex defectu Corporis ?

℟ Non potest, sed solus Papa. Quia defectus & vitium Corporis est publicum. *Conc. Trid. loc. cit. & Tolet. in summ. Lib. 1. cap. 63.*

22 Potestne dispensare Episcopus cum illegitimo ?

℟ Potest ad minores Ordines & simplex beneficium, ad majores verò, Sum. Pontifex. *c. fin. junct. gloss. de filijs Presbyt. & c. 1. eod. tit. in 6.*

23 Episcopus potestne dare facultatem suo Confessario, ut secum dispenset super irregularitate ex delicto occulto provenienti ?

℟ Potest: quia in hoc casu Episcopus est delegatus ad universitatem causarum,& ipse non debet excludi à communi privilegio. *c.fin.de Off. Jud. Ord.*

24 Cum excommunicato & ad Ordines etiam minores promoto, potestne dispensare Episcopus ?

℟ Non potest, sed solus Papa, cui expressè dispensatio est reservata. *Navarr. Cons. 61. n. 241. 244. & 262. ubi citat. Card. in Clement. Dudum. §. Ac etiam. de sepult.*

25 Cum Simoniaco in Ordine, hoc ipso irregulari, potestne dispensare Episcopus ?

℟ Non, sed Papa *Const. Clement. VIII.* quam refert *Piasec. Prax. Episcop. p. 1. Cap. 1. a. 10. n. 11.*

26 Cum Neophito & hæretico, potestne dispensare Episcopus ?

℟ Solus Papa. *Navarr. in Man. cap. 27. n. 205.* nisi sit hæreticus non notorius & Neophita pridem conversus. *Soar.tom 5. disp. 43.sect. 1. n 6.* aliàs Episcopus in irregularitatibus non potest dispensare, nisi in casibus expressis. Quia contra legem Superioris & Concilia, à quibus Irregularitates statutæ sunt,procedere nequit. *Piasec. loc.cit.n.17.* ubi alios citat.

CAPUT

# CAPUT XXV.

## De Bigamia.

1 Quid est Bigamia ?

℞ Est irregularitas ex defectu Sacramenti procedens. *can.2. dist.26.& Hostien. in summ.Lib.1.de Big. non Ordinan.*

2 Quare Bigamus est Irregularis, cùm bigamia possit esse sine peccato ?

℞ Quia Christus Dominus sumpsit sibi unam Sponsam, Virginem, castam, Ecclesiam; ideo Bigamus, cùm sit duarum uxorum vir, vel etiam unius non virginis, istam contrahit irregularitatem, quamvis sit sine culpa. *can.11.31.q.2.*

3 Quotuplex est bigamia ?

℞ 3plex: Vera, interpretativa ; seu ex interpretatione juris, & similitudinaria, seu per analogiam quandam. *gloss. in c. 2. h. t. & Navar.in Man. Cap. 27. n. 195.*

4 Quæ dicitur bigamia vera?

℞ Cùm quis successivè duas legitimas habuit uxores, & cum eis copulam : quia si duas habuerit,& altera ante copulam fuerit mortua, non censetur bigamus. *arg. c. 5. h. t.*

5 Quæ dicitur bigamia Interpretativa ?

℞ Cùm quis, cum vidua ; nimirum per alium ; non verò per se,corrupta, vel cum publica meretrice, aut cum Uxore adultera contrahit, interpretatione juris bigamus reputatur. *can.2.dist. 33. & can. 13. dist. 34.*

6 Quæ dicitur bigamia similitudinaria ?

℞ Cùm aliquis in Sacris Ordinibus constitutus, vel post votum solenne Religionis castitatis , contrahit defactò, & consummat matrimonium, quamvis illa, cum qua contraxit sit virgo. *can. 24. 27. q. 1. c. 7. h. t. tum Angell. & Armill. v. bigamia.*

7 Potestne Episcopus dispensare in bigamia vera ?

℞ Non potest, etiam ad Minores Ordines: cum hujusmodi privilegiorum privatio à Summ.Pontifice sit inducta. *c. un. h.t.in 6.* quam bigamiam non tollit religionis ingressus, per quem regulariter tollitur omnis macula. *Sayr. de Cens. Lib. 7. Cap. 13.* imò si dispensaret, maneret suspensus à collatione Ordinum, & promotus ab executione amitteretq; beneficium, nec fructus suos faceret. *Quarant v.Ordo & Valent.tom. 4. disp.7. q.19.*

8 Potestne Episcopus dispensare in bigamia interpretativa, saltim quò ad Minores Ordines suscipiendos, vel ad susceptos exercendos ?

℞ *Anharan. Franc. c. un.h. t. in 6. Abb. in c. 2. h. t. & Suar. de Censur. disp.*48. quò ad utrumq punctum tenent negativè. *Navarr. verò cap. 27. n. 197. Et Covar. de Irregular. p. 1. §. 2.n. 4.* quò ad primum punctum, cùm summa dispensandi adsit causa,tenent affirmativè, quò ad secundum negativè : quia bigamus factus post susceptos Ordines ipso jure amittit privilegium Clericale , ideò difficiliùs cum eo dispensatur. *d.c.un.h.t.in 6. Ugolin. de Off. & potest. Episcop. p. 2. fol. 155. n.1.* Negativa tamen opinio, quò ad utrumq; est in praxi. (Episcopus ?

9 In similitudinaria bigamia , potestne dispensare

℞ Potest : quia tales non contrahunt verum matrimonium ; impedimentum enim Ordinis, vel voti solennis, fecit eos incapaces : verùm puniuntur pæna bigamiæ magis propter intentionem, & affectum, quàm effectum ; cùm de jure non sint verè bigami. *c.3. h.t. c.1.& 2. Qui Cler. vel vovent. Abb. ibi. & Ugolin. loc. cit.*

10 Ad bigamiam veram solùmne requiritur,quòd quis contrahat duo matrimonia per verba de præsenti,vel necessariò requiritur,quòd consummet dicta duo matrimonia ?

℞ Necessariò requiritur, ut duo consummet matrimonia , aliàs si tantùm unum matrimonium consummaverit, & aliud ratum reliquerit ; non fuisset bigamus. *Covarr. loc. cit.*

11 Qualiter tollitur bigamiæ impedimentum ?

℞ Sola dispensatione Summi Pontificis, qui tam in vera, quàm in interpretativa ad omnes Ordines, etiam Pontificales,& beneficia quæcunq; dispensat. *d. can.2. dist. 26. c.2.h.t.& Maiol.Lib.1. Cap. 33. n. 14.*

12 Si quis unam uxorem habuerit,ante baptismũ alteram post,ligabiturne hac prohibitione ?

℞ Affir. Quia bigamiæ impedimentum non tollitur per baptismum , etiamsi sit janua omnia Sacramentorum. *d.can.2.junct.gloss.dist.26.Hostien. in Summ. hoc tit. n. 5. & 6.*

# CAPUT XXVI.

## De Homicidio voluntario vel casuali.

1 Quid est homicidium & unde dictum ?

℞ Est corporis humani animati peremptio,seu est hominis per hominem interfectio: quia si brutum occiderit hominem , vel homo brutum, non dicetur propriè homicidium. Homicidium enim designat peccatum, quod in brutum non cadit. *Valen. & Zoes. Lib. 5. h. t.* Dicitur ab homine & ad utrumq; pertinet sexum.*l. 153.ff. de verb. sign.*

2 Quotuplex est homicidium ?

℞ 3plex: Voluntarium, Casuale & necessarium.

3 Quid est homicidium voluntarium ?

℞ Quod dolo malo & animo occidendi quoquo modo sive marte aperto , sive per insidias , sive veneficio, sive pharmaco &c. admittitur. *l. lege cornelia. 1. ff. ad l. Cornel. de sicarijs.*

4 Quid est homicidium Casuale?

℞ Quod casu fit & præter occidentis intentionem, ita ut nec in se, nec sua causa sit volitum. *c. 7. 13. & seqq. h. t.*

5 Quid est homicidium Necessarium ?

℞ Quod committitur ad necessariam sui defensionem *c. 1. h. t.* & hoc si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ,erit sine culpa & reprehensione. *c. 2. h. t.* Nam vim vi repellere, omnes leges omniaq; jura permittunt. *c. 17. h. t. & l. 3. ff. de Iust. & jure.*

6 Quid est moderamen inculpatæ tutelæ.

℞ Est sui ipsius intra limites defensionis continentia, quæ tunc fit, quando quis non ad vindictam, sed solùm ad propulsandam injuriam & vim arcendam utitur defensione. Hinc furem diurnum, si se non defendat, non licet occidere

c. 2. h. t. nocturnus, tamen impune occidi potest: quia ignoratur an furandi, an verò occidendi animo domum ingreditur. c. 3. h. t.

7 Quot modis occisio hominis contingere potest?

℞ 5. modis: factô propriô, mandatô, consiliô, permissione & auxiliô armorum. *Sylvest. v. Homicidium.* Et isti omnes, pœnâ homicidij puniuntur. *Sylvest. loc. cit. & c. 6. h. t.*

8 Quomodo punitur homicidium voluntarium?

℞ De jure Civili Romano pœnâ mortis vel aliâ pro qualitate excessûs: de jure Regni nostri Poloniæ, varijs ac varijs. *Zalaszov. Tom. 2. Libr. 4. t. 5. a. 1. per totum.* De jure verò canonico pœnâ excommunicationis. *can. 20. 24. q. 3.* vel si sit Clericus, efficitur Irregularis & punitur depositione Ordinum verbali ac detrusione in Monasterium, *c. 6. §. fin. h. t.* privatione beneficiorum per sententiam, non ipso jure. *c. 1. & 2. de Cleric. pugnan. in duell. Conc. Trid. Sess. 14 cap. 7. & sess. 24. cap. 6. de Ref.*

9 Quæ debent considerari à Judice in imponenda pœna delicto homicidij?

℞ Quantitas & qualitas delicti, ætas, scientia, sexus, conditio delinquentis, locus, tempus, dignitas personarum, occisæ & occidentis, præcipuè an quis occisus fuerit ex industria, per Assassinium, insidias, post multam reflexionem, attenditur item occasio & causa pugnæ &c. *c. 1. h. t. & c. 1. eod. tit. in 6. ac Clement. un. h. t.*

10 Voluntas interficiendi, quando punitur pœnâ mortis licet non sequatur factum?

℞ Quotiescunq; fit conjuratio contra Papam, Imperatorem, Reges, Cardinales, Episcopos, Principes, Consiliarios Regis & contra personas jurisdictionem exercentes; tunc condemnantur pœnâ mortis, mandantes, adjuvantes, consulentes, scientes, non manifestantes in & domibus suis tales homines foventes. Ratio est: quia harum personarum dignitas maximè attendenda est; nã ad regimen universi mundi pertinet. Qui enim administrant justitiam & gubernant Rempub. liberi & immunes esse debent, ut pote non suam, sed totius Reipub. curam agentes. *d. c. 6. & Clement. un. h. t. & ibi Covarr. cum alijs DD.*

11 Clericus altercando voluntariè occidit hominem, quâ pœnâ punitur?

℞ Si postea pœniteat, non punitur pœnâ mortis, sed solùm privationis officij vel beneficij & incurrit irregularitatem, tam quò ad Ordines susceptos, quàm quò ad suscipiendos à Sum. Pontifice absolvendam. Ratio. quia cùm magna dignitas sit Clerici, non est æquiparandus in pœna laicis, ac privatio beneficiorum, detrusio in Monasterium & irregularitas, pro pœna mortis habetur *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. de Ref. & d. Clement. un. h. t.*

12 Clericus homicida, potestne aliquando tradi Curiæ sæculari pro pœnis sumendis?

℞ Potest, quando nimirum est incorrigibilis, nec monitus ab homicidio desistit, jamq; unum, duos, aut tres homines successivè necavit, ut per hoc mos ejus & consvetudo pessima, tanquam pestis de medio Reipub. tollatur. Vel quando per industriam, insidias, aut proditionem etiam unum hominem interfecit. *c. 1. Clement. un. & c. 1. h. t. in 6.*

13 Si quis gravem injuriam sibi ab adversario illatam in honore vel corpore patiatur, recedat ab eodem in calore iracundiæ, resumptisq; postea viribûs revertatur, ac eundem occidat, diceturne ex industria eundem occidere?

℞ In hoc certa regula dari non potest: alij enim DD. dicunt: quòd si quis intra spatium 8. horarum revertatur, & inimicum suum, à quo injuriatus fuerat, occidat, non dicetur de industria occidere; quia illa infamia & furor non fuerat adhuc ab ejus mente sublatus, & idem est ac si eum in illa prima altercatione occidisset. Alij ampliant hoc ipsum tempus ad 24. horas, alij ad tres dies. si magna illata injuria & nobili personæ fuerat. de quo videatur *Julius Clarus §. Apostatis.*

14 Si Clericus non servato moderamine inculpatæ tutelæ insidiantem sibi hostem vel latronem occidat, deberetne puniri?

℞ Si probabiliter Clericus liberare se aliter non poterat, nec fugere ad tutum locum valuerat absq; pœna & irregularitate, potuit suũ inimicũ aut latronem occidere. Quilibet enim tenetur vitam suam magis conservare, quàm alterius; cùm sit inter bona corporis primum & supremum bonum. *Abb. in c. 12. de Rest. Spoliat. Innoc. in c. 3. de sent. excom. Clement. un. & c. 2. h. t.*

15 Si quis interficiat hominem volentem interficere suum Patrem, filium, Cognatum, Dominum, Episcopum, quia si ipse non interfecisset eundem, ipse Patrem, filium, Uxorem suam &c. interfecisset, talis incurretne aliquam pœnam?

℞ De utroq; jure nullam pœnam incurret, ne quidem, si sit Clericus, excommunicationis, fiet tamen irregularis: quia aliquæ irregularitates incurri possunt sine peccato, sicut & ista, quia naturale illud principium juris scil. quòd vim vi repellere licet, quamvis intelligendum sit rigorosè, quando nimirum malum vergeret in propriam personam: tamen quia Pater, filius, Uxor, Dominus, Episcopus habentur pro propria persona, ideo talis occisor, non incurrit pœnam mortis, quia videtur seipsum defendere. *Innoc. in d. Clement. un. h. t.*

16 Quando in aliquo casu dubitatur, an aliquis habuerit intentionem occidendi, aut se defendendi, vel utrum poterat fugere nec ne, quæ probatio requiritur?

℞ Si solùm agatur de pœna irregularitatis & deficit probatio alicujus testis, qui rem vidit, sufficit juramentum occidentis. Quia quotiescunq; quæritur de animo & conscientia alicuius, nec inde incommodum sequitur partis, standum est juramento, præcipuè si Clericus sit bonæ famæ; sed si agitur ad pœnam mortis, tunc requiritur aliqua probatio, vel conjecturæ, aut præsumptiones, qvæ ex facto oriuntur. *gloss. in c. 4. de sent. excomm. & c. 31. de Test. & attestat.*

17 Filius, potestne aliquando licitè occidere Patrem?

℞ Excusatur à pœna, si Pater sit hostis Patriæ a-

ctua,

ctualiter contra ipsam arma inferens. quia tunc filius plus debet Patriæ, qvàm Parenti hosti: communem enim utilitatem præferre debet particulari utilitati. secus, si Pater solùm sit bannitus, quia per hoc non desiit esse Pater, filiusq; eum alere, hospitio recipere ac alia officia jure filiationis eidem tenetur præstare. *Zalasz. Tom. 2. lib. 4. t. 6. d. Parric.* ubi variæ pænæ Parricidarum videri possunt.

18 In quibus casibus potest qvis exponere se evidenti periculo vitæ & sinere se occidi absq; aliqvo peccato?

℞ In pluribus: *1mò.* causâ propriæ salutis, consentiendo, ut sibi abscindatur membrum. *2 dò.* gratiâ defensionis fidei catholicæ, pro qva omnes Christiani tenemur mori. *3tio* in utilitatem Reipub. Ut si Civitas sit ab hoste obsessa, potest aliqvis se tradere morti, vel evidenti periculo mortis, ut Civitas liberetur *4to.* pro suo amico & proximo. *5to.* in bello justo miles & dux tenetur pugnare & vincere, vel mori; ad hunc enim finem ad Officium militare est admissus. *6 tò.* Si quis Judicis sententiâ condemnatus ad mortem, eandem patienter ferat, & sinat se occidere; quia in isto actu meretur veniam peccatorum. *Tolet. in summ. Lib. 5. Cap. 6.*

19 Si quis Clericus incidens in latronē & pugnando ac sua defendendo eundē occidens, licèt poterat relinquere bona sua & fugere, qua pæna punitur?

℞ Remanet irregularis: quia potiùs amittere debuerat res temporales, quàm occidere hominem. *c. 10. h. t. & ibi gloss.*

20 Poteſtne esse homicidium casuale sine peccatō & irregularitatē?

℞ Potest: quando aliquis dat operam rei licitæ, rei indifferenti, nulla accedente ex parte sui voluntate, culpa, causa præcedenti, neq; animo nocendi succedit homicidium, ut si quis Clericus insidens equo & putans eum parere fræno, ille verò furiosus non pareat & aliquem ad mortem ungulâ vulneret; Clericus per hoc, nec irregularis, nec punibilis est; quia neq; actu, neq; causâ proximâ & ordinata ad homicidium, neq; voluntate tale commisit homicidium; jam verò ad irregularitatem incurrendam, non sufficit solùm homicidium, nisi adsit voluntas occidendi, vel culpa occidentis, requiritur tamen ut ponat diligentiam saltim moraliter sufficientem, ut habetur in *c. 9. 13. 14. & 15. h. t.*

21 Quod est homicidium casuale, quod habet pænam irregularitatis, etiamsi committatur contra voluntatem occidentis?

℞ Quando quis non dat operam rei licitæ, ut Clericus venator si occidat aliquem; vel quando quis facit actum licitum, sed non adhibet sufficientem diligentiam, ut occidens aliquem mundando tectum, quia non vociferatur & non admonet transeuntes per viam; quia licet hic non habeat animum occidendi, habet tamen homicidium cum culpa: quia non fecit sufficientem diligentiam. *d. c. 13. 14. & 15. h. t. & can. 50. dist. 50.*

22 Si quis Clericus percutiat mulierem prægnantem, vel ei propinet medicinam per quam abortum pati posset, facto abortu, fitne irregularis?

℞ Si fætus erat animatus in Corpore mulieris, manebit irregularis, secus si non erat animatus. *Const. Gregorij XIV.* reducens ad terminos juris communis *Const. Sixti V.* quò ad fætum inanimatum, quas refert. *Piasec. Prax. Episcop. p. 1. cap. 1. a. 6. n. 12.* Ratio est, quia ad irregularitatem requiritur, ut quis occidat hominem rationalem cum animo occidendi, vel cum data culpa ad occisionem. Pro quo advertendum est: quod fætus virilis in utero mulieris animatur post 40. dies à conceptione, & muliebris post dies 80. fætus autem ille antequam animetur, vocatur Embrio, quasi sine anima, vel quasi habens in potentia animam venturam. *A b. in c. 5. h. t. & c. 20. ibid. can. 8. & 9. 32. q. 2.*

23 Si quis in sacris Ordinibus constitutus, ense ludat & aliquem absq; intentione occidat, eritnē irregularis?

℞ Affir. quia est in culpa, dans occasionem morti & operam rei illicitæ. *c. 8. h. t. & l. Nam ludus. ff. ad l. Aquiliam.*

24 Monachus vel Clericus exercentes Officium Medici, vel Chirurgi, eruntne irregulares, si præter voluntatem eorum moriatur patiens?

℞ Affir. quia usurparunt alienum Officium, quod minimè illis congruebat, etiamsi id fecerint causâ pietatis, non cupiditatis. *c. 19. h. t.* sed hic intellige de his, qui exercent Officium Medici vel Chirurgi, non de illis Clericis vel Monachis, qui visitando infirmum dant consilium de remedio, quod aliquando vel efficax scivisse, vel sibi profuisse noverunt. Unde Clerici, vel Monachi volentes exercere Artē Medicā, debent habere Apostolicā dispensationē. *DD. in c. 19. h. t.*

25 Si quis Clericus jussit aliquem occidere per Assassinum, sed ante executionem revocavit mandatum, quam pænam incurrit?

℞ Licet deberet puniri jux. *c. 1. h. t. in 6.* idq; pænis exemplaribus, quibus ex solo mandato ligatus fuerat, sed cùm pænituit ipsum facti per revocationem mandati, clementiùs cum eo procedendum est, excommunicatus tamen, verùm ab Episcopo potest absolvi; quia hujusmodi excommunicatio non est à jure reservata Papæ; irregularis tamen non est; quia irregularitas non contrahitur per mandatum, neq; per desiderium, sed per verum factum. *DD. in d. c. 1. h. t. in 6.*

26 Clerici, vel Monachi in bello contra Turcas, vel alios hostes fidei, possuntne pugnare & occidere absq; metu irregularitatis?

℞ Adhortare possunt ad pugnam, non autem pugnare, & si occiderint, incurrunt irregularitatem; quia non suum, sed alienum exercuerunt Officiū: quod si dubitent an occiderint aliquem? in dubio sunt dispensandi: si autem eveniat talis casus, ut Monachus, vel Clericus, vel debeat mori, vel occidere inimicum tunc absq; metu irregularitatis, poterunt. Vim enim vi jus naturæ repellere permittit. *c. 24. h. t. & can. 33. 23. q. fin.*

27 Infamatus aliquis de interfectione hominis, quamvis non interfecerit, eritne irregularis?

℞ Negativè: quia infamia est in persona infamati, & de jure habet remedium, nempe purgationem canonicam. *Abb. in c. Ex literis: h. t.*

28 Si Presbyter intuitu correctionis percutiat aliquem, & moriatur, eritne irregularis?

℞ Erit, si modum verberando excedat: secus si non excedat, etiamsi mors sequeretur; vel alicujus membri mutilatio. Quia facit actum licitum correctionis, & non habet voluntatem occidendi. *DD. in c. 7. & 12. h. t. tum c. fin. eod. tit. in 6.*

29 Si puer ludendo, aliquem occidat, eritne irregularis?

℞ Non erit: quia licitum est pueris ludere; & ipse non habuit intentionem occidendi, sed ludendi. *c. 23. h. t.*

30 Excusaturne quis ab irregularitate & pæna, licèt interficiat hominem?

℞ Præter homicidas merè casuales & alios supra specificatos, excusantur ab irregularitate, & pæna minores septennio, actu furentes, vel sine intervallo lucido furiosi, dormientes, & his similes; quia illos ætas & innocentia consilij, hos fati infelicitas & extra sensus positio excusat. *Clement. un. & ibi gloss. h. t.*

31 Quomodo Clericus coram Judice laico potest petere damnum sibi factum à latrone, vel ab alio homine, si inde certò mors sequatur?

℞ Rectè petere potest facta protestatione, quòd non intendat ad pænam sangvinis vel mutilationem membri, sed ad damni recuperationem, etiamsi sententiâ Judicis inferatur mors vel mutilatio. Quia licet Clericus tenetur relinquere iram, sed non emendam & damnum, quod passus est. Daretur enim occasio laicis, inferendi plurima damna & injurias Clericis. Tum quia quòd Clericus petat suum damnum, non ex eo dat causam necessariam, ut damnificator ad mortem à Judice destinetur. Non enim Clericus est actor talis delicti criminalis, neq; habet talem intentionem, sed Judex si ad mortem procedit, facit hoc ex Officio suo, ne delicta maneant impunita *c. 21. & ibi gloss. h. t. tum c. 2. eod. tit. in 6.*

32 Si quis non mutilat, neq; abscindit membrum alicujus, sed taliter percutit alium, ut relinquat aliquod inutile membrum ad suum Officium, eritne irregularis?


℞ Negativè: quia ad Irregularitatem provenientem ex abscissione membri, requiritur realis abscissio membri à corpore, ut nimirum non maneat unitum corpori, sicut remanet membrum ex percussione factum inutile. Cùm enim sumus in odiosis, pænæ non sunt extendendæ, sed restringendæ; omnia autem jura per totum hunc titulum petunt, ut membrum realiter à corpore amputetur; prout expressè habet *gloss. in c. fin. h. t. in 6.*

33 Si quis amputet alicui digitum, eritne irregularis?

℞ Non: quia digitus, non est membrum hominis, sed facit officium membri. *l. Non. sunt. §. partus. ff. de stat. homin.* Et ideo cùm non amputatur membrum, non incurritur irregularitas; ac Clericus percutiens aliquem ad effusionem sangvinis, licet sit excommunicatus, non tamen irregularis. *gloss. in d. c. fin. h. t. in 6.*

# LIBER TERTIUS
## DE INSTRUCTIONIBUS SACERDOTUM ET MATERIIS CONFESSARIIS NECESSARIIS.

### CAPUT I.
### De Peccatis commissis contra Præcepta Decalogi.

1 Uot sunt præcepta Decalogi?

℞ Decem: *can. Meretrices esse 32. q. 4.* quæ quatuor sequentibus versibus enumerantur, & ordine, ut infra exprimuntur, nimirum:

*Idola sperne, Dei tibi nomen non sit inane,*
*Sabbata sanctifices, habeas in honore parentes,*
*Non occisor eris, mæchus, fur, testis iniquus,*
*Non alij nuptam, nec rem cupies alienam.*

2 Obligantne præcepta Decalogi sub mortali, & quomodo dividuntur?

℞ Obligant omnes Christianos sub pæna peccati mortalis, quæ non sunt ad observandum impossibilia. *Conc. Trid. Sess. 6. cap. 11. de Justific.* Dividunturq; in duas tabulas: 1mam. quæ versatur circa honorem divinum immediatè, ut sunt tria prima præcepta. & 2dam. quæ versatur circa utilitatem proximi, ut sunt 7. posteriora. *S. Th. 2. 2. q. 122. Sot. de just. & jure Lib. 2. q. 3.*

3 Transgresio præceptorum, estne semper mortale?

℞ Est; nisi aliquando ex tribus causis fiat veniale. 1mò. ex parvitate materiæ, ut in jejunio.

2dò.

2dò. si fiant sine deliberatione, ut in homine,qui repentino motu desiderat objectum formosum, sed reflexus, non habet consensum. 3tiò. si ista præcepta frangantur ab amente. *S. Th. loc. cit.*

4. Præcepta Decalogi possuntne adimpleri ab homine,qvi est in peccato mortali?

℞ Possunt, & talis satisfacit præcepto Ecclesiæ, licet jejunium factum sine charitate, non erit meritorium. *Sot. loc. cit. & q. 4.*

## Præceptum Primum.

*Idola sperne.* idest. *Non habebis Deos alienos coram me.*

5 Quæ prohibentur in hoc primo præcepto?

℞ Omnis idololatria, sive adoratio cujuscunque Creaturæ, sive simulacri vel imaginis rei naturalis. *Nicol. de Lira super Exod. Cap. 20. & Deut. Cap. 7.*

6 Quæ sunt adorationes,& cui permissæ?

℞ Adoratio seu cultus *Latriæ*, qui immediatè Deum intuetur. Cultus *Duliæ*, qui propter Deũ, Angelis & SS. Canonizatis:,debetur. Et *Hyperduliæ*, qui propter Deum B. V. Mariæ debetur præcellentiori ratione, quàm alijs Sanctis,utpotè præcellenti Sanctos & Angelos. *Conc. Trid. Sess. 25. Decret. de Invocat. venerat, & reliq. Sanct.*

7 In quo consistit adoratio Latriæ?

℞ In tribus actibus: scil. in *actu intellectus* considerantis Dei magnitudinem & bonitatem, eumq; authorem & Creatorem omnium absq; dependentia ab alio, & omnes autem ab ipso tanquam à prima causa dependere, fieri, moveri & sustentari. in *actu voluntatis*, quo subjicimur Deo cognito, ut Omnipotenti, & in *actu exteriori*, quo exteriùs Deo, vel flexis genibus, vel detecto capite fundimus preces. *D. Th. 2. 2 q. 84.*

8 Quot modis peccatur contra primum præceptum?

℞ Per idololatriam, Judaismum, recessum à fide vel religione Catholica, per adhærentiam dogmatibus hæreticorum,& erroribus ab Ecclesia damnatis, per protectionem eorum, temeram de fide cum illis disputationem, librorum eorum lectionem, aut Concionibus & cæremonijs eorum interessentiam, per dubitationem de veritate alicujus articuli fidei, negationem, vel dissimulationem fidei, per culpabilem ignorantiam mysteriorum fidei, & necessariorum ad salutem, per præsumptionem de misericordia & gratia Dei, aut desperationem, per invocationem tacitam vel expressam, pactum tacitum vel expressum cum Dæmone, per futurarum & occultarum rerum cognitionem, superstitionem, præstigia, somnia,Necromantiam, Astrologiam judiciariam, auguria, Chiromantiam &c. per delationem Reliquiarum & Imaginum Sanctorum cum quibusdam superstitiosis observationibus, per orationes quasdam & jejunia ad proximi depressionem & exinanitionem adhibita, per contumeliosam Imaginum Sanctorum tractationem, per verborum S. Scripturæ ad res superstitiosas, ridiculas, & falsas abusum. &c.&c.

## Præceptum Secundum.

*DEI tibi nomen non sit inane.* idest: *Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum.*

9 Quæ prohibentur in hoc secundo præcepto?

℞ Juramentum, quod fit sine causa; & perjurium. *can. 2. & seqq. 22. q. 1.*

10 Quæ conditiones requiruntur, ut quis possit licitè jurare?

℞ Istæ tres: veritas, justitia,& necessitas. *can. 2. 22. q. 2. & c. 26. de Jureiur.*

11 Quod peccatum est,habere consvetudinem sine necessitate, justitia & veritate jurandi?

℞ Maximum & omni cura evitandum. Os enim quod mentitur,occidit animam. *can. 17. 22. q. 2. ex Sap. 1.*

12 Si quis jurat sine intentione adimplendi, quod jurat, peccatne mortaliter?

℞ Affir: quia in tali juramento deficit veritas, præcipuè si res sit gravis,vel in se contineat peccatum. *Tolet. Lib. 4. Cap. 21.*

13 Si quis jurat aliquem occidere, vel aliam rem injustam, teneturne adimplere juramentum?

℞ Non tenetur, imò si adimpleret, præter peccatum, quod commisit per juramentum de occisione, committeret aliud peccatum nempe homicidij. *Azor q. 5. Cap. 20.*

14 Quæ regula debet servari in observatione juramentorum?

℞ Ut habeat justitiam, veritatem & necessitatem comites, sit sine offensa Dei, etiam cum damno & incommodo jurantis. *Navarr. Cap 15. n. 3.& 4. & Tolet. loc. cit. Cap. 22.* sed plura de his infra Cap. de Jure juran.

15 Qui peccant contra hoc secundum præceptum?

℞ Illi,qui asserunt cum juramento, scientes aut existimantes esse falsum,aut saltim dubitantes,sive id fiat in re gravi, sive levi, sive jocosa, sive non; qui juramento pollicentur se aliquid facturos, quod tamen non intendunt, vel adimplere recusant,aut jurant aliqua mala facienda, qui verum quidem jurant, sed absq; necessitate, etiam in re levi, Nomen Dei irreverenter ad res ludicras & frivolas invocant, Dæmones invocant, aut juramento execratorio utuntur, qui blasphemias in Deum, vel Sanctos proferunt, illis detrahunt, maledicunt, imprecantur, vovent aliquod malum, vi, metu, vel dolo ad vovendum inducunt. &c.&c.

## Præceptum Tertium.

*Sabbata sanctifices.* idest: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

16 Quid in hoc præcepto præcipitur?

℞ Observatio aliquorum festorum, in quibus cessandũ est ab omni opere servili & vacandum devotioni. *can. 1. & seqq. 15. q. 4.*

17 Quare Christiani observant diem Dominici, & Judæi diem sabbati?

℞ Quia Judæi celebrant Sabbatum, in memoriam Creationis hujus mundi, ubi Deus requievit septimo die ab opere, quod perfecerat. Christiani autem celebrant diem Dominicum,ob benefici-

um redemptionis, regenerationis & resurrectionis Christi, per quam mors interitum, & vita accepit initium, quod majus est creatione, & fuit hoc beneficium octavo die completum. *can. 5. dist. 75. Tolet. in Summ. Lib. 4. cap. 24. Joan. Anton.* qui dicit Sabbatum in diem Dominicum mutatum esse.

18 Cùm diebus festis à servili opere cessandum est, quæ igitur dicuntur opera servilia?

℞ Sunt in triplici differentia: 1*mò.* sunt opera animæ, ut studere, scribere & docere. 2*dò.* sunt opera corporalia, ut venari, iter facere & cantare. 3*tiò* sunt opera servilia, ut fabricare, serere, arare &c. Et hæc maximè sunt expressè prohibita. *Sylvester v. Dominica.*

19 Advocatus, Magister musicæ, Doctor vel Professor artium, itinerans, Venator, pecantne mortaliter, si sua opera die festo, vel Dominico exercent?

℞ Non; etiamsi ex suis officijs pecunias lucrentur, qvia non sunt opera prohibita (excepta venatione clamorosa cum canibus, retibus &c.) dummodo Missa integra audiatur. *Navarr. Cap. 3. n. 2. & 5.*

20 Qvis potest instituere dies festos in honorem Sanctorum & dare licentiam, ut his diebus fiant opera servilia, tertio loco n. 18. immediatè posita?

℞ Summ. Pontifex, Concilia legitimè congregata, Archiepiscopi & Episcopi in suis Diæcesibus ex causa legitima, & possunt dare facultatem, ut in illis fiant opera servilia. *Tolet. loc. cit.*

21 Quod est peccatum violare diem festum & in illo non audire Missam?

℞ Mortale contra tertium Decalogi præceptum. *S. Th. 2. 2. q. 122.*

22 In qvibus casibus potest qvis laborare diebus festis abq; peccato mortali?

℞ In pluribus: 1*mò.* in servitium Dei, ut pulsare Campanas, portare Crucem, mundare Ecclesiam scopis, aqvâ spargere. 2*dò.* in servitium quotidianum & necessarium hominibus, ut curare infirmos, condere cibos, mundare domos, sternere lectum. 3*tiò.* in necessitatem corporalem, ut si qvis sit ita pauper, ut non possit præbere cibum sibi & suæ familiæ, nisi die festo laboret. 4*tò,* propter communem necessitatem, ut tempore Mensis Augusti, colligendo vinum & fructus terræ omnino perituros. 5*to.* ad fugiendam majorem perditionem corporalem, ut tempore belli, obsidionis, magnæ tempestatis, incendij, fluviorum impetus. 6*to* ratione pietatis, ut sepelire mortuos. 7*mò.* in beneficium publicum Reipubl. ut in publicis spectaculis facere theatra, sternere plateas, si alijs diebus hoc fieri non poterat. Et in his casibus sentiunt DD. posse homines laborare diebus festivis cum moderamine tamen, auditâ Missâ & accepta pro tutiori ab Episcopo, aut saltim Parocho loci facultate. *Navarr. Cap. 13. n. 6. Sylvest. v. Dominica. q. 4.* Potest enim Episcopus dare licentiam præcipuè tempore vindemiarum, messis, ne fructus terræ pereant, ex quibus alimentatio & sustentatio Urbis pendet.

Item potest permittere, ut Ecclesiæ, Monasteria Religiosorum etiam & mænia Civitatis, fontes & pontes, construantur, motus causa rationabili. *Navarr. loc. cit. Reginald. in Prax. tom. 2. Lib. 9. cap. 13.*

23 Qui peccant contra tertium præceptum Decalogi?

℞ Præter illos, qui opera servilia diebus festis absq; ulla legitima causa exercent, etiam & illi peccant, qui ad eadem exercenda cogunt, inducunt, permittunt, circa necessitatem vendunt, aut emunt, præsertim notabili tempore, officinas apertas tenent, merces exponunt, Judices & Officiales eorum nulla urgente necessitate judicia instituunt, Citationes & alia juridica instrumenta extradunt, qui aleis, commessationibus & alijs profanis actionibus vacant, qui Missam audire omittunt, vel ejus majorem partem, aut confabulantur, superfluis cogitationibus distrahuntur, qui (ut Patres familias, vel alij Superiores) filios, famulos, & subditos Missam audire, non permittunt, imò eosdem protinùs alijs negotijs occupant, non occupatos, & negligentes non compellunt &c. &c.

## Quartum Præceptum.

*Habeas in honore Parentes.* idest: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.*

24 Quid præcipitur in hoc quarto præcepto?

℞ Honor Parentum debitus, in quo intelligitur, exhibitio corporalis in sustentatione, & spiritualis in reverentia & obedientia. *can. 1. dist. 30. & can. 19. dist. 86.*

25 Qui præter Parentes comprehenduntur in hoc præcepto?

℞ Præter Parentes carnales, qui nos genuerunt in 2do gradu sunt Patres spirituales, ut Episcopi, Confessarij, Prædicatores, in 3tio gradu Patres temporales, ut Reges & potestates sæculares, 4to Magistri & Professores, qui nos in bonis artibus & disciplinis edocent, in virtute & bonis moribus instruunt, quibus nunquam potest reddi æquivalens. *Tolet. Lib. 5. Cap. 1.*

26 Qualis honor debetur omnibus istis Parentibus?

℞ Amoris, obedientiæ, & reverentiæ?

27 In quo consistit hic honor Parentum?

℞ In reverentia exteriori, eos adjuvando in necessitatibus spiritualibus & corporalibus, sustentando illos proprijs bonis, secundùm cujusq; qualitatem, præcipuè, si sint infirmi, pauperes, & senes. *d. can. 1. dist. 30. ac ibi gloss. & Tolet. ubi supr.*

28 Hæc necessitas quomodo est intelligenda, ut filius teneatur ex suis proprijs bonis alere Parentes?

℞ Largô modô, ita ut secundùm quantitatem & qualitatem Parentum, ali debeant. Considerandæ enim sunt qualitates Parentum & facultates filij dantis, juxta arbitrium prudentis Confessarij, ne quis ex sua propria mente erret. *Tolet. loc. cit.*

29 Si quis haberet pauperes Parentes, & posset eosdem labore manum suarum sustentare, talis potestne ingredi Religionem?

℞ Non potest: imò si ingressus est, exire tenetur ad eos alendos. Quia alere Parentes; est de præcepto

cepto, & ingredi Religionem de consilio. *S. Th.* 2. 2. *q.* 101. *a.* 4.

30 Mulier teneturne honorare & obedire viro suo, eumq; sequi ubicunq; fuerit?

℞ Tenetur in licitis & honestis eumq; sequi quocunq ierit, ad habitandum personaliter cum illo, nisi eat cum periculo vitæ uxoris, vel cum periculo peccandi mortaliter, vel si maritus sit vagabundus; vel si in Contractibus Matrimonialibus expressè cautum sit, ut habitent in tali, vel tali loco. *Navarr. in Man. Cap.* 13. *n* 19.

31 Qui peccant contra hoc quartum Decalogi præceptum?

℞ Filij parentibus amorem, reverentiam & obedientiam debitam denegantes, odiò eosdem prosequentes, mortem, vel malum illis optantes, opem in adversis eisdem non ferentes, voluntatem eorum ultimam non implentes, vel differentes, animas eorum suffragiis juvare negligentes, illos in vivis irridentes, contemnentes, conviciis afficientes, percutientes, minitantes, Discipuli Præceptoribus, inferiores superioribus & Clientes Benefactoribus inobedientes, monita eorum contemnentes, contra eosdem murmurantes, conviciis & calumniis, multò magis verberibus afficientes, beneficia sibi præstita non agnoscentes, egentes in necessitate non sublevantes, inter proximos odia & inimicitias excitantes, offensas non condonantes, de infortunijs proximi gaudentes, majora optantes, scandala præbentes, ad peccatum alios inducentes &c. Parentes infantes exponentes, filijs indigentibus alimenta denegantes, illos in moribus, doctrina & necessarijs ad salutem non instruentes, peccare permittentes, non corripientes, à vocatione divina removentes, ad religionem, matrimonium, compellentes &c. Domini famulos & subditos laboribus insolitis gravantes, opprimentes, deservitam mercedem retinentes, peccantes non corripientes, ad peccatum exemplò suò inducentes &c. &c.

## Præceptum Quintum.

*Non occisor eris.* idest: *Non occides.*

32 Quæ prohibentur hoc quinto Decalogi præcepto?

℞ Omne homicidium & omnis injuria sive factò, sive dictò, sive consiliò, sive præceptò facta. *can.* 8. *dist.* 50.

33 Quod est peccatum homicidium?

℞ Mortale contra quintum Decalogi præceptum. *Tolet. Lib.* 5. *cap.* 8. De quo homicidio plura videantur supra *Lib.* 2. *cap. ultimo.*

34 Qui peccant contra hoc quintum Decalogi præceptum?

℞ Non solùm illi, qui occidunt, mandant, consulunt, sed & illi, qui se motu aliquo iræ, ultra rationis & charitatis limites arripi sinunt, sibi ex desperatione mortem optant, aut inferre conantur, sine causa rationabili (de qua supr. *Lib.* 2. *cap. ult. n.* 18.) se periculo mortis exponunt, conviciis honorem lædunt proximi, alios, etiam subditos, cum notabili excessu verberant, mutilant, qui ad duellum provocant, vel provocationem acceptant, qui in duellum aliorum consentiunt, non impediunt, cùm possint, intersunt, favore & consilio cooperantur; pharmacum causâ mortis alijs, vel sibi propinant, fæminæ, quæ ne concipiant, vel ut abortum patiantur, medicamenta adhibent, Infantes secum in uno lecto cum periculo opprimendi illos, ut sæpe contingit, ponunt, &c. &c.

## Præceptum Sextum.

*Non Machus eris.* idest: *Non mœchaberis.*

35 Quæ prohibentur in hoc sexto Decalogi præcepto?

℞ Non solùm Adulterium, sed etiam omnis illicitus concubitus & membrorum illegitimus usus. *can.* 11. 32. *q.* 4.

36 Omnisne actus venereus, est mortale peccatum?

℞ Omnis, excepto matrimonio, & in omnibus speciebus suis, si voluntas consentit. *can.* 2. 36. *q.* 1.

37 Quot sunt species actus Venerei?

℞ Septem: 1*ma.* est simplex fornicatio soluti, cum soluta, sive meretrice, sive non. 2*da.* stuprum; ut cùm quis deflorat virginem cum violentia. 3*tia.* Adulterium, ut cùm quis habet copulam cum uxorata, vel mulier soluta cum uxorato. 4*ta.* Incestus, cùm quis Consangvineis, vel Affinibus abutitur. 5*ta.* Raptus; cùm quis puellam violenter à domo Patris abducit, ut corruptam à se habeat uxorem, sive puellæ solùm, sive Parentibus, sive utrisq; vis illata constiterit. 6*ta.* est coitus cum Monacha, vel cum persona per votum castitatis Deo dicata, vel cum Presbytero etiam Sæculari, vel Monacho. 7*ma.* est peccatum contra naturam. *Sylvest. q.* 4. *S. Th.* 2. 2. *q.* 154. & *d. can.* 2. 36 *q.* 1.

38 Quot sunt species peccati contra naturam?

℞ Quatuor. 1*ma.* est pollutio voluntaria, vel procurata, quæ nunquam est licita; etiam propter sanitatem. 2*da.* concubitus inordinatus, ut cum mulier est supra virum. 3*tia.* Sodomia, scil. Vir cum viro, vel mulier cum muliere. 4*ta.* bestialitas, nim. homo cum bestia & ad hoc reducitur, cùm incubus & incuba coeunt. *S. Th.* 2. 2. *q.* 154. *Tolet. Lib.* 5. *cap.* 13. *in summ.*

39 Quam pænam incurrunt Sodomitæ?

℞ Cùm per sodomiam ordinatio Dei & naturæ deordinatur. *can.* 11. 32. *q.* 7. ideo omni jure, ultimò supplició puniuntur. *Levit. cap.* 20. *Exod.* 22. nec secundùm aliquos DD. Advocatos, Sodomitæ possunt habere.

40 Si duæ fæminæ una cùm altera, sicut Vir cum fæmina, modo sodomitarum coeant, incurrentne pænam mortis?

℞ Affir. tenet *Covarr. in* 4. *p.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 9. sed *Anton. Gomez. in l. Tauri.* tenet cum distinctione: aut enim mulier provocat aliam aliquo instrumento ad copulam, tunc debet condemnari, ad mortem; aut provocat sine instrumento, & sic pænâ extraordinariâ puniri debet.

41 Si Vir cum propria uxore per vas posterius habeat copulam, qua pæna punitur?

℞ Pænâ mortis & ignis, sicut Sodomitæ; quia

 matris

matrimonium non dat facultatem ad committendum hoc peccatum, imò auget delictum. Matrimonium enim est res sacra, nec debet quis illo abuti ad tam grave nefas committendum. *Tolet. Lib. 5. cap. 13.* & omnes DD. cum illo.

42 Cum Dæmone poteſtne haberi copula?

℞ Poteſt: hic enim carnali copula, ſicut aliis peccatis ſummopere delectatur. Verùm ſi generatio ex Dæmonis coitu ſuccederet, illa non proveniret ex ſemine corporis per Dæmonem aſſumpti, ſed ex ſpermate Viri in ſomnijs vel in vigilia polluti, quô Dæmon acceptô, citiſſimè in forma Incubi, ideſt Viri, accedit ad mulierem & habendo coitum cum ea, immittit dictum ſemen in matricem mulieris, & inde ejus ſequitur prægnantia, ac ſi cum naturali Viro coitum habuiſſet; nihilominus infans inde ortus propterea non diceretur filius Dæmonis, ſed illius, cujus ſperma erat. Ita *Paul. Grilland. de ſortileg. Lib. 2. q. 7. n. 9. 12. & 13. allegans ibi ad id D. Auguſt. & D. Thom.* Et ex tali concubitu dicitur generatus fuiſſe. *Martinus Lutherus, Mahoma, & Jaca* in Japone & *Eneas* ex Venere. *Genebrardo Lib. 2. Chronographiæ. Anania. Libr. 4. de natura Dæmonum, Ludovicus de Molina. p. 1.*

43 Qui peccant contra hoc ſextum præceptum?

℞ Non tantùm illi, qui fornicantur, adulterant &c. ſed etiam qui cogitationibûs inhoneſtîs, libidinoſis advertenter dalectantur, cantilenas laſcivas cantant, vel audiunt, libros obſcænos legunt, inhoneſtè ſe & alios cum delectatione tangunt, literas libidinoſas ſcribunt, ab alijs ſcriptas recipiunt, legunt, loquuntur in materia lubrica cum aſſenſu, aut ſcandalo aliorum, pollutiones procurant, vel illis dant quoquo modo cauſam, ac expergefacti eiſdem delectantur, à curioſo aſpectu mulierum oculos non cohibent, veſtitu, geſtu ad libidinem provocant, in mollitiem deliberatè incidunt. &c.&c.

## Septimum præceptum.

*Non eris fur* ideſt: *Non furtum facies.*

44 Quæ prohibentur iſto 7mo Decalogi præcepto?

℞ Omne furtum, uſura, rapina, fraus, dolus & omnis illicita acquiſitio rei alienæ, & detentio invito domino. De quibus infra.

45 Quid eſt furtum?

℞ Eſt fraudulenta rei alienæ, vel ejus uſus & poſſeſſionis, invito Domino contrectatio. *l. 1. in fin. ff. de Furt.*

46 Quibus modis poteſt quis retinere rem alienam contra voluntatem domini, absq; periculo furti & peccati?

℞ *1mo.* ſi jocosè aliquid abſcondat. *2do.* ſi ratione pænæ alicujus ſententiæ auferat à reo aliquid. *3tio.* ſi bono fine ad evitandum damnum, ut qui aufert enſem ab homine, qui irâ motus vult aliquem occidere. *4to.* in extrema neceſſitate vitæ vel famis. *5to*, cùm quis id accipit, quod illi juſtè debetur, quod aliô modô recuperare non poteſt. *Tolet. Lib. 5. cap. 15. Medin. q. 11.*

47 Quam quantitatem debet quis furari, ut ſit peccatum mortale?

℞ Iſta quantitas à DD. non eſt finaliter deciſa, qui totū arbitrio prudentis Confeſſarij relinqunt, qui penſatis circumſtantiis decidat, rigidiorem potiùs, non laxiorem ſententiam amplectendo. *Leſſ. cap. 12. dub. 8.*

48 Si quis furetur plures minimas quantitates, ex quibus componatur illa quantitas, quæ regulariter eſt ſufficiens ad peccatum mortale, peccatne mortaliter vel venialiter?

℞ Si quis per illa modica furta intendat conquirere notabilem quantitatem, peccat mortaliter, ſecus ſi abſq; præmiſſa intentione id faciat; quia ſic peccabit venialiter, licet ſemper fugiendum ſit furtum: nam qui conſvetudinem furandi à teneris contrahit, eam uſq; ad mortem non deponet, imò quotidiè creſcet. *S. Th. 2. 2. q. 66. a. 4.*

49 Qui contra hoc præceptum peccant?

℞ Qui rem alienam furantur, detinent, debita non ſolvunt, vel ſolutionem cum damno Creditoris differunt, dolosè ad contractum permovent, rem ſuam alteri ſurripiunt, quam commodè aliô modô repetere poterant, promiſſionem alteri ſeriò & acceptatam non effectuant, damnum alteri deliberatè inferunt, vel ad inferendum cooperantur, legata teſtamenti detinent, res furtivas ſcientes, vel dubitantes, emunt, res inventas domino quærenti denegant, ſubticent, in emendo vel vendendo dolô & fraude utuntur, rem, quàm conſtat, longè cariori pretio vendunt, defectum ejus emptori non detegunt, in ludis alios defraudant, ex mutuo uſuras exigunt. &c.&c.

## Præceptum Octavum.

*Non eris teſtis iniquus.* ideſt: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

50 Quotupliciter quis dicit falſum teſtimonium contra ſuum proximum?

℞ 2pliciter. *1mò* extra-judicialiter, dicendo mendacium & imputando alicui delictum ſcienter, quod re vera in eo non eſt. *2dò* judicialiter, ut ſi teſtis in judicio dicat falſum, Judex non juxta legem & rationem pronuntiet, Notarius addat vel minuat aliquid cauſæ, Advocatus eandem cauſam magis criminet, quam eſt in ſe, exagerando, addendo &c. *Navarr. in man. cap. 18.*

51 Teneturne teſtis falſum dicere in judicio, præcipuè ſi juravit, contra reum veritatem non dicere?

℞ Si crimen eſt occultum & nulla eſt de illo publica ſuſpicio, neq; aliqua infamia præceſſit, tunc teſtis interrogatus à Judice, poteſt dicere ſe de hoc crimine neſciſſe: quia in infamiam alterius nemo debet facilè proſilire. *can. 13. & trib. ſeqq. 6. q. 1.* ſi verò crimen non eſt occultum, ſuſpicioq; publica & infamia illud præceſſit, etiamſi agatur de ſangvine; cùm Reipub. interſit crimina ſcire, ne maneant impunita; tunc, non obſtante juramento, ut pote injuſto & in detrimentum publicum tendenti, veritas debet manifeſtari. *c. 45. de Teſtib. c. 4. & 5. de Teſtib. cogend.*

52 Reus

52 Reus incarceratus, poteſtne frangere carcerem & fugere ?

℞ Poteſt, modò non faciat violentiam Cuſtodi carceris, tenetur tamen carceris fractionem reſarcire, non verò damnum Cuſtodis carceris. Quia Cuſtos carceris ex officio & ſtipendio ſuo tenetur cuſtodire carcerem;& pœna, quam patitur ob fractionem ; provenit ex ejus negligentia. *Cajet.* 2.2. *q.* 69. *Sot. Lib.* 5. *q.* 6. *a.*5. *Tolet.Lib.*5.*cap.*54.

53 Qui peccant contra hoc Octavum præceptum ?

℞ Qui deliberatè mendacium proferunt, quod ſi honori divino, aut proximi bono adverſetur, erit mortale. qui per hypocriſim, ſanctimoniam vitæ fingunt , qui veſtitu ſexum mentiuntur propter pravum finem, qui ſibi officium Judicis arrogant, Judices, qui rectè non judicant, formam in judicando non ſervant , cauſam differunt, pro actibus judicialibus aliquid exigunt, qui crimen bono communi perniciosum non denuntiant, alterum ex odio, vindicta ad litem provocant, Teſtes ad teſtimonium à legitimo Judice vocati & interrogati juxta ordinem juris non reſpondent, veritatem celant, qui peccata occulta palam exprobrant, proximi famam detrahunt; ad detractionem alios alliciunt, diſcordias cauſant , libellos difamatorios ſcribunt, in publicum ſpargunt, legunt pravò animò , aſſervant , temerè de proximo judicant,ſuſpicantur. &c.&c.

## Præceptum Nonum.

*Non alii nuptam cupies.* ideſt : *Non concupiſces Uxorem proximi tui, non ancillam &c.*

54 Quæ prohibentur iſto Decalogi præcepto?

℞ Omnis concupiſcentia carnis etiam mentalis. Non enim ſolo tactu, ſed etiam affectu & aſpectu appetitur & appetit fæmina. *can.* 12. *& ſeqq.* 32. *q.* 5.

55 Deſiderare mulierem, quando eſt mortale ?

℞ Quando quis deſiderat malo fine, & licet non actu, voluntate tamen conſummat deſiderium. Qui enim libidinosè aſpexerit mulierem , jam mæchatus eſt eam in corde ſuo. *can.*13.32. *q.*5.

56 Qui peccant contra hoc nonum Decalogi præceptum. *dict. ſupr. n.* 43.*h. t. ſub præcepto* 6.

## Decimum Præceptum.

*Nec rem cupies alienam.* ideſt : *Non domum,non agrum & univerſa, quæ illius ſunt.*

57 Quæ prohibentur iſtò ultimò Decalogi præceptò ?

℞ Omnis concupiſcentia inordinata alicujus rei, immoderatus appetitus habendi cum damno proximi, & avaritia, quæ ſemel vinculis cupiditatis conſtricta ſemper aurum , ſemper argentum videt, ſemper reditus computat , gratiùſq; intuetur aurum, quàm ſolem , cujus oratio ad Deum aurum quærit. *can.* 8. *diſt.* 47.

58 Quando appetere bona alterius , erit peccatum mortale contra hoc ultimum Decalogi præceptum ?

℞ Quando quis appetit mediò illicitò, ſecus verò ſi appetat bona vel dignitates,ſed vult,ut illi eveniant ordinatò & licitò modò? *Tolet.Lib.*7.*cap.*71.

59 Qui peccant contra hoc præceptum ultimum? *dict. ſupr. h. t. n.* 49. ſub præcepto ſeptimo.

# CAPUT II.

## De Reſtitutione.

1 Qui eſt Reſtitutio ?

℞ Eſt actus juſtitiæ, quò cuiq; redditur,quod ab eo ablatum eſt. *S. Th.* 2. 2. *q.* 62.

2 Cujus juſtitiæ eſt iſte actus ?

℞ Commutativæ. *S. Th. loc. cit.*

3 Quæ eſt regula generalis, quæ ſervari debet in materia reſtitutionis ?

℞ Quotieſcunq; quis peccat contra charitatem,ut non dando eleemoſynam, non docendo ignorantem, non tenetur reſtituere damnum iſtud, ſed quoties quis contra juſtitiam commutativam peccat , tenetur reſtituere rem alteri ablatam. *Tolet. Lib.* 5. *cap.* 17.

4 Quæ ſunt ad reſtitutionem perfectam pertinentia ?

℞ Quæ in his verſibus continentur.

*Quis, quid reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando, Ordine, quove loco, quæ cauſa excuſat iniquum.*

*Tolet. loc. cit. n.* 3.

5 Quibus modis quis alienum retinet?

℞ 2bus: aut per injuſtam acceptionem , ut cùm quis furatur, vel vi tollit: aut per juſtam acceptionem,ut cùm quis accipit mutuo,vel ex cenſu, vel per Contractus alios. *Cajet.* 2.2. *q.* 62. *Navarr. in Manual. h. t.*

6 Quibus modis dicitur quis poſſidere rem alienam?

℞ Uno modo, bona fide, ut qui emit equum à latrone, venditorem non exiſtimans eſſe latronem; alio modo mala fide, ut cùm quis furatur rem, vel emit ab eo, qui eum ſcit eſſe latronem. *Lopez. p.* 1. *Cap.* 7. *Sot. Lib.* 4. *q.* 7. *a.* 2.

7 Quæ eſt differentia quò ad reſtituendum inter poſſeſſorem bonæ fidei,& malæ fidei ?

℞ 1*mò.* Poſſeſſor bonæ fidei, ſi rem, quam emit, vendiderit vel illi perijt, ut equus &c. durante bona fide,nō tenetur ad reſtitutionē; ſecus verò poſſeſſor malæ fidei. 2*dò.* Poſſeſſor malæ fidei, non ſolùm tenetur reſtituere rem & damnum, verùm etiam & fructus; ſecus verò poſſeſſor bonæ fidei. 3*tiò.* Poſſeſſor bonæ fidei poteſt præſcribere rem tempore prærequiſito ad præſcriptionem ; poſſeſſor malæ fidei nunquam. 4*tò.* Poſſeſſor bonæ fidei poteſt reſtituere rem venditori, & recuperare pretium , tum meliorationes à ſe factas; poſſeſſor verò malæ fidei in pœnam peccati, reſtituit , ſed non recuperat pretium & meliorationes. *Sylveſt. v. reſtitutio.* 3. §.7.

8 Quare poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus ?

℞ Quia durante bona fide, juſto titulo, fecit ſuos. *Navar. & Sylveſt. loc. cit.*

9 Quando quis tenetur rem mutuatam, depoſitam, vel conductam reſtituere ?

℞ Finito tempore mutui, depoſiti vel conducti. *Navar. in Manual. cap.* 17. *v.* 12.

20 Si quis habeat rem mutuatam, depositam vel conductam, & talis res pereat, tenebiturne restituere ejus valorem?

℞ Non; si in culpa non fuit & talem diligentiam adhibuit in ea custodienda, acsi esset ejus; secus si fuit in culpa, vel eam in suum usũ convertit, vel in tempore constituto non restituit, & res perijt. *Navarr. loc. cit.*

21 Si quis inveniat in littore maris gemmas vel lapides pretiosos, teneturne ad restitutionem?

℞ Si tales gemmæ nullius sunt, in littoreq; nullius à mari projectæ, inventæ, non tenetur; sed fiet earum verus dominus. Quæ enim in nullius possessione sunt, primò occupanti conceduntur. §. *Feræ & ibi gloss. Inst. de Rer. divis.*

22 Qui invenit thesaurum in agro, teneturne illum restituere?

℞ Si invenit in agro proprio, tenetur dare Principi quartam vel quintam partem, si eam sibi per leges reservavit: si verò in agro alieno & casu fortuito, non de industria; cum domino ad medium tenebitur. *Navarr. ubi supr. n. 17. Lipski in semicent. Observat. 40. n. 3.*

23 Si quis certò sciat in agro alicujus esse thesaurum, poteritne absq; certificatione Domini agri de thesauro, illum agrum emere?

℞ Variæ sunt opiniones DD. tamen *D. Th. 2. 2. q. 76.* tenet affirmativam: quia Dominus agri vendit solùm superficiem agri, de qua sola & fructu ejus habet scientiam, & emptor non tenetur eum certum facere de re occulta à se solo cognita.

24 Si thesaurus in loco sacro vel religioso inveniatur cui cedere debet?

℞ Si inveniatur casu fortuito, media pars sacro loco vel religioso aut ejus Prælato, & media inventori; si verò inveniatur de industria, totus Ecclesiæ cedit. *Lipski ubi sup. Obser. 43. n. 4. Sylvest. in Summ. v. Inventum. §. Quære. & alij Auth. citati per Zalasz. Tom. 2. Lib. 2. t. 5. casu. 4.*

25 In fundo usufructuario vel obligatorio, usufructuarius vel obligatorius possessor inveniens thesaurum, totumne tenet?

℞ Præsupposita distinctione immediatè n. 14. posita medietatem solùm thesauri inventi tenet, aliàs nihil. *Zalaszov. cum DD. à se citatis Casu. 6. & 7.*

26. Mulieres sive solutæ, sive non, quando tenentur restituere pecunias, qvas in pretium suæ turpitudinis recipiunt à viris, qvi occultè vel publicè eas alunt?

℞ 1mò, qvando fingunt se esse virgines & sunt corruptæ, accipiuntq; à viro majorem mercedem propter virginitatem. 2dò, quando mulieres concubinæ vel meretrices promittunt se servare fidem tali viro, & tradunt se alijs; tunc tenentur restituere pretium acceptum. Committunt enim peccatum contra justitiam decipiendo viros, qvi si scirent de illarum fœdifraga fide, non sustentarent eas, nec bona sua dissiparent. *Valentia. tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 5. Molin. dist. 24.*

27 Meretrix, vel non, Virgo, vel corrupta, vidua, vel uxorata, si absq; aliqvo pacto vel conditione pro sua turpitudine accipiat mille aureos, teneturne restituere pretium tam magnum?

℞ Non: sive sit pretium magnum, sive parvum, modò illud accipiat ab homine habente liberam dispositionem bonorum. Qvia honestas mulieris & pudicitia, major est omni pretio: tum qvia ille homo liberè dat mulieri tam magnum pretium absq; ulla conditione vel pacto. *Valentia. loc. cit.*

18 Si aliqva mulier vendat alicui homini suam Virginitatem, poteritne pretium promissum, ob suam turpitudinem ante Judicem petere?

℞ Poterit: quia Virginitas Mulieris & honestas, pecuniâ est æstimabilis: & sic promissio pecuniarum, est quasi contractus ex utraq; parte obligatorius. *Molin. dist 94. & Covarr. in Reg. Peccatum. p. 2. n. 4. contra Nauarr. in. Man. Cap. 17. n. 41.*

19 Si mulier non paciscatur, det tamen alicui homini suam Virginitatem vel pudicitiam, poteritne petere ante Judicem pretium suæ turpitudinis?

℞ Poterit: & Judex debet illi assignare dotem considerata qvalitate & honestate mulieris, tum viri. Qvia licet hac de re non fuerit pactum expressum, supponitur tamen tacitè factum: si verò non petat, vir ad nihil tenetur; qvia ipsa per taciturnitatem videtur donasse. *Covarr. loc. cit.*

20 Si mulier sponte det suam virginitatem viro & nihil petat pro ea, vir tenebiturne ad restitutionem?

℞ Non: qvia mulier est domina suæ virginitatis & honoris potestq; eam liberè dare.

21 Si aliqvis pauper sit in extrema necessitate, ex qva mori, vel in gravem infirmitatem labi possit; dives rogatus & non subveniens, teneturne restituere?

℞ Talis dives peccat contra charitatem, non tamen tenetur restituere. Qvia non peccat contra justitiam commutativam, cùm possit dare, vel non dare eleemosynam etiam in extrema necessitate, qvamvis de præcepto charitatis teneatur. *Tolet. lib. 5. Cap. 19.*

22 Si quis persvadet alicui, ut relinquat religionem, teneturne ratione restitutionis ipse ingredi religionem?

℞ Negativè: sed si talis Monachus utilis erat Conventui, tenetur pro damno aliquid Conventui dare. *Navarr. cap. 14. n. 69.*

23 Si quis persvadeat alicui, ut testamento suo non relinquat hæredem Titium, tenebiturne restituere hæreditatem?

℞ Si talem persvasionem non fecit vi, dolô, timore, vel malitiâ, sed solùm consulendo, non tenetur ad restitutionem. Nemo enim ex consilio tenetur, nisi fuerit fraudulentum. *can. fin. 14. q. 1. can. fin. §. Hac & si: dist. 4. & Navarr. cap. 17. n. 70.*

24 Si quis alterum occidat & propterea suspendatur, ad quam restitutionem tenebitur?

℞ Ad nullam: propria enim morte satisfecit alienæ. *Salon. q. 62. Controvers. 2. Sed Navarr. cap. 15.*

n. 25.

*n.*25.tenet, quòd tenetur ad damna suorū hæredū.

25 Si quis interficiatur, & in testamento vel tempore mortis, suam mortem, damna & injuriam condonet occisori, talis occisor ad quam restitutionem tenetur?

℞ Ad nullam: quia actio, quam occisus habebat, condonata est illi, licet malè faceret occisus, si haberet filios pauperes, condonando damnum, licèt condonat ex charitate injuriam. *Salon. loc. cit.*

26 Si quis occultè interficiat vel mutilet aliquem, tenebiturne seipsum manifestare justitiæ, vel ad quam restitutionem obligabitur?

℞ Negativè: sed solùm tenebitur ad satisfaciendum damnum ipsi mutilato, vel hæredibus occisi, secundùm qualitates personæ occisæ vel mutilatæ juxta consilium prudentis Confessarij, vel Doctoris extra Confessionem. Nemo enim tenetur se prodere & ponere sua bona in manibus justitiæ. *Bannez. 2.2. q. 6. a. 2. & Sylvest. v. Restitutio 3. §. 2.*

27 Filius-familias aliquam rem accipiens mutuò, & eam perdens vel dissipans, tenebiturne ad restitutionem?

℞ Non tenetur, neq; eum Judex potest obligare aut carceribus ad restitutionem adigere. Quia filius-familias quæcunq; habet, Patris sunt, nec vivente Patre debita, tanquam nihil proprij habens, contrahere potest, nec pro ipso Pater solvere tenetur, nisi contraxerit causâ studiorum. *l. 5. C. ad S. C. Maced.* Et hæc lex introducta est in odium Macedonis usurarij, qui cum mutuaret filijs-familias, docuit eos vi Parentes interficere, ut adita hæreditate citiùs mutuam pecuniam exsolverent. *l. 1. & per totum ff. ad S. C. Macedon.* Hoc est verum de jure, sed de conscientia filius-familias cujuscunq; ætatis sit rem sibi accomodatam restituere debet, vel Parentes pro eo. *Abb. in c. fin. n. 29. de Præscript.*

28 Si quis furetur sex aut decem grossos, tenebiturne eos restituere?

℞ Affir: quia peccavit, licèt venialiter ob parvam quantitatem, contra justitiam commutativam & nemo potest contra voluntatem Domini bona sive parvi, sive magni valoris retinere. Et in hanc furandi consvetudinem Confessarij invehere debent, ne ex parva quantitate ad rem magni momenti furandam pænitentes inducantur; unde postea eveniunt suspensiones & aliæ mortis pænæ. *Tolet. Lib. 5. cap. 56.*

29 Exscindens ligna, Arbores, venationem in silvis, vel piscationem in fluminibus exercens, ad quam restitutionem tenebitur?

℞ Si silvæ & flumina sint hominis particularis propria pro pretio empta, tenebitur ad restitutionem damni facti, tali homini: si verò sint communitatis, & damnifactor sit de illa communitate, non tenebitur ad restitutionem, sed solùm ad pænam taxatam à tali communitate. Quia illa bona sunt communia & ad communem civium utilitatem constituta, illeq; sit unus de illa communitate. *Sot. Lib. 4. q. 7. a. 4.*

30 Damnificans hujusmodi, si non accipiatur à custodibus neq; accusetur coram Judice, tenebiturne restituere talem pænam?

℞ Hoc generaliter observandum est in pænis: quòd non debentur, nisi postquam fuerint petitæ & facta à Judice condemnatione. *Tolet. Lib. 5. Cap. 20. Sot. loc. cit.*

31 Si quis potest impedire furem, ne furetur, & non impedit, teneturne ad restitutionem?

℞ Si ei hoc ex officio non competit, non tenetur, quamvis peccet contra charitatem, non tamen contra justitiam: secus si ei competit ex officio, quemadmodum famuli res suorum dominorum custodire tenentur. Per quem enim damnum stat, illi imputari debet. *l. Hac venditio. §. 1. ff. de Contr. empt.*

32 Actio restituendi rem justè detentam, vel possessam, ad quos transit?

℞ Solùm ad hæredes legitimos; sed actio restituendi rem injustè detentam, si principalis non restituat, tenetur mandans, consulés, consentiens, adjuvans, participans & cooperans. *Valentia disp. 5. q. 6. punct. 3.*

33 Teneturne quis restituere pecunias, quas accepit; ne committat homicidium vel aliud delictum?

℞ Negativè, nisi in judicio petantur. *l. Ut putat. ff. de Condict. ob turp. Causam.*

34 Judex, qui pecunias accipit, ut det sententiam in favorem alicujus, teneturne ad restitutionē?

℞ Duæ sunt circa hoc opiniones: prima *Sot. Lib. 4. q. 7. a. 1.* dicen. talem Judicem teneri ad restituendam rem acceptam, pauperibus, non verò illi, qui male dando, perdidit actionem talis rei: secunda *S. Antonini 2. p. t. 2. Cap. 5. Selu. v. Restitutio 2. Angel. v. eod. Navarr. Cap. 7. n. 34.* dicentium, non teneri talem Judicem ad restitutionem, donec fuerit per sententiam condemnatus; sed securiùs est contrarium, & Philippus III. suis legib. expressè mandavit: ut talis Judex non solùm ad talem restitutionem, sed etiam ad damnum factum per sententiam prolatam virtute illarum pecuniarum teneretur.

35 Valorne, an ipsa res debet restitui?

℞ Ipsa res numero & specie, quæ ablata est, nisi si sit amissa, deteriorata, vel si per restitutionem peccatum restituentis manifestetur; quia tunc sufficit restituere valorem. *Navarr. Cap. 7. n. 24. S. Th. 2. 2. q. 76.*

36 Quis restituere tenetur?

℞ Omnis homo cujuscunq; status aut conditionis, retinens rem alienam contra voluntatem domini. *Tolet. in sum. Lib. 5. Cap. 17.*

37 In quibus rebus potest quis facere proximo suo damnum, ex quo sequatur restitutionis obligatio?

℞ In anima, persvadendo ei vel cogendo, ut relinquat Religionem, non alat Matrem. in corpore, occidendo vel mutilando. in bonis fortunæ, furando equum, usurpando agrum, & in honore, auferendo illum. *Navarr. Cap. 17. n. 70.*

38 Si quis precibûs vel consiliô cogat aliquem, ut faciat furtum, teneturne restituere?

 ℞ Non

℞ Non tenetur: quia talis fur movetur tunc voluntate propria, & ejus coacta voluntas, est voluntas. *Tolet. loc. cit. can.* 1. 15. *q.* 1. *& can.* 38. 23. *q.* 4.

39 Si fur, furetur mille, & cùm fuerit illis lucratus aliud mille, ad quid tenebitur?

℞ Ad solum mille, quod furatus est, & damnum, quod fecit alteri per ablationem talis pecuniæ. *Sylvest. in summ. v. restitutio* 3. *&* 4.

40 Fructus rei ablatæ in qua differentia sunt?

℞ In 2plici: aut enim proveniunt ex ipsa re, ut fructus agri, & isti debent restitui: aut ex industria personæ, ut ex negotiatione, vēditione: & tunc non debent restitui; quia, sicut possunt lucrari, ita & amitti. *Sylvest. ubi supr.*

41 Si quis pauper habeat rem alienam, quæ restituenda est pauperibus, poteritne sibi ipsi eam applicare?

℞ Poterit secundùm quantitatem rei, & suæ paupertatis qualitatem; quia charitas à se ipso incipit. *Cajet. v. restitutio.*

42 Quo tempore est restituendum?

℞ Eo, quo quis commodè poterit, & restitutio non est differenda ad mortem. *Navarr. Cap.* 17. *n.* 26.

43 Si quis in restituendo habeat periculum vitæ vel infamiæ, teneturne restituere cum illo periculo?

℞ Non tenetur, sed debet quærere modum, & industriam personæ alterius, v. g. Confessarij, per cujus manus restituat absq; periculo. *Navarr. ibid. n.* 44.

44 Furtum rei propriæ ab alio vi & injustè possessæ, obligatne ad restitutionem?

℞ Non: talis enim rem propriam, licèt per furtum recuperatam, possidet. *Abb. in* 6. 12. *n.* 23. *de Rest. spoliat.*

45 Si quis ad restituendum pluribus debitis esset obstrictus, & non haberet quantitatem bonorum ad restituendū, quo ordine debet restituere?

℞ 1*mo.* debet restituere res certas, quæ specificè habent certū dominū. 2*do.* debita, quæ licitè contraxit. 3*tio* debet servare in reliquis suā anterioritatem secundùm leges illius Regni. 4*to.* restituere debet debita, quæ contraxit cum usura. *Sylvest. v. restitutio* 6. *Navarr. Cap.* 17. *n.* 47. *S. Antonin. p.* 2. *tom.* 2. *Cap.* 7. §. 3.

46 Quibus ex causis quis ab obligatione restitutionis excusatur?

℞ 1*mo.* si debitum liberè, non autem timore, vel fallacia dimittatur à domino. 2*do.* si debitor in recompensationem æquivalentem debiti fecerit Creditori aliquod beneficium pecuniā appretiabile 3*tiò.* quando quis cedit bonis. 4*tò* per usucapionē in re mobili, in spatio trium annorū, vel per præscriptionem in re stabili per spatium 10. annorum inter præsentes & 20. inter absentes, vel 20. aut 40. ut in aliqvibus præscriptionibus. 5*tò.* per ignorantiam juris vel facti, quæ non sit crassa. 6*tò.* ex paupertate. *Tolet. lib.* 5. *Cap.* 26. *& l.* 1. *ff. de Uuscap.*

47 Si quis cedat bonis ob plurima debita, potest, ne sibi servare instrumenta artis suæ?

℞ Potest: & Iudices ab illis non possunt eum abjudicare. his enim laborando vitam sustentat, tamen postquam venerit ad meliorem fortunam, tenebitur solvere debitum cum expensis. *L. Cum filio. ff. Qui bon. ceder. poss.*

48 Quæ conditiones requiruntur, ut quis usucapere vel præscribere possit?

℞ Bona fides, justus titulus, res non vitiosa, traditio & tempus de quib. infr. de Præscrip.

49 Quæ res de jure præscribi non possunt & sic sunt restituendæ?

℞ 1*mò.* furtò ablatæ, quanquam possideantur bona fide. 2*dò.* res vi extortæ à suo domino. 3*tiò.* res sacræ, religiosæ & Deo dicatæ, ut bona Ecclesiarum. 4*ò.* servus fugitivus. 5*tò.* homo liber. *Navarr. cap.* 17. *n.* 85. *& Sylvest. v. præscriptio.*

50 Si quis habeat pecuniam ad restituendum & fingat se pauperem esse, creditorq; ex compassione dimittat ei debitum; talis debitor manebitne securus in conscientia, vel tenebitur restituere?

℞ Tenetur restituere, quia fecit dolum & figmentum, quod ei non prodest in conscientia *Tolet. ubi supr.*

51 Ut quis non teneatur restituere, quam paupertatem aut necessitatem pati debet?

℞ Non extremam, sed tenetur se ponere in inferiori gradu fortunæ & status, ut restituat. *Navarr. cap.* 17. *n.* 87.

52 Teneturne quis se vendere, ut restituat, vel restituere cum periculo vitæ propriæ, vel honoris?

℞ Negativè: quia libertas, vita & honor sunt bona pretiosiora & validiora pecuniis. Et sicut quis non tenetur restituere majorem, quam debet, quantitatem, ita non tenetur restituere rem majoris æstimationis. *Sot. q.* 7. *a.* 4. *Covarr. Reg. Peccatum p.* 1. *n.* 1.

53 Ludentes, teneniturne restituere pecunias, ludò acquisitas?

℞ Non: sive sit ludus prohibitus, sive non; modò sine fraude ludant, quamvis acquirant magnam summam; tamen perdens pecuniam in ludo præcipuè prohibitò, potest eam petere coram Iudice, & lucratur. *Navar. loc. cit. Medin. q.* 21. *h. t.*

54 In quibus casibus ludentes tenentur restituere pecunias in ludo acquisitas sine sententia Judicis?

℞ 1*mò*, si luserunt cum filio-familias, vel Religioso, vel uxorata, qui non sunt sui juris. 2*dò.* si dolò luserunt. 3*tiò.* si per vim cadentem in constantem virum fecerunt alium ludere. 4*to.* si habuerunt manifestum excessum in arte ludendi & plus de scientia, quàm de fortuna. *Molin. disp.* 520. *Covarr. Reg. Possessor. p.* 2. §. 4.

55 Si feratur censura, ut restituatur res ablata, quam de facto quis habet; in quibus casibus quis non ligabitur tali censura?

℞ 1*mo.* si quis retinet talem rem propter compensationem damni habiti ab eo, in cujus gratiam datur censura. 2*do.* si furtum fuit secretum, quod per se ipsum non tenetur manifestare statim, sed per alium scil. per Confessarium, qui si commodè haberi non potest, poterit in aliud tem-

tempus differri restitutio. *Navarr. Cap. 20. n. 9. Lopez p. 2. Cap. 31. proposit. 6.*

## CAPUT III.
### De Restitutione Honoris.

1 Qvid est detractio honoris vel famæ?

℞ Est eorum scil. honoris & famæ per verba cum intentione nocendi ablatio. *Navarr. Cap.* 18. *n.*17.

2 Qvid est fama?

℞ Est qvidam conceptus bonus vel malus; vel qvædam opinio bona vel mala, qvam aliquis habet apud homines. *S. Th. 2. 2. q. 71. Sot. Lib. 5. q.* 10.

3 Quid est honor?

℞ Est qvædam reverentia vel æstimatio, quæ alicui debetur ratione dignitatis, officij, virtutis, personæ, generis vel nativitatis. *S. Th. & Navarr. loc. cit.*

4 Quotupliciter qvis detrahit famam alteri vel honorem?

℞ 2pliciter 1*mò*, circa se ipsum solùm, ut si quis reputet Titium castum, & ex aliqua occasione injusta habeat opinionem de illo, qvòd sit libidinosus, quæ detractio dicitur judicium temerarium 2*do*, cùm quis verbô, vel signô, vel tacendo cùm loqui debet, vel scriptô sine vel cum subscriptione, lædit alterius famam vel honorem, affirmando de illo delicta, quæ non habet. *Sot. Lib.* 5. *q.* 10. *Arag.* 2. 2. *q.* 7.

5 Si quis coram ijs, quibus est occultum, manifestet crimen, quod est verum, teneturne ad restitutionem?

℞ Non tenetur, sed peccat mortaliter contra charitatem. v.g. aliquis fuit condemnatus Posnaniæ, sed condemnatio hæc ignorabatur Cracoviæ, venit quidam illuc & propalavit, dixit verum, sed peccavit contra charitatem, maximè si dixit mala intentione, non tenetur tamen ad restitutionem. *S. Th. loc. cit. q.* 73. *& Sot. ubi supr. a.*2.

6 Homo estne dominus suæ famæ, sicut suarum pecuniarum?

℞ Affir. & sic sibi tollit famam confitendo de se crimen, quod non fecit, non tenetur tamen ad restitutionem, licèt peccet contra charitatem, sed non contra justitiam; nisi sit persona publica, & infamando se, alios condemnet, ut & ille qui in tormentis aliquem condemnavit, non habentem culpam; tunc tenetur ad restitutionem famæ, damni, & iterum pro illo tormenta pati. *S. Th. loc. cit a.* 4. *Navarr. loc. cit. n.*46.

7 Audire murmurantem, & illum non reprehendere, quod est peccatum?

℞ Si audit quis murmurantem cum delectatione, & consensu propter odium, quod habet contra talem personam, peccat eodem murmurantis peccato: si solùm delectatur propter curiositatem, tunc peccat venialiter. Consideranda item est gravitas murmurationis, an sit levis, an gravis, & persona contra quam est murmuratio, tum veritas vel falsitas murmurationis necnon fundamentum in quo fundatur. *S. Th. ubi supr.*

8 Quibus in casibus aliquis non tenetur restituere famam vel honorem, quem alteri abstulit propter suam murmurationem, vel propter memoriale, quod contra ipsum dedit Judici vel Principi?

℞ Pluribus: 1*mus* est, quando ille, de quo fuit murmuratio, verè peccatum quod imputatur, commisit, quod publicum est. unde illi nihil abstulit, peccavit tamen contra charitatem. 2*dus*. quando accusatur quis, aut judex sententiando eum justè infamat, non tenetur restituere. 3*tius*. quando infamatus probationibus, virtutibus aut alia via suam famam recuperavit, aut certè, qui audierunt, murmuranti nullam fidem adhibuêre. 4*tus*. si infamatus condonavit alteri infamiam. *Sot. Lib.* 4. *q.* 1. *n.* 3.

9 Si quis scriptô vel verbô manifestavit aliquod crimen vel delictum alicujus, quod erat falsum, ad quam restitutionem tenetur?

℞ Coram eisdem personis dicere contrarium, & si opus fuerit, affirmare juramentô; si verò aliquod damnum emerserit, illud restituere, ita, ut integrè satisfaciat. *Scot. in 4. dist. 15. q. 44. Navarr. Cap.* 18 *n.*45.

10 Si quis ab alio accusatur de vero delicto & negando facit aliud mendacium, teneturne restituere famam?

℞ Licèt, qui negat, peccet & sit perjurus, tamen non tenetur restituere alteri illam famam; quia facit sibi majus damnum faciendo se reum & delinquentem, *Silvest. v. restitutio.*

11 Si delictum, quod alicui imputatur, sit verum, sed occultum, propalans quomodo illud revocare tenetur?

℞ Non tenebitur dicere se dixisse mendacium, sed solùm laudare illum hominem, coram illis, coram quibus propalavit, ut recuperet aliquam bonam opinionem. *S. Th.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 2.

12 Si quis dicat se audisse Sejum esse adulterum, etiamsi non sit verum, quam restitutionem tenetur facere?

℞ Licet *Cajet.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. *& Scot. in* 4. *dist.* 15. existiment non teneri ad ullam restitutionem, tamen securiùs est dicere, teneri, ut nim. apud eosdem fateatur verè à Sejo non esse commissum tale delictum, vel saltim illum laudare, ut eô modô acquirat famam, quam injustè amisit. *Sot. Lib.* 4. *q.* 6. *a.* 3. *& Toler. lib.* 5. *Cap* 69.

13 Teneturne quis restituere famam alterius cum periculo propriæ famæ?

℞ Si restitutio sit inter personas æquales, tenetur etiam cum periculo propriæ famæ, si verò persona, quæ infamavit excellat infamatum dignitate vel genere, poterit satisfacere pecuniis, vel aliô beneficiô cum consiliô prudentis Confessarij. *Scot.* 4. *dist.* 5.

14 Teneturne quis cum periculo propriæ vitæ ad restitutionem honoris?

℞ Si infamatus propter talem infamiam, est in periculo vitæ, tenetur alteri cum periculo vitæ propriæ restituere honorem; ut si Titius occidat Cajum, & confiteatur Sejum eundem occidisse, si Sejus sit in periculo, tunc Titius, qui ve-

rè occidit cum periculo propriæ famæ & vitæ, vitam Sei liberare tenetur, secus verò, si non ex Titij dicto, sed ex alijs testibus constet Sejum, occidisse Cajum, tunc Titius cum periculo propriæ vitæ non tenetur se manifestare. *Tolet. Lib. 5. Cap. 69.*

15 Si duo se ad invicem infamârunt, tenenturne ad invicem restituere famam?

℞ Si infamatio sit æqualis, potest fieri ad invicem compensatio, sicut in pecunijs; sed si unus velit restituere, alter necessariò tenetur. *Tolet. loc. cit.*

16 Quod peccatum est detractio famæ?

℞ Est tam magnum, ut *D. Bernard. Lib. de Confiderat. ad Eugenium* dicat, maximam partem hominum existentium in inferno, esse propter hoc peccatum: quia raro, vel nunquam fit restitutio, aliquando propter verecundiam, aliquando propter honorem proprium, aliquando propter contemptum.

## CAPUT IV.
### De Jejunio.

1 Quid est jejunium?

℞ Est abstinentia ciborum ad carnis vitia comprimenda, peccatorumq; pœnas expiandas, & mentes in Deum excitandas. *S. Th. 2. 2. q. 147. a. 1. Covarr. Lib. 4. variar. resol. Cap. 20.*

2 Quotuplex est jejunium?

℞ 2plex: Naturale & Ecclesiasticum. *S. Th. loc. cit. a. 6. & l. More Romano. ff. de Feriis.*

3 Quid est jejunium naturale?

℞ Quod frangitur cujuscunq; rei sumptione, etiam si sumatur locò medicinæ. *d. l. More Romano.*

4 Ad quid requiritur jejunium naturale, & quando incipit?

℞ Ad sumendum Eucharistiam & celebrandum, ac incipit à media nocte. *d. l. More Romano. S. Th. loc. cit. n. 6.*

5 Frangiturne hoc jejunium salivæ, vel alicujus fragmenti ex præcedenti cæna in ore relicti sumptione, aut etiam haustu guttulæ sub tempus oris lotionis?

℞ Non frangitur; quia parva quantitas non debet attendi. *S. Th. 2. 2. q. 80. a. 6. ad 4. & q. 147.*

6 Quid est jejunium Ecclesiasticum, & à quo institutum?

℞ Est vetitorum ciborum certis temporibus abstinentia; & est institutum ab Ecclesia, strictissimè; observatum. patet Actor. 13. *Jeiunantibus autem illis &c.*

7 Suntne tempora præscripta, in quibus Christiani tenentur jejunare?

℞ Sunt: videlicet, Quadragesima tota, exceptis diebus Dominicis, in quibus sola à carnibus abstinentia servatur, Quatuor temporum, except. SS. Trinitatis, in quibus lacticinia Feria 4ta & sabbato permittuntur, in Vigiliis quarundam festivitatum solenniorum Nativitatis Christi Domini, BB. Virginis Deiparæ, Apostolorum aliorumq; Sanctorum, attenta locorum consvetudine & observatione. Quod si festum solenne inciderit feria 2da. dies sabbati, non Dominica debet jejunari. *c. 1. de Observ. jejun.* singulis autem diebus Veneris & sabbati à carnibus abstinendum, nisi venerit festum Nativitatis Christi Domini, in aliquo eorum; tunc enim non servatur jejunium, solùm ab illis, qui se votò, vel regulari observantiâ obstrinxerunt. Item servatur abstinentia à carnibus in Festo S. Marci, & tribus diebus Rogationum. *can. 16. & seqq. de Consecr. dist. 5. Conc. Mediolan. 1. sub Pio IV. 1565. p. 1. de Jeiun. can. 11. dist. 76. can. 11. dist. 22.*

8 Possuntne Episcopi in suis Diœcesibus aliqua particularia imponere jejunia?

℞ Possunt, ob justas causas, & servanda sunt à subditis, sub pœna peccati mortalis. *S. Th. 2. 2. q. 147. a. 3.*

9 Hæc jejunia suntne de jure divino, vel de jure naturali, vel de jure positivo?

℞ De jure positivo Pontificio: & ideo à Summo Pontifice possunt minui, vel augeri. *Covarr. Lib. 4. variar. resol. Cap. 20. n. 3.*

10 Potestne dispensare Papa, ut quis cum carnibus vel ovis jejunet?

℞ Potest, sed talis debet semel tantùm in die comedere carnes. *Navar. Conf. fin. de Observ. jejun.*

11 Si non inveniantur pisces, neq; ullus cibus, sed solùm carnes, poteritne aliquis cum carnibus jejunare absq; dispensatione Apostolica?

℞ Poterit ratione necessitatis extremæ, quæ supplet dispensationem, sed similiter debet semel in die comedere & servare formam jejunij, sicut si haberet pisces. *Navarr. ibid.*

12 Si quis habeat privilegium, ut cum ovis vel carnibus jejunet, potestne hoc privilegiò uti ad consequendum Jubileum?

℞ Si id est expressum in Bulla, poterit, aliàs secus. *Navar. Cons. 5. de Observ. jejun. l. si unum. ff. Locati.*

13 Si quis non jejunet aliquot dies Qvadragesimæ, quot peccata committit?

℞ Quot dies non jejunat, tot peccata mortalia committit. *Navarr. Cons. 2. eod. tit.*

14 A qua ætate incipit obligatio jejunandi?

℞ A 21 ætatis anno completo propter naturæ imbecillitatem, augmentum corporis & virium, licet de consilio bonum sit adolescentes assvefieri ad jejunandum. *S. Th. loc. cit. a. 4.*

15 Qui non tenentur jejunare?

℞ Senes sexagenarij, licèt recta regula dari non possit; quia sunt aliqui, qui in illa ætate possunt jejunare, & aliqui, qui ante illam ætatem ex imbecillitate naturæ, non possunt, & sic relinquitur arbitrio viri prudentis. *arg. ex l. 1. ff. de Jure deliber.*

16 Nutrices, mulieres prægnantes, tenenturne jejunare?

℞ Negativè: quia alunt se propter pueros. *Caiet. 2. 2. q. 147. a. 4.*

17 Prædicatores, Confessarij, publicè legentes in Scholis, Doctores Libros componentes, tenenturne jejunare?

℞ Si aliàs oneri, quod illis inbumbit ex debito, satisfacere non possunt, propter majus bonum Ecclesiæ & Reipub. excusantur à jejunio. *Azor. Cap. 29. q. 1. Cajet. in sum. Cap. 3. v. jeiunium. Navarr. in sum. Cap. 21. n. 16.*

18 Si quis proprio labore sustentet familiam suam, ut agricola & alij, teneturne jejunare?

℞ Non, neq; tenetur relinquere suum officium, ut possit jejunare. *Caiet. 2. 2. q. 147. a. 3. aitque Eugenium IV. sic declarasse.*

19 Frangiturne jejunium, si vespere sumatur aliqua parva refectio?

℞ Non, si sit illus Provinciæ talis consvetudo, & sit solùm ad reparationem naturæ, non ad repletionem stomachi. *Caiet. n. 18. citatus.*

20 Episcopus potestne dispensare in jejunio?

℞. In jejunio generali, ut quis nunquam jejunet, solus Papa, in jejunio verò particulari, ut quis non jejunet per aliquod tempus, Episcopus, vel etiam Parochus cum legitima causa, possunt dispensare. *S. Th. n. 14. citat.*

21 Cocus parando cibos, si gustet, solvitne jejunium,

℞ Non. *Abb. in c.2. n. 6. deObserv. jeiun. & Cajet. n. 18. citat.*

22 Jter faciens per loca hæreticorum jejunij tempore, teneturne jejunare?

℞ Tenetur: si alii cibi suppetunt, aut si illi in contemptum Ecclesiæ carnes hæretici offerant. *Less. Lib. 4. Cap. 2. dub. 5. in fin.*

23 Peccantne, qui famulis nolentibus jeiunare, cænam dant, & illi qui cibos, v.g. Capones, violaturis jeiunium, vendunt?

℞ Utriq; non peccant, sed qui cibos violaturis jeiunium vendit ea intentione, ut violent, peccat. *Roder. in sum. Lib. 1. Cap. 23. n. 4. & 5. Navarr. tamen Cons. 3. de Observ. jeiun. & Sanchez in Summ. Lib. 1. Cap. 7. n. 34. & seqq.* tenent Dominum debere negare cænam famulis jejunare valentibus, licèt inde Dominus reputetur avarus.

## CAPUT V.
## De Voto

1 Quid est votum?

℞ Est promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono. *S. Th. q. 88. a. 1. & 2. ut dict. Lib. 1. Cap. 44. n. 1. & 2. ac ibi divisio facta est voti in Simplex & Solenne.*

2 Quotuplex est votum præter simplex & solenne?

℞ 2plex: *Expressum.* quod verbis discretis exprimitur. Et *Tacitum,* quod eò ipso fieri censetur, quò voluntariè aliquid agitur, ut susceptio Ordinis sacri tacitè complectitur votum castitatis. *Valen. Lib. 3. tit. 34. §. 2. n. 2.*

3 Quotuplex est adhuc votum?

℞ Iterum 2plex: *Purum. idest absolutum,* quod fit absolutè, sine ulla conditione. Et *Conditionale,* quod fit sub aliqua conditione, ut si quis peregrinationem voveat, si à morbo liberetur: & ejusmodi votum non obligat, nisi posita illa conditione, quæ tamen non debet esse contraria, vel substantiæ, vel honestati ipsius voti. *Bonac. disp. 4. q. 2. punct. 2. h. t.*

4 Quotuplex est iterum votum?

℞ 3plex: *Personale*, quo promittitur aliquid, quod personam voventis attinet, ut peregrinatio Hierosolymam; votum Religionis, jejunij &c. *c. 2. de voto & voti redempt. Reale,* quo res aliqua Deo promittitur, ut Eleemosyna, Census &c. *c. 18. de Censib.* Et *Mixtum,* quo utrumq; promittitur, veluti peregrinatio cum eleemosyna. *c. 5. & seqq. de voto & voti redempt.*

5 Quæ est differentia inter votum personale & reale?

℞ Quia personale votum filiorum v. g. Pater usq; ad 14. annum potest annulare, non verò post: reale autem usq, ad annum 24. inclusivè non tamen post. Ratio, quia in voto reali filius promittit aliquid de bonis, quæ non sunt in ejus potestate, neq; de eis habet liberam dispositionem, usq; ad 25. annum, in qua ætate liberatur à patria potestate, & fit sui juris. *tot. tit. Inst. de Patria potest. & Tolet. in sum. Lib. 4. Cap. 18. n. 9.*

6 Daturne etiam votum pænale?

℞ Datur, quod fit in pænam alicujus delicti, ut si quis dicat, si non abstinuero à ludo, distribuam 100. aureos pauperibus. *Tolet. ibid.*

7 Qui vovere possunt?

℞ Omnis homo viator, qui est sui juris, & habet usum rationis. *Zoes. in Decret. Lib. 3. tit. 34. n. 7.*

8 Qui vovere non possunt?

℞ Beati, qui in termino sunt, Mortui, qui per se mereri ampliùs non possunt. *Zoes. ibid.* Infantes, Furiosi, Impuberes: quia illorum votum ab eo, in cujus potestate sunt, irritari potest. *can. 1. & seqq. 20. q. 2.* Conjuges post consummatum Matrimonium sine mutuo consensu. *Valen. loc. cit. n. 5.* Episcopus Peregrinationem vovere non potest, sine consensu suæ Ecclesiæ, nec Clericus, sine consensu Episcopi *c. 7. §. Ipsum etiam de vot. & voti redempt.* Monachus, sine consensu sui Superioris, quia velle, aut nolle, non habet. *c. 24. & 27. de Elect. in 6.* Servi & Coloni adscriptitij vel originarij, in præjudicium suorum dominorum. *can. 12. dist. 54. & S. Th. loc. cit.*

9 Filius potestne ante 14. ætatis annum vovere Religionem?

℞ Non potest, & esset nullum votum. *Conc. Tr. Sess. 25. Cap. 15. de Regularib.*

10 Filius potestne vovere orationes & jejunia?

℞ Potest: quia in isto casu nulli est subditus. *Zoes. loc. cit. n. 11.*

11 Quot sunt Conditiones necessariæ ad verum votum?

℞ 4. Possibilis, non vana, bona, meliori non contraria. *Tolet. Lib. 4. Cap. 17. n. 8.*

12 Quæ est Conditio possibilis, & quotuplex?

℞ Ut homo promittat, quod ipse facere potest, vel promittat rem talem, quæ de se fieri potest. Estq; 2plex: vel ex parte promittentis, ut si promittat se abstinere à peccato veniali per totum vitæ cursum. vel ex parte rei, ut si promittat se ædificaturum Ecclesiam. *Tolet. ubi supr.*

13 Materia voti qualis debet esse?

℞ Non vana, neq; indifferens. *Tolet. ibid.*

14 Quæ est vana materia voti?

℞ Illa, quæ neq; ad Dei honorem, neq; ad salutem animæ ordinatur. *Tolet. ibid.*

15 Si quis vovet se non ambulaturum tali via, quia in ea solicitatur ab aliqua prava muliere, eritne verum votum?

℞ Erit, quia res est bona. *Tolet. ibid.*

16 Si quis voveret eleemosynam, ut adversarium suum vinceret in duello, valebitne votum?

℞. Non: quia votum in malum finem ordinatur. *Navarr. in Manual. Cap.* 12. *n.* 30.

17 Si quis voveat religionem, vel eleemosynam, ut incolumis maneat in duello, vel in bello, aut ut filium procreet, valebitne?

℞. Valebit: quia tale votum non est ordinatum ad malum finem. *Azor. p.*1.*Lib.*1.*Cap.*3.*q.*2.

18 Si quis voveret ducere uxorem, & non ingredi religionem, valebitne votum?

℞. Non, imò si ingrederetur religionem, bene faceret; quia status religionis perfectior est statu Matrimonij. *Tolet. ubi supr.*

19 Si tali homini, propter ejus incontinentiam, magis conveniret status Matrimonij, quàm religionis, obligabiturne tali voto?

℞. Affir. & valebit votum. quia tali homini in particulari propter ejus naturam, est securior status Matrimonij, quàm religionis: & sic bene vovet de materia sibi meliori, suæq; animæ magis necessaria. *Caiet.* 2. 2. *q.*88. *a.* 2. *Navarr. Cap.* 17. *n.* 43.

20 Si quis metu mortis, vel gravis mali vovet, valetne?

℞. Non. quia vovit coactus & non liberè. *Tolet. ubi supr. n.* 4.

21 Si puella metu Patris, vel Matris, aut propinqui, vovet Religionem, velebitne votum?

℞. Non, stante hujusmodi coactione absoluta: coacta autem voluntas, non est voluntas. *Angel. v. Coactio. n.* 3. *Sot. Lib.* 8. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. *de Just. & iure.*

22 Si quis in tempestate magna voveret se ingressurum Religionem, si liberaretur ab illa, valeretne tale votum?

℞. Non: quia metus tempestatis abstulit libertatem necessariam ad votum. *Abb. in c.*1.*de iis, quæ vi metusve causa.* etiamsi intercesserit juramentum. *Idem Abb. in c.* 2. *de eo, qui duxit in Matrimon.*

23 Si quis, quia passus est tempestatem, voveret nunquam ingredi mare, vel quia cecidit de equo, nunquam equitare, valebitne tale votum?

℞. Negativè. quia res vanæ sunt, imò taliter vovens peccat. *Tolet. ubi. supr. n.* 13.

24 Si quis vovet virginitatem & eam amittit, veletne votum?

℞. Negativè, quia impossibile est virginitatem amissam recuperare: secus si voveret continentiam; quia tunc toties peccat contra votum, quoties illam non servat. *Tolet. ubi supr.*

25 Si quis vovit continentiam & postea Uxorem duxit, tenebiturne servare votum?

℞. Tenebitur ex parte sui, non autem ex parte Uxoris, quousq; Uxor vivat. *Tolet. ibid. n.*14.

26 Si quis vovit ingredi talem religionem, & ad illam non suscipiatur, tenebiturne ingredi aliã?

℞. Si vovens fecit diligentiam necessariam, & non fuit susceptus, non tenebitur ingredi aliam, nec in sæculo servare continentiam. *Tolet. ibid. n.* 12.

27 Si quis vovit aliquid, & ex aliquo juridico impedimento non potuit adimplere, sublatô tali impedimentô, tenebiturne ad votum?

℞. Non: sicut & filius, qui Patre vivente, vovit dare centum, & non fuit capax tam dandi, quàm vovendi, ob patriam potestatem, mortuo Patre, non tenebitur adimplere votum; quia in voto requiritur posse vovere: & posse adimplere in tempore destinato. *Abb. in c.* 3. *n.*3. *de Convers. Coniug.*

28 Si quis vovet universaliter religionem, ad quid tenetur?

℞. Tenetur in illa Urbe adire domos religionum & si non recipiatur, non tenetur ampliùs votô: quia per ipsum non stat, quominus non adimpleatur. *Tolet. ubi supr. n.* 11.

29 Si quis vovet se non fornicaturum, non occisurum & alia, quæ divino præcepto prohibentur: si fecerit contra tale votum, quot peccata committit?

℞. Duo: contra votum, & contra præceptum, ac in Confessione tenetur utrumq; explicare. *Tolet. in sum. Lib.*4.*Cap.*27 *n.* 19.

30 Si quis voventi religionem svadeat, ut non ingrediatur, peccatne mortaliter?

℞. Peccat tam contra ipsum, quàm contra Religionem; nisi talem sciat ineptum, religioni inutilem, mutabilem, non perseveraturum, vel aliam legitimam causam habeat. *Scot. in* 4. *dist.* 15. *q.* 3.

31 Si quis simpliciter fecit votum castitatis, vel religionis, valebitne matrimonium, quod contrahit?

℞. Talis, contrahendo peccat mortaliter, sed Matrimonium valet: non poterit tamen absq; dispensatione exigere debitum, sed reddere. *S. Antonin.* 3. *p. tit.* 3. *Cap.* 4.

32 Mulier, quæ fecit votum religionem ingrediendi, & postea contraxit Matrimonium, potestne exigere debitum?

℞. Potest, sed non, quæ fecit votum castitatis. *Tabien. v. Matrimonium* 1. §. 2. *Anton. p.* 2. *tit.* 11. *Cap.* 2.

33 Religiosus de Monasterio expulsus, post solenne votum, tenebiturne perpetuò servare castitatem, paupertatem & obedientiam?

℞. Tenebitur solùm servare castitatem; quia ab obedientia & paupertate per exclusionem à Superioribus factam liberatus est; idq; propter necessitatem vitæ & sustentationis. *Tolet. ibid. Cap.* 18. *n.* 3.

34 Qui reliquit habitum Religionis, quam pænam incurrit?

℞. Excommunicationis latæ sententiæ, & est Apostata. *c.* 2. *Ne Clerici vel Monach. in* 6.

35 Hæc excommunicatio cui reservatur?

℞. Nulli, & potest absolvi à proprio Confessario, quod tamen non debet facere, quousq; habitum non resumat. *Tolet. ibid. Lib.*4. *Cap.* 18. *n.*6.

36 Si quis relinquat habitum religionis, vel Clericatus, ut securus transeat per terras infidelium, vel ob aliam justam causam id faciat, eritne Apostata?

℞. Non: quia Apostasia non consistit in sola dimis-

missione habitûs, sed in animo vivendi laicaliter & relinquendi propriam religionem. *Tolet. loc. cit.*

37 Clericus in Minoribus Ordinibus constitutus relinquens habitum, estne Apostata?

℞ Non: amittit tamen privilegium fori, imò, si deposito habitu, contrahat Matrimonium, non peccat, nisi deponat ex contemptu. *Clemen. 2. de vita & honest. Cleric. Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 6. de Refor. & Sylvest. v. Apostasia.*

38 Si quis vovit se matrimonium contracturum solùm per propositum internum, sed firmum, & postea professus est religionem, vel suscepit sacros Ordines, licitène fecit?

℞ Imò laudabiliter: quia suscipere sacros Ordines, vel profiteri, est quid meliùs & beatiùs. *Conc. Trid. Sess. 24. can. 10 de Sacr. Matrim.*

39 Ad votum, præter propositum internum, reqviriturne aliquid externum?

℞ Requiritur oris promissio verbis expressa ad Deum. *Tolet. in sum. Lib. 4. Cap. 17.*

40 Quid præterea reqviritur in promissione, ut sit Votum?

℞ Deliberatio rationis & libertas voluntatis. *Tolet. ibid. n. 5.*

41 Si quis voveat exteriùs, & interiùs non habeat propositum adimplendi, valebitne tale votum?

℞ Non: quia vovens habet contrariam jntentionem voto, & peccat mortaliter sic eludendo Deum. *Tolet. ibid.*

42 Si quis promittat homini aliquam rem, estne votum?

℞ Non: nisi priùs Deo voveat immediatè, aut Sanctis ejus. *Tolet. ibid. n. 7.*

43 Vovens abstinentiam ab usu externo fæminæ, si morosè interiùs delectetur, peccatne contra votum?

℞ Si solùm per votum intendebat se obligare quò ad abstinentiam actus externi, non peccat contra votum; secus si absolutè vovit continentiam. *Less. Lib. 4. Cap. 3. n. 115. in fin.*

## CAPUT VI.
## De Irritatione Voti.

1 Quid est irritatio voti?

℞ Est annulatio quædam facta à Superiore inferiori personæ, quæ facit, ut votum non sit obligatorium. *Tolet. in Sum. Lib. 4. Cap. 18. n. 7.*

2 In irritatione voti reqviriturne aliqua causa?

℞ Sola voluntas sufficit irritantis. *Tolet. ibidem*

3 Quis potest irritare votum?

℞ Pater filiorum, Superior suorum Religiosorum, Maritus Uxoris, vel è contra, Dominus servorum, vota irritare possunt. *Navarr. in man. Cap. 12. n. 65. c. 2. de Regularib. & Tolet. ubi. supr. n. 11.*

4 Si Religiosus voveat peregrinationem, vel quid simile, quis potest irritare hoc votum?

℞ Ejus Superior, nisi semel tale votum approbaverit, vel sit votum arctioris religionis; quia hoc irritare non potest. *Navar. loc. cit. & Caiet. v. Votum.*

5 Vota Religiosorum, Uxorum, filiorum & Servorum, suntne conditionalia?

℞ Sunt: Habent enim ex juris dispositione hanc tacitam annexam conditionem. *nisi Superior, vel ille, cuius interest contradixerit. Navar. loc. cit.*

6 Superior, si semel approbavit votum sui Religiosi, poteritne illud irritare?

℞ Poterit, sed peccabit. *Caiet. & Tolet. ubi supr. n. 7.*

## CAPUT VII.
## De Commutatione Voti.

1 Quid est Commutatio voti?

℞ Est materiæ voti propria authoritate in id, quod manifestè meliùs & Deo gratiùs est conversio. ut est voti peregrinationis, in votum Religionis mutatio. *c. 3. de Jure juran. & c. 4. de vot. & vot. redempt.*

2 Solusne vovens, an etiam aliquis alius potest commutare votum?

℞ Præter voventem, qui tantùm in meliùs commutat votum; Episcopus, Prælatus & quilibet Superior, habitâ rationabili causâ, potest commutare vota, non in leves materias, sed si fieri potest in æquales. *Tolet. Lib. 4. Cap. 18. n. 13.*

3 Quæ causa debet esse, ut permutetur votum?

℞ Iusta, quando scil. vovens adimplere non potest, vel non commodè votum, quod vovit tunc enim Deus de summa sua clementia & misericordia unam rem pro alia suscipiet. *Caiet. 2. 2. q. 12.*

4 Quid debet Episcopus attendere in commutatione voti?

℞ Quod res, in quam votum permutat aliquomodo sit similis rei votô promissæ, ut si quis Polonus promisit se visitaturum Domum Lauretanam B. V. Mariæ, visitet Imaginem miraculosam B. V. Mariæ Czestochoviensis; promisit jeiunia, faciat abstinentiam &c. *Ugolin. tract. 2. fol. 166. de offic. & potest. Episcop.*

5 Potestne quis absq; licentia Superioris commutare votum, quod fecit, in materiam æqvalem, vel paulò inferiorem?

℞ Non potest. dict. n. 1. sed in meliorem, securiùs tamen est, si consulat Superiorẽ. *Tolet. ubi supr. n 12.*

6 Potestne Episcopus & quilibet Superior, suorum Subditorum omnia vota commutare?

℞ Potest existente causa, exceptis 5. quæ soli Papæ reservantur: scil. votum Religionis, Castitatis perpetuæ, peregrinationis Compostellã, Hierusalem & Liminum SS. Apostolorum Petri & Pauli. *Tolet. ibid. n. 13. Archid. in can. 8. 2. q 5. Armill. v. Dispensatio. n. 14.*

7 Potestne Episcopus commutare votum castitatis ad certum tempus emissum, & votum de non contrahendo?

℞ Potest, & in illis dispensare ex justa causa, præsertim incontinentiæ, consideratâ naturâ, vitâ, officiô & conversatione voventium. *Sylvest. v. votum 4. §. 4. & Abb. in c. 5 n. 6. Qui Cler. vel voven.*

8 In commutatione voti debetne haberi respectus expensarum, qvæ in explendo voto essent faciendæ?

℞ Debet, habita ratione personarum, ut nim. vovens easdem obligetur expendere in aliquod pium opus pro prudentia Commutantis. *Navarr Cap. 12. n. 75.*

## CAPUT VIII.
### De Absolutione Voti.

1 Quis potest absolvere transgressorem voti?

℞ Quilibet Sacerdos approbatus, sed voti obligatio manet. ut si quis votâ continentiâ, fornicetur, absolvitur à Confessario, sed voto continentiæ manet obligatus. *Tolet. in sum. lib. 4. Cap. 18 n. 12.*

2 Si quis vovit se daturum alicui loco Sacro, vel religioso mille aureos, quis poterit eum absolvere?

℞ Si vovens principaliter suam devotionem respexit, necdumq; locus sacer, vel religiosus votam Summam acceptavit; tunc Episcopus eundem absolvere potest: si verò vovens principaliter respexit utilitatem & necessitatem loci Sacri, vel religiosi, atq; vota summa per locorum sacrorum Prælatos fuit acceptata, tunc Episcopus eundem non debet absolvere, donec solvat; quia jam acquisitum est jus loco sacro vel religioso per acceptationem factam, indeq; insurgeret tertiæ personæ damnum, si absolveretur. *Tolet. ubi sup.*

## CAPUT IX.
### De Dispensatione Voti.

1 Quid est dispensatio voti?

℞ Est obligationis voti nomine Dei per Prælatum habentem ad id potestatem cum justa causa, facta condonatio. *Navarr. in Man. cap. 22. n. 75. & seqq.*

2 Cui competit dispensatio voti?

℞ Sum. Pontifici ex potestate immediatè à Deo D. Petro & Successoribus ejus legitimè electis concessa, qui super omnium Christianorum votis potest dispensare. Competit & Episcopis potestas dispensandi super votis subditorum, quæ non sunt specialiter reservata. *DD. in c. 1. de voto & vot. redem.*

3 Quæ sunt vota specialiter ad dispensandum reservata Summo Pontifici?

℞ Quinq; Cap. 7. n. 6 immediatè enumerata, ut patet præter Authores ibi citatos ex *Extravag. Comm. 5. de Pœniten. & Remiss.*

4 Potestas dispensandi super votis, à quo data est Episcopis?

℞ A Summ. Pontificibus, tanquam primis gubernatoribus Ecclesiæ Romanæ, quæ Episcopos vocavit in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *can. 11. 2. q. 6.*

5 Parochi possunt ne dispensare super votis?

℞ Non possunt, uti nec Prælati omnes inferiores Episcopô; nisi illis ex privilegio, consvetudine, vel speciali indulgentia Pontificis competat, vel nisi habeant quasi Episcopalem jurisdictionem, ut sunt Regulares Prælati exempti, qui cum suis duntaxat Religiosis possunt dispensare.

6 Episcopus potestne aliquando in reservatis votis dispensare?

℞ Potest tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, quando advenit gravis causa & nequit sine periculo animæ expectari dispensatio Apostolica, tamen ex post saltim ad cautelam peti potest. *Coton. Lib. 1. Controvers. 12. Cap. 1. Sanchez. Lay. man. Henriq. Avill. &c.*

7 Papa dispensans in voto castitatis, dispensatne integrè an tantùm respectu matrimonij & actuum ejus?

℞ Non integrè dispensat, sed solùm in parte, seu respectu copulæ Conjugalis cum unica conjuge: & ita reus est voti fracti dispensatus, qui committit adulterium. *Cardin. de Lugo in Respon. moral. Lib. 6. dub. 8 toto.*

8 Quibus ex causis debet fieri dispensatio?

℞ Necessitatis, utilitatis publicæ, vel Ecclesiæ causa postulante. *can. 16. 1. q. 7. Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 13. 14. & 18. de Reform.*

9 Papa potestne dispensare sine causa?

℞ Potest, non verò Episcopus: quia est supra jus commune, & voluntas in eo habetur pro causa, ita si ordinaret illum, quem certò sciret irregularem, ipsô factô cum ipso dispensat. *Mandos. in c. Dispensationes. de Dispens.*

10 Decreta Conc. Trid. à quo possunt dispensari, & ex qua causa?

℞ A solo Papa, cuius authoritas semper salva manet idq; ex urgenti ratione majoris utilitatis, aliàs dispensatio subreptitia censetur. *Conc. Trid. sess. 25. Cap. 22. & 18. de Ref.*

11 Si Papa committat dispensationem alicui, & talis moriatur re non integra, quid agendum?

℞ Si dispensatio committatur certæ personæ & illa moriatur, alia debet nominari à Sum. Pontifice: secus si committatur ratione Officij, ut Episcopo, Vicario, Præposito. &c. quia Successor ejus executioni demandare potest tale Rescriptum. *Ugolin. de off. & potest. Episc. tract. 2. fol. 150.*

12 Si sint plures Iudices delegati in una dispensatione & unus incipiat, possuntne cæteri se intromittere?

℞ Non possunt, si rescriptum dicat, singuli eorum, quia in isto casu est locus præventionis. *c. 8. de Off. Judic. deleg.*

13 Quomodo est procedendum in dispensationibus, & an pro illis aliquid accipi potest?

℞ Procedendum summariè, citatis tamen Partibus, nihilq; pro illarum compositione accipi debet, sed solùm pro expeditione Bullarum. *Declar. S. Congr. Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 5. de Ref.*

14 Quæ est forma dispensationis?

℞ Ego N. Episcopus dispenso tecum in tali voto. *Mandos. loc. cit.*

15 Episcopus potestne dispensare cum eo, qui vovit se non lusurum, vel non facturum talem rem indifferentem sub pæna ingrediendi Religionem?

℞ Potest: quia non dispensabit super voto religionis, sed super peccato & causa voti. *Nav. Cap. 12. n. 43.*

16 In quibus casibus potest Episcopus dispensare in simplici voto continentiæ, vel castitatis?

℞ In pluribus: 1mò, quando duo Conjuges vovent continentiam perpetuã, & est periculum incontinentiæ adireq; Romanum Pontificem facilè non possunt. 2do. si alter conjux sine alterius consensu continentiam vovet. 3tiò, si quis votâ castitate, Uxorem ducit & consummat matrimonium. 4to. quando quis vovet continentiam ad tempus. 5to. quando.

quando quis votum de non ducenda Uxore fecit. *6tò.* si quis vovit mulierem libidinosè non tangere. *7mò.* si quis vovit se suscepturum sacrũ Ordinem. *Navar. Cap.* 13. *n.* 59. & *Cons.* 42. *de Voto. n.* 65. & 70. *Sylvest. v. Dispensatio. q.* 15. & *v. votum* 4. *q.* 3.

17 Si quis vovet peregrinationem ad limina Apostolorum tali tempore, potestne Episcopus dispensare in hocce tempore?

℞ Potest, si vovens est impeditus carcere, morbo, vel paupertate. *Ugolin. loc. cit. n.* 162.

18 Potestne Episcopus dispensare cum eo, qui vovet se aliquam religionem ingressurum, ut ingrediatur, alteram?

℞ Potest: quia hoc magis est commutare votum, quàm dispensare. *Cajet.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 1. *Navar. Cons.* 4. *n.* 33. *de Regul.* & *Cons.* 4. & 14. *de voto.*

19 Quando Episcopus dispensat in voto, debetne loco voti imponere aliquam pænitentiam, vel aliam rem?

℞ Negativè; quia non esset eô ipsô dispensatio, sed commutatio. *c.* 7. *de Voto & vot. redempt. Navar. in Man. Cap.* 12. *n.* 65.

20 Potestne Episcopus delegare hanc dispensationem?

℞ Potest, si eam habet ratione suæ dignitatis, sed si eam habuerit delegatam à Sum. Pontifice in aliquo casu, non potest. *Ugolin. ubi supra.*

## CAPUT X.
## De Simonia.

1 Unde dicitur & quid sit Simonia?

℞ A Simone mago, sive magicæ disciplinæ perito, cui D. Petrus in Act. Apostolorum maledixit, pro eo, quòd ab Apostolis Spiritus Sancti gratiam pecuniâ emere voluisset. *can.* 39. *in prin.* 24. *q.* 3. Estq; studiosa voluntas emendi vel vendendi pretiô temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *Hostien. in Summ.* §. 1. *h. t.*

2 In simonia pretium quotuplex est?

℞ 3plex: *Pretium Muneris. à manu.* ut pecunia, per quã intelligitur res omnis pecuniâ æstimabilis, ut vestis, equus &c. *Pretium, lingva.* sive muneris à lingva, ut laus, vituperium, patrocinium advocati; intercessio & commendatio, modò ex pactô fiant & obligationem inducant. *can.* 114. 1. *q.* 1. *Et, muneris obsequii;* ut ministerium aliquod in rebus temporalibus, quale est famuli, Oeconomi &c. *Navar. in man. Cap.* 23. *n.* 102.

3 Quot sunt species Simoniæ?

℞ Tres: *Mentalis,* est internum propositum; quo quis confert alteri spirituale intendens eum obligare ad temporale reddendum, vel è contra: ut si quis det pecuniam Episcopo, aut ei serviat cum intentione, ut pro pecunia aut obsequio habeat Beneficium Ecclesiasticum nullo tamen pactô interveniente. *Valen. Lib.* 5. *h. t.* §. 3. *n.* 2. *Conventionalis.* est, quando tacitè vel expressè intercessit pactum, citra tamen executionem saltim utrinq; factam. quod duobus modis fieri potest: 1*mò* si tantùm sit initum pactum, non tamen ventum est ad traditionem. Et hæc simonia vocatur purè conventionalis. 2*dò* si una pars dederit pretium, & altera non tradiderit rem spiritualem & è contra. Et hæc vocatur conventionalis mixta; qvia constat partim reali, partim conventionali. *Valen. loc. cit.* Et *Realis* est, quando pactio ex utraq; parte completa est, saltim inchoativè. *Valen. ibid.*

4 Simonia Confidentiæ ad quam speciem spectat?

℞ Ad simoniam Conventionalem, qua quis paciscitur cum eo, cui confert, vel procurat beneficium, eligendo, præsentando, postulando, resignando in favorem, instituendo, confirmando, commendando, vel alia ratione, ut is, qui beneficium accepturus est aliud, hoc quod possidet, procuranti, vel ejus fratri, aut sangvine juncto, cũ fructibus, vel eorum portione cedat: Contra quam simoniam Confidentialem exstat Const. *Pij. IV.* 1564. & *bina. Pij. V.* 1568. & 1569. *ac ad easdem scripsit insignem Tract. Flamin. Parisius.*

5 Pro quibus rebus dare pecuniam est simonia?

℞ Pro rebus spiritualibus, vel illis annexis, ut *dict. in definitione n.* 1.

6 Quibus de causis potest dari pecunia absq; labe Simoniæ?

℞ Pluribus. per modum pretij, per modum sustentationis ministrorum rerum spiritualium, per modum eleemosynæ. per modum oblationis, quæ fit Deo in suo ministro, per modum liberalitatis, seu spontaneæ donationis & gratitudinis. per modum laudabilis consvetudinis: & sic, qui ex tali consvetudine dat temporale pro spirituali, videtur dare per modum eleemosynæ vel oblationis. *Tolet. in sum. Cap.* 87. *n.* 1. *Lib.* 5.

7 In simonia reali, potestne Papa dispensare?

℞ Quamvis cum Simoniacis nulla est misericordia habenda *iux. can.* 110. 1. *q.* 1. ne illorum illicitus contractus per dispensationem reddatur quasi licitus, tamen Summ. Pontifex quamvis raró de clementia Summæ Sedis Simoniacos ad beneficia habilitat & à tanto peccato absolvit. *c.* 27. 45. & *fin. h. t. gloss. cau. Miror. dist.* 50.

8 Episcopus potestne absolvere Subditum suum à simonia occulta?

℞ Potest. *DD. in Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 6. *de Ref.* imò etiam omnem Simoniacum, modò non sit Simoniacus in Ordine vel Beneficio. *Host. in sum. n.* 16. *h. t.*

9 Quod peccatum est Simonia?

℞ Mortale: & 3pliciter peccat Simoniacus. 1*mò.* quia vendit, quod non est venale. 2*dò.* quia vendit, quod suum non est; nam 1. *Corinth.* 4. homo dispensator est rerum Spiritualium, non Dominus; & ita, qui vendit rem spiritualem, alienam rem vendit. 3*tiò.* quia facit contra originem rei spiritualis. *Tolet. loc. cit. Cap.* 85. *n.* 1. & *seqq.*

10 Mentalis Simonias, coerceturne à jure pænis?

℞ Nullis coercetur: quia cogitationis pænam, nemo in foro exteriori patitur, sed sufficit eam expiari per pænitentiam coram Deo. *c. fin. h. t.*

11 Conventionalis & Confidentialis, quib. pænis arcentur?

℞ Nullis similiter, nisi pactum sit completum. *Guttierez. Lib.* 1. *Canon. quæst. Cap.* 6. *per totum.*

*& patet ex Extravag. Comm.* 2. *h. t.* ubi pænæ non ſtatuuntur niſi in eos, qui conventione facta, quomodolibet dando, vel accipiendo Simoniam commiſerint. Non nocet enim conatus, & cogitatus, niſi ſequatur effectus. *l.* 1. *ff. Quod quisq; Iur.*

12 Realis Simonia inducitne ipsô factô pænas juris?

℞ Jnducit, & quidem in Beneficijs ſolùm, Religionis ingreſſu & Ordine. *Navar. in man. Cap.* 23. *n.* 114. *& Leſſ. Lib.* 2. *de Jure & juſt. Cap.* 35. *dubit.* 27.

13 Quas pænas incurrit conferens Ordines Simoniacè?

℞ Jpo jure eſt excommunicatus. *d. Extrav. Comm.* ſuſpenſus à collatione cujusvis Ordinis, etiam primæ Tonſuræ, exercitio Pontificalium atq; ingreſſu Eccleſiæ, & ſi contra ſuſpenſionem, vel interdictum quid fecerit, ſuſpenſus erit ab adminiſtratione Eccleſiæ, perceptione omnium fructuum, à Summ. Pontifice abſolvendus. *Statuit in Bulla edita contra malè promoventes & promotos Sixtus. V.* Cùm primum.

14 Quam pænam incurrit ſimoniacè ad Ordines promotus?

℞ Jpsô factô excommunicatus: & ſuſpenſus ab executione Ordinum, etiam ante ſuſceptorum, *jux. communiorem intellectum d. Extravag. Comm. Sylveſt. in ſumm. v. Simonia. n.* 7. *Leſſ. loc. cit. dubit.* 24. *n.* 135. niſi illum ignorantia Simoniæ per alterum factæ, excuſet. *Leſſ. loc. cit. & Navarr. in man. Cap.* 25. *n.* 68 Cùm enim Ordinatus non deliquerit, pænam irrogatam, per ſolam iniquitatem alterius, non debet pati.

15 Simoniacè Ordinati ſuſpenſio eſtne perpetua?

℞ Temporaria, per *d. Conſt. Pii V.* idq; ad decennium, & ut per annum ſimoniacè ordinatus carceribus mancipetur.

16 In ingreſſu Monaſterij tam Virorum, quàm Mulierum dantes vel accipientes aliquid, quàm pænam incurrunt?

℞ Tam dantes, quàm accipientes excommunicantur ipsô factò per *Extrag. Comm.* 1. *h. t.* quæ tamen Extravagans non videtur uſu recepta. Nā, præcipuè in Monaſterijs Monialiū dos & prandia exiguntur, nō quidē pro ingreſſu, ſed pro alimentis Monialis, maximè ſi Monaſterium ſit tenue. In Monaſterijs verò virorum quidquid ſponte datur, abſq; Simoniaca labe accipitur. *Navarr. in man. Cap.* 27. *n.* 106. *Gutierrez Lib.* 1. *Can. quæſt. Cap.* 32. *& Leſſ. loc. cit dubit.* 12.

18 Præſentans Simoniacè ad beneficium, quam pænam incurrit?

℞ De praxi ordinária, pro illa vice præſentatione privatur, & collatio ad Epiſcopum devolvitur, ac ipsô factô eſt excommunicatus, per Papam, præterquam in articulo mortis, abſolvendus. *d. Extravag. Comm.* 2.

18 Obtinens taliter beneficium, privaturne eô, ipso jure?

℞ Privatur & ad fructuum omnium, quos percepit reſtitutionem tenetur, ſitq; perpetuò ad ea & alia quæcunq; beneficia Eccleſiaſtica obtinenda inhabilis, ſi autem tale crimen pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupra dictas pænas, etiam corporaliter puniendus, degradandus & à fidelium conſortio eijciendus eſt. *d. Bull. Pii. V. incip.* Cùm primum. quam refert in hoc puncto. *Piaſec. in Prax. Epiſcop. p.* 2. *Cap.* 4. *a.* 7. *n.* 12.

19 Clericus beneficiis, quæ ante commiſſam ſimoniam obtinuit, privaturne ipſo jure?

℞ Non: cum in d. Conſt. Pii V. hoc non eſt expreſſum, & pænæ non poſſunt trahi ad non expreſſa. *gloſſ. in c. fin. de Iure patr. & ibi. Abb. n.* 7. Sunt enim odioſæ, ideo reſtringendæ, *can.* 18. *diſt.* 1. *de Pæniten.*

20 Simoniacè obtinens beneficium, ſed ignoranter (ſi nim. amici vel Conſangvinei obtinentis dederint aliquid illô inſciô) debetne illud dimittere?

℞ Debet, poſtquam reſciverit de ſimonia. *Ugolin. tract. de Simon. tab.* 4. *Pariſ. de Reſig. Lib.* 4. *q.* 7. *n.* 40. aliàs privari poteſt. *Navar. Cons.* 10. *n.* 4. *de Simon. in antiq.*

21 Simoniacè obtinens beneficium, in foro conſcientiæ teneturne dimittere illud?

℞ Tenetur cum fructibus perceptis. *Tolet. in ſumm. Lib.* 5 *Cap.* 93. *n.* 4. *Rodriq. in ſum. Cap.* 58. *& Ugol. loc. cit.* & à Confeſſario non debet abſolvi, niſi velit dimittere. *Conſt. Pii. IV.* In ſublimi: 1562. *Non. Maii. quam refert Piaſec. loc. cit.*

22 Pretium Simoniæ cum fructibus cui debet reſtitui?

℞ Eccleſiæ vel pauperibꝰ: quia qui dedit pecuniā, amiſit eam dando pro re turpi. *Tolet. ubi ſupr.*

23 Mediator, vel interventor in Simonia, teneturne reſtituere fructus?

℞ Negat. licet graviter peccet: quia ſolùm ſimoniaco interpoſita hæc eſt pæna. *Tolet. ibid.*

24 Conferre beneficia indigno ob familiaritatem vel Conſangvinitatem, eſtne Simonia?

℞ Non, ſed peccatum mortale. *S. Th.* 2. 2 *q.* 1. *a.* 5.

25 Poſſuntne vendi res Sacræ ſine labe ſimoniæ?

℞ Poſſunt, ratione materiæ, non ratione benedictionis. *Tolet. ubi ſupr. Cap.* 85. *n.* 2.

26 Jgnorantia excommunicationis excuſatne Simoniacum ab excommunicatione?

℞ Affir. quia ad excommunicationem requiritur ſcientia. *Tolet. ibid. Cap.* 86. *n.* 5.

27 Scientes & non manifeſtantes Simoniacum, ſuntne excommunicati?

℞ Licet toties allegata Extravag. Comm. 2. h. t. hoc velit, tamen quia hodie non eſt in uſu, non incurrunt excomm. *Tabien. v. Simonia.* § 75.

28 Si quis Sacerdos ad audiendam alicujus Confeſſionē duo aut tria milliaria conficiat, aut aliquas expenſas faciat, ſi accipiat aliquid, eritne ſimonia?

℞ Negat. quia eſt labor antecedens, ac pro illo pretium poteſt exigi & dari. *Sot. Lib.* 9. *q.* 6. *a.* 1.

29 Si quis ſe obligat per annum, aut aliquod tempus adminiſtraturum Sacramenta vel celebraturum, poteſtne pro hoc exigere pretium ſine ſimonia?

℞ Poteſt; idq; intuitu tanti laboris. *Caiet. v. Simonia & gloſſ. in c.* 11. *de Præben.*

30 Si quis accipiat aliquid pro labore, audiendo Confeſſiones, baptizando & alia Sacramenta adminiſtrando, eritne ſimoniacus?

℞ Erit: quia talis labor eſt concomitans rem Spiritua-

ritua-

ritualem & ab ea ſeparari nequit, niſi ſponte aliquid illi oblatum ſit. *Sot. loc. cit.*

31 Pro labore circa Sacramentalia aliquid accipiens, eritne Simoniacus ?

℞ Erit: quia hæc ſunt Ordinum functiones, & non poſſunt fieri niſi à Sacerdotibus, Suntq; actus propriè Spirituales, à poteſtate ſupernaturali procedentes & ad finem Spiritualem ordinati. *gloſſ. in c. 9. v. benedictio. h. t.*

32 Epiſcopi poſſuntne licitè locare Vicarijs ſuis ſub annuo cenſu ſuas juriſdictiones ?

℞ Cùm ex hoc ſubverſio juſtitiæ & depactatio Subditorum ſequatur, incurrunt ipſò factò excommunicationem, ab ea non abſolvendi, donec pecuniam, pro qua locatio facta fuerit, integraliter perſolvant, ex qua medietas pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis & altera in uſus pauperum Studioſorum circa Cathedralem Eccleſiam ſtudentium cedit. *Conſt. Provinc. Gneſnen. Lib. 4. h. t. §. fin.*

33 Eſtne Simoniacus, qui dat pecunias ad obtinendam amicitiam vel ſervitutem, ex qua demum conſequatur beneficium ?

℞ Non eſt, modò principaliter non det, ut beneficium conſequatur. *Tolet. ubi Supr. Cap. 84. n. 5.*

34 Conventionalis & Confidentialis Simonia, quamvis pænas adeò in jure expreſſas non habeat, ut dict. n. 11. h. t. poteſtne tamen puniri ?

℞ Poteſt arbitrariè, idq; privatione beneficij & inhabilitate ad alia in futurum obtinenda. Gravior enim eſt mentali, & diſtincta à reali. *Caſſad. decis. 5. de Conſtit.*

35 Cujus fori eſt crimen ſimoniæ, & quibus probationibus indiget ?

℞ Fori Spiritualis & præter teſtes ac alia documenta, ſolis præſumptionibus poteſt probari. *Paris. tract. de Confidentiis. q. 64. Gutierr. Can. quæſt. Lib. 2. Cap. 13. n. 78. & Piaſec. loc. cit. n. 16.*

# CAPUT XI.
## De Uſuris.

1 Quid eſt Uſura ?

℞ Eſt voluntas recipiendi aliquid lucri pecuniâ æſtimabilis ultra ſortem, principaliter vi mutui. *Navarr. in Sum. Cap. 17. n. 207. Covar. Lib. 3. Var. res. Cap. 1. n. 1. & 2.*

2 Jn commodato eſtne Uſura ?

℞ Non eſt, ſed actus bonus & charitatis atq; gratuitò facta conceſſio. *gloſſ. c. un. v. Commodatum. de Commod.*

3 Differtne Commodatum ab Uſura & mutuo ?

℞ Differt: quia in commodato non transfertur dominium rei, ſed datur tantùm uſus rei, ut res poſtea reddatur, in uſura verò & mutuo dominium rei transfertur nec eadem res in ſpecie redditur. *Tolet. in ſum. Lib. 5. Cap. 28. n. 2.*

4 Quid requiritur ad veram Uſuram ?

℞ Mutuum, lucrum peccuniâ æſtimabile, & quòd tale lucrum principaliter & non ſecundariò proveniat ex mutuo. *Tolet. loc. cit.*

5 Uſura, quo jure prohibetur ?

℞ Naturali, humano & Diuino. *Tolet. ibid.*

6 Uſura, eſtne peccatum ?

℞ Eſt mortale, & aſſerere contrariũ, eſt hæreticum. *c. 3. & 4. h. t.*

7 Uſurarius eſtne ipſo jure excommunicatus ?

℞ Si Laicus, eſt excommunicandus, ſi Clericus, ſuſpendendus, imò & deponendus. *can. 4. & 8. 14. q. 4. c. 1. & 7. h. t.*

8 Quotuplex eſt Uſura.

℞ 2plex: *Mentalis* eſt, quando quis eo animo mutuat, ut lucrum ex mutuo accipiat citra conventionem expreſſam, vel tacitam cum mutuario de tali lucro percipiendo. *Et Realis,* quando quis mutuat cũ pacto expreſſo vel tacito de lucro ex mutuo percipiendo ultra ſortem. *can. 1. & ſeqq. 14. q 3.*

9 Quotuplex eſt adhuc Uſura ?

℞ 2plex. *Expreſſa,* quando pactum intervenit expreſſum de mutuo ultra ſortem percipiendo. *Et Tacita,* quando ſolùm tacitum adeſt pactum, ut ſi ſolitus mutuare cum Uſuris Titius, dicat Cajo mutuario: ſcis meam conſvetudinem in mutuando.

10 Quotuplex eſt Uſura Formalis ?

℞ Itidem 2plex: *Formalis,* in qua intervenit formaliter mutuum cum lucro ex eo proventi, ut ſi mutues 100. poſt annum recipias 110. Et *Virtualis,* in qua intervenit mutuum implicitè, ut intervenire ſolet in venditione rei ultra juſtum pretium ob dilatam ſolutionem,

11 Quotuplex Uſura ſecundùm JCtos ?

℞ 3plex: *Lucratoria,* quæ continet aliquod lucrum temporale nomine mutui principaliter exactum *Punitoria,* quæ continet pænam aliquam per mutuarium ſolvendam, propter moram in mutuo reddendo. *l. Cum quidam. §. Pupillo. ff. h. t* Et *Compenſatoria,* quæ exigitur pro mutuo ratione juſti interſſe, damni ſcilicet emergentis, vel lucri ceſſantis, vel ratione periculi, laboris, aut expenſarum, quæ probabiliter timentur in mutuo recuperando. *l. ſi commiſſa. ff Rem ratam. hab.*

12 Si quis debet ſolvere 100. poſt annum, & de præſenti ſolvit 70. petens remitti 30. eritne uſura?

℞ Si petat ratione temporis, id ſibi remitti, uſura eſt; ſi verò ratione periculi, quod poteſt evenire vel abſentiæ pecuniæ, quia verè pecunia præſens magis valet, quàm abſens, poſſet enim illâ pecuniâ alias fl. 70. emere 100. ideo cùm nulla fraus taliter intercedit, nec ratione temporis id agitur, non eſt uſura. *Tolet. ubi ſupr. Cap. 31. n. 5. Navarr. in man. Cap. 17. n. 131.*

13 Si det aliquis agrum in pignore dotis, eritne uſura?

℞ Non & licitè percipiuntur fructus ex eo, propter onus matrimonij, uſq; ad reſtitutionem dotis. *Sot. Lib. 6 q. 1. a. 2.*

14 Si quis habet ſpem vel deſiderium recipiendi aliquid, ultra mutuum, eritne Uſurarius ?

℞ Negat. quia ſpes & deſiderium differunt ab intentione in eo, quòd intentio operatur propter rem, unde qui ita mutuat propter uſuram, uſurarius eſt; ſpes verò & deſiderium, non habet rationem operationis & executionis in ordine ad uſuram. *Tolet. ubi. ſupr. Cap 29. n. 3.*

15 Si quis det pecunias aureas, ut accipiat aliquid moderatum & argenteas, eritne uſura ?

℞ Non: quia talis contractus non eſt mutuum, ſed

ſed permutatio unius rei pro alia. *Tolet. ibid. Cap.* 30. *n.* 1.

16 Si quis mutuat Agricolis triticum ea conditione, ut obligentur colere terras mutuantis, eritne uſura ?

℞ Erit: quia illa obligatio, pecuniâ æſtimabilis eſt, percipiturq; aliquid ultra ſortem principalem; niſi mutuans ex mutuo aliquid ad arbitrium boni viri remittat. *Tolet. ibid. n.* 3.

17 Si quis mutuet pecuniam ea obligatione, ut qui mutuavit ex mutuantis officina emat merces, eritne uſura ?

℞ Erit, quamvis non plùs juſtò mutuans accepit pro mercibus: quia illa obligatio, pretiô eſt æſtimabilis, niſi aliquid, ut non ſit uſura, remittat ex mutuo. *Tolet. ibid. Molin. diſt.* 30.

18 Si quis mutuet pecunias Principi, ut ſibi remittat gabellas, eritne Uſura ?

℞ Apertiſſima. *Tolet. ibid.*

19 Si quis mutuat alicui naviganti, vel ad Nundinas eunti, pecuniam; ac pro eo, quòd in ſe mutuantem recipiat periculum pecuniæ, aliqvid recipiat ultra ſortem mutuatam, eritne Uſurarius?

℞ Erit, nec illud excuſabit periculum; quia illud ſpectabat ad debitorem. *c. fin. & ibi gloſſ. v. Periculum. h. t.*

20 Si quis tempore autumni mutuò det frumenta, ut vere adveniente reſtituantur, vel vendat ea in autumno, ut pretium ſolvatur frumentorum, ac ſi tempore veris venditorum, eritne uſura ?

℞ Erit : niſi dubium ſit, quòd tempore veris frumenta non ſint plùs valitura, quàm tempore autumni. *gloſſ. d. c. fin. v. tempore. & c.* 6. *h. t.*

21 Si quis dat frumentum vetus, ut reddatur ei novum, eritne uſura ?

℞ Erit, ſi det ea ratione, quod novum frumentum plùs putatur valere ; ſed ſi det ea ratione, ut non pereat , non erit. *Tolet. ubi ſupr. Cap.* 30. *n.* 4.

22 Si quis mutuat cum pacto, ut alius fidejubeat pro ipſo in aliquo negotio, vel ut ſe obliget ad mutuandum ipſi mutuanti, eritne uſura ?

℞ Erit: quia hæc obligatio eſt pretiô æſtimabilis, & ex hoc capite recipit aliquid ultra ſortem principalem, *Tolet. ibid. n.* 4.

23 Si quis mutuat & accipit pignus fructiferum, ut vineam, agrum. eritne uſura ?

℞ Affir. & tenetur reſtituere fructus deductis expenſis. *Tolet. ibid. n.* 5. *& c.* 2. *h. t.*

24 Feudalis rei dominus directus , qui eam à vaſallo in pignus accepit, poteſtne ſine uſura fructus pignoris perceptos ultra ſortem habere ?

℞ Affirmativè. *Barbos. in c.* 1. *de Feudis. & c.* 8. *h. t.*

25 Eſtne uſurarius, qui accipit aliquid ratione intereſſe, ſive ratione lucri ceſſantis, vel emergentis damni ?

℞ Non eſt: quia propter moram debitoris, creditor ob defectum pecuniarum mutuò datarum occaſionem lucrandi prætermiſit. *Barb. in d. c.* 8. *n.* 7. *ubi alios citat.*

26 Si damnum non ſit probabile, poteſtne quis accipere lucrum mutuando ?

℞ Non poteſt: quia tunc ultra ſortem mutuatam aliquid juſtè exigitur, dum damnum eſt probabile; unde mutuans mutuando pecuniam, poteſt uti hac conditione: mutuo tibi pecuniam, ſed ſi damnum per mutuationem hujuſmodi habebo, tenebis illud reſarcire. *Tolet. ibid. Lib* 32. *n.* 7.

27 Quæ Conditiones requiruntur, ut ratione lucri ceſſantis poſſit accipi aliquid ultra ſortem principalem ?

℞ Tres: quòd talis pecunia, quæ mutuatur, expoſita ſit negotiationi, ut mutuans non habeat aliam pecuniam de qua poſſit mutuare, præter illam, quæ eſt expoſita negotiationi, ut lucrum ceſſans ſit probabile. *Tolet. ibid. n.* 2.

28 Si quis mutuat oleum, ut illi reſtituatur frumentum novum, eritne uſura ?

℞ Non erit, ſi non faciat ea intentione, quòd frumentum novum plùs valebit, quàm oleum. *Sot. Lib.* 6. *a.* 2. *de Iuſt. & jure.*

29 Si quis negotiatori mutuet pecuniam, ut ex divenditis mercibus æquale lucrum habeant, hôc adjectô, ne ſors principalis perdatur.

℞ Jſte Contractus eſt manifeſtè uſurarius: quia ad hoc, ut non ſit uſurarius, deberet exponi periculo ſors principalis. *Tolet. ibid. Cap.* 30.

30 Qui dat 100. auréos in Februario , ut illi tempore meſſis venturæ 400 menſuræ tritici reddantur, quamvis in Februario, quo dabantur 100. aurei, menſura tritici conſtabat fl. 8. talis contractus quando non erit uſurarius ?

℞ Quando probabiliter dubitatur, quòd tempore meſſis una menſura tritici ſit valitura plùs, vel minùs ſemiſeptem floren. Quia dubitatio de majori vel minori pretio illum liberat ab uſura, & iſte eſt luſus fortunæ, & exponit ſe periculo perdendi vel lucrandi. 2*dò.* quia dubia in meliorem partem ſunt interpretanda. Et cùm iſte ſit dubius de pretio maiori vel minori tempore meſſis futuræ, non debet judicari uſurarius; cùm hoc pendeat à futuro eventu, & tam emptor, qvàm venditor æqualem ſortem quærunt. 3*tiò.* quia commodum & incomodum ex dilatione ſolutionis ſpectat ad emptorē & venditorē æqualiter. *l. penult. C. de Solut. l. Arrianus. ff. de Act. & Obligat. c. Ex literis. de Probat. & c. fin. h. t.* nec obſtat, quòd tempore, quo fit contractus, triticum in maiori pretio habeatur; quia non emitur tunc temporis illud triticum, ſed triticum futurum Menſe Auguſto colligendum.

31 Quando erit iſte contractus uſurarius ?

℞ 1*mò*, quando non eſt dubium de majori vel minori pretio, ſed certa ſcientia, quòd tempore meſſis, tritici menſura plùs valebit, quàm ſemiſeptem floren. 2*dò.* quando emptor certò ſcit, quòd venditor vendit illi triticum minori pretio, aliqua neceſſitate adactus. *gloſſ. in c. fin. h. t.*

32 Hæc dubitatio qualis debet eſſe, ut liberet emptorem ab uſura ?

℞ Debet eſſe juſta, quæ colligi poteſt ex Circumſtantijs temporis vg. ſicci, ſterilis &c. *gloſſ. in d. c. fin.*

33 Qui vendit merces ea conditione, ut poſt quatuor

tuor menses dentur ipsi 100 aurei, licet tempore venditionis non constabant tantùm 80 aureos, iste Contractus quando non erit usurarius?

℞ *1mò*. quando dubitatur post 4. Menses prædictas merces plùs valere, quàm 100. aureos. *2dò* si tempore venditionis non erat venditurus istas; quia si tunc eas venditurus erat, esset contractus usurarius: quia certâ scientiâ plùs recipit, quàm merces valent. ut tenet *gloss. in d.c fin. h.t.*

34 Si unus usurarius impetret literas, ut alter usurarius restituat ipsi Usuras, debetne audiri?

℞ Non est audiendus, donec priùs ipse cum effectu restituerit usuras, quas debet alteri. Qui enim morbô consimili laborat, contra alium non est audiendus,& frustra legis auxilium invocat, qui contra legem delinquit. *c. 17. & 14. h. t.*

35 Si Usurarius notorius à Sententia contra se in causa Usurarum lata,appellet, est ne audiendus?

℞ Non, nisi priùs restituerit usuras. quia in delictis notorijs, non habet locum appellatio, sed executio. *c. 11. h. t.*

36 Potestne quis facere Usuras ad redimendos captivos?

℞ Non potest: quia prætextu pietatis, impietas non est committenda. *c. 4. h. t.*

37 Usurarij ad quod forum spectant?

℞ Ad Forum Spirituale. *c. 1. & Constit. Provinc. Gnesnen. Lib. 2. de For. compet. Statut. Herburt. v. Spirituales. §. Item pro Decimis. & Bulla Gregorij XV.*

38 Judex Ecclesiasticus potestne procedere contra Usurarios, etiamsi non sit accusator & is, qui petat Usuras?

℞ Potest & debet ex conscientia inquirere Usurarios.Quia ad Judicem Ecclesiasticum pertinet tollere peccata publica. *c.3.& 15. h.t.*

39 Quis potest dispensare cum Clerico Usurario?

℞ Si resipiscat, faciat pænitentiam, ac restituat usuras, Episcopus ad exercendos Ordines susceptos & suscipiendos; quia illi non est de jure prohibitum.

40 Si quis mutuat 100 aureos, tempore, quo quilibet valet flor. Polonicales 18.&postea Rex cum Repub. auget valorem aurei ad fl. 20. quid tenetur solvere mutuator?

℞ Solùm 100 aureos ad æstimationem fl.18.quia in pecunia pretium non extinguitur, nec separatur à pecunia, sicut separatur à frumento. *Tolet. Lib. 5 Cap. 34. n. 2.*

41 Si quis mutuet 100 aureos ea conditione, ut statuto tempore reddantur, sub pæna 10 aureorum, hæc pæna potestne licitè exigi?

℞ Potest: quia quod recipitur ultra sortem;est ratione pænæ,& non mutui. *Tolet.ibid.Cap.32.n.1.*

42 Quæ conditiones requiruntur, ut pæna licitè percipi possit?

℞ Istæ tres: *1mò*,quòd non mutuetur intentione habendi aliquid ultra sortem principalem. *2da*, ut qui pænam imponit mutuando, nesciat probabiliter mutuarium non valiturum solvere tempore statuto. *3tia*, ut sciat mutuarium posse solvere mutuum, & nolle: quia si non habet, unde solvat, pæna non est exigenda. *Tolet. ibid. Cap. 32. n. 1.*



43 Si quis partem debiti tempore statuto solvat, licebitne ab illo totam pænam exigere?

℞ Non, sed solùm pro rata,nisi obligatione cautum fuerit,quòd tale mutuum debet simul solvi. *Tolet. ibid. n. 4.*

44 Si quis mutuet pecuniam, & accipiat pignus eô pactô: ut si statuto tempore pecunia non restituatur, pignus sit Creditoris, estne talis Contractus usurarius?

℞ Non, si pignus æquivalet pecuniæ mutuatæ, si verò excedat, erit contractus usurarius. *Tolet. ibid. n. 5.*

45 Confessarius quid debet facere cum Usurario?

℞ Si sit notorius, illum non debet absolvere, neq; dare Communionem, nec sepelire in locô sacro,nisi priùs restituat,vel det cautionē de restituendo; & si sit pauper, saltim juret se restituturum, cùm primùm possit. *c.2.h.t.in 6.* Si verò non sit notorius, debet eum absolvere cum proposito restituendi. *Const. Provinc. Gnesnen. loc. inf. cit.*

46 Quis dicitur notorius, & qui occultus Usurarius?

℞ Notorius, qui convictus est in judicio per idoneos testes, vel per suam confessionem, vel qui publicè dat,vel recipit usuras. Occultus verò, qui hoc crimen occultè committit, & non habet ullam ex tribus immediatè positis conditionem. *Tolet. ibid. Cap. 36 n. 4*

47 Si Usurarius sit in articulo mortis, quid faciendum Confessario?

℞ Accepta declaratione & promissione de solvendis Usuris, manifestet eam Episcopo, ut si vivat, eundem, si verò moriatur,hæredes ejusdem, ad solutionem compellat. *Silvest. v. restitutio 6.*

48 Si Usurarius sit in articulo mortis, & non loquatur, quid agendum?

℞ Si dederit signa Contritionis, debet absolvi & Sacramentis muniri;quia major est Dei misericordia, peccatô usuræ. *Sylvest. loc. cit. Const. Provinc. Gnesnen. Lib.4. h.t.*

49 Quot sunt in genere pænæ Usurariorum?

℞ Tredecem, I. sunt infames, infamiâ juris, tam de jure Civili, quàm Canonico. *l. 20. C. Ex quib. Caus. infam. irrog. & can. 2. in fin. 3. q. 7.* II. ad Communionem altaris III. ad Ecclesiasticam sepulturam IV. ad oblationes offerendas, non admittuntur. *c.3.h.t.* V. ad confessionem suorum peccatorum VI. ad testamenti factionem, non recipiuntur, priusquam usuras restituerint,vel de restituendis idoneè,idest pignoribus,vel fidejussoribus datis,caverint. *c. 2 § penult.h.t in 6.* VII testamenta eorum ante facta evertuntur & annullantur. *Covarr. Cap. 3 n.9.* VIII. nullus debet fovere eos in terris suis, nec eis domos locare. *c. 1. h. t. in 6.* IX. si Usurarius det alteri Usuras, eas non potest repetere, nisi priùs restituerit has, quas ipse ab alijs accepit. *c.1 & 17. h.t.* X. si usurarius propter usuras deberet cedere bonis, in illis non reservatur ipsi congrua sustentatio,

quemadmodum alijs. *DD. in c. 3. de solut.* XI. Clerici & alij Religiosi scienter Usurarium in loco sacro sepelientes, ipsô factô sunt excomunicati. *Const. Provinc. Gneln loc. cit.* XII. Capitanei, Judices, & alij Officiales de non solvendis Usuris statuta condentes, sunt de jure excommunicati. *Clemen. un. §. 1. h. t.* XIII. Asserentes pertinaciter usuras non esse peccatum, sunt Hæretici. *d. Clement. un. §. fin h. t. & Const. Provinc. Gnesn. loc. cit.*

50 Soline Usurarij, an etiam eorum hæredes tenentur ad restitutionem usurarum & cui?

℞ Etiam hæredes, hæredibus, si morte extincti sunt, quibus debebantur restitui usuræ ab illis extortæ. *d. Const. Prov. Gnesn. loc. cit.*

51 Si Usurarius alienet bona, quæ per usuras acquisivit; & alia non habeat, talia bona eruntne obnoxia restitutioni?

℞ Si talia bona ex usura acquisita, gratis per usurarium in dotem filiæ, vel cuipiam alteri data sunt, erunt obnoxia restitutioni; secus si per usurarium alicui vendita. *Sot. Lib. 6. de Iust. & jure. q. 1. a. 4.*

52 Principes vel Judices in causa usuraria bona usurarij sibi applicantes, non audientes eos, qui petunt juridicè usuras restitui, ad quid obligantur?

℞ Ad restitutionem. *Tolet. Lib. 5. Cap. 36. n. 1.*

53 Notarius sciens Contractum usurarium & mentiens verum, ut si sciat dari accipienti 100. & scribat 120. ad quid obligatur?

℞ Ad restitutionem illorum 20. *Tolet ubi. supr.*

54 Si Notarius conficiat contractum usurarium & scribat verum, ad quid obligabitur?

℞ Non ad restitutionem, cùm nihil celaverit, sed peccabit mortaliter faciendo actum illicitum. *Tolet. ibid. n. 2.*

55 Proxenetæ & alij factores illicitorum seu usurariorum Contractuum, ad quid obligantur?

℞ Ad restitutionem; cùm dent operam rei illicitæ. *Tolet. ibid.*

56 Si quis committeret pecunias suas usurario non habenti alias pecunias, quibus usuras exercere possit, peccaretne?

℞ Si hac intentione committeret, ut copiosiùs exerceret usuram, esset particeps culpæ: daret enim illi materiam peccandi. Si verò daret usurario habenti alias pecunias, quibus usuras exercere possit, non peccaret; quia suam pecuniam solùm daret, ut tutiùs servaretur. *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 4. in corpore.*

57 Domini temporales non audientes repetere volentem in judicio usuras, peccantne?

℞ Peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem; quia tollunt jus certæ personæ. *d. Clemen. un. h. t. & Sot. loc. cit. a. 1.*

58 Venditio rei cum pacto retrovendendi eidem, estne usuraria?

℞ Est usura palliata: quia retrovenditio talis, fit semper infra justum pretium. *Tolet. loc. cit. Cap. 31. n. 3. Molin. disp. 355. n. 2. Joan. Medin. q. 78.*

59 Quid est usura Palliata?

℞ Est mutuum quoddam cum pacto implicito recipiendi aliquid ultra sortem. *ut dict. Supr. h. t. n. 9. de Usura tacita.*

60 Mutuator, si mutuanti ex mera liberalitate det aliquid, eritne Usura?

℞ Non erit: *c. 10. h. t. Navar. de Rest. Lib. 3. Cap. 2. n. 200.*

61 Si debitor præstiterit juramentum de non petendis usuris à Creditore, poteztne tamen Judex ex Officio suo Creditorem ad restitutionem Usurarum compellere?

℞ Potest, ne de dolo & circumventione sua commodum Creditor reportet. *c. 13. & ibi gloss. h. t.*

62 Judæi possuntne compelli ad restituendas Usuras à Christianis extortas?

℞ Possunt, etiam per interdictum cum eis Christianorum commercium. *c. 18. h. t.*

63 Pactum usurarium vitiatne totum contractum?

℞ Si sit separatum à contractu, solùm pactum vitiat, si verò pactum sit conjunctum contractui, vitiat totum contractum. *Tolet. ubi supr. Cap. 30. n. 5.*

# CAPUT XII.

## De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

1 Quid est alienatio?

℞ Est omnis actus, per quem dominium utile & directum alicujus rei in aliquam personam transfertur. *Gloss. in c. 5. v. Alienationis & ibi DD. h. t.*

2 Quotuplex est alienatio?

℞ 2plex: *Temporalis.* per quam transacto aliquo tempore limitato revertitur dominum utile ad personam eandem, quæ rem alienavit. *Abb. in c. 2. de His, quæ fiunt à Prælat. sine consen. Capit.* Et *Perpetua,* per quam dominium in aliquem & ejus successores translatum nunquam ad proprium dominum revertitur. *Abb. loc. cit.*

3 Quid hic nomine alienationis intelligitur?

℞ Omnis actus, per quem rei dominum in alterum transfertur, ut donatio, venditio, permutatio, emphyteusis, infeudatio, usufructus, hypotheca, locatio ad longũ temp9 *d. c. 5. h. t. & l. Sancimus. C. h. t.* hæredis institutio, legatum, fideicommissum. *c. 1. de Transact.* locatio ad triennium, dum scil. res quotannis fructum ferat, secus si alternis tantùm annis. *Covar. Lib. 2. Variar. resol. Cap. 16. n. 6.*

4 Jura Ecclesiastica possuntne alienari?

℞ Nec jura, nec actiones, neq; nomina debitorum possunt alienari. *Abb. in d. c. 5. n. 9. h. t.*

5 Quibus Clericis prohibetur alienatio?

℞ Omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, Abbatissis &c. qui tempore suæ institutionis juramento se obstringunt de bonis Ecclesiæ non alienandis, imò alienatis pro posse recuperandis. *Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 3. h. t.*

6 Quam diligentiam Episcopus habere debet circa bona Ecclesiæ?

℞ Quàm maximam: tenetur enim inventarium omnium bonorum Ecclesiæ suæ & aliarum suæ Diæcesis Ecclesiarum ac beneficiorum conficere, ac in Archivo ad Ecclesiam Cathedralem constructo reponere. *Piasec. Prax. Episc. p. 2. Cap. 5. a. fin. n. 2. & 3. ubi alios citat & Bullas hac in parte binas*

afferts

*affert Sixti V.* Solicitudo Pastoralis 1588.&1587. 8. *Junii.* Provida

7 Permitti turne tamen aliquarum Ecclesiæ rerum alienatio ?

℟ Permittitur, *Imò* earum, quæ servando, servari non possunt, ut sunt arborum fructus, vina, oleum, frumentum &c. *l. 22. & l. Tutores. C. de Præd. minor. 2do.* earum, quæ antea infeudari, vel in emphyteusim dari consueverunt. *Piasec. loc. cit. n. 23. 3tio* earum quæ sunt modici & exigui valoris, sive sint mobiles, sive immobiles, modò id postulet Ecclesiæ utilitas vel necessitas; quæ autem sint res modici valoris ; boni viri arbitrio relinquitur. *can. 53. 12 q. 2.* hoc ipsum ita declarasse S. Congr. Concil. testatur. *Quarant. v. Alienatio 14. 4to.* earum rerum ; quas nondum cæpit possidere Ecclesia : sic enim legatum, vel hæreditas Ecclesiæ relicta testamento ; maximè si timeantur odia, vel scandala, remitti potest. *Piasec. ubi supr. cum: DD. à se citatis n. 36. 5to* earum rerum, quæ sunt relicta incapaci Ecclesiæ. ut si Mendicantibus relinquerentur bona immobilia. *Piasec. ubi supr. n. 37. DD. citans. 6to,* Prælatus usumfructum bonorum mensæ suæ stante vita licitè alteri concedit : quia tunc nullum Ecclesiæ fit præjudicium ; nisi ipsimet Prælato. *Piasec. ibid. n. 40. ubi alios citat.* Aliarum verò rerum, quæ servando servari possunt, & quæ triennio non corrumpuntur ; vel notabiliter non deteriorantur alienatio non permittitur, nisi ex justa causa , & servatâ à jure præscriptâ formâ. *can. 52. 12 q. 2. & Extravag. Comm. Un. h. t.*

8 Quæ sunt justæ causæ alienandi ?

℟ Istæ quatuor : *1ma.* Necessitas, cui aliter succurri nequit : ut si Ecclesia ære alieno gravata sit, nec res habeat mobiles , unde solvat. *c. 1. de Pignorib. & Clement. 1. h. t. 2da.* utilitas manifesta: ut si res aliqua alienatur ad aliam meliorem emendam. *d. Clement. 1. & c. 8. in fin. h. t. 3tia,* pietas; uti ad redimendos captivos, pauperes tempore famis alendos &c. *can. 70. & 71. 12. q. 2. 4ta.* incommoditas , ut si res Ecclesiæ sit sumptuosa & parum utilis, sed hæc ad secundam revocatur.

9 Requiruntur ne præter justas causas, aliquæ solennitates ad alienationem ?

℟ Requiruntur istæ Solennitates seu Formæ: *1mò* ut si alienanda sit res Ecclesiæ Cathedralis, accedat ad hoc consensus Episcopi & Capituli. *d. can. 52. 12 q. 2. 2dò.* ut si alienanda sit res minoris Ecclesiæ, accedat consensus Episcopi. *can. 51. 12. q. 2.* vel Sedis Apostolicæ, si ita expedit & res alienanda exposcit. *ut patet ex Bulla Pauli. II.* Ambitiosæ. *quam refert Piasec. loc. cit. n. 4.* qui consensus debet præcedere alienationem, aliàs ipso jure nulla foret, & pænæ in d. Bulla vallatæ in alienantes extenderentur. *Abb. in c. 5. n. 7. h. t. 3tiò* si sit Patronata Ecclesia, requiritur Patroni consensus. *c. un. Ut Ecl. benef. sine diminut.* quem si absq; causa denegaret & Ecclesiæ utilitas posceret alienationem, valeret sine illo alienatio. *Abb. in c. 20. n. 3. de Jure. patr. & in c. 8. n. 5. de Constit.*

10 Si prædictæ solennitates in alienatione facta non appareant, præsumuntur ne ex diuturnitate temporis factæ ?

℟ Affir: non obstante *Const. Pauli IV. 1555. Idib: Jul. incip. Jniunctum.* qua alienationes bonorum Ecclesiæ sine prærequisitis Solennitatibus factæ, annulantur, nec temporis præscriptione solidantur ; quia hanc Const. sua Const. *Pius IV. 1560. 3. Idus. 7bris incip. Provida.* revocavit & ad terminos juris Communis reduxit. *Piasec. loc. cit. n. 19. & seqq. plurimos. DD. cit.*

11 Si ex instrumento alienationis, post tempus ad præscriptionem de jure prærequisitum, appareret injustus titulus, causans malam fidem ; induceretur ne præscriptio ?

℟ Non : quia malæ fidei possessor, nullo tempore præscribit. *c. 2. de Reg. Jur. in 6. c. fin. de Præscript. Navar. Cons. 3. & 5. de Censib.*

12 Ad alienationem semper ne requiruntur dictæ Solennitates ?

℟ Semper, aliàs alienatio ipso jure nulla, etiam si fiat ex justa causa. *c. fin. h. t.* Quia sicut quod fit contra leges, jure Civili pro infecto habetur. *l. 5. C. de Legib.* ita quod fit contra canones, est ipso jure nullum. Canones enim ad alienationem requirunt conjunctim justam causam & solennitatem. *c. 8 h. t. & d. can. 51. 12. q. 2.*

13 Alienatio, ex justa causa & solenniter, sed cum læsione enormi Ecclesiæ facta, valet ne ?

℟ Non valet, & alienatio debet rescindi ac Ecclesia in integrum restitui, exemplô minorum, quibus Ecclesia comparatur. *c. 11. h. t.* si enim in emptione & venditione cum solennitatibus juris facta laicis injuriatis permittitur reclamatio, multò magis permitti debet Ecclesiæ in alienatione rei perpetuæ; cùm Ecclesia majus habeat præjudicium, cùm sit magis privilegiata. *Abb. in c. 8. de His, quæ fiunt à Prælat.*

14 Læsio enormis, in qua quantitate debet esse ?

℟ In medietate justi pretij, & debet evidenter, non verò per conjecturas probari. *tenent omnes DD.*

15 Ista læsio enormis, quo tempore debet computari ?

℟ Eo, quo res fuit alienata: quia si res crevit beneficiô aut industriâ possidentis, vel anni fæcunditate, vel aliquo casu; tunc non dicitur læsio, sed augmentum rei, quod cedit in favorem possidentis.

16 Si Episcopus alienet res temporales Ecclesiæ Cathedralis, ut fructus, vestes, triticum, quis consensus Capituli requiritur ?

℟ Sufficit tacitus: quia alienatio, quæ de jure non tenet, ratihabitione confirmatur. *can. fin. 16. q. 1. & c. 3. de His, quæ fiunt à Præl. sine cons. Cap.*

17 Si aliqua alienatio rei magnæ fiat ab Episcopo sine consensu Capituli, sed cum cæteris requisitis & postea Capitulo consentiente, valebit ne,

℟ Si Capitulum consentiat in scriptis facto tractatu de Solennitatibus, valebit: quia id cautè suppletur, quod per negligentiam fuit omissum. *Abb. in. d. c. 3. de His, quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.*

18 Jn Ecclesijs Parochialibus ad alienationem per-

petuam rei Ecclesiasticæ, requiriturne consensus Canonicorum vel Clericorum illius Ecclesiæ ?

℞ Clericorum tantùm illius Parochiæ, qui succedunt in his in locum Canonicorum,nec ab illis dependent, observatis tamen supra expressis solennitatibûs. *Abb. in c. 9. de His,q. f.à Præl. sine consen. Capit.*

19 Consvetudo alienandi rem Ecclesiæ sine Solennitatibus à jure requisitis, valebitne ?

℞ Non: quia talis Consvetudo est desuetudo & coruptela. *Abb. in c. 1. n. 3. de His, q. f. à Præl. sin. cons. Capitul.*

20 Jn alienatione, quæ fieri debet de necessitate juris, requiriturne necessariò consensus Capituli?

℞ Non requiritur, ut si nimirum Ecclesia per sententiam perdat aliquod prædium, vel rem. Quia consensus solùm requiritur in alienatione voluntaria, ubi agitur de majori bono Ecclesiæ. *Abb. in d. c. 9. n. 5. de His q. f. à. Præl. sine. consen.*

21 Episcopus hodie poteritne alienare rem magnam vel parvam cum consensu Capituli & servatis Solennitatibûs, non consulto Sum, Pontifice ?

℞ Inconsulto Sum. Pontifice non potest alienare idq; ratione juramenti, quo se obstringit in sua promotione ad Episcopatum, cujus rotam refert. *Piasec. loc. supr. cit. n. 5.*

22 Laicus acquiritne titulum rei Ecclesiasticæ, si eam possederit tanto tompore, ut memoria hominum non sit in contrarium ?

℞ Negat: quia laicus est in capax rei Ecclesiasticæ;& sic possessio nihil ipsi prodest. *c. 51. & 61. de Elect. & can. 1. dist. 96.*

23 Quando in alienatione intervenit consensus Papæ, requiriturne aliâ solennitas facienda ab Episcopo ?

℞ Negativè. *Dec. Cons.* 371.

24 Episcopus potestne solus, sine consensu Capituli unire unam Ecclesiam alteri, vel alicui Monasterio ?

℞ Negat: quia unio hujusmodi & genus alienationis, est res gravissima; ideo necessariò requiritur consensus Capituli. *Abb. in d. c. 8. n. 3. & 4. de His, quæ fiunt à Præl. sine cons. Capit.*

25 Si laicus ab antiquo decimas in feudum sibi datas ab alia Ecclesia habeat, volens illas alteri Ecclesiæ donare, quibûs solennitatibûs potest ?

℞ Solius Ordinarij consensu, in cujus Diæcesi dictæ decimæ consistunt. *c. 7. & ibi Abb. n. 5. de His. q. f. à Præl. sin. cons. Capit.*

26 Clerici possuntne alienare bona Ecclesiæ titulô transferendi dominium directum vel utile propria authoritate ?

℞ Non possunt, sine licentia Episcopi, in casibus supra. n. 7. expressis in quibus illam potest dare, neq; illa possunt dare, vendere,locare ad longius tempus, pignorare. *Abb. in. d. c. 5. h. t. & Conc. Trid. sess. 21. Cap. 11. de Ref.*

27 Quis potest repetere res alienatas sine authoritate Superioris ?

℞ Episcopus, fiscus, Clerici Ecclesiæ ejusdem & Parochiani: quia illorum interest, ne Ecclesia fiat pauper. *Abb. in c. 6. n. 12. h. t.*

28 Quanti valoris debet esse res Ecclesiæ, ut possi alienari sine licentia Papæ,habitâ solius Episcop licentiâ ?

℞ Non est decisum à DD. qui totum arbitrio Judicis relinquunt, ut attenta consvetudine terræ, circumstantia temporum,locorum &Ecclesiæ reditibûs inspectis, decidat. *Barb. in can. 53. 12. q. 2. ubi alios cit.*

29 Quid debet observare Episcopus intendens facultatem dare alienandi rem Ecclesiæ.

℞ Ex testibus idoneis per se, vel per Commissarios à se deputatos, de valore, utilitate & necessitate alienationis, examinatis, in hancce alienationem decretô suô consentit. *DD. in c. 1. h. t.*

30 Vasa Sacra, vestes vetustate consumptæ & alia suppellex Ecclesiastica, possuntne vendi ?

℞ Possunt in necessitate, ratione materiæ. *can. 70. 11. q. 2*

31 Jn quibus casibus, non potest Episcopus infeudare, vel concedere in feudum res concedi solitas ?

℞ In pluribus: quando nim. cessavit prima causa concessionis. quando Ecclesia antea erat dives, nunc pauper. quando res est incorporata mensæ Ecclesiæ. quando talis censvetudo infeudandi inducta est per vim, vel fraudem. quando res data est Ecclesiæ cum pacto, ut non alienetur. quando cessavit utilitas Ecclesiæ. *Abb. in c. 8. h. t.*

32 Si Episcopus infeudaverit rem Ecclesiæ solitam infeudari, poteritne mutare formam feudi, pro viris nim: fæminæ infeudare, vel minuere conditiones feudi ?

℞ Nec mutare formam feudi, nec minuere conditiones potest, quæ sunt in utilitatem Ecclesiæ, seu potiùs augere, vel minuere, si sunt contra Ecclesiam. quia facultas infeudandi data est Episcopo in utilitatem Ecclesiæ, non in damnum. *Abb. in d. c. 8. h. t. & Archid. Cap. 1. q. 8. fol. 132.*

33 Ecclesiasticarum rerum locationes à quo tempore sunt prohibitæ ?

℞ A Triginta annis, ante publicationem Concilij Triden. *Sess. 25. Cap. 11. de Reform.*

34 Licetne locare jurisdictiones Ecclesiasticas & facultatem dare nominandi Vicarium in Spiritualibus?

℞ Non licet, etiam minimas: & si hæc facultas à Sede Apostolica obtenta fuerit, subreptitia censebitur. *d. sess. 25. Cap. eod. de Ref.*

35 Capitulum sede vacante poteritne aliquid alienare ?

℞ Non, & alienatio erit nulla, alienantesq; incurrerent excommunicationem. *Conc. Trid. sess. 21. Cap. 5. de Ref.*

36 Ad quod usq; tempus valet locatio domorum & prædiorum Ecclesiasticorum ?

℞ Ultra triennium non extenditur. *Conc. Trid. sess. 25. Cap. 11. de Ref.*

37 Istæ locationes ad triennium possuntne fieri sine solennitate & licentia ?

℞ Possunt; sed durant solùm ad vitam locantis, ne damnum fiat successori. *d. sess. 25 Cap. eod.*

38 In quibus casibus res Ecclesiæ vendi possunt, consumari, impignorari ?

℞ Pro

℞ Pro redimendis, ut supra dictum captivis, ædificandis Ecclesijs, sustentandis tempore famis pauperibus: tunc enim Ecclesia, quantum ejus facultates & commoda ferunt, subvenire tenetur. *Abb. in c. 1. n. 2. de Pignorib.*

39 Vasa argentea Ecclesiæ & candelabra, quando possunt vendi & eorum pretium consumari?

℞ Tempore pestis & belli, deficiente peculiô Episcopi & Clericorum: quia extrema necessitas, uti non habet legem, ita dat licentiam vendendi & consumendi etiam inconsultô Papâ. Sufficit enim, si postea certior fiat ab Episcopo. *ut dicetur Lib. 4. Cap. 46. de Parochis.*

40 Decimæ possuntne dari in feudum Laicis?

℞ Possunt, sed requiritur ad hoc expressa Sum. Pontificis Bulla: quia est vera alienatio. *Abb. in c. 7. n. 3. & 11. de His, quæ fiunt à Prælat. sine cons. Capit.*

41 Feudatarius Ecclesiæ poteritne alienare, seu vendere feudum irrequisita Ecclesia?

℞ Neg: ne Ecclesia defraudetur jure laudemij, sed bene poterit irrequisitâ Ecclesiâ feudum donare gratis, vel hæredibus relinquere, vel dotare filiam cum feudo. *Abb. in d. c. 7. n. 10.*

42 Quam pænam incurrit Clericus alienans bona Ecclesiæ sine solennitate & licentia superioris?

℞ Jncidit in excommunicationem ipsô factô, & privatur beneficiô sine alia declaratione, nec illi ultra conferri potest. si sit Episcopus vel Abbas, privantur Ecclesiæ ingressu ad 6. Menses, quibus elapsis, si induratô animô in pertinacia perseveraverint, nec alienata restitui curaverint, à regimine & administratione suspenduntur. *Abb. in can. 18. 12. q. 2. & Extravag. Comm. unic. h. t.*

43 Si Clericus alienet res Ecclesiæ non aliter, nisi cum clausula (salvo consensu Papæ) & ante consensum tradat possessionem rei alienatæ, quam pænam incurrit?

℞ Excommunicationis Papæ reservatæ & positæ in *d. Extravag. Comm. un. h. t.* Jta declaravit Clemens VIII. 1599. 17. Decemb.

44 Quibus in casibus alienans non incurrit prædictas pænas?

℞ 1mò. si habeat licentiam Superioris. 2dò. si res sit solita dari in emphyteusim & per 40. annos saltim duæ concessiones reperiantur. 3tiò. si res locatur ad triennium tantùm. *Quaran. in Summ. Bull. v. Alienatio. & Bulla Urbani VIII.*

45 Jn quibus casibus alienans rem Ecclesiæ sine licentia Superioris, non incurrit excommunicationem?

℞ 1mò. si bona fide alienaverit, existimans se alienare posse: quia dicta *Extravag. Comm. unic. h. t.* punit alienantes doli capaces, non probabiliter ignorantes. *d. Extravag. Navar. Cons. 10. de Sepult. & gloss. in c. 11. de Cler. excom. min.* 2dò. ubi recepta non est hujusmodi Extravagans: quia lex non recepta, pro derogata habetur & non ligat. *Quarant. loc. cit. n. 48.*

46 Quando non excusat ignorantia ab excommunicatione?

℞ Jn facto aliàs damnato, quod ultra pænam secum portat excommunicationem, ut est Sacrilegium, furtum in Ecclesia, percussio Clerici &c. nô verò in facto aliàs licito, vel indifferenti, ut emptione, venditione, &c. quia tunc ignorantia excusat ab excommunicatione; ad eam enim incurrendam requiritur contemptus vel pertinacia, quæ in ignorantes non cadunt. *Covar. in c. 24. §. 4. n. 8. de Sent. excomm. in 6.*

47 Si Dominus beneficij cædat aliquas arbores fructiferas & eas in suum commodum convertat, incurritne excommunicationem?

℞ Licèt hoc faciat cum injuria, non incurrit tamen excommunicationem, posset tamen puniri. *Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 11. de Ref.*

48 Si Commissarij ad cognoscendam alienationem deputati favore vel timore ducti, contra utilitatem Ecclesiæ alienent, quam pænam incurrunt?

℞ Hanc, de qua dixi supra *n. 42.*

49 Emptor rei Ecclesiæ alienatæ qualiter punitur?

℞ Si emptor est bonæ fidei ignoretq; rem fuisse Ecclesiæ, tenetur restituere eam, sed à venditore pretium, pro ea datum, petere potest. *DD. in c. 9. h. t.* Si verò sit malæ fidei, & rem amittit, & pretium pro illa datum. *l. 23. C. de Rei vendic. & l. 74. ff. de Reg. Jur.*

50 Pretium pro re alienata Ecclesiastica à malæ fidei emptore acceptum, cui cedere debet?


℞ Ecclesiæ, cujus res alienata fuit. *DD. in d. c. 9. h. t.*





# LIBER QVARTVS
## DE ELECTIONE, EXAMINE, CONSECRATIONE, OFFICIO, & POTESTATE EPISCOPI.

### CAPUT I.
### De Sede vacante Episcopi & Electione Vicarij.

1. Uid agendum est cùm Ecclesia vacat?

℞ Cùm primùm Ecclesia vacaverit, supplicationes, preces, publicè & privatim, ac processiones per Diæcesim habeantur, quibus Clerus populusq; bonum à DEO Pastorem valeat impetrare. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 1. *de Ref.*

2 Capitulum Sede vacante Episcopali, quid agere debet?

℞ Acceptâ certâ notitiâ de morte, vel translatione Episcopi sui; Prelati & Canonici Ecclesię Cathedralis, tunc ad Cathedram actu residentes, Capitulariter congregati, per Secretarium suum Actis Capitularibus, die obitûs Episcopi annotata, omnes Ecclesias & Monasteria in & circa Civitatem sita, per Clericos Seminarij certiorari faciunt, ut audito pulsu campanarum Eccl. Cathedralis, omnes & singulę per Ecclesias Campanę pulsentur, Clerusq; tam Sęcularis, quàm Regularis, pro die per Capitulum determinata, pro Exequijs absolvendis conveniat, decernunt, pro dictis Exequijs absolvendis ex massa sua certam pecunię quotam, ab Executoribus Episcopi repetendam, assignant, & literas Cridę ad eligendum Administratorem Sedis Episcopalis vacantis, tum distribuenda Bona, seu Claves Mensę Episcopalis extradi & valvis Ecclesię affigi, demandant. *Constit. Provinc. Gnesnen. Lib.* 3. *§.Quoniam. de sepult. conformiter Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 16. *de Ref.*

3 Termino ex Literis Cridę adveniente, quid agit Capitulum?

℞ Prelati & Canonici ad locum Capitularem congregati, invocato Spiritu Sancto, & prestitô ad S. Evangelia in manibus Presidentis, ille verò in manibus sequentis Prelati, vel Canonici, juramentô jux. Rotham *in d. Const. Provinc. Gnesnen. Lib.* 1. *h. t.* prescriptam, ad Electionem Administratoris descendunt, quô electô, & ab eodem juramentô, super debita, fideli & justa Officij sibi commissi executione, receptô, Bona seu Claves Mensę Episcopalis, juxta Statuta Capitularia inter Prelatos & Canonicos distribuuntur. *Const. Provinc. Gnesnen. d. Lib.* 1. *h. t.*

4 Intra quot dies tenetur Capitulum eligere Vicarium Generalem, & quas qualitates talis Vicarius habere debet?

℞ Intra Octo dies à morte, seu à prima notitia, si Episcopus fuit absens eligi debet, idq; in Theologia, vel Jure Canonico Doctor, vel saltim Licentiatus, vel aliàs in defectu, non graduatus idoneus. *Conc. Trid. loc. cit.*

5 Quam penam incurrit Capitulum, si intra octo dies non eligat Vicarium?

℞ Devolvitur electio ad Metropolitanum, qui si sit protunc mortuus, vel absens, ad antiquiorem Episcopum. *d. Conc. Trid. loc. cit. can.* 48. 12. *q.* 2. *& c. fin. de Suppl. negl. Prælat. in* 6.

6 Vicarius Sede Episcopali vacante à Capitulo electus, potestne ab eodem Capitulo revocari?

℞ Potest, etiam sine causa, ut & alij Officiales. Quia Capitulum Sede vacante succedit in omne jus Episcopi, & quemadmodum Episcopus, tam cum causa, quàm sine causa, suum Vicarium & omnes alios Officiales ad libitum potest revocare, ita etiam & Capitulum, modò alium intra octo dies eligat; quia aliàs devolveretur ad Metropolitanum, vel antiquiorem Episcopum electio. *Declar. S. Congreg.* 1594. 28. *Aprilis.*

7 Ubi consvetudo est, ut sede vacante duo eligantur Vicarij, possuntne eligi?

℞ Si talis consuetudo fuerit legitimè introducta, debet servari, sed illi duo, vel etiam tres electi, pro una jurisdictione reputabuntur. *Declarat. S. Congr.* 1592. 31. *April.*

8 In Ecclesijs ubi est consvetudo, ut singulis Mensibus eligatur Vicarius, debetne servari?

℞ Debet, modò sit legitima. Hæc enim pro lege semper suscipitur, cùm deficit lex. *can.* 5. *dist.* 1.

9 Si sit in Capitulo Doctor vel Licentiatus, hôc prætermissô, potestne eligi in Vicarium Canonicus non graduatus?

℞ Non potest, sed necessariò Doctor vel Licentiatus debet eligi, aliàs devolvitur electio ad Metropolitanum. Quia Concil. Trid. licèt dicat, *vel alias idoneus.* debet intelligi in defectu Doctoris, vel Licentiati. *Declar. S. Congr.* 1594. 14. *Febr.*

10 Potestne eligi aliquis in Vicarium Sede vacante, qui non est de gremio Capituli?

℞ Non potest: Vicarius tamen Episcopi mortui, licet non sit de gremio Capituli, potest eligi. Id enim. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 16. *de Ref.* forsitan ad tollendas controversias, quæ inter Canonicos tempore electionis oriri solent, permisit.

11 Quare

11 Quare Capitulum potest confirmare Vicarium, licèt non sit de gremio Capituli, Episcopi mortui, & non potest eligere in Vicarium aliquem Doctorem extra Capitulum ?

℞ Hoc fit, tum propter honorem mortui Episcopi, tum quòd talis Vicarius jam est approbatus, habetq; necessaria requisita & cognitionem illius Diæcesis, ac habetur, sicut unus de Canonicis. tum quòd jurisdictio Capituli eadem sit cum jurisdictione Episcopi mortui, eademq; persona reputatur; ac ideo jam non electio, sed confirmatio talis Vicarij vocatur; quia ille, qui habebat jurisdictionem stante vita Episcopi, confirmatur in illa solùm à Succedentibus. *Ita tenent DD. super d. Cap. 16. Sess. 24.*

12 Ad Confirmationem Vicarij, mortui Episcopi, quæ pars Canonicorum requiritur ?

℞ Major pars Capituli sufficit. quia maior pars Capituli in omnibus rebus repræsentat Episcopum mortuum in jurisdictione. *Iidem DD. super d. Cap. 16.*

13 Vicarius mortui Episcopi, poteritne ad electionem Vicarij Sede vacante, Capitulum ingredi, sicut unus ex Canonicis ?

℞ Non: quia nullam habet actionem in electione Vicarii, & sic cum nullo Canonico potest concurrere, solumq; Capitulum habet facultatem, si voluerit, eum confirmandi in Officio propter rationes. *n. 11. allatas.*

14 Si sint in Capitulo Doctores, vel Licentiati apti ad gubernium Sedis vacantis, est ne illorum aliqvis eligendus in Vicarium & Vicario mortui Episcopi præferendus ?

℞ Affir. *1mò.* propter authoritatem ipsius Capituli. *2dò.* quia Conc Trid loc. cit. primò ponit electionem, postea confirmationem Vicarij mortui Episcopi. *3tiò.* quia jurisdictio radicata est in Capitulo, sicut erat in Episcopo mortuo, & sicut Episcopus præferendus Vicario suo, ita idoneus de Capitulo præferendus est Vicario Episcopi mortui. *DD. iidem super d. Cap. 16. Sess. 24.*

15 Episcopus reliquit Vicarium non graduatum, poteritne Capitulum eundem confirmare ?

℞ Non, sed necessariò tunc debet eligere Doctorem, vel Licentiatum, vel in defectu horum, aliquem de Capitulo Canonicum idoneum. Quia si Concilium requisivit scientiam in Canonicis, qvi succedunt Episcopo, multò magis requisivit eandem in Vicario Episcopi mortui, cùm semper debeat supplere vices Episcopi, qui & doctus & graduatus debet esse. *Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 2. de Ref.*

16 Quare Episcopus pro suo arbitrio potest. Vicarium habere non graduatum, & Capitulum Sede vacante debet eligere graduatum, si fieri potest, & si non, saltim alium Canonicum idoneum?

℞ Quia Episcopus est semper graduatus, & potest supplere vices sui Vicarij; Canonicus verò, qui eligitur in Vicarium, supplet vices Episcopi & constituitur locò Episcopi, ac ideo Trid desiderat in eo has qualitates, quæ desiderantur in Episcopo. *Ita censuerunt DD. in supr. cit. Sess. 24. Cap. 16.*

17 Vicarius Sede vac. debetne esse omnino in Sacris?

℞ Licèt *Conc. Trid. d. sess. 24. Cap. 16. de Ref* hanc qualitatem non ponat, tamen Bulla Clementis VIII. eam prætendit. Quia non esset decens, nec rationi consonum, ut, qui non est Ordinibus initiatus, Sacerdotes judicet. *Verba d. Bullæ Clementis VIII.*

18 Si Capitulum discordet in electione Vicarij Sede vacante, & eligat plures Vicarios, quis eorum erit ?

℞ Ille, qui habuerit qualitates prærequisitas à Conc. Trid. *d. sess. 24. Cap. 16. de Ref.*

19 Quam potestatem habet Vicarius Sede vacante?

℞ In Jurisdictionalibus omnem, quam habet Episcopus: unde ab irregularitate & suspensione ex delicto occulto provenientibus, & alijs casibus per *Conc. Trid. sess. 24. Cap. 6. de Ref.* Episcopis concessis, absolvere & dispensare potest. Omnis enim facultas Episcopalis, in Vicarium Sede vacante transfertur. *Conc. Trid. sess. 24. Cap. 16. de Ref. Abb. in c. 14. de Major. & obed. cum c. un. eod. tit. in 6.*

20 Si Vicarius Sede vacante sit suspectus, quis debet eligere Arbitros, ut de ejus suspicione judicent ?

℞ Capitulum. *resolvit S. Congr. 1588 ult. Martii.*

21 Vicarius procedens contra Canonicos, debetne adhibere adjunctos ?

℞ Si Ecclesia gaudeat privilegiò adjunctorum, debet eos adhibere, sicut Episcopus vivens faciebat. *Resolvit S. Congr. Conc. d. Anno & die immediatè.*

22 Vicarius Sede vacante, potestne sine Capitulo Ecclesijs Parochialibus Vicarios providere, concursum proponere, præsentatum à Patrono, instituere, excommunicationem ad finem revelationis ferre ?

℞ Potest: quia ad illum spectat obire ea omnia munera, quæ ex Concil. Triden. ad Episcopum pertinebant. *S. Congr. Conc. 1599. & Conc. Trid. sess. 24 Cap. 18 de Ref.*

23 Vicarius Sede vacante, intra quod spatium & quibus potest dare literas dimissorias ?

℞ Post elapsum annum Sedis vacantis; nisi sint arctati Clerici beneficiis Ordinem Presbyteratûs requirentibûs. *Conc. Trid. sess. 7. Cap. 10. e Ref.*

24 Clericus non ob has causas accipiens literas dimissoriales, quam pænam incurrit ?

℞ Si sit in Minoribus Ordinibus, non gaudet privilegiò, præsertim in Criminalibus, si sit in majoribus, est suspensus ipso jure ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Episcopi, *Conc. Trid. d. sess. 7. Cap. 10. de Ref.*

25 Capitulum vel Vicarius infra annum Sedis vacantis non arctatis concedentes literas dimissorias, quas pænas incurrunt ?

℞ Capitulum Ecclesiastico subjacet interdicto, Vicarius autem priuatur Officiò & beneficiò per annum. *d. Cap. 10. de Ref. & Sess. 23. Cap. 10. de Ref.* Verùm sine omni pæna ad primam Tonsuram dictas dimissorias concedunt, etiam infra annum. *Decl. d. Sess. 7. Cap. 10. §. 1. ad fin.*

26 Emolumenta ex jurisdictione, Sigillo, pænis, Sede vacante provenientia, ad quem spectant ?

℞ Ad Episcopum futurum, nisi ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ Capitulo fuerint concessa, Vicarius tamen rationabile salarium ex illis sibi deducit, & passim ex consvetudine omnia accipit. *Censuit. S. Congr. Conc. Trid. in Sess. 24. Cap. 16. de Ref. 1594. 12. Novemb. Abb. in c. 4. n. 3. de Off. Jud. Ordin.*

27 Si Capitulum habeat privilegium percipiendi dicta emolumenta, quomodo ea debet dividere?

℞ Æqualiter inter omnes Prælatos & Canonicos. *d. Congr. Conc.*

28 Visitatorem Diæcesis Sede vacante, potestne Capitulum absq; Vicario eligere?

℞ Non potest, nisi cum Vicario. *Decl. Conc. Trid. d. Sess. 24. Cap. 16. de Ref.*

29 Quis tenetur Episcopo de novo intranti reddere Scripturas, privilegia & rationes fructuum?

℞ Capitulum, Vicarius & Oeconomi, qui Sede vacante administrabant, quod ab illis exigere potest, atq; aliquem alicujus delicti reum compertum punire authoritate sibi tributa decretó *Conc. Trid d. Sess. 16. de Ref. Resolvit S. Congr. 1595. 8. Aprilis.*

30 Capitulum Sede vacante vel Vicarius, potestne dare licentiam extero Episcopo in Diæcesi Ordinandi vel confirmandi?

℞ Potest elapsó annó & non ante, aliàs servatâ formâ Decreti *Conc. Trid. d. Sess. 7. Cap. 10. de Ref.*

31 Talis Episcopus habitâ licentiâ, quos poterit ordinare?

℞ Præter Clericos Diæcesanos, etiam alios extradiæcesanos cum dimissorijs venientes. *Decl. d. Sess. 7. Cap. 10. v. Sede vacante.*

32 Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius, succeditne in debitum Episcopó jus conferendi Præbendas?

℞ Non: sed hoc jus devolvitur ad Sum. Pontificem. Quia Capitulum & ejus Vicarius succedit solùm in omne jus, in omni Jurisdictione debita Episcopo post ejus Confirmationem; non verò succedit in jus & prærogativas Episcopo debitas post ejus Consecrationem: ut in Ordinationibus faciendis, Consecrandis Altaribus, conferendis Præbendis, quód jus conferendarum Præbendarum per Regul. Cancel. devolvitur ad Sum. Pontificem. *c. 2. Ne Sede vacante aliq. innov.*

33 In beneficijs, quæ vacant Sede vacante, quam potestatem habet Capitulum vel Vicarius Capituli, & quid debent agere?

℞ Cum distinctione: si beneficia sint Simplicia, ut Canonicatus vel dignitates, certiorem facere debere Summ. Pontificem, ut ipse provideat. si verò beneficia habeant aliquod onus annexum, ut dare eleemosynas, dicere Missas, tunc debent committi alicui idoneo Sacerdoti cum assignatione congruæ portionis, donec fiat provisio Papæ: Si verò beneficia fuerint Curata, debent proponi edicta, aliàs Concursus, ac per Concursum eligi dignior Clericus & Papæ præsentari, cui de dicto Curato beneficio providebit. *Sed de his fusius infr. Lib. hoc Cap. 45. & Abb. in c. 2. Ne sede vac. aliq. innov.*

34 Si Capitulum cum Episcopo habeat simultaneam Collationem, mortuó Episcopó, quis confert Beneficium?

℞ Capitulum: quia quoties sunt duo Collatores æquales, unó mortuó, alter supplet vices ejus, *ut dicetur Cap. 53. de Collat. & habetur in c. un. Ne sed. vac. aliq. innov. in 6.*

35 Capitulum potestne Sede vacante recipere resignationes beneficiorum spectantium ad Collationem Episcopi?

℞ Non potest quia fieret injuria & damnum futuro Episcopo; tunc enim recurrendum est ad Summ. Pontificem. Quia Capitulum solùm succedit Episcopo in jurisdictionibus, in quibus si non esset, qui suppleret vices, Ecclesia detrimentum pateretur. *DD. in d. c. 2. Ne Sed. vac. ali.*

## CAPUT II.

### Ne Sede vacante aliqvid innovetur.

1 Quando dicitur vacare Sedes?

℞ Cùm Ecclesia Cathedralis suo Pastore scil. Episcopo, per mortem, vel translationem, aut privationem manet orbata, ac tunc omne regimen stante vacatione hujusmodi ad Capitulum devolvitur. *Abb. in c. 1. h. t.*

2 Quid hic intelligitur Capituli nomine?

℞ Ipsum Canonicorum Collegium, seu Canonici congregati: nam hi soli (non alij Clerici, quantumuis in eadem Ecclesia Cathedrali beneficiati) unà cum eo, qui illis præest, sive Decano, sive Præposito, pro diversa Ecclesiarum consvetudine Capitulum constituunt. *Joan. Andr. & DD. in c. 38. de Elect. in 6.*

3 Vicarius Episcopi, exspiratne mortuó Episcopó?

℞ Affir. Et alius à Capitulo eligitur, vel etiam mortui Episcopi Vicarius confirmatur, *ut immediato Capite dictum.*

4 Vacante Sede, Ecclesiæ Status potestne mutari?

℞ Neg: quia tunc nihil est innovandum: caret enim Ecclesia suo defensore, & sic non est qui agat, vel conveniatur. *c. 1. h. t.*

5 Ecclesia vacante, possuntne bona Episcopi, vel Ecclesiæ eius alienari, permutari, vel aliquid in eis immutari?

℞ Non, etiam minima, sub gravissimis pænis: Omnia enim debent esse in eodem statu, in qvo ab Episcopo fuerunt relicta. Quia quæ cum deliberatione facta sunt, non debent subitò immutari. *d. c. 1. h. t.*

6 Capitulum Sede vacante Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut Clerici cujuscunq; alterius etiam minimæ, Pastore proprio orbatæ, quas pænas incurrunt, si bona ejus usurpant, in proprios usus convertunt, alienant, vendunt, vel in hæc consentiunt?

℞ Ipso jure sunt ab executione Ordinum suspensi, ac beneficiis obtentis privantur, & ad obtinenda inhabiles efficiuntur, imò post restitutionem adhuc arbitrio ordinarij ad tempus in metum aliorum suspenduntur, si verò sunt Laici, etiam Reges & Principes, sive mortuó, sive vivente Prælató ista faciant, ipsó factó sunt excommunicati, à Papa, post præstitam integram restitutionem & satisfactionem, absolvendi &

autem

autem sit Patronus Ecclesiæ, ultra has pænas eo ipso jure Patronatus privatur. *Conc. Trid. Sess.* 22. *de Ref.*

7 Contractus per alium quàm per proprium Prælatum facti vacante Ecclesia, tenentne?

℞ Non tenent, imò ipso jure sunt nulli, & Successor in beneficio propria authoritate bona sic per Contractum alienata recuperat, aliàs in casu negligentiæ excommunicatur, unà cum retinente bona alienata. *DD. in c.* 1 *h. t.*

8 Oeconomi Ecclesiæ vel Episcopi, sede vacante cessatne officium?

℞ Cessat in præjudicialibus, non potest enim citari á quopiam: secus in Favorabilibus, ad hoc nimirum ut defendat Ecclesiam, ne contra illam procedatur; quia in his non solùm Oeconomus, sed quilibet de populo tenetur ad defensionem. Defensio enim Ecclesiæ ad omnes æqualiter pertinet. *c. fin. h. t.*

9 Sententia lata contra Ecclesiam sede vacante tenetne?

℞ Non, neq; ullus processus & actus judicialis Ecclesiæ in minimo præjudiciosus *d. c.* 1 *& fin. h. t.*

10 Præscriptio curritne contra Ecclesiam tempore Vacationis?

℞ Non currit, sed quiescit. quia ubi non est Prælatus, ibi non est negligentia, per consequens nec præscriptio. *c.* 2 *h. t.*

11 Archiepiscopus potestne mittere Visitatorem ad Ecclesiam vacantem sui Suffraganei?

℞ Non potest. neq; in ea habet aliquam jurisdictionem, nisi illam, quam habebat vivente Episcopo, aut si forte per negligentiam Capituli ad eum devolveretur aliqua jurisdictio, sicut devolvitur vivente Episcopo. *Abb. in d. c.* 1 *h. t.*

12 Capitulum quam habet potestatem vacante sede

℞ Omnem jurisdictionalem, quam habet Episcopus. Potest enim præter ea, de quibus dixi supra, beneficia devoluta conferre. *Abb. in d. c.* 20 *h. t.* Confirmare, vel infirmare Beneficiatos electos *c.* 14 *junct. gloss. v. Capitulo. de Major. & obedien.* dispensare cum eo, qui defectum natalium patitur ad minores Ordines & ad beneficium simplex, unire beneficia, vel unioni auth oritatem præstare modò juri Episcopali nihil de trahat. *Præsec. p.* 2 *cap.* 3 *a.* 2. *n.* 90 *ubi alios citat*, à mortuo Episcopo excommunicatum, absolvere. *Abb. in c.* 2 *h. t.* &c

## CAPUT III.
## De Postulatione Prælatorum.

1 Quibus modis acqviritur Magistratus Ecclesiasticus?

℞ Jstis 3bus: Postulatione, Electione & Translatione, de quibus infra. Addunt aliqvi Nominationem, sed hæc sub Electione comprehendi potest. Nam est designatio ad dignitatem unius, sive plurium personarum, ex quibus Superior, si plures sunt nominati, unum eligit & dignitati præponit. Et tale jus Principes aliqui in suis ditionibus sibi arrogant.

2 Quid est Postulatio?

℞ Est concors Capituli vel aliorum ut certa aliqua persona Ecclesiæ utilis, quæ alias eligi non potest, eligatur, apud Superiorem facta petitio. *Valen Lib.* 1 *tit.* 5 *n.* 2.

3 Qui sunt postulandi?

℞ Hi, qui sunt utiles Ecclesiæ & eligi, ut incapaces Electionis non possunt, quemadmodum si Laicus ad Episcopatum *can.* 10 *dist.* 61 Jllegitime natus *c.* 20. *de Elect.* ætate minor. *c.* 7 & 19 *de elect.* in Minoribus Ordinibus constitutus. *c.* 5 *de Ætat. & qualit. ordin.* nondum professus, in Abbatem *c.* 13 *de Elect.* Episcopus vel Archiepiscopus unius Ecclesiæ, in Episcopum vel Archiepiscopum alterius Ecclesiæ postulentur, *c.* 3 *& fin. h. t.*

4 Qui postulari non possunt?

℞ Omnes, qui aliquo crimine indispensabili sunt notati & cum quibus difficilis futura dispensatio. *Abb. in c. fin. circa finem h. t.*

5 Qualiter fieri debet postulatio?

℞ Verbis certis & concorditer à Collegio, Capitulo, Universitate, vel Communitate, idest ab omnibus, vel saltim, ut vult Abb. à majori parte eaq; saniori. *c.* 3 §. *Nos igitur & c. fin. h. t. & arg. in c.* 1 *& fin. ad fin. ubiq; de His, quæ fiunt à major. parte.*

6 Quare postulatio debet fieri verbis certis?

℞ Quia incertis verbis postulatio facta, est nulla. ut si dicatur eligimus postulando, vel postulamus eligendo, vel aliis similibus relatis *in c. un. h. t. in* 6.

7 Postulantes possuntne variare?

℞ Antequam præsentent suam postulationem Superiori, possunt. secus post præsentationem, ne videantur Superiori illudere & ne judicium Superioris videatur pendere ex arbitrio inferiorum. *c.* 4 *h. t.*

8 Qui Superior est Postulati?

℞ Jlle, qui impedimentum, quod Postulato obstat, solvere potest. Talis est Summ. Pontifex Postulati ad Episcopatum, Episcopus Postulati ad aliquam Prælaturam inquantum defectum tollere potest. *gloss. in c.* 4. *fin. de Ætat. & qualit. præficiet*

9 Quæ Communitas privatur jure postulandi?

℞ Quæ postulat personam indignam & inhabilem sicut & illi qui eligunt indignum privantur electione *c.* 2 *h. t.*

10 Per postulationem sæpiùs factam acquiritne jus postulandi aliqua Communitas, ita, ut electio fieri non possit a Principe, vel Superiore, nisi præcedente postulatione?

℞ Neq; quia postulatio dependet à sola gratia & mera liberalitate Principis, qui si voluerit poterit alium, quàm postulatum eligere. *c.* 5 *& ibi Abb. h. t.*

11 Ad quid igitur prodest postulatio?

℞ Ad hoc ut Princeps intelligat voluntatem Subditorum, & accommodando se eorum desiderio, det Prælatum ad eorum vota. *Abb. in c.* 1 *h. t.*

12 Potestne quis simul postulari & eligi?

℞ Neq; quia postulatio & electio sunt distincta jura, & fiunt à distinctis personis; nam postulatio fit ab inferiori, electio à Superiori, *ut habetur in c. un. h. t. in* 6.

13 Poteſtne Epiſcopus eligi ad aliam Eccleſiam?
℟ Non poteſt, ſed ſolùm poſtulari. Quia Epiſcopus ſuæ ſponſæ ſcil. Eccleſiæ eſt matrimonio ſpirituali ligatus, ideo antequam deſponſetur ſecundæ, debet à Sum. Pontifice primum ſolvi vinculum per approbationem poſtulationis. *c. 2 de Transl. Epiſc.*
14 Clerici, Canonici, Abbates & alij Dignitarij, poſſuntne poſtulari & liberè eligi in Epiſcopos abſq; aliqua diſpenſatione?
℟ Poſſunt: quia licèt ſint uni Eccleſiæ adſtricti, non tamen ſunt illi Matrimonialiter alligati, ut Epiſcopi. *c. fin. & ibi gloſſ. h. t.*
15 Sæcularis poteſtne poſtulari in Epiſcopum?
℟ Poteſt, modò habeat ſecundùm præſcriptum *Concil. Trid. Seſſ. 7 Cap. 1 de Ref.* Annos 30 & reliquas qualitates. Et ita S. Ambroſius cùm eſſet Iudex Sæcularis acclamatione populi in Archiepiſcopum Mediolanen. fuit poſtulatus. *d. can. 10. diſt. 61.*

# CAPUT IV.

## De Electione & Electi poteſtate.

1 Quid eſt Electio?
℟ Eſt alicujus ad dignitatem aliquam Eccleſiaſticam vacantem canonicè facta vocatio, authoritate Superioris confirmanda. *c. 32. & 44. h. t.*
2 De jure antiquo ad quem pertinebat Electio Epiſcopi?
℟ Ad Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, & Confirmatio ad Summum Pontificem, facto priùs ſufficienti examine ſuper vita & moribus electi; ſed hodie per diverſa privilegia Sum. Pontificum, Reges & Principes Sæculares in ſuis Regnis habent liberam præſentationem Epiſcoporum Sum. Pontifici. *c. 44. h. t. & Hoſtien. in Summ. h. t.*
3 Populus poteſtne eligere Prælatum communi clamore, ſicut contigit in electione S. Ambroſij?
℟ Non poteſt, imò clamor populi ab electione repellendus eſt: quia inde poſſent plurimæ diſſenſiones provenire per vanam vocem populi. *c. 2 & ibi gloſſ. h. t.* jam verò in electione, ſeu veriùs poſtulatione S. Ambroſij miraculum fuit, non poſtulatio.
4 Intra quot menſes debet eligi Prælatus in Cathedrali vel Collegiata Eccleſia?
℟ De jure intra tres Menſes, aliàs devolvitur electio ad Superiorem, ne Eccleſia tanto tempore deſtituatur ſolatio Paſtoris. *c. 41 h. t.*
5 Quis debet eligi in Epiſcopum?
℟ Legitimus, dignus, ſcientiâ, virtute moribuſq; præditus, ætatis 30 annorum & graduatus in S. Theologia vel Iure Canonico *c. 7 h. t. Conc. Trid. Seſſ. 7 Cap. 1 de Ref. & Seſſ. 22 Cap. 2 de Ref.*
6 Schiſmaticus, qui facta pœnitentia ad Eccleſiam converſus, poteſtne eligi in Epiſcopum?
℟ Electio facta, de jure non tenet, Papa tamen cum taliter electo diſpenſare poteſt, ſi tam dignus & neceſſarius eſt Eccleſiæ Dei. *c. 5 h. t.*
7 Cardinalis utilis Univerſali Eccleſiæ, poteſtne eligi in Epiſcopum?
℟ Non poteſt, ſed alijs præmijs honorari. Bonum enim univerſale, debet præferri particulari. *c. 3 de Poſt. Prælat.*
8 Cardinalis in quibus rebus debet eſſe utilis Univerſali Eccleſiæ, ut non eligatur in Epicopum?
℟ In confutando hæreticos, in adjuvando conſilijs Sum. Pontificem in negotijs Eccleſiæ. *ut habetur in d. c. 3 de Poſt. Prælat.* imò, ſi talis eſſet aliquis Epiſcopus, ex ſolâ iſtâ cauſa à reſidentia excuſaretur. *ut dicetur Lib. hoc. Cap. 5.*
9 Electus in Epiſcopum, intra quod tempus debet acceptare ſuam Electionem?
℟ Infra Menſem à die notitiæ, aliàs ipſo jure privatur, niſi ipſum excuſet conditio, ſi nim. ſit Religioſus, qui non poteſt, ſine ſui Superioris licentia eandem acceptare. *c. 6 h. t. in 6.*
10 Si Religioſus eligatur in Epiſcopum & acceptet electionem ſine conſenſu Superioris ſui, valebitne talis acceptatio?
℟ Non valebit: cùm Monachus non habet velle aut nolle. Solus tamen Superior ſinè Conventu dictum conſenſum præbere poteſt. *c. 27 h. t. in 6.*
11 Si tempore electionis aliquis ſit idoneus ad Epiſcopatum obtinendum, & ante confirmationem ex aliquo accidenti fiat indignus, debetne confirmari attento tempore electionis?
℟ Debet jux. diſpoſitionem *c. 22 h. t. & ibi gloſſ.*
12 Quando vacant beneficia poſt Electum in Epiſcopum?
℟ Poſtquam eſt Confirmatus, conſecratus & pacificam poſſeſſionem adeptus. Quia non debet quis ſpoliari bonis, de quibus ſuſtentatur, donec pacificè poſſideat alia bona, ad quæ per Epiſcopatum aſcendit. Rationi enim conſonum eſt, ut quis non amittat fructus primi beneficij, quouſq; incipiat percipere fructus ſecundi. *Abb. in c. 28 de Præb. & dignit. n. 12 & cum illo omnes DD. & c. 28 de Præb. & dignit. in 6.*
13 Electus in Epiſcopum, poteſtne renuntiare beneficiis, quæ habuit, ante Conſecrationem?
℟ Non poteſt: quia faceret in fraudem ſedis Apoſtolicæ, cui affecta manent beneficia propter appoſitionem manuum Epiſcopo per ſum. Pontificem factam. *Extravag. Comm. 14 de Præben. & dignit. & Abb. in c. 36 de Appell.*
14 Si quis electus in Epiſcopum ſuâ culpa vel infirmitate nolit conſecrari, quando ejus beneficia vacant?
℟ Poſt tres illi de jure datos ad conſecrationem menſes modò aſſequatur pacificam Epiſcopatûs bonorum poſſeſſionem. *Piaſec. Prax. Epiſcop. h. t. n. 27 ubi alios citat.* Si verò quis fuit conſecratus, & non eſt adeptus poſſeſſionem, ejus beneficia non vacant. *Idem. ibid. n. 28.*
15 Poſt promotum ad Epiſcopatum titularem, vacantne ipſo facto beneficia?
℟ Non vacant: quia iſte, præter Nomen, nullatenenſem poſſeſſionem habet *Idem Piaſec. loc. ci. n. 29*
16 Poſt promotum Coadjutorem ad Epiſcopatum vacantne beneficia, cùm adhuc Epiſcopus vivat?
℟ Non vacant, quouſq; vivit. *Idem Piaſec. ibid. n. eod. 29.*
17 Quis debet confirmare electum in Epiſcopum?
℟ Sum. Pontifex, licet antea poterat confirmaſſe, ut & apud nos in Polonia, Archiepiſcopus. *c. 33 h. t.*

18 Electus in Episcopum si se ante Confirmationem in administrationem ingerat, quam pœnam incurrit?

℞ Qualicumq; colore sive per se, sive per alium sese ingerit in administrationem, eo ipso privatur jure sibi quæsito per electionem. *c.* 9 & 17 *h. t. tum. c.* 5 *h t. in* 6. Debet enim sibimet ipsi non assumere honorem, sed ad illum tanquam Aaron vocari. *d. c.* 17 *h. t.*

19 Electus & confirmatus in Episcopum ante Consecrationem, quam potestatem habet?

℞ Potest exercere ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, uti excommunicare, corrigere, juramenta recipere, beneficia conferre, instituere, causas Matrimoniales cognoscere, indulgentias concedere, & alia similia. *c.* 12 & *ibi Abb. de Excessib. Prælat.*

## SECTIO I. CAP. IV.

## De Electione Canonici in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.

20 Electio Canonici debetne esse libera?

℞ Affir: imò si quis Canonicos eligentes vel eorum Parentes, Consangvineos vel famulos, aut eorum bona, ut certam personam pro qua ille instat, gravet; ipso facto excommunicationem incurret, post præstitam debitam satisfactionem absolvendus. *c.* 12 *h. t. in* 6.

21 Canonico mortuo & non sepulto potestne fieri Electio alterius?

℞ Sive talis electio spectet ad solum Episcopum sive simul cum Capitulo, ante Sepulturam fieri nequit ex honestate, imò nec de ea tractatus, alioquin ante facta, nisi aliud obstet, non valebit. *can.* 7 *dist.* 79. *c.* 36 & *gloss. ac ibi. Abb. n.* 11 *h. t.*

22 Ad quem locum debent convenire Electores?

℞ Sepulto mortuo Prælato & statuto die electionis ad locum commodum & consvetum Electores per literas Cridæ avisati conveniant, nimirum ad Capitulum *c.* 30 *h. t.* vel Ecclesiam. *DD. in c.* 28 *h. t.* vel ad Chorum. *c.* 19 *h. t.* vel ad alium honestum & decentem locum, modò non clandestinum; quia clandestinas electiones reprobat Pontifex. *c.* 42 §. *Electiones h. t.* Quod si de loco sit controversia, potest per Sortes eligi, quamvis ipsa Electio per Sortes fieri neqveat. *Steph. Gratian. Discept. foren. Cap.* 655 *n.*43 *ubi alios citat.*

23 In electionibus, estne servanda Consvetudo Ecclesiæ?

℞ Est, ita si Electio spectet ad Episcopum & Canonicos simul, consvetudine induci potest, ut ad solos spectet Canonicos, vel è contra: quia jus eligendi potest præscribi. *c.* 31 *h. t.*

24 Qui sunt modi eligendi?

℞ Tres. Per Scrutinium, per Compromissum & quasi per inspirationem Divinam: aliter facta electio non valet, & contra facientes, privandi sunt ea vice eligendi potestate. *c.* 42 & 50 *junct. gloss. ibid. in fin. h. t.* & *Const. Provinc. Gnesn. Lib.* 1 §. *Forma autem. h. t.*

25 Quomodo fit electio per Scrutinium?

℞ Quando scil. vocatis ac præsentibus omnibus



Electoribus, qui debent, volunt & possunt commodè interesse, tres fide digni, vel plures, vel pauciores de Congregatis ad electionem, eliguntur, qui præsentium vota, Secretò & sigillatim diligenter excipiant, eaq; certa, pura, libera non conditionata. *d. c.* 42 *h. t.* & *c.* 2 *h. t, in* 6. ad Scripturam redacta, in præsentia omnium publicent, ut ex Suffragiorum collatione, unus pro Canonicè electo, in quem omnes, vel major & sanior pars, consenserit, habeatur. *d. c.* 42 & *aliis h. t.* Facta autem publicatione nullius suffragij mutatio admittitur. *c.* 58 *h. t.*

26 Quæ dicitur major & sanior pars in electione?

℞ Major, ubi est major eligentium numerus: Sanior, spectatur ex authoritate & zelo eligentium, atq; electi meritis. Et ita Sanior pars prævalet, non tamen duplo majori. Possunt enim Majoris partis vota (ut quia eligentes de majori parte sunt excommunicati majori excommunicatione, Suspensi per Sententiam ab Officio, Irregularis) annulari prorsus, non attenuari *c.* 9 & *ibi gloss. in* 6.

27 Si quis Elector in Schedula ad Scrutinium porrecta scribat. eligo Titium & Sejum, quid operatur ejus electio?

℞ Non debet dici talis electio, sed nominatio, ac proinde, sicut & suffragium conditionatum, incertum, alternativum, reiicitur, & qui purè elegerunt, faciunt electionem. *d. c.* 2 *h. t. in* 6.

28 Quomodo fit electio per compromissum?

℞ Quando in unum, aut plures idoneos transfunditur eligendi facultas, sive ejusdem sint Collegij, sive externi, *ut vult gloss d. c.* 42 *h. t. colligitur ex c.* 8 *h. t.*

29 Debentne omnes, ad quos spectat, in compromissum consentire?

℞ Sufficit, ut major pars consentiat, quæ solet prævalere minori, *ut dicetur infr. Cap.* 30 *de his, quæ fiunt à majori parte.* Contrarium tamen & justius vult. *gloss d. c,* 42 & *ibid. Abb. n.* 9 *h. t.* & *alij,* eò quod invitus nemo jure suo sit privandus. & ut habet Regul. Iuris quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Et videtur pro hac parte esse textus *in gloss. d. c.* 42 §. 2 *v. Vice omnium* & *in gloss. c.* 40 §. 4 *v. de mutuo h t.*

30 Possuntne Canonici revocare Compromissum?

℞ Non possunt, quando ab eis, in quos, vel in quem compromissum est, res cæpta & non perfecta est; res verò cæpta dicitur, quando Compromissarij inter se tractatum inceperunt de eligendo: si autem nondum cæpta res est, potest revocari compromissum. *c.* 30 *h. t.*

31 Tenenturne Canonici necessariò acceptare electum per Compromissarios, etsi sit minùs dignus?

℞ Tenentur, nisi contra formam compromissi eum appareat electum esse: tum quia compromissum fuit voluntarium, ab omnibus ideo recipi debet *c.* 29 *de Regul. Iuris in* 6. tum quia, si ipsi Canonici eligerent minus dignum, tenere electio; ita etiam Compromissariorum tenere debet, in quos potestatem suam transfuderunt. *c.* 32 *h. t.*

32 Si Compromissarij eligant indignum debetne acceptari

acceptari à Canonicis ?

℞ Non, & devolvitur electio ad Electores. quia Compromissarij fecerunt contra formam compromissi, ac pro hoc debent puniri, *jux c. 37 h. t. in. 6.*

33 Si Compromissarij non elegerunt intra tempus in compromisso constitutum, ad quem devolvitur electio ?

℞ Si consumpserunt totos tres Manses utiles, quos Canonici habent ad eligendum, & non elegerunt, devolvitur electio ad superiorem, tanquam si ipsi Canonici, eos consumpsissent; si verò tempus Compromissi fuit ad duos Menses, & in illis non est facta electio; in tertio mense utili eligunt Canonici: finito enim tempore, exspirat compromissum & Canonici remanent penes suam libertatem. *d. c. 37, h. t. in 6.*

34 Si Septem Canonici Compromissarij sint, & eorum tres eligant unum de medio sui in Episcopum, tres verò alij, unum de Canonicis, quæ tenebit electio ?

℞ Eorum, qui de medio sui elegerunt, quia talis electus, cùm fuit in Compromissarium electus, ab universo Capitulo fuit reputatus tanquam magis dignus & habuit qualitatem Judicis Compromissarij, per alios verò tres electus habuit solùm qualitatem Canonici. *c. 33 h. t.*

35 Quomodo fit electio per quasi inspirationem ?

℞ Cùm electores ad electionem convocati, nulla præcedente consultatione, simul omnes in unum modo miraculosô consentiunt. *d. c. 42 h. t. Sed. de his tribus modis eligendi & forma, per quam ad scripturam reducitur electio, videantur Const Provinc. Gnesnen, Lib. 1 h. t.*

36 Quis debet eligi in Canonicum ?

℞ Jlle, qui utilior est Ecclesiæ, & cujus mores & vita est nota & approbata, licet sit minùs doctus: quia talis est præferendus doctiori, cujus vita & mores ignorantur. *Decl. Congr. Conc. Trid. super Sess. 24. Cap. 18 n. 27 & Gonzal. in Reg. Cancall. 8 gloss. 4 n. 112.*

37 Quas qualitates Canonicus considerare debet in eligendo Canonico ex concurrentibus idoneis?

℞ Jllas, per quas ad munus suum exequendum eligendus magis aptior demonstratur, eum ordinem servando, quem *Conc. Trid. d. Sess. 24 Cap. 18* præscripsit. Et ita ad Curam animarum vg. præferendus est diligentior sanctiori, qui non est ita diligens, doctus doctiori, magis aptus est sæpesæpius ad munus publicum &c. *Gonzal, loc. cit. n. 114.*

38 Si de gremio Capituli reperiatur idoneus, & à majori parte eligatur extraneus in Episcopum, quis præferendus ?

℞ Quoties reperiatur in propria Ecclesia idoneus semper est eligendus, ut in illo. tota Ecclesia honoretur, quod observandum est non solùm in electione Episcopi, sed etiam alterius personæ; verùm si à duabus partibus extraneus eligatur, tertia non prævalebit. *ut notat gloss. in c. 21 v, Aliam. h. t*

39 Qua pæna puniuntur scienter eligentes indignum?

℞ Devolvitur electio ad illos, qui non peccarunt in illa, & eligentes indignum privantur electione ac à beneficiis per triennium suspenduntur *c. 25 & 26 h. t.*

40 Qua pæna punitur ferens suffragium in indignum scienter, licet nihil ejus Suffragium operetur ?

℞ Peccat solùm mortaliter, quia cùm fuerit judex in re gravi, injustè judicavit, qvamvis per ejus suffragium dignus non amiserit honorem & præbendam. *c. 7 h. t. in 6.*

41 Quod tempus habent Canonici ad eligendum Canonicum suæ Ecclesiæ ?

℞ Tempus trium Mensium à diè obitus vel notitia Canonici vitâ functi, nisi aliquo canonico impedimento retardentur. *c. 41 & fin ac ibi gloss. v. Tempus. h. t,*

42 Si electus in Canonicum, vel suam non acceptet Electionem, vel moriatur ante possessionem vel electio ex aliqua causa irritetur, quod tempus habent Canonici ad secundam electionem?

℞ Alios tres menses utiles. modò non interveniat fraus: quia omnia facta in prima electione sunt irrita, & nihil operantur in secunda *c, 16 h. t. in 6.*

43 Quid debent facere Canonici, in electione alterius Canonici, ut ritè fiat?

℞ Post mortem, ascensum, vel resignationem. immediati possessoris. Præsidens Capituli convocatis Prælatis & Canonicis, ac perlectô Privilegiô, in cujus virtute libera est penes Capitulum electio, monebit eosdem, ut in futura electione magis dignum & idoneum eligant, committetq; duobus Canonicis, ut Valvis Ecclesiæ & Universitatis Studiorum generalium dictum Privilegium seu verios Literas, cùm termino futuræ electionis præfixo, intimari faciant, quatenus omnibus concurrere volentibus innotescat.

44 Poteritne Capitulum prorogare terminum edicti, ut allij commodiùs concurrere possint ?

℞ Ut liberum erat Capitulo strictiorem vel laxiorem terminum in edicto præfigere, ita eundem prorogare in libero arbitrio erit, modò id fiat intra terminum elapsum. quia fieret injuria illis qui in termino comparerent, & terminus modoprimum prorogaretur. Sic fit in Concursu ad Parrochiales Ecclesias, in cujus termino, si unus tantùm comparet, examinandus est, nec alij expectandi, nec gratiâ eorum terminus prorogandus. *Decl. Congr. Conc. Trid. Super Sess. 24 Cap. 18 de Ref n. 14. 1593 9 August.*

45 Si vacet aliqua Præbenda in Ecclesia Cathedrali solita conferri prævio examine, poteſtne conferri alicui Doctori eminentis scientiæ absq; illo ?

℞ Si omnes Canonici, nemine contradicente, propter magnam authoritatem & eminentiam personæ votis conspirent, & vivæ vocis oraculô eligant, tenebit sine examine electio; secus si examen in Privilegio, vel in bulla sit expressum, ut in provisione Parochialis Ecclesiæ requiritur *per Conc, Trid. Sess. 24. Cap. 18 de Ref.*

46 Cùm pervenerint Concurrentes ad locum electioni præfixum possuntne simul cum Electoribus hospitari ?

℞ Non,

℞ Non, sed in alijs locis honestis, Monasterijs vel cum alijs Clericis non spectantibns ad electionem: & hoc ideo prohibetur, ne tractatus, condictamina & alias factant pactiones cum electoribus; cum electiones sine omni suspicione debent esse. *DD. in c. 14. h. t.*

47 Si aliquis Canonicus præsens in Civitate vocatus ad electionem neglexerit venire, quid agendum?

℞ Debet fieri per præsentes electio: quia potestas illius Canonici, in alios transfunditur. *c. 19. 35. & 42 h. t.*

48 Si aliquis Canonicus sit extra Civitatem estne vocandus ad electionem, & an potest per literas votum suum exprimere?

℞ Non est vocandus, etiamsi sit Prælatus. *c. 18. h. t.* nec ejus votum per literas missum acceptandum. *c. 46. §. Absens & ibi gloss. h. t. in 6.*

49 Si Canonicus sit in Civitate infirmus, vel legitimè impeditus, poteritne in electione per literas vel procuratorem dare suffragium?

℞ Poterit tam per literas sigillatas, quàm per procuratorem, modò sit procurator de Capitulo & cum speciali mandato, ita faciunt ad aulas Principum magni consilij Viri: sed in his omnibus consvetudo & Statutum cujusq; Ecclesiæ spectandum & servandum est. *d. c. 46. h. t. in 6.*

50 Expensæ Canonicorum, quæ fiunt in Electione, à quo solvi debent?

℞ Ab electo, idq; necessariæ solùm, sine quibus negotium expediri non poterat. *c. 45. & ibi gloss. h. t.*

51 Facta electione, & publicato scrutinio in Capitulo, antequam electus sciat & Capitulum seu locus electionis aperiatur, possuntne electores omnes de unanimi consensu variare, novum scrutinium facere, & alium eligere?

℞ Non possunt publicatò scrutiniò etiam in Capitulo, & nondum apertis janvis Capituli ignoranteq; electo: quia facto juridicè scrutinio & inter Canonicos publicato jam vinculum spiritualis Matrimonij inter electum & Ecclesiam intercessit, quod dissolvi per solam voluntatem electorum non potest: secus si necdum publicatum est scrutinium. *c. 58. ac ibi gloss. & DD. in c. 21. h. t.*

52 Electus in Canonicum intra quod tempus debet acceptare electionem & possessionem apprehendere?

℞ Intra Mensem à die notitiæ. *ut dict. suc. n. 9. hoc. Cap.* alias Canonici alium eligunt; quod etiam fit, si possessionem sublatò legitimò impedimentò, intra decursum trium Mensium non apprehendit. *c. 10 & ibi DD. h. t. in 6.*

53 Si electio fiat à minori parte Capituli unius, & à majori alterius, post recessum à votis majoris partis, ratificaturne electio minoris partis?

℞ Non: sed iterum vota omnium debent reassumi. Quia electio minoris partis fuit irrita ipso jure propter prævalentiam majoris partis. *c. 29 & 42 h. t.* Quod enim ab initio non valet, tractu temporis non reconvalescit. *c. 12 de Convers. Conjug.*

54 Si major pars scienter eligat indignum, minor verò dignum, quæ electio valebit.



℞ Minoris partis de digno, etiam ex eodem scrutinio facta. *c. 21 & ibi DD. h. t.*

55 Quis debet cognoscere, an electus per majorem partem sit indignus ex aliquo defectu?

℞ Iudex superior, antequam indignus de possessione expellatur. Illius enim est inquirere veritatem. *l. Is apud. C. de edendo.*

56 Si inter plures Canonicos scienter admittatur excommunicatus majori excommunicatione, valebitne electio?

℞ Non valebit, sed debet iterum fieri, etiamsi electus habeat omnium suffragia & excommunicatus pro alio ferat suffragium. tum quia pauca massa putrida, totam corrumpit; tum quia majori excommunicationi innodatus neq; potest eligere, neq; eligi tum quia electio debet constare ex electoribus, nullum defectum juris habentibus, tum quia electores per Communionem excommunicati, Censuris fuerant innodati. *DD. in c. 39. h. t. & Abb. c. fin. n. 6. de Procuratorib.*

57 Si omnes Canonici sint inhabiles ad electionem, vel moriantur, & unus solus habilis remaneat, ad quem devolvitur electio?

℞ Potest ille unus habilis suum coram Notario & testibus exprimere votum, sed se ipsum eligere non potest: cum honor non desiderantibus, sed fugientibus sit deferendus. *can. 9. 8 q. 1.* & inter eligentem & electum debeat esse distinctio, sicut inter patientem & agentem, dantem & accipientem. *c. fin. de Instit.* Ratio primi. quia in uno solo conservatur jus omnium electorum, & ille solus, totum repræsentat Capitulum & communitatem *DD. in c. 2. de Post. Prælatorum.* si verô omnes moriantur, vel inhabiles fiant ad superiorem devolvitur electio.

58 Si electio annuletur propter vitium eligendi, non propter vitium electi, poteritne talis iterum eligi?

℞ Poterit iterum atq; iterum: quia non per ipsum stetit, quod vitiata fuerit electio. *c. 12. h. t.* Et non debet alteri, per alterum iniqua inferri conditio. *c. Non debet ff. de Reg. Iuris.*

59 Eligendus ante electionem potestne consentire?

℞ Neq: potest tamen desiderare & constituere procuratorem, ut ejus nomine consentiat. *c. 46 h. t.*

60 Impubes per dispensationem Canonicus, potestne eligere?

℞ Non potest: quia in electoribus requiritur discretio animi. *c. 32. h. t. in 6.* Et tales non habent vocem in Capitulo donec sacris initientur. *Clement. 2. de Ætat. & qualit.*

61 Si quis non vocatus ad electionem, neq; etiam ab ea exclusus, postea consentiat electioni, valetne, an debet repeti?

℞ Valet & non debet repeti: quia cum ratihabitione censetur esse facta, & per subsequentem consensum est roborata. *c. 28 h. t.*

62 Qui eligunt vel consentiunt electioni possuntne opponere postea aliquid contra electum?

℞ Non possunt quia illum semel approbârunt nisi fortè ad eorum notitiam veniat aliquis defectus electi, post factam electionem. *c. 8. h. t. in 6.* Quod enim semel placuit, ampliùs displicere non potest. *c. 21. de Reg. Iur. in 6.*

63 Mandatum Papæ, ut electio fiat cum consilio alicujus, vel præsidente Cardinali, aut Episcopo aliquo, invalidatne Electionem?

℞ Invalidat, etiamsi in mandato non sit pæna invalidationis posita: quia forma mandati Papæ diligenter est observanda, & non impleta conditione, eo ipso enervantur & suspenduntur vires electionis. *c. 52. h. t.*

64 Electus in duabus Ecclesijs quid agere debet?

℞ Uni electioni de se factæ, quæ ipsi placuerit consentire, confirmationem ejus petere & possessionem apprehendere, nec alteram sub conditione (accepto vg. electionem, si mihi ista, quam acceptavi, non erit tuta, vel bona) debet acceptare: quia alia Ecclesia futurum eventum & commoditatem electi non tenetur expectare. *c. 25. h. t. in 6.*

65 Electi, habentis plures dignitates valebitne electio?

℞ Valebit, si eas obtinuerit cum dispensatione Sum. Pontificis, secus, si non. quia indignus est nova & majori dignitate, qui injustè contra jus & dispositionem Conc. Triden. alias obtinuit. *c. 18. & ibi Abb. de Præben. & dignit.*

66 Electi, vacantne statim beneficia post electionem?

℞ Non vacant, donec fuerit in pacifica possessione ejus, ad quod electus est: quia nemo debet ponere in periculo beneficium, de quo pacificè alitur. *Abb. in c. 30. de Præben. & dignit.*

67 Si duo simpliciter eligantur ad unam Præbendam, cui de jure cedet?

℞ Nulli: quia una Præbenda inter duos dividi non potest, talisq; electio est nulla: quia contra jus facta: nam electio debet esse certa & in una persona. *c. 20. de Præben. & dignit.*

68 Novitius ante professionem scientiâ & virtutibûs præditus in aliqua Religione, potestne eligi in Abbatem, vel Episcopum?

℞ Non potest, nulla in contrarium obstante consvetudine: quia qui in uno eodemq; officio deservire volunt, ejusdem Professionis debent esse; at verò ad regendam Ecclesiam sæcularem benè eligi potest; quia Novitiatus eum non facit incapacem. *c. 27. h. t.*

69 Si in electione Canonici, Monachi, Moniales & alij electores discordent inter se, & duos eligant paribus suffragiis, quid agendum in casu?

℞ Si in illo Capitulo, Monasterio &c. sit Statutum à Sede Apostolica confirmatum, ut coelectus, cum coelecto paritatem votorum habens, & cum aliqua qualitate in statuto expressa præcellat, nim. ætate ordine, Doctoratu, Nobilitate &c. illud statutum dirimet difficultatem, & pollens qualitate de statuto reqvisita non habenti illam qualitatem, sed solùm paritatem votorum, præferetur. *Felin. in c. 6. n. 9. & alii ibid. DD. de Constit.*

70 Si desit tale statutum & duo æqualia vota habeant, æquales qualitates & merita, quid agendum?

℞ Præsidens electioni omnibus rationibus & modis licitis electores ad pacificam electionem & votorum concordiam, aut etiam ad compromissum faciendum in certas personas impares numero permovere studebit, si sic nihil efficiet, tria, vel quatuor faciet scrutinia, ex quibus si electores perseverantes in votis intelliget, deferet discordes sensus immediato superiori, qui certum tempus ad eligendum præfiget electoribus, aliàs in casu perseverantiæ in discordia, lapso præfixo tempore ipse electurus. *gloss. in c. 14. v. Teneantur. de Rescript. in 6.* Ut enim aliquando inferiores supplent vices superiorum, ita è converso superiores supplent necessariò defectum inferiorum. *gloss. can. 3. v. Episcopis. 9. q. 3. & c. 17. de Præben. & dign in 6.*

71 Superior assignato tempore certo electoribus ut conveniant in unum ex duobus paritatem votorum habentibus, isti electores prætermissis his possuntne tertium eligere?

℞ Possunt & hoc fit sæpenumero, ut discordiæ dirimantur, sed etiam unum ex illis duobus possunt eligere. *gloss. in d. c. 14. de Rescript. in 6.*

72 Si aliquis Episcopus, cum Canonicis habent æquale votum, & paritas in electione intercedat, Episcopus ille, qua Episcopus, potestne suô votô eandem dirimere?

℞ Non potest: quia jam votum dedit, ut Canonicus & illô fecit paritatem, adeoq; ut superior non potest dare aliud, sed recurrendum est ad proximum superiorem; siverò Episcopus nullum habeat suffragium, sed electio præcisè spectet ad Canonicos, tunc recurrendum erit ad Episcopum, tanquam ad immediatum superiorem. *patet ex n. 70. & gloss. alleg.*

73 Electio propter paritatem votorum devoluta ad superiorem, potestne superior relictis illis duobus eligere tertium?

℞ Non potest, sed necessariò ex illis duobus unum, quia non est devolata ad superiorem potestas libera & absoluta eligendi, sed solùm supplendi illum defectum & tollendi dissensionem ortam in animis electorum inter illos duos. Et rationi certè non est consentaneum, ut absolutè discedatur à voluntate electorum, ad quos de jure spectat electio. *DD. in d. c. 14. de Rescript. in 6.*

74 Superior, quem ex illis duobus tenetur eligere?

℞ Jllum, quem sciverit vel crediderit magis idoneum & necessarium Ecclesiæ. *DD. ibid.*

75 Appellatio ab electione facta, vel facienda, quando licita?

℞ Quando non servatur modus eligendi, vel Consvetudo, vel Bulla electionis, quando assistit electioni, qui assistere non debet & in ea non habet suffragium, quando reiicitur Canonicus injustè, vel non admittitur, quando non sunt omnes Electores vocati, licèt in civitate existant, nullô impediti negotiô, quando eligitur indignus, quando inhabilitas & defectus in persona non attenditur, quando admittitur ad electionem excommunicatus, suspensus, vel irregularis. *DD. in c. 10. h. t.*

76 Appellatio ab electione potestne esse extrajudicialis?

℞ Non potest, sed necessariò debet esse in judicio cum expressione causæ & notitia partis, aliàs esset inutilis. *c. 4. & 20. h. t. in 6.*

77 Appellatio in electionibus quotuplex?

℞ 2plex; una, quæ extenuat suffragium; quod

nimirum

nimirum minor pars electorum sit majoris authoritatis, quàm major, quòd electus à minori parte est graduatus vel dignior, electo à majori parte. *Altera*, quæ annulat electionem: quòd scilicet electus sit excommunicatus, majori excommunicatione, suspensus, irregularis, non graduatus, non Ordinatus, desponsatus per verba de præsenti, quòd elector sit excommunicatus excommunicatione majori, non sit in sacris. *DD. in c. 9. h. t. in 6.*

78 Renuntians electioni de se factæ, aut appellationi interpositæ, poteritne jus suum postea reasumere & appellare ?

℟ Non: quia non ad tempus, sed in perpetuum cessit juri suo. *c. 16. h. t.*

79 Appellans ab electione volens eam esse canonicam, & ab ea electione cum protestatione recedens, nec vocatus à Coelectoribus ad Capitulum rediens, si stante hujusmodi appellatione fiat electio canonica, valebitne non expectata Iudicis declaratione ?

℟ Valebit: quia electio canonicè facta habet vicem sententiæ,& appellatio per effectum electionis canonicæ absq; sententia declaratoria, fuit nulla. *c. 19. h. t.*

80 Si facta electione fiat appellatio, debetne fieri secunda electio ?

℟ Non debet: quia esset in præjudicium electi, qui per acceptationem electionis acquisivit jus, & sic secunda electio non habet locum, donec prima per sententiam irritetur. *c. 10. h. t.*

81 Appellans ab electione, intra quod tempus debet comparere in Curia Romana, vel apud Iudicem superiorem ?

℟ Intra decursum unius Mensis, aliàs appellatio erit nulla. *Clement. 3. h. t. & c. 8 de Appell. in 6.*

82 Appellatio ab electione, quem effectum habet?

℟ Devolutium solùm, non suspensivum. Quia electus acquirit jus suum per electionem, quo privari non debet, per solam appellationem, sed per sententiam definitivam. *d. Clem. 3.*

83 Absentes ab Ecclesia in causa appellationis ab electione, quos fructus percipiunt ?

℟ Tam Actores, quàm Rei percipiunt fructus suorum beneficiorum toto tempore litis, non autem quotidianas distributiones, necesse tamen est, ut habeant Iudicis, coràm quo causa vertitur testimonium, ne sub specie appellationis & litis Ecclesia debito fraudetur servitio. *c. 30. & ibi. gloss. h. t. in 6.*

84 Quæ est pæna appellantis & obiicientis aliquem defectum in electione, & non probantis ?

℟ Præter refusionem expensarum parti, suspenditur à beneficiis ad triennium, ad quæ si se temerariè intra hoc tempus ingesserit, perpetuò illis ipso jure privatur. *c. 1. §. Adiicientes. h. t. in 6.*

85 In appellatione interposita ab electione, quomodo est procedendum ?

℟ Si interponatur appellatio ante Confirmationem electi, procedendum est summariè, cum præfixione termini Actori ad probandam intentionem, quo lapso, si non probaverit, ampliùs non est audiendus, ne sub colore appellationis, quis diu in honore maneat denigratus. *c. 47. h. t. in 6.*

## Sectio II. CAPUT IV.
## De Electione Imperatoris.

86 Mortuo Imperatore, potestne quis retinere, vel assumere Nomen vicarij, vel exercere aliquod Officium Imperiale, sine licentia Summi Pontificis?

℟ Non potest sub pæna excommunicationis ipso facto. Imperialis enim potestas dependet à potestate Summi Pontificis. *Extravag. Ioan. 22. unic. Ne sede vacan. aliquid innov.*

87 Imperator estne eligendus ?

℟ Est: quia non ita successio, quàm electio optimum invenit. *Tacit. Lib. 1. Hist.* & convenientiùs est imperaturum multis, eligi à multis. *Plin. in Paneg. Trajan.*

88 Ad quem spectat Imperatoris Electio ?

℟ Ad septem Principes, tres Ecclesiasticos & quatuor sæculares: scil. Archiep. Mogunt. Colonien. Treviren. Palatinum Comitem Rheni, Ducem Saxoniæ, Marchionem Brandeburg. & Regem Bohemiæ. *gloss. in c. 2. v. Illi autem. ad fin. de sent. & re judic. in 6. unde ibid. Versus.*

*Magna Moguntia, crassa Colonia, Treviris alma,*
*Atq; Palatinus Dapifer, Dux Portitor ensis,*
*Marchio Præpositus Cameræ, Pincerna Bohemus,*
*Romanum Regem statuendi d. nt sibi legem.*

89 Omnesne isti Electores necessariò requiruntur ad Electionem ?

℟ Omnes, sed & major pars absentibus aliis eligere potest, modò non per contemptum absentium. Quia electioni plùs contemptus unius, quàm contradictio multorum obstat. *c. 34. §. Obj. ctioni h. t. & ibi gloss.*

90 Isti septem Electores possuntne de medio sui eligere Imperatorem ?

℟ Possunt, vel alium Principem, qui non habet jus eligendi, respiciendo semper personam magis idoneam ad gubernium & defendendam ac tuendam Ecclesiam Catholicam, pro qua Imperator primus omnium tenetur etiam mori, si opus fuerit. *d. DD. in c. 34. h. t. & Conc. Trid. Sess. 25 Cap. 20 de Ref.*

91 Si suffragia sint paria vel Electores nolint elire, ad quem devolvitur Electio Imperatoris?

℟ Ad Sum. Pontificem D. Petri successorem & Christi Domini Vicarium. *d. c. 34. h. t.*

92 Intra quod tempus debet eligi Imperator?

℟ Non statuitur certum à jure tempus. *gloss. in d. c. 2. v. Eligant. ad fin. de sent. & re judic.* Hinc est, quòd Sum. Pontifex non potest eligere, nisi priùs Principes Electores moneat. *gloss. alegat. & d. c. 34 h. t.*

93 Unde jus Electionis dicti Electores habent ?

℟ Dissentiant, ut velint, novi homines novâ Sectariorum fece infecti; nihil non à Romana sede profectum nauseantes, qui rectè sentiunt, illos à Sum. Pontifice jus eligendi habere concludunt. Nonne hæc potestas eligendi? per Sedem Apostolicam à Græcis ad Germanos in personam Caroli Magni translata sit? nonne jus examinandi electum Imperatorem in signum emanationis à se potestatis eundem eligendi, ad Sum. Pontificem spectet, qui aliàs id non prætenderet,

si Marte suo Germani hoc jus sibi vindicassent; nonne confirmatio, Coronatio, destitutio &c. pertinet. *d. c. 34. h. t. Clement: unde jure juran.* Legat, qui ampliorem discursum desiderat, *Bellarm. tom. 1. Contrav. 3. Lib. 5 Cap. 8. v. sextum exemplum Baron. Tom. 9 & 10. Annal.*

94 Possuntne Electores Imperatoris à Sum. Pontifice jure electionis privari?

℞ Licet hoc non videatur expedire, nisi quo casu eligere nolint; tamen Sum. Pontificem jus electionis Electoribus auferre, & ad alias justa causa postulante transferre posse: ut si sint schismatici, hæretici negligentes in eligendo cum detrimento & scandalo Eccesiæ & populi Christiani. Si enim ipse à Græcis in modernos Electores eligendi potestatem transtulit, cur eam ex causa auferre non possit? cùm ejus sit destituere, cujus instituere. *d. Clement. un. & d. c. 34. tum Azon. Instit. Morali. Tom. 2. Lib. 10. Cap. 3.*

95 Confirmatio & Coronati o electi Imperatoris ad quem spectat?

℞ Ut innui n. 93 ad Sum. Pontificem, qui coronatur tribus Coronis, aurea, argentea & ferrea, ad denotandam ejus fidem, potestatem & fortitudinem. *DD. in d. c. 34. h. t. Rest. Castel. ad de Imperat. q. 33.*

96 Ex qua causa Imperator electus potest non confirmari sed rejici?

℞ Si Sit Sacrilegus, excommunicatus, tirannus, hæreticus, perjurus, Ecclesiæ persecutor, vel fatuus, aut etiam ex harum una. *d. c. 34. h. t. & ibi gloss.*

97 Ubi & à quo istas Coronas recipit Imperator?

℞ Ferream Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi, argenteam in ingressu in Italiam ab Archiepiscopo Mediolanensi, auream à Sum. Pontifice Romæ in Ecclesia S. Petri dum ad Altare S. Mauritij coronatur. *Baro. in Clemen. un. de Iure juran. n. 8.*

## SECTIO III. Cap. IV.

## De Electione Summi Pontificis.

98 Electio Sum. Pontificis in quo loco fieri debet?

℞ In quo Sum. Pontifex ultimum clausit diem, nisi sit interdictus, rebellis vel incommodus, quia tunc vicinior est eligendus, ibiq; in Conclavi, more solito, peragatur electio, ut est præscriptum. *in c. 3. h. t. in 6.*

99 Cardinales assistentes Summo Pontifici, quam diu post ejus mortem ad faciendam novam electionem, alios Cardinales tenentur expectare?

℞ Ad decendium, quô transactô, possunt eligere præsentes; aliis non comparentibus Sum. Pontificem, & electio erit valida. *d. c. 3. h. t. in 6.* Nec Cardinales citandi sunt, ut in aliis electionibus *gloss. d. c. 3. v. Decem diebus & ibi Archid. v. expectare.*

100 Ad electionem Sum. Pontificis quæ pars requiritur Cardinalium?

℞ Duæ partes conformes: quia cum sit res magni momenti, non sufficit unus supra medietatem. Si quis verò à tertia parte solum electus, Papæ nomen usurpet, cum receptatoribus suis excommunicationi subjacet, sacri ordinis privatione mulctatur, in ultimo vitæ agone illi communio denegatur & nisi resipuerit, cum Dathan & Abtron (quos terra vivos absorpsit *can. 9. 7. q. 1* æquali portione jubetur satiari. *c. 6. h. t.*

101 Quot sunt modi eligendi Sum. Pontificem?

℞ Tot. quot in aliis electionibus (ut dictum supra) servantur, nim. per quasi inspirationem Scrutinium & compromissum. Alios Bullâ suâ 1621. 17. Calen: Xbris, Pontificatus Anno 1. Gregorius XV. annulam fecit. De quibus modis eligendi supra dictum est.

102 In Scrutinio Secreto, poteštne quis pro se ipso ferre Suffragium?

℞ Licet porerit, tamen est magna in hoc animadversio & dicta Bulla Gregorij XV. prohibitum est, ne ullus Cardinalium, qualicunq; ex his tribus modo fiat electio, pro se ferat suffragium.

103 Si contingat in Scrutinio esse plures nominatos & nullum habere duas partes integras suffragiorum Cardinalium, quid agendum?

℞ Conscribuntur nomina eorum, qui habuerunt suffragia & dantur Secundæ Schedulæ Cardinalibus, ut quilibet accedat ad illum ad quam voluerit, qui habuerunt Suffragia in scrutinio. *ut habetur in d. Bulla.*

104 In Scrutinij accessu poteštne quis accedere ad eum, cui in scrutinio tulit suffragium?

℞ Potest dicere ad nullum accedo, sed si accedit ad aliquem, debet esse ille, ipse in scrutinio cui non dedit Suffragium, alias illud suffragium accessus nullum erit. *d. Bull. Gregor. Æterni Patris*

105 Quando Cardinales ponunt suffragium secretum intra Calicem ad hoc paratum, quod juramentum faciunt?

℞ Accedens Cardinalis ad Altare, supra quod stat Calix magnus patenâ coopertus, facta genuflexione aliquantulum orat, surgens alta & intelligibili voce in hanc formam jurat: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est me eligere, quem secundum Deum judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo:* deinde Schedulam, quam duobus digitis primis tenet in patena ponit, & per patenam mittit in Calicem præsentibûs & inspicientibûs Scrutatoribûs quô factô, inclinabit se ad altare, & ad suum locum revertetur. *Ita d. Bull. Æterni Patris.*

106 In accessu vel scrutinio licetne plures nominare?

℞ Non, nisi unum; & in schedula, in qua plures nominati fuerint, suffragium nullum est. Accessusq; in in Scrutinio semel tantum debet fieri. *ut habetur in d. Bull.*

107 Schedulæ dum numerantur, si plures vel pauciores, quàm sunt Cardinales, inveniantur, quid faciendum?

℞ Antequam schedulæ sive Scrutinij, sive Accessus aperiantur, tres Cardinales Scrutatores, debent diligentissimè numerare omnes Schedulas, & si sint plures, vel pauciores qvàm Cardinales, statim in Conclavi omnibûs præsentibûs & spectantibûs comburuntur & iterum ad Suffragia descenditur

descenditur. *Ita d. Bull. Æterni Patris.*

108 Si aliquis Cardinalis sit infirmus in suo cubiculo, quomodo debet ferre suffragium?

℞ Convenientibus omnibus Cardinalibus in Capellam antequam fiat scrutinium, mittuntur Sortes, ex quibus per ultimum Diaconum Cardinalem tribus sorte extractis cum Nominibus Cardinalium, qui tres, acceptâ casulâ clausa accedunt ad Cubiculum infirmi, & infirmus per foramen mittit suum suffragium in casulam, quô acceptô redeunt ad Altare, Scrutatoresq; apertâ casulâ & suffragiô in patenam extractô spectantibus omnibus mittunt in Calicem. Et hæc ceremonia servatur in quolibet Scrutinio.

109 Quoties in die fit Scrutinium & quando?

℞ Bis singulis diebus: mane scil: post dictam Missam & Vespere hora competenti post veni Creator Spiritus & Orationem de Spiritu Sancto. Ac in prima Missa omnes Cardinales communicant.

110 Quæ est electio per Compromissum & quomodo fit?

℞ Cùm omnes Cardinales in conclavi existentes, nemine discrepante, faciunt Scripturam & eligunt duos vel tres Cardinales, ut nomine omnium eligant Sum. Pontificem, qui nullum ex se eligere possunt. *ut habetur in d. Bulla. Æterni Patris.*

111 In Compromisso,quæ Conditiones debent explicari?

℞ Hæ:Si Compromissarij possint eligere unum de Collegio, vel alium extra Collegium. tempus, in quo eligere debent. an omnes Compromissarij debeant unanimiter concurrere in electione, vel sufficiat major pars. quas Conditiones Compromissarij tenentur servare ad ungvem.

112 Quis est modus eligendi per Compromissum & quomodo fit electio?

℞ Factô mandatô in forma Compromissi, Cardinales Compromissarij se conferunt in locum separatum, & facta protestatione, quòd per quamcunq; prolationem verborum non intelligant dare suum consensum, nisi in scriptis illum expressè ponant, accedunt ad electionem. Hæc verò protestatio ad id est necessaria, ut verbis humanis & reverentialibus inter se uti possint.

113 Pactiones, promissiones, nutus, obligationes, minæ, signa, suffragiorum & Schedularum, tam respectu inclusionis, quàm exclusionis Creaturarum de suffragio dando vel non dando; suntne licita?

℞ Non esse licita, imò prohibita,sub pæna excommunicationis ipso facto incurren. sed non vetantur tractatus necessarij pro electione habendi, ut meliùs electio fiat.

114 Excommunicationes positæ contra Electores, qui non servant d. Bullam, quomodo intelliguntur?

℞ Istæ excommunicationes nullum Cardinalem excludunt à voce activa & passiva, neq; excommunicantur durante Conclavi illi, qui communicant Cardinalibus sic excommunicatis si fortè tales sint; & hoc ideo fit, ut tollantur majores Lites & dissensiones. *d. Bull. Æterni.*

115 Qui sunt Executores hujus Bullæ?

℞ Tres Cardinales deputati ad Congregationes faciendas singulis diebus, diversis negotijs responsa dantes, & cum his Camerarius S. Romanæ Ecclesiæ.

116 Hæc Bulla quoties juramentô firmatur à Cardinalibus?

℞ 1mò, cùm quis ad Cardinalatûs honorem promotus est. 2do, in prima Congregatione, quæ habetur post obitum Sum. Pontificis idq; ab omnibus Cardinalibus. 3tio, post ingressum Conclavis. *ut præcipitur in d. Bulla Æterni Patris.*

117 Cardinalis, qui non est de Epistola, potestne habere suffragium?

℞ Non potest, nisi habeat privilegium expressum à Pontifice mortuo: Cardinalis verò qui habet os clausum, si sit in Sacris, poterit ferre suffragium; quia jam declaratum fuit per Pium *V.* hanc ceremoniam introductam esse, ut Cardinales discant modum loquendi;& postea loquantur in Consistorijs; quia sunt de Consilio Sanctissimi.

118 Vivente Papa, potestne tractari de electione Sum. Pontificis?

℞ Inconsultô Papâ non potest sub pæna excommunicationis, vel privationis dignitatis. *can. 2 dist. 79.*

119 Quare Electio Sum. Pontificis spectat ad Cardinales & non ad alias Personas?

℞ Quia prima Sedes cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atq; ideò supra se Metropolitanum non habet, cujus vice Cardinales Episcopi funguntur, reliqui verò Cardinales, qui sunt in Sacris, vices Episcoporum gerunt, ad quos solos electio Sum. Pontificis tanquam universalem Ecclesiam sede Pontificia vacante, spectat. *Ita decrevit Nicolaus II. can. 1. dist. 23.*

120 De quo gremio debet eligi Papa?

℞ Primò de gremio ipsorum Cardinalium, deinde de gremio Ecclesiæ Romanæ, si ibi magis utilis vel idoneus inveniatur. Quia Christus Dominus æqualiter amplectitur,neq; apud eum est acceptio personarum. *d. can. 1. dist. 23. & ibi gloss. v. Gremio.*

121 Papa electus ante coronationem & intronizationem quam potestatem habet?

℞ Omnem, quam habet post coronationem. Quia electio canonica facta secundùm Bullas & Canones per Cardinales, qui repræsentant Universalem Ecclesiam Catholicam, dat electo omnem potestatem: Coronatio verò est quædam ceremonia significans ejus magnitudinem & esse supra Imperatores & Reges, ac Caput esse universalis Ecclesiæ. *d. can. 1. dist. 23.*

122 Mortuo Sum. Pontifice quid tenentur facere omnes Christi fideles?

℞ Habita obitûs certitudine, Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, Parochiales, Regularium & Monialium, tenentur una cum populo, quælibet pro sua possibilitate, facere solennes exequias pro Pontifice vitâ functo, cantando Missam & Officium Defunctorum, singuliq; Sacerdotes ad tres missas obligantur. Deinde singulis diebus orare pro electione Sum. Pontificis ponendo in

Missis Collectam, vel dicendo Litanias singulis diebus, vel faciendo Processionem, vel aliam publicam devotionem, ut benè visum fuerit Episcopo & Capitulo cujuslibet Diœcesis. *Ita determinavit Gregorius X. in Concil. Lugdunen. ut habetur in Clement.* 2. *h. t.* & *Conc. Raven.* 2. *sub Clemente V. Cap.* 1.

123 Cardinales sede vacante, quam habent potestatem ?

℞ Solùm habent gubernationem temporalem & Spiritualem necessariam ad gubernandam Rempub:, sed non possunt mutare Statum Ecclesiæ, neq; aliquid alienare, nec providere beneficia, dispensare, ligare Episcopos & confirmare. *d. Clement.* 2. *h. t.* & *determinatum est à Clemente V. in Concilio Viennensi*, Quia potestas Pontificia, quæ data fuit à Christo Domino D. Petro solvendi atq; ligandi, non remanet penes Cardinales, sed integra sicut eam reliquit Prædecessor, datur novo Electo. *d. Clement.* 2. *h. t.*

124 Si omnes Cardinales, qui sunt in Conclavi, causâ infirmitatis, pestis, belli, vel alicujus dissensionis exeant ex Conclavi Pontifice non electo, quid agendum ?

℞ In isto casu Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Oratores Regum, illi qui sunt custodes Conclavis, & omnis Ecclesia, omnibus modis curare debent ut iterum ad Conclave revertantur, vel faciant in alio loco magis apto & minùs periculoso aliud Conclave, ad electionemq;, ne sedes Pontificia vacet descendant, alias pænas Bullæ Clemen. *V. in Conc. Viennen.* 1310. *latæ incursuri.*

125 Cardinales in Conclavi electionis tempore, quas portiones habent ?

℞ Ex dispositione. *d. c.* 3. §. *Verum. fi. h. t. in* 6. si per tres dies non elegerint Sum. Pontificem, per 5. sequentes dies una tantùm pro prandio, & una pro cæna portio illis ministrabatur, transactis 5. diebûs & electione non finita, sequenti tempore panis vinum & aqua tantummodo illis dabatur: sed modo vescuntur duobus ferculis in prandio & in cæna, nempe altero carnium, aut piscium seu ovorum, altero jusculi vel alicujus similis alimenti præter panem, vinum, aquam, condimenta, salsamenta, herbas, caseum & fructus: nullus tamen alterius ferculo vesci potest, & ut quilibet separatim vescatur, cautum *per Bull. Clementis V.* & *Pij. IV.*

126 Contra electionem Summi Pontificis factam per duas partes Cardinalium vel per omnes Cardinales, quid potest opponi ?

℞ Solùm crimen Simoniæ, quod potest committi dando, promittendo, recipiendo pecunias, bona, Castra, honores, officia, vel beneficia. *ut habetur in Bull. Iulij II.* 1405. *edita.* Alia crimina non opponuntur, ne electiones cavillationibus deferantur.

127 Papa simoniace electus quam pænam incurrit?

℞ Electio nulla, ac ipse cum fautoribus, interventoribus & electoribus excommunicatur, officijs & beneficijs obtentis & obtinendis, etiam honore Cardinalatûs privatur, cuilibetq; Cardinali vel Clero Romano licet opponere hoc Crimen Simoniæ, Cardinales verò, qui Simoniæ non intetfuerunt etiamsi sint in minori numero possunt eligere alium Papam, & ille erit verus Petri Successor. *d. Bull. Iulij. II.*

128 Conclave, quam formam debet habere ?

℞ Debet esse clausum & tantæ amplitudinis, ut in eo possint esse Cellæ pro omnibus Cardinalibus & Servientibus, quæ Cellæ sorte distribuuntur, Capella & locus ubi possint Cardinales ambulare *ut habetur in d. Bull. Iulij II.*

129 Quæ Personæ debent ingredi Conclave ?

℞ 1mò. Omnes Cardinales, quilibet vero duobus famulis comitatus. 2. Sacrista cum uno Clerico. 3. Duo Magistri Ceremoniarum. 4. Unus Confessarius à majori parte Cardinalium per secreta suffragia electus. 5. Unus Secretarius Collegij. 6. Duo Medici periti. 7. Unus Chirurgus. 8. Unus Aromatarius cum uno vel duobus servientibus. 9. Unus faber lignarius. 10. Unus Cæmentarius. 11. Duo Barbitonsores cum uno vel duobus servientibus. 12. Octo aut 10. servientes publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, verrendo Conclavi & similibus necessitatibus ministrandis. Isti omnes debent eligi per suffragia secreta Cardinalium ex pluritate votorum, & nullus eorum debet esse de familia alicujus Cardinalis, quorum labor de publico compensatur. *d. Bull. Pii IV.*

130 Qui debent custodire Conclave ?

℞ Archiepiscopi, Episcopi designati à Cardinalibus in numero convenienti, qui debent de Officio fideliter exercendo jurare, inspicereq; diligenter fercula ne sub earum velamine aliquæ literæ, notæ vel signa transmittantur, quæ si invenerint statim delinquentem Gubernatori Urbis tradant, ut incarceretur usq; ad Electionem Sum. Pontificis: intus verò custodiunt Conclave tres Cardinales ad hoc deputati. *Bull. Pii IV.* 1562. *edita.*

131 Pro exequijs mortui Pontificis, quantum potest expendi ?

℞ Summa ascendens ad decem millia ducatorum; quæ distribuitur per novem dies continuos ante electionem.

132 In quibus rebus possunt Cardinales facere expensas de ærario Pontificis, vel de statu temporali S. Romanæ Ecclesiæ ?

℞ 1mò. Pro exequijs Summam supradictam. 2. pro victu familiæ Pontificiæ usq; ad electionem novi Pontificis. 3. Pro eleemosynis sede vacante fieri consvetis. 4. Pro provisione terrarum Ecclesiæ. 5. Pro Custodia Urbis & Conclavis, tum pro securitate & provisionibus Conclavi necessarijs. Quantitatem autem harum expensarum debent determinare Cardinales per suffragia secreta ex pluralitate. In reliquis nullam habent potestatem: neq; enim exspendere possunt de statu temporali S. Romanæ Ecclesiæ, nec de pecunijs Cameræ Apostolicæ, aut Datariæ, neq; solvere possunt debita contracta ante obitum Pontificis, sed omnia integra reservantur futuro Sum. Pontifici. *Bull. Pii IV. Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. Clementis VI. Julii II.*

133 Papa electus per tumultum, estne verus Papa?
℞ Non, sed alius est eligendus. *Can. 9. dist. 79.* & non electus à Cardinalibus, non est Papa. *Conc. Rom. sub Nicolao II.*

134 Papa Canonicè non electus, à quo anatematizandus & pellendus ab Ecclesia?
℞ A Cardinalibus cum auxilio aliorum, qui non Apostolicus, sed Apostaticus dicitur. *Can. 1 & 9. dist. 79.*

# CAPUT V.
## De Examine Episcopi.

1 Quando in electione Episcopi requiritur assensus Patriarchæ illius Provinciæ, vel Regis illius Regni?
℞ Quotiescunq; in Regno fuerit consvetudo immemorabilis, ut in electione petatur assensus Patriarchæ vel Regis, illa & hodie est servanda. *c. 14. De Electione & Elect. potest.*

2 Reges & Principes Sæculares in electione Episcopi in suis Regnis, quid debent agere?
℞ Si habent jus præsentandi concessum sibi per Bullam & Privilegium à sede Apostolica, intra tempus à jure concessum præsentare debent illum, quem virtute, scientiâ, ætate, vitâ & moribûs ad talem Ecclesiam regendam judicaverint digniorem, dantq; illi literas in forma ad Romanum Pontificem. *Conc. Trid. Seß. 24. Cap. 1. de Reform. & d. c. 14 de Elect.*

3 Quas qualitates debet habere Episcopus?
℞ Debet esse ex legitimo Matrimonio natus, ætate matura scil. 30. annorum, morum gravitate, literarum scientia præditus, in Sacris Ordinibus saltim per Sex Menses ante electionem constitutus, in Sacra Theologia, vel Iure Canonico graduatus, testimonio de vita & moribus sui Ordinarij vel Legati Apostolici si est Sæcularis, si vero Religiosus, sui Prælati, commendatus. *Conc. Trid. Seß. 6. Cap. 1. Seß. 7. Cap. 1. Seß. 22. Cap. 2. Seß. 24. Cap. 1. & Bull. Gregorij XIV. Apostolicæ Servitutis.*

4 In Electione Episcopi estne præferendus Iurista Theologo?
℞ Si in illa Provincia vel Diæcesi pullulent hæreses, Theologus præferri debet, ad defendendam fidem Catholicam, si verò non sint hæreses, præferendus est Canonista, quia aptior est ad gubernationem & determinandas per se ipsum Causas Civiles & Criminales, Si vero inveniatur simul Theologus & Canonista, utriq; præferendus est, tanquam ille in quo invenitur plenitudo scientiæ. *Abb. in c. 1. n. 9. de Elect. & Ioan. Andr. in c. 3. de Consang. & Affin.*

5 Electus Episcopus, vel Nominatus à Rege, vel Principe, coram Nuntio Apostolico vel Metropolino comparens, quid debet agere?
℞ Præsentatô testimoniô suæ electionis vel Nominationis, debet facere sufficientem informationem cum testibus fide dignis, de Natalibus, vitâ, scientia, doctrina, moribus, in qua Facultate fuerit graduatus, quas Ecclesias gubernaverit; quas dignitates tempore electionis vel Nominationis possederit, quanto tempore in Ordinibus Sacris exstiterit, Literas formatas omnium Ordinum & Doctoratûs diploma num habuerit. *Conc. Trid. Seß. 24. Cap. 1. de Reform.*

6 Facta dicta informatione, quid amplius debet facere novus Episcopus?
℞ Debet facere professionem fidei in manibus Nuntij Apostolici, vel Metropolitani, juxta formam præscriptam, addendo sic me Deus adjuvet & hoc Sanctum Dei Evangelium. *Conc. Trid. ubi supr.*

7 Præter professionem fidei, quid debet facere Episcopus electus?
℞ Subdere se examini Curiæ Romanæ, vel si sit remotus, Nuntij Apustolici, vel Metropolitani illudq; cum omnibus supra expressis requisitis ad Curiam Romanam in manus sui Procuratoris ad hoc specialiter constituti transmittere.

8 Si Episcopus postuletur ad alium Episcopatum vel Archiepiscopatum, quid debet agere?
℞ Debet transmittere mandatum ad suum Procuratorem specialem, ut in Curia Romana resignatâ primâ Ecclesiâ, acceptet secundam, & si postulatur ad Archiepiscopatum, ut petat Pallium à Sanctissimo.

9 Nuntius Apostolicus, vel Metropolitanus in negotio Electi Episcopi, quid debet mittere ad Sum. Pontificem?
℞ Omnem informationem à se factam & sigillatam professionem fidei, approbationem scientiæ & literas Commendatitias in favorem Episcopi noviter electi?

10 Istæ informationes à quo debent examinari in Curia Romana?
℞ A quatuor Cardinalibus, ad quorum unius informationem de qualitate Episcopandi Sum. Pontifici factam, Pontifex proponit Cardinalibus, ut in Consistorio sequenti eligatur in Episcopum.

11 Potestne Papa in uno Consistorio audire merita Ecclesiæ & Episcopi electi, ac eum statim eligere & confirmare?
℞ Potest, si ipsi ita videbitur; quia cùm sit supra legem, lege non ligatur.

12 Electus in Episcopum debetne necessariò examinari?
℞ Debet: & quidem proximior, uti Italus, Siculus à Sum. Pontifice & à Cardinalibus ad hoc constitutis; remotior, à Nuntio Apostolico, vel Metropolitano. *can. 2. dist. 23. Conc. Trid. Seß. 24. Cap. 1. de Ref. & Bull. Gregor. XIV. 1591.* Apostolicæ servitutis.

13 Episcopus semel approbatus in una Ecclesia, si ascendat ad alteram, vel ad Archiepiscopatum debetne iterum examinari?
℞ Non debet: quia ex officio Episcopi, quod laudabiliter exercuit, non est factus pejoris conditionis, imò reputatur magis idoneus ad gubernandam secundam Ecclesiam. *ut elicitur ex c. 8. de Reg. Iur. in 6. & Declarat. Conc. Trid. Seß. 7. Cap. 13. & Seß. 24. Cap. 18. de Ref. ubiq;*

14 Episcopus electus veniens Romam, ut approbetur à Summo Pontifice, quid agere debet?

℞ 1mò, Tenetur adire Oratorem Regis, si in Urbe est, certumq; eum facere de electione, vel præsentatione ad talem, vel talem Episcopatum, idq; ideo, ut eum dirigat in omni negotio, 2dò. Debet se, Oratorem Regis, vel Principis comitando, præsentare Sum. Pontifici, pedes ejus osculari, se præsentatum vel electum ab N. ad Episcopatum N. proponere, diemq; examinis ac benedictionis ab eodem petere. 3tiò. debet adire Eminen. Cardinales præcipuè illos, qui assistere solent examini, tum Magistrum Cameræ, Secretarium Sum. Pontificis, ut ab ijs diem & horam examinis determinatam obtineat. 4tò. visitare etiam debet examinatores omnes, qui ferè semper sunt Auditores Rotæ, & aliquis Religiosus ac Magister Palatij ex ordine Prædicatorum, qui in domibus suis cognoscunt ejus ingenium & capacitatem.

15 Examen Episcoporum quod fit ante Sum. Pontificem, quomodo fit?

℞ Sedente Sum. Pontifice cum Stola pro Tribunali, cui hinc inde sex vel octo ad hoc deputati sedentes in scamnis Cardinales assistunt, post quos stant, Magister S. Palatij, Secretarius Sanctissimi, unus vel duo Magistri Ceremoniarum & omnes Examinatores tam Theologi, quàm Canonistæ.

16 In hoc examine, quæ materiæ proponuntur?

℞ Si examinandus sit Theologus, interrogatur de pluribus materijs Theologicæ, si Iurista, tam de materijs Iuris Civilis, quàm Canonici, ad placitum Examinatorum, ultimò de materia Iurisdictionali, taliter, prout in toto libro Nostro tractatur.

17 Quot numero examinant electum?

℞ Non potest dari certa regula: sed ferè semper examinant duo vel tres, & ultimò unus ex Eminentissimis Cardinalibus; quorum quilibet tamdiu examinat, quamdiu placet Sanctissimo, qui capite vel nutu facit signum cuilibet incipiendi, vel finiendi examen. Unde Examinandus mandare debet memoriæ definitiones, divisiones, terminos communes Iuris Utriusq; & materiam præcipuè Sacramentorum.

18 Examinandus Episcopus assignato sibi die & hora examinis à Magistro Cameræ, quid debet agere?

℞ Debet comitari Eminen. Cardinales & Examinatores ad S. Palatium, qui postquam illud ingressi fuerint, gratiâ visitandi Sum. Pontificem, eosdem ante portam expectare, vocatus tandem à Magistro Ceremoniarum, venire debet sine pileo, & ter ante Sum. Pontificem demissis in terram oculis, primò in ingressu, secundò in medio itineris, tertiò in fine, ubi scilicet Pluviale sibi paratum habuerit genuflexione facta, salutando post tertiam genuflexionem Eminen. Cardinales hinc inde sedentes, assumptoq; Pluviali, interroganti Sum. Pontifici, clara voce & humiliter respodet se Theologiam vel sacros Canones profiteri, atq; dicere se in his, vel Theologia esse Doctorem, tunc Sum. Pontifex Examinatores versùs faciem vertit, & dat Signum uni ex illis genu flexis, qui accedens prope examinandum, interrogat eundem ex scientia, quam profitetur.

19 Quomodo se in examine gerere debet Episcopus?

℞ Ad interrogata Examinatoribus modestè, clare, & intelligibili voce, breviter, absq; ulla disputatione & vociferatione, negando neganda, concedendo concedenda, distingvendo distingvenda, respondere debet, quo examine finito surgit, osculaturq; pedes Sanctissimi, & facta trina ut priùs genuflexione, salutatisq; in ultima Eminen. Cardinalibûs, exit extra fores Examinatus, ibiq; approbationem, vel reprobationem quam Secretarius istius Congregationis scribit, expectat, & in quocunq, eventu, genuflexus osculatur manus Eminen. Cardinalium ac eosdem ad portam Palatij reducit, ac sequenti die pro labore in examine suscepto illis ostiatim gratias agit.

20 Episcopus in examine approbatus quid ultra agere debet?

℞ Debet petere Rochettum, ac illud à Sum. Pontifice horâ & die sibi assignato assumere, tum vestitum Episcopalem, absq; Muceto tamen, postea facere professionem fidei & juramentum fidelitatis, primò in manibus Pontificis quando accipit Rochettum, secundò in manibus Cardinalis, qui præest Cancellariæ, tertiò in manibus Officialium, qui itidem Cancellariæ præsunt, & de his omnibus accipere testimonium authenticum, ac demum Bullas Apostolicas expedire & Bullam ad consecrandum.

21 Quare Episcopi in Curia Romana non deferunt Mucetum, etiam consecrati?

℞ Quia Mucetum est signum Iurisdictionis, quam in Curia Romana nullus Episcoporum habet, sed solus Papa: ideo illud solus defert & Cardinales ex privilegio ejus, quamvis non sint Episcopi.

22 Episcopus post Confirmationem, ante Consecrationem & expeditionem Bullarum, quam habet potestatem?

℞ Potest dare facultatem Sacerdotibus ad administranda Sacramenta, Dimissorias subditis suis ad ordines suscipiendos, Vicarium, Iudices, tam in Causis criminalibus, quàm Civilibus & novos Administratores proventuum suorum constituere, ab Administratoribus & Oecônomis sede Episcopali vacante, calculum recipere, vel ad reddendum mediis juris compellere, beneficia quomodolibet vacantia conferre, resignationes recipere, Episcopo in sua Diæcesi Pontificalia exercendi facultatem dare. Ratio est, quia hæc omnia sunt actus jurisdictionis & dantur Episcopo in Confirmatione, ut habetur. *in gloss. c. 15. de Elect. & elect. potest. Felin. in c. 7. de Rescript. Abb. in c. 9. de Elect. Barthol. & Ugol. Cap. 1. §. 3. de Offic. & potest. Episcop.*

23 Episcopus Confirmatus & non Consecratus, quos actus non potest exercere?

℞ Pontificalia exercere non potest, nec dicere Missas Pontificales, neq; aliquem etiam ad primam Tonsuram promovere. Quia hæc potestas datur illi in consecratione, *DD. Citat. immediatè*

24 Si ele-

24 Si electus fuerit Archiepiscopus, quando Pallium petere debet?
℞ Post Bullas expeditas in Cancellaria,& si præsens fuerit Romæ, consulitur ipsi, ut ante discessum à Sanctissimo, etiamsi aliquot dies in hoc consumet, petat & obtineat ipse in persona sua: ne postea ab inimicis in mari vel in terrâ recipiatur Pallium, quod denuo cum novis expensis, nova difficultate & magna, ac informationibus debitis, quòd nimirum non fuerit in culpa & in causa amissionis Pallij, deberet petere, & interim non poterit dicere Missas Pontificales sine Pallio.
25 Episcopus post confirmationem & Consecrationem, antequam discedat à Curia quid debet facere?
℞ Petere licentiam & benedictionem à Sum. Pontifice, osculari pedes ejus, valedictis Cardinalibus, visitatis Septem Ecclesiis, dictâq; Missâ & Itinerario discedere in pace.
26 Episcopi sine licentia Papæ à Curia discedentes, quam pænam incurrunt?
℞ Excommunicationis una cum suis Receptatoribus, & qui veniunt Romam latenter pænam infidelitatis incurrunt. *Extravag. Comm. 2. & 3. de Majorit. & Obed.*
27 Episcopi vocati Romam á Papa possuntne excusari impedimento aliquo?
℞ Non possunt, etiam Imperatoris, Regis, vel Reipub. *Gregorius I. Lib. 5. Epist. 26.*

## CAPUT VI.
## De Consecratione Episcopi.

1 In Consecratione Episcopi, quæ literæ testimoniales requiruntur?
℞ De necessitate, Literæ Formatæ à prima Tonsura usq; ad Sacerdotium inclusive, & literæ probantes bonam vitam & famam: de congruentia literæ Doctoratus, Dignitatum, Canonicorum & Officiorum, quæ exercuit ante Episcopatum, ut Sum. Pontifex, Episcopus Consecrans, Assistentes & Cardinales habeant integram cognitionem meritorum electi Episcopi.
2 Episcopus dum consecratur, quam cognitionem debent habere Episcopi assistentes, ut tutâ conscientiâ possint respondere eum esse dignum?
℞ Sufficit illos non habere scientiam in contrarium. Quia quilibet tamdiu præsumitur esse bonus, donec in contrarium probetur esse malus. *c.1.de Scrutin. in Ordin. facien.*
3 Intra quod tempus Episcopus electus & Confirmatus, debet consecrari?
℞ Ultra tres Menses à confirmatione, cessante legitimo impedimento, protrahi nequit, alias ad restitutionem fructuum tenetur, & si intra tres alios Menses consecrari neglexerit Episcopus, eo ipso privatur. *can. 2. §. Tempus autem. dist. 75.& Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 2. de. Reform.*
4 Quæ sunt talia impedimenta differentia Consecrationem sine prædicta pæna?
℞ Ista 1mò, si morbo impediatur Confirmatus, vel si ille Episcopus, cui Sum. Pontifex commisit Consecrationem moriatur, 2dò, si sit aliquâ Censurâ ligatus, & non stet per ipsum, quò minus absolvatur. 3tiò, si sit de aliquo delicto accusatus, & antequam innocentiam probet, tempus consecrationis elabatur. 4to, si sit lis & controversia super Episcopatum, vel si non administratur à Subditis, vel in capienda possessione sit aliquod periculum, vel resistentia: quia lex debet esse de possibili: & impedito agere, non currit pæna, neq; tempus, neq; terminus, nec præscriptio. *Felin. in c. 10. de Præscript. & l. Impossibilium. ff. de Reg. Iuris.*
5 A quo die tempus Consecrationis currit?
℞ Si sit præsens, à die Consecrationis, si absens, à die notitiæ. *Calderin. Cons. 4. & 5. de Elect. Tusc. litera C. concl. 743. & 744.*
6 In qua Ecclesia debet fieri Consecratio?
℞ Si sit in Curia, fiet in illa Ecclesia, quam Consecrans elegerit: si extra Curiam fiet in propria, aut in alia commodiori electa à Consecrante Episcopo. Ille enim protunc, habet authoritatem Sum. Pontificis, invitat Episcopos, omnia ordinat ac disponit & Consecratum tanquam Sponsum & filium honorat. *Tusc. loc. cit.*
7 Quo die debet fieri Consecratio?
℞ Die Dominico, horâ tertia lucis: quia Episcopi vicem Apostolorum obtinent, quibus in die Pentecostes horâ tertiâ Spiritus Sanctus datus est *can. 1. & 5. dist. 75.*
8 A quot Episcopis fieri debet Consecratio?
℞ Exemplo Apostolorum à tribus Episcopis, uno Consecrante & duobus assistentibus. Beatus enim Iacobus Episcopus Hierosolymitanus, Justus nuncupatus, à Petro, Ioanne & Iacobo Apostolis est consecratus, quem ritum inviolabiliter conservat Ecclesia. *can. fin. dist. 66.*
9 Quæ est forma Consecrationis Episcopi?
℞ Hæc, quæ est præscripta in Pontificali Romano, duobus Episcopis, Codicem Evangeliorum super Caput & cervicem tenentibus, tertio benedicente, omnibus Episcopis præsentibus Caput Consecrati tangentibus, illudq; manibus inungentibus *d. can. 1. dist. 75.* Qua Consecratione peracta, Episcopus consecratus, Ecclesiæ Romanæ & ejus Pontificibus præstat fidelitatis juramentum juxta formam præscriptam *in. c. 4. de Iure jur.*
10 In Consecratione recipitne Episcopus novum characterem?
℞ Negativè jux. *D. Th. Lib. 4. dist. 24. & Theologos* ferè omnes, sed solùm extensionem characteris Sacerdotalis ad majorem potestatem Episcopalem. jux. Canonistas autem recipit novum characterem ordinandi Clericos consecrandi Aras, Ecclesias &c. *ut supr. dictum Lib. 1. Cap. 12*

## CAPUT VII.
## De Residentia Episcopi.

1 Episcopus tenetur ne ad residentiam personalem?
℞ Tenetur de præcepto divino, etiamsi sit Cardinalis, Patriarcha &c. modò non habeat Ecclesiam sub potestate Maurorum, Saracenorum &c. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 1. de Ref.*
2 In qua parte suæ Diœcesis Episcopus tenetur residere?

℞ In quacunq; voluerit pro commoditate sui, & ubiq; facit fructus suos: de Consilio tamen justum est ut diebus Solennibus assistat in majori Ecclesia cum Canonicis, ne his saltim diebus membra sine capite sint. *Declarat. Conc. Trid. loc. cit. n.* 1.

3 Episcopus non residens ad Cathedralem Ecclesiam, sed in alio suæ Diæcesis loco, poteritne ibi suam habere Curiam & Vicarium?

℞ Licet Vicarius in Spiritualibus ex consvetudine propter commoditatem subditorum soleat residere ad Cathedralem Ecclesiam, Episcopusq; ad latus suum habeat Causarum Auditorem, tamen potest in quacunq; parte Diæcesis fuerit constitutus, secum habere Vicarium, Carcerem & Officiales Quia in persona Episcopi radicatur universa jurisdictio, & ita ubicunq; est Episcopus, ibi Curia, Carcer, potestas coercendi, componendi & finiendi lites. *DD. in d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

4 Si Episcopus, dignitatem, Canonicatum vel aliud beneficium requirens residentiam habeat simul cum Episcopatu per dispensationem Apostolicam, vel per unionem Episcopatui ratione congruæ sustentationis, in quo loco tenebitur residere?

℞ Sufficit, ut resideat in quolibet loco suæ Diæcesis, & ibi lucrabitur fructus Præbendæ, exceptis distributionibus quotidianis, ad nullumq; onus personale tenebitur. Quia ad Episcopum pertinet gubernatio & Cura animarum totius Diæcesis, & ista præferuntur residentiæ; cùm sint res majoris momenti. *d. Declarat. Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref. n.* 1.

5 Episcopus excusaturne à residentia sui Episcopatus ratione infirmitatis perpetuæ?

℞ Non, nisi de licentia Sum. Pontificis, qui in his necessitatibus & in alijs paternè providet. *DD. in d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

6 Tempore pestis licetne Episcopo relinquere suam Ecclesiam?

℞ Non licet, imò tunc magis ad residentiam obligatur. Quia ubi majus est periculum, ibi debet esse major vigilantia. Salvum enim se ipsum facere, & filios orphanos relinquere, lex prohibet divina. *can.* 46. *& ibi gloss.* 7. *q.* 1.

7 Episcopus quanto tempore potest abesse à sua Diæcesi, & in quibus Festis debet assistere in Cathedrali?

℞ Potest abesse sine pæna ad summum per tres Menses quolibet Anno, continuos, vel interpellatos, non tamen hi tres Menses sint tempore Adventûs, Quadragesimæ, Festorum Nativitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes & Corporis Christi: quia Ecclesia celebrat has festivitates cum majori Solennitate, justum est, ut Caput Ecclesiæ assistat. *Conc. Trid. loc. cit.*

8 Si in illis tribus Mensibus, in quibus Episcopus abest, sit aliqua ex supra dictis festivitas, tenebitur ne Episcopus adire propriam Ecclesiam pro illa festivitate celebranda, & si non veniat, incurritne aliquam pænam?

℞ Nullam in dicto casu etiamsi sit in Civitate, vel Diæcesi, & non descendat ad Ecclesiam Cathedralem pro festivitate celebranda. Quia dies exceptuati à Concilio, sunt de Consilio & pæna ibi posita est circa transgressionem temporis trium Mensium. *Abb. in c.* 1, *de Vit. & hon. Cleric. Conc. Trid. ubi supr.*

9 Episcopus teneturne omnibus diebus Dominicis assistere in Ecclesia?

℞ Non, sed sufficit, ut assistat in suaDiæcesi, licet de Consilio, si non sit impeditus, teneatur assistere ad exemplum aliorum; nullam tamen pænam in Conc. Trid. præscriptam incurrit. *Abb. loc. cit.*

10 Quam pænam incurrit Episcopus ultra tres Menses à sua Diæcesi absens?

℞ Si per sex Menses continuos, vel iterpellatos in uno anno à sua Diæcesi abfuerit, amittit quartam partem fructuum illius anni, fabricæ & pauperibus applicandam; si per alios sex menses in illo vel alio anno abfuerit, amittit aliam quartam partem fructuum. Si vero perseveraverit in absentia, contumaciâ ejus crescente, privabitur à Sum. Pontifice Episcopatu, & ultra has pænas peccat mortaliter. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 1. *& Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref. can.* 20. 7. *q.* 1. *c.* 8. *de Cleric. non residen.*

11 Quis has pænas decernit contra Episcopum absentem?

℞ Metropolitanus, & contra Metropolitanum, Episcopus antiquior. *Conc. Trid. loc. cit.*

12 Si Episcopus sit absens à sua Diæcesi absq; justa causa, & licentia Sum. Pontificis per quatuor Menses, & pæna ei non detur a Metropolitano, ad quid tenebitur in conscientia Episcopus?

℞ Ad restituendos fructus unius Mensis, fabricæ & pauperibus pro suo libitu applican. & confiteri debet peccatum: quia in illo quarto mense non fecit fructus suos propter absentiam, sicut & Canonicus, qui non residet ad Cathedram. *DD. & Abb. in Jurib. allegat. & Conc. Trid. d. Sess.* 6. *Cap.* 1. *de Ref.*

13 Si Episcopus exeat de Episcopatu animo revertendi intra tres Menses, incidens tandem in infirmitatem, non possit reverti usq; post alios tres Menses, tenebiturne ad dictam pænam?

℞ Non, neq; ad fructuum restitutionem: quia per illum non stetit, quominus reverteretur, ac impeditis non currit damnum. *Abb. in d. c.* 8. *de Cleric. non residen. & DD. in d. Cap.* 1. *Sess.* 6.

14 Quibus de causis potest Episcopus à sua Diæcesi abesse absq; pæna & licentia?

℞ Quando aliquis Archiepiscopus vel Episcopus habet aliquod Officium vel dignitatem pertinentem ad regimen Reipub. annexam Episcopatui, quales sunt Nostri Illustrissimi Episcopi, qui Episcopatui habent annexam Senatoriam dignitatem, ad Comitiaq; Generalia Regni, Comitiola Palatinatuum, tum residentiam ad latus Regium ex turno tenentûr; unde abesse à Diæcesi possunt etiam sine licentia alicujus. Quia bonum universale præferri debet particulari, & est expresse permissum *per Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref. & Const. Provinci. Gneznen. Lib.* 5. *Cap.* 13.

15 Si Episcopus abfuerit per quatuor menses à Diœcesi, poteritne fructus malè perceptos, quos in pœnam debet erogare fabricæ & pauperibus, facere suos, vel saltim partem eorum, præsertim si ineat aliquam compositionem?

℞ Non, sed realiter tenetur eos erogare fabricæ & pauperibus, & nulla est compositio, uti expresse prohibita in *d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

16 Quare Canonici & Parochi possunt componere de fructibus male perceptis, ratione non residentiæ, & Episcopus non?

℞ Quia residentia Episcopi est magis stricta, quam eorum; cùm sit magis necessaria ad animarum salutem, & quia Episcopis hoc expressè est prohibitum, at Canonicis & Parochis non item. ut patet ex *d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

17 Ex quibus causis potest Episcopus abesse à sua Diœcesi ultra tres Menses?

℞ Solùm ex causis a jure expressis, & cum licentia superioris, idq; ob Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, & ob Ecclesiæ suæ vel Reipubl. utilitatem, quæ causæ à Superiore, si sunt justæ, debent approbari. *d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

18 Quando & in quo casu Christiana Charitas est causa sufficiens, ut Episcopus possit abesse?

℞ Quando extra Diœcesim in aliqua Civitate pullularet aliqua hæresis, & Episcopus sua prædicatione posset illam extingvere. hæc & alia similis sufficit causa, ut ex Christiana Charitate Episcopus absit. *c.* 7. 10. & 12. *de Cleric. non residen.*

19 Urgens necessitas quando excusat Episcopum à residentia?

℞ Quando Episcopus vovit peregrinationem, vel habet aliquod negotium, vel litem magni momenti, non valens eam per substitutum finire, quando non potest commorari in aliquo loco suæ Diœcesis sine magno vitæ periculo proveniente vel ex infirmitate, vel ex tristitia, vel ex aeris intemperie saluti illius contraria, vel propter metum inimicorum &c. tunc erit justa causa, ut Episcopus absit. *can.* 36. *dist.* 5. *de Consecr. can.* 3. & *seqq.* 7. *q.* 1. *c.* 9. *de Renunt.* & *c.* 4. *de Cleric. non residen.*

20 Debita obedientia quando excusat Episcopum à residentia?

℞ Quando Episcopus detinetur à Sum. Pontifice, vel sedis Apostolicæ Legato, vel Iudice superiori, vel ab Imperatore, vel à Rege illius Regni, cui non potest resistere. *c.* 4. 7. 10. & *ibi gloss. de Cler. n. resid.*

21 Utilitas Ecclesiæ vel Reipub. quando erit causa sufficiens, ut Episcopus, non resideat?

℞ Quando Ecclesia talem habet litem vel Respubl: negotium, ut sine præsentia & consilio Episcopi nequeant terminari. *DD. in d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

22 Istæ causæ à quo debent examinari & approbari?

℞ A Sum. Pontifice, & si commodè fieri non potest, à Metropolitano cum Concilio Provinciali. *Conc. Trid. d. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

23 Episcopus absens ex his causis, quid debet providere in sua Ecclesia?

℞ Vicarium in Spiritualibus, ita doctum, peritum & virtutibus præditum, ne ex absentia ejus subditi patiantur detrimentum: debet præterea constituere aliquem Virum, qui habeat Officium dandi eleemosynas, quas ipse dabat pauperibus, dum præsens erat. ut colligitur ex illis verbis, *absq; ullo gregis detrimento. d. Sess.* 23 *Cap.* 1. *de Ref.*

24 Episcopus potestne obtinere duas simul Ecclesias in titulum vel Commendàm?

℞ Non potest, etiamsi sit Cardinalis, imò intra sex menses tenetur unam dimittere, alias lapsò dictò spatiò prior ipso jure vacat. Una enim eademq; persona in duabus Ecclesijs residere non potest. *Conc. Trid. Sess.* 7. *Cap.* 3. *de Ref.* & *c.* 3. *de Cleric. n. resid.*

## CAPUT VIII.
## De Officio Episcopi.

1 Quot sunt gradus Episcoporum?

℞ Quatuor: In primo & supremo gradu, tanquam Caput universalis Ecclesiæ verus D. Petri Successor, eandem habens à Christo Domino potestatem, quam D. Petrus habuit, summus Sacerdos & Pontifex maximus. In secundo gradu sunt Patriarchæ qui ex potestate sibi tradita à jure & à Sum. Pontifice pluribus Provincijs præsunt. In tertio gradu sunt Archiepiscopi habentes jurisdictionem in una Provincia. in certis & limitatis casibus sibi à jure concessis. In quarto gradu sunt Episcopi, qui uni Diœcesi præsunt. Omnes isti dependent à Summo Pontifice, à quo jurisdictionem habent delegatam, & eorum Tituli vocantur majores dignitates Ecclesiæ. *can.* 1. *dist.* 21. & *Bull. Pij. V. in ordine* §. 6. & 8.

2 Unde dicitur Episcopus?

℞ A græco vocabulo Epos, quod latinè idem est, quod superintendere & speculari. Episcopi enim interest mores & vitam populorum sibi subditorum speculari. *d. can.* 1. *dist.* 21.

3 Quomodo alio nomine vocantur Episcopi?

℞ Sum. Pontificis Legati, Fratres & Coepiscopi, Apostolorum Successores, Ecclesiæ Catholicæ Pastores &c. *can.* 2. *dist.* 21. & *Abb. in c.* 40. *n.* 5. *de Elect.*

4 Episcopi à quo positi sunt & ad quid?

℞ A Spiritu Sancto ad bene regendam Ecclesiam Dei, Deo strictam rationem subditorum suorum redditurì. *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 4. *de Sacr. Ordin.*

5 Qui habet in Ecclesia Dei superiorem gradum?

℞ Post Sum. Pontificem 4. Patriarchæ, quatuor Evangelistas in Ecclesia Dei repræsentantes, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus: sed contrarium absq; controversia videmus servari. Nam Omnes Cardinales, tam qui sunt Episcopi, quàm Presbyteri & Diaconi, præcedunt omnes Patriarchas. Dignitas namq; Cardinalatus indies crescit; Patriarchatus, cum sit in manibus Infidelium, Hæreticorum & Schismaticorum, decrescit. *Extravag. Comm.* 3. *de Elect.*

6 Cardinales quales debent esse, & ex quibus partibus Mundi?

 ℞ Dele-

℞ De legitimo Matrimonio nati, ætate, morum & vitæ gravitate, literarum ſcientia & alijs omnibus qualitatibus præditi, & ſi commodè fieri poteſt, ex omnibus Nationibus Chriſtianis eligantur per Sum. Pontificem, ut omnibus proſint & omnes nationes protegant. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *Cap.* 1. *de Ref.*.

7 Quid debet de ſe ſentire Epiſcopus?

℞ Non vocatum ſe eſſe ad propria commoda, divitias, luxum, quietem, ſed ad labores pro Eccleſia Dei. *Conc Trid. Seſſ.* 15. *Cap.* 1, *de Ref.* ſe non dominum, ſed Collegam Preſbyterorum noſcat, *can.* 7. *&* 4. *ſeqq. diſt.* 95, Diſpenſationem enim Chriſti, non imperium eſt conſecutus. *can.* 20. 8. *q.* 1.

8 Epiſcopus quæ exempla debet dare in ſua vita & converſatione?

℞ Frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ vivendo cum modeſta ſupellectili, ita, ut ipſe tota & ejus domus, & familia dent exemplum aliis in converſatione, humilitate, caſtitate & orationis aſſiduitate. *Conc. Trid. d. Seſſ.* 25. *Cap.* 1. *de Ref.*

9 Menſa Epiſcopi qualis debet eſſe, & quid in ea debet tractari?

℞ Non debet reſplendere vaſis argenteis, ſed fidei meritis. *can:* 7 *diſt.* 41. munda tamen & candida, decenter ornata, ſobria, moderata, cui lectio ſacræ ſcripturæ, non fabulæ miſceantur, ut non ſolùm corpus, ſed etiam anima ſaturetur, adſtantes ædificentur. *can.* 11. *diſt.* 44. *Conc. Trid. Seſſ.* 2. *Decret. ut. circa medium.* & *Seſſ.* 25. *Cap.* 1. *de Ref.*

10 Epiſcopus quoties tenetur jurare & emittere profeſſionem fidei?

℞ 1*mò*, ante Conſecrationem in manibus alicujus Epiſcopi, vel Nuntij Apoſtolici, aut ſi eſt præſens in Curia Romana, in manibus Cardinalis, qui eſt magnus Cancellarius. 2*dò*, in ipſo actu Conſecrationis genuflexus ante Conſecrantem. 3*tiò*, poſt Conſecrationem in Cancellaria Apoſtolica & ſemper debet jurare obedientiam & fidelitatem Romano Pontifici, & ejus Legato, & non alienare bona Eccleſiæ ſuæ ac Menſæ Epiſcopalis ſine conſenſu Romani Pontificis, imò ſi tempore Sedis vacantis, aut à Prædeceſſoribus aliqua alienatio facta fuerit, tenetur eam recuperare. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. & Cerem. Roman.*

11 Poſſuntne ſedes Epiſcoporum mutari?

℞ Non, ſine licentia Sum. Pontificis & cauſa cognita, quæ debet eſſe magna, veluti belli, peſtis, vel terræ motus, qui ſolo æquaret univerſam Civitatem, ita ut fieret deſerta ſine habitatore, vel ex aeris intemperie generante frequentes infirmitates. Et tunc debet mutari cum omnibus oneribus ſibi injunctis, ita, ut primi Fundatores non perdant memoriam nec ſuffragia amittant. *can.* 44. 7, *q.* 1.

12 Gravene eſt onus Epiſcoporum?

℞ Graviſſimum, etiam Angelicis humeris formidandum. Nihil enim *jux. can.* 7. *diſt.* 40. eſt laborioſius &, periculoſius officio Epiſcopi, ſed nihil beatius apud Deum, ſi benè agatur. Unde Epiſcopi duos Angelos habent, alterum ab perſonam,



alterum ad officium, & ſpeciali indigent gratia Dei. *Conc. Trid. Seſſ.* 2. *Decret. unic. Seſſ.* 6. *Cap.* 1. & *Seſſ.* 24. *Cap.* 7. *de Refor.*

13 Quod eſt Officium & munus Epiſcopi?

℞ Virgines Deo dicatas benedicere, Altaria & Eccleſias conſecrare, Chriſma conficere, & eô baptizatos confirmare *can.* 4. *diſt.* 68. docere, prædicare per ſe, aut per idoneos miniſtros Eccleſiæ. *can.* 1. *diſt.* 38 & *can.* 6. *diſt.* 88. eleemoſynas in pauperes elargiri. *can.* 6. *diſt.* 86. diſcordes concordare. *can.* 1. &. *ſeqq. diſt.* 90. vigilanter & ſolicitè regere ſibi commiſſos. *can.* 9. *diſt.* 100. & *can.* 46. *cum. ſeqq.* 7. *q.* 1. depoſito Clerico ut pæniteat, locum ſecurum & bene munitum aſſignare. *can.* 7. *diſt.* 81. hoſpitalem eſſe. *diſt* 42. *à princ.* laudibus Dei incumbere, verbo & exemplo populo præeſſe, pro eo preces offerre, Sacramenta miniſtrare, ordinare ſibi ſubditos, Eccleſias viſitare, abuſus tollere, mores corrigere. &c. *Conc. Trid. d. Seſſ.* 2. *Decret. unic Seſſ.* 6. *Cap.* 1 & *Seſſ.* 24. *Cap.* 7. *de Ref.*

14 Epiſcopus teneturne viſitare limina Apoſtolorum, quam ſæpe & ad quid?

℞ Si ſit Italus tenetur tertiô quolibet annô, ſi Ultramontanus, quintô, idq; ad recognoſcendam Sedem Apoſtolicam, venerandam ac in dubijs & difficultatatibus, ſi quæ in Diæceſi occurrerunt, conſultandam. Quod ſi verò ipſe ſit impeditus negotiis, infirmitate, ſenectute, bellô, peſte, tenuitate, debet mittere ſuum Procuratorem cum ſpeciali mandato. *Bull. Sixti. V.* Romanus Pontifex. 1585. 13. *Calend. Januar: quam refert Piasec. Prax. Epſic. in Proœm. de Elect.*

15 Procurator loco Epiſcopi viſitans limina SS. Apoſtolorum quid ſecum portare & quomodo ſe in Curia gerere debet?

℞ Cùm pervenerit ad Curiam Romanam, curet admitti ad oſculum pedum Sanctiſſimi, cui det Literas teſtimoniales ſui Principalis, quibus ſe excuſat à viſitatione liminum ſacrorum, ob infirmitatem, ſenectutem, ætatem, peſtem, bellum vel ob aliquod aliud legitimum impedimentum, quô factô & accepta benedictione, adeat Illuſtriſſ. S Congr. Epiſcoporum Secretarium, cui ſimiliter reddat in ſcripto ſtatum Eccleſiæ Principalis ſui, proventus, numerum Beneficiatorum Monaſteriorum &c. continentem, petatq; ut in S. Congregatione videatur & examinetur, Viſitet poſtea ſeptem Eccleſias, offerat Cereum ac talis viſitationis Eccleſiarum à Notario publico & præſentationis deſcriptionis ſtatûs Eccleſiæ ſui Principalis ab Illuſtriſſ. S. Congr. Secretario tum facultatem domum revertendi accipiat, factô tandem oſculô pedum Sanctiſſimi & accepta benedictione domum redeat. *Novar. in Sum. Bull. Commen.* 11. *n.* 2. & 3. *fol.* 16, & *d. Bull. Sixti. V.*

16 Quam pænam incurrit Epiſcopus non viſitans limina Apoſtolorum?

℞ Suſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ, adminiſtratione temporali & perceptione fructuum, qui fabricæ vel ornamentis Eccleſiæ applicantur, *d. Bul. Sixti V.*

17 Hæc pæna quando datur & quando non Epiſcopo?

℞ Non da-

℞ Non datur, cum Episcopus sit legitimè impeditus & se Sum. Pontifici excusavit: datur verò si monitus pertinaciter negligit d. Bullam observare & juramento, quo se circa Consecrationem de visitatione liminum sacrorum obstrinxit, parere. *DD in c. 24. de Sent. excomm. in 6.*

18 Episcopi Ultramontani & alij remotiores à Curia Romana, tenenturne omnino istam visitationem quolibet quinquennio expedire?

℞ Cùm Sum. Pontifex sit omnium Pater, neminem gravat ultra vires, unde & longius spatium remotioribus præscribit, & per Procuratores eorum visitationes aut etiam per Literas, ut in praxi videmus acceptat.

19 Tempus visitationis SS. Liminum quomodo computatur?

℞ Non à promotione ad Episcopatum, sed ab ultima visitatione antecedanei Episcopi. *Piasec. Prax. Episc. loc. cit.*

20 Qui tenentur publicare Decreta Conc. Trid.

℞ Primates, Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi in suis Diœcesibus, ac in Synodo Provinciali jurare debent firmiter eadem tenere, defendere. Similiter & Magistri in Universitatibus & alibi docentes: tenentur eadem decreta observare firmiter, & Discipulos suos in his propositionibus instruere, quæ Catholicam fidem respiciunt. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 2. de Ref.*

21 Qui Concilii decreta defendere & hæreticis resistere debent.

℞ Episcopi, Principes Christiani, Reges & præcipuè Imperator, quibus omnibus ad gloriam Dei super alios data est potestas. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 20. de Ref.*

22 Qui tenentur conservare & executioni demandare d. Decreta Ss. can & sanctiones?

℞ Imperator, Reges, Principes & alij Sæculares Magistratus, qui sunt Protectores Conc: Tridentini & Religion. Christianæ, ut ope eorum Cultus divinus devotè exerceatur, Prælati & Clerici in suis Officiis quietè & sine impedimento permaneant. *d. Sess. 25. Cap. 20. de Ref.*

23 Si quis Princeps renuerit hæc exequi, quam pœnam incurrit?

℞ Excommunicationis, & si fuerit Episcopus, Provinciales Episcopi ab ejus communione se abstineant. & Roman. Pontificem certiorem faciant, si Clericus ab Episcopo excommunicetur. *DD. in d. Sess. 25. Cap. 20. de Ref.*

24 Dubitationes, quæ super decretis Conc. Tridentini oriri possunt, quis potest declarare & interpretari?

℞ Sum. Pontifex qui est supra Concilium & ad id munus exercendum habet in Curia Romana Congregationem Eminentiss. Cardinalium. *d. Sess. 25. Cap. ult. de Ref.*

25 Quis cognoscere potest de vera S. Scripturæ interpretatione?

℞ Sum. Pontifex. *Conc. Trid. Sess. 4. Decret. de edit. & usu Sacr. Librorum.*

26 Quæ Biblia sacra sunt tenenda?

℞ Vulgata, veteris editionis ab Ecclesia approbata. *d. Sess 4. & Decret.*

27 Quam pœnam incurrunt retorquentes sensus Sacræ Scripturæ ad profanos usus?

℞ Arbitriò Episcopi coercentur. *dic. Sess. 4. Decret. eod.*

28 Catechismus, Missale, Breviarium, Officia B.V. Mariæ & alia, à quo debent approbari?

℞ A Sum. Pontifice. *Conc. Trid. Sess. 25. in fine Decret. de Indice Librorum &c.*

29 Qui debent approbare Libros, qui de novo in lucem prodeunt?

℞ Episcopus quilibet in sua Diœcesi authoritate sibi à Concilio tradita, quos vel ipse, vel per suæ Diœcesis Ordinarium Censorem diligenter revidere debet, ne aliquid contrarium fidei Catholicæ vel bonis moribus contineant. *Conc. Trid. Sess. 4. Decret. de Editione Librorum.*

30 Quam pœnam incurrunt Impressores vel Compactores Librorum non approbatorum?

℞ Excommunicationis. *d. Decr. de edit. Libr.* sed in nostro Regno præter excommunicationem, Librorum Confiscationem, aut Combustionem, si de Hæresi suspecti sint Libri, Impressores, Compactores & vectores eorum pœnis Arbitrarijs per Episcopum puniuntur. *Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 1. §. Decrevit. & § Impressores, de Offic. Ordinar. ac. Statut. Sigismundi Augusti 1556. 1. Mart.*

31 Quis debet ordinare in Ecclesijs modum psallendi & alia necessaria ad Cultum divinum?

℞ Synodus Provincialis, in cujus defectu Episcopus cum duobus Canonicis, altero ab Episcopo nominato, altero per Capitulum electo ordinet. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Ref.*

32 Qui debet curare, ut Catechismus in Ecclesijs habeatur?

℞ Episcopus animadvertere seriò debet, ut Parochi in Ecclesijs suis catechisent. *d. Sess. 24. Cap. 4. de Ref. & Bull. Pij. V. 1571 6. Octobr.* Ex debito.

33 Quis debet admonere populum, ut observet festivitates & jejunia?

℞ Episcopi, Prælati & Parochi curam animarum habentes, qui qualibet Dominica, statim post Concionem, vel post Catechismum incidentia in hebdomada festa & jejunia populo notificent. *Conc. Trid Sess. 25. ad fin. Decret. de delect. Ciborum jejunijs & diebus festis.*

34 Quis debet incitare fideles ad frequentiam Sacramentorum?

℞ Ipse Episcopus, vel Parochus aut Vicarius ejus diebus festivis & Dominicis, explicando patriâ linguâ illis necessaria ad condignam præparationem & susceptionem Sacramenti. *Conc. Trid. Sess. 4. Cap. 2. de Ref.*

35 Quis habet potestatem concedendi Indulgentias?

℞ Sancta Romana Ecclesia & Episcopi aliquando, ut tempore Consecrationis Ecclesiæ & alijs festivitatibus. *Conc. Trid. Sess. 25. ad fin. Decret. de Indulgentijs & Const. Provinc. Gnesn. Lib. 4. §. 4 de Pœniten.*

36 Quam pœnam incurrunt, dicentes inutilem esse in Ecclesia Indulgentiarum concessionem?

℞ Excommunicationis & puniuntur ut Hæretici. *d. Decret. de Indulgentijs.*

37 Quis potest constituere festivitates?

℞ Sum. Pontifex in Universali Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi ob aliquam justam causam, & Parochus diem Patroni Ecclesiæ & Dedicatio-

nis *d. Decret. de delect. Cibor. & diebus festis. & Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 2. de Ferijs.*

38 Episcopus potestne sibi res Ecclesiæ appropriare?

℟ Non potest, & quidquid fecerit, irritum erit. *c, 7. de Censib.* Res enim Ecclesiæ non sunt quasi propriæ, sed communes & Deo oblatæ. *can. 26. cum. seqq. 12. q. 1.*

39 Potestne Episcopo dari Coadjutor?

℟ Potest in duobus casibus: 1. Si propter ægritudinem vel senectutem fiat inhabilis ad gubernandam Ecclesiam, 2. Si fiat amens, vel ita ignarus vel indoctus, ut minime sit aptus ad regendam Ecclesiam, vel administrandam justitiam. *ut dicetur infr. Cap. 50.*

40 Episcopus, quæ nescit, sine pudore dignitatis, Nobilitatis vel ætatis, debetne discere?

℟ Debet, quia jux. Senec. nulla ætas est sera ad discendum. *can. fin. dist. 38. & can. 1. ac ibi gloss. v. Senex. 24. q. 3.*

41 Episcopus debetne suos subditos corripere?

℟ Debet, ut Pater filios: quia plus sæpesæpius movet benevolentia, quàm timor, exhortatio, quàm comminatio: & meliùs est à Deo redargui de misericordia, quàm de severitate. *can. 12. & ibi gloss. 26. q. 7. Conc. Trid. Sess. 13. Cap. 1. de Ref.*

42 Episcopus Clericum delinquentem potestne verberare?

℟ Potest per alium Clericum, non verò per se *can. 25. dist. 86.* nec per Laicum; quia alias incident in canonem. *Si quis Svadente.* à Papa absolvendi. *c. 34. de sent. excomm.*

# CAPUT. IX.

## De Officio Archiepiscopi.

1 Quo differt Archiepiscopus à Patriarcha?

℟ Quia Archiepiscopus uni tantùm Provinciæ & eius Episcopis præest, Patriarcha autem pluribus Provincijs & earum Episcopis. *can. 1. dist. 21. & Bullæ Pij. V. 5. 6. & 8.*

2 Patriarchæ in Diæcesi alicujus Episcopi, possuntne propria authoritate Pontificalia exercere?

℟ Non, nisi de licentia Episcopi loci. Quia exercitium Pontificalium est actus Ordinis & jurisdictionis à jure soli Episcopo loci commissus; Patriarcha verò in his nullam habet jurisdictionem, nisi in Diæcesi cujus est Episcopus, vel Archiepiscopus. *DD. super Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Ref.*

3 Patriarcha potestne dare licentiam alicui Episcopo exercendi Pontificalia in alterius Episcopi Diæcesi?

℟ Non, etiamsi talis Episcopus sit in Provincia ejus Patriarchatus. Iurisdictio enim Patriarchæ est limitata de jure ad casus expressos & non potest ampliari, ut Sum. Pontificis, qui est universalis Ecclesiæ Caput & Dominus. *DD. ubi supra.*

4 Si aliquis Patriarcha habeat jus providendi beneficijs Parochialibus in Diæcesi sui Patriarchatus, Episcopusne Diæcesis an Patriarcha examinabit?

℟ Episcopus, facto concursu per quem electo digniore, Patriarchæ præsentabit. Oves enim quas debet pascere talis Parochus, sunt sub cura Episcopi, & non Patriarchæ; ideo non hic, sed ille debet judicare Parochum esse idoneum. *DD. citati ibidem.*

5 Cardinales in aliena Diæcesi, possuntne consecrare Ecclesias?

℟ Non possunt, nisi de speciali Sum. Pontificis commissione. Nam licet Cardinales habent in Ecclesia dignitatem eminentissimam, sint de consilio Sum. Pontificis, & habeant plurima privilegia sibi concessa, quibus utuntur, nullam tamen habent jurisdictionem in aliquo Episcopatu, nisi ejus sint Episcopi vel Archiepiscopi. *DD. ubi supra.*

6 Archiepiscopatus, quod beneficium est de sua natura?

℟ Simplex, quamvis habeat jurisdictionem, nisi ratione alicujus Episcopatus annexi, injuncta sit illi cura animarum & residentia, ut semper Archiepiscopi habent unitum sibi Episcopatum, in quo habent jurisdictionem ordinariam.

7 Archiepiscopus, quare vocatur Metropolitanus?

℟ Quia non solum Diæcesim, sed etiam Metropolim habet sub sua jurisdictione, quam exercet in casibus à jure expressis. *d. can. 1. dist. 21.*

8 Archiepiscopus Metropolitanus teneturne ad residentiam personalem in Archidiæcesi, an etiam residere potest in Diæcesi alicujus Suffraganei?

℟ Tenetur, sicut alij Episcopi: quia ibi proprias oves habet, nisi tunc in Episcopatu sui Suffraganei personaliter suum exerceat Officium. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 1 de Ref.*

9 Archiepiscopus teneturne visitare propriam Diæcesim?

℟ Tenetur, vel si ipse fuerit legitimè impeditus, per suum Visitatorem, sicut alij Episcopi. *Concil. Trid. Sess. 24 Cap. 3 de Ref.*

10 Archiepiscopus quando tenetur visitare Diæcesim & Ecclesiam Cathedralem alicujus Episcopi Suffraganei?

℟ Tenetur, cùm urget aliqua necessitas approbata in Synodo Provinciali, vel quando habet specialem Commissionem Sum. Pontificis, aliter non, quia quilibet Episcopus de jure singulis annis tenetur visitare suas oves. *d. Sess. 24. Cap. 3 de Ref.*

11 Archiepiscopus Metropolitanus, quam jurisdictionem habet in Episcopos Suffraganeos, & quod ejus Officium?

℟ 1mò, Admittit ab Episcopo, Suffrag. appellationes à Sent: definitiva, vel à gravamine habente vim definitivæ. *ut dicetur infr. Lib. 8. Cap. 30.* 2dò, debet dare pœnas Episcopo absenti à sua Diæcesi ultra tres Menses. *Conc. Trid. Sess. 6. Cap. 1. de Ref.* 3tiò, debet consecrare suos Suffraganeos. 4tò, tenetur convocare Concilium Provinciale quolibet triennio. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 2. de Ref.*

12 Metropolitanus potestne cognoscere Causas pendentes coram Episcopis Suffraganeis in prima instantia?

℟ Non, nisi devolutas per appellationem à Sent. definitiva, vel ab interlocutoria, à gravamine, quod per definitivam reparari non potest. *Conc. Trid. Sess. 13. Cap. 1. de Ref.*

13 Metro-

23 Metropolitanus poteritne absolvere Appellantem ab excommunicatione lata ab Episcopo Suffraganeo?
℟ Non, nisi priùs visis actis: quia in eis fundatur ejus jurisdictio. *d. Sess.* 13. *Cap.* 3. *de. Ref.*
14 Metropolitanus in causa correctionis, vel visitationis potestne admittere appellantem ab Episcopo Suffraganeo?
℟ Non, neq; debet videre acta ante sententiam definitivam, etiamsi appellans solvat expensas: quia eo ipso impediret visitationem, & talis appellatio solùm datur ad effectum devolutivum, non verò suspensivum, *de. Sess.* 13. *Cap.* 1. *de Ref.*
15 Metropolitanus potestne cognoscere in secunda instantia de causis, in quib. Episcopus Suffraganeus sententiavit tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus?
℟ Potest, si jurisdictio delegata sit juncta ordinariæ, ut v.g. Episcopus jure Communi *inx. c.* 3. *de Eccl. ædific.* potest dividere Parochias, potest etiam id ipsum tanquam Delegatus facultate sibi data *à Conc. Trid. Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Ref.* Et in hac causa Metropolitanus in secunda instantia cognoscere potest. Sed si aliqua causa à Sum. Pontifice sit Episcopo specialiter delegata, in hanc se Metropolitanus intromittere non potest, verùm ad Sum. Pontificem tanquam Delegantem est appellandum. *DD. in d. Cap.* 4. *Sess.* 21.
16 Si Metropolitano à Sede Apostolica committatur causa, & ipse vel moriatur, vel ut suspectus recusetur, poteritne eandem Nuntius Apostolicus suo Auditori committere?
℟ Non, nisi habeat ad hoc speciale privilegium Sanctissimi, sed debet remitti ad Delegantem. *DD. in Cap.* 3. *Sess.* 13. *de Ref.*
17 Nuntij Apostolici possuntne committere appelationes interpositas à Sententijs Episcoporum suis Auditoribus vel alijs Iudicibus?
℟ Possunt, etiam omissô Metropolitanô; rectè enim ad illos appellatur, tanquam illos, qui vices Sum. Pontificis, qui ordinarius est omnium Iudicum, in Regno gerunt. *c.* 7. 31. 32. *&* 34. *de Appell: & Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 20. *de Ref.*
18 Si Iudex primæ instantiæ in causa criminali, vel Civili recusaret dare acta parti appellanti, quid Metropolitanus agere debet?
℟ Debet dare Compulsorias Actorum Notario, qui si & sic renitens est, partem absolvat & sententiam pronuntiet esse nullam, Notarium puniat, ne partes molestationibus graventur. Defensio enim jure naturali permissa, nemini est auferenda modô sit justa. *Conc. Trid. d. Sess.* 13. *Cap.* 3. *de Ref.*
19 Metropolitanus potestne visitare Capitula exempta vel non exempta in Diœcesi suorum Suffraganeorum?
℟ Non potest, nisi causâ cognitâ in synodo Provinciali & expressè commissâ Metropolitano. *DD. in Cap.* 3. *Sess.* 24. *Con. Trid.*
20 Metropolitanus, quæ Monasteria visitare potest & reducere ad obedientiam?
℟ Illa, quæ sunt in ejus Provincia, & non habent suos Provinciales, nec Visitatores, neq; extra Provinciam alicui Monasterio sunt unita: quia tunc illa non solùm visitare, sed etiam Clericos eorum tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, regere, corrigere & castigare potest, sicut Clericos Sæculares. *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 8. *de Regular.*
21 Quis debet referre Sum. Pontif. Episcopos non residentes?
℟ Metropolitanus. Ipsum vero antiquior Episcopus, ne Ecclesia Dei aliquod patiatur detrimentum. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap. de Ref.*
22 Episcopi Provinciales tenenturne aliquandò accedere ad præstandam reverentiam Metropolitano?
℟ Licet eum debeant in omnibus honorare, tanquam Provinciæ Caput, tamen, non obstante qua cunq; consvetudine, exceptâ, Synodô Provinciali legitimè congregatâ, inviti, quamvis vocati, non tenentur accedere ad præstandam reverentiam Metropolitano. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 2. *de. Ref.*
23 Metropolitanus, teneturne consecrare Episcopos Suffraganeos?
℟ Tenetur, nisi forte propter locorum distantiam, & majorem commoditatem Episcopi consecrandi, alteri Episcopo committat. *gloss. in. c. un. de Sacr. unct. & c.* 6. *&* 7. *de Tempor. Ordinan. can.* 1. *& Seqq. dist.* 64.
24 Quis debet negligentes Episcopos in erectione, ædificatione, vel conservatione seminarij, monere & corrigere?
℟ Metropolitanus, qui si in hoc negligens fuerit. Episcopus antiquior. *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap* 18. *de Ref.*
25 Archiepiscopus, potestne dividere Provinciam suam per pragmaticam formam in duos Archiepiscopatus?
℟ Non potest, alias uterq; caderet de Archiepiscopatu. *can. un. dist.* 101.
26 Archiepiscopus potestne cogere Episcopos Suffraganeos & eorum Ecclesias, ne in Officio decantando discrepent à Metropolitana Ecclesia?
℟ Potest: imò & Abbates ac alios Religiosos quò ad Officia publica *can.* 13. *dist.* 12.

# CAPUT X.
## De Authoritate & usu Pallij.

1 Quid. est Pallium?
℟ Est ornamentum quoddam de Corpore D. Petri sumptum Pontificalis Officij plenitudinem conferens. *c.* 3. *de. Elect. junct. c.* 3. *h. t.*
2 Quid intelligitur per verba *de Corpore D. Petri*?
℟ Quia super Altari, sub quo requiescit Corpus D. Petri, benedicitur, & ab eo, qui usurus est ipso, vel ab alio ejus nomine, ex dicto Altari sumitur. *c.* 4. *& ibi gloss.* ℣. *Corpore. ad fin. de Elect.*
3 Quibus datur Pallium & à quo?
℟ Solis Archiepiscopis, Patriarchis & ex privilegio speciali Episcopis nonnullis. *c. penul. de Præscr.* Datur à Sum. Pontifice, Patriarchæ tamen dant illud Archiepiscopis sibi subjectis. *c.* 23. *de Privileg.*
4 Quando debet peti Pallium?
℟ Intra tres Menses, cessante legitimô impedimentô, ab Archiepiscopo ipso vel ejus speciali Procuratore, obnixè & instanter, præstitô fidelitatis & obe-

& obedientiæ Sum. Pontifici juramentô, à die Consecrationis vel Confirmationis, si ex Episcopo fiat Archiepiscopus, peti debet. *can.* 2. & 3*bus seqq. dist.* 100.

5 Quis debet ponere Pallium in humeris Archiepiscopi?

℞ Si sit præsens in Curia, ipse Sum. Pontifex, alias Episcopus, vel Prælatus ex Speciali mandato Sum. Pontificis in Missa solenni præcedente juramento & alijs Solennitatibus tum forma præscripta. *in Ceremon. Romano & gloss. c.* 4. *h. t.*

6 Quæ est forma Pallij?

℞ Est colare candidi coloris ex lana confectum, supra omnes vestes Archiepiscopi positum, habens duo extrema instar stolæ pendentia, quatuor Cruces nigras, quarum prima supra pectus, secunda supra brachium sinistrum, tertia retro, quarta super humerum dextrum; quæ Significant gaudium, dolorem, spem & timorem, quem Archiepiscopus palliatus habere debet. *Ioan. Andr. in c.* 1. *h. t.*

7 Quid confertur per Pallium?

℞ Plenitudo Pontificalis Officij & nomen Archiepiscopale. *c.* 3. *h. t.*

8 Quam potestatem habet Archiepiscopus ante receptionem Pallij?

℞ Solùm potest exercere illos actus, qui sunt jurisdictionis, ut Sententiare, excommunicare, absolvere, administrare bona mensæ suæ, conferre beneficia, facultatem dare Episcopo consecrandi Episcopum, ordinandi &c. *c.* 11. & *ib. gloss. de Elect.*

9 Quæ facere non potest Archiepiscopus ante receptionem Pallij?

℞ Quamvis sit confirmatus, consecratus, habeat expeditas Bullas, certò sciat illud sibi collatum in Curia Romana, nequit tamen ante realem receptionem illius, Crucem portare, Concilium Convocare, Episcopos consecrare, chrisma conficere, basilicas dedicare, Clericos ordinare, & alia, quæ sine sacrificio Missæ obire non potest, *c.* 3. & 18. §. *Præterea. de Elect.*

10 Si Archiepiscopus transferatur ad alium Archiepiscopatum, debetne petere novum Pallium?

℞ Debet: quia unius Archiepiscopatus Pallio in altero Archiepiscopatu uti non potest, mortuus tamen cum utroq; sepelitur, positô unô super alterum. *Abb, in c.* 2. *n. ult. h. t.*

11 Ex Archiepiscopo factus Episcopus, potestne uti Pallio?

℞ Non: quia est signum soli Archiepiscopo debitum; mortuo tamen ponitur supra Caput cum Casula. *Ceremon. Roman.*

12 Quando & in quo loco Archiepiscopus potest uti Pallio?

℞ In Festis solennioribus, descriptis. *in gloss. c.* 4. *h. t.* in Ecclesijs suæ Provinciæ etiam exemptis. *d. gloss. ibidem & Clemen.* 2. *de. Privileg.* Extra Provinciam nec quidem ex Consvetudine illo uti potest, nisi ex speciali privilegio & accedente consensu Episcopi loci. *c.* 5. *h. t.*

13 Postne aliquando Archiepiscopus celebrare sine Pallio?

℞ Potest quia illo non debet semper uti sed tantùm certis diebus, ut dictum immediatè. *de sint. h. t.*

14 Archiepiscopus celebrans in funere alcujus, potestne uti Palio?

℞ Sive intra, sive extra Provinciam celebret, non potest illo uti, nisi ad id habeat speciale Privilegium. *Abb. in c. fint. h. t.*

15 Potestne Archiepiscopus, alteri Archiepiscopo commodare Pallium?

℞ Non potest quia est vestis individualiter data tali Archiepiscopo, in tali Archiepiscopatu, *c.* 2. *h. t.*

16 Si pallium casu aliquo amittatur, vel comburatur, poteritne Archiepiscopus facere sibi simile, & illo uti?

℞ Non sed debet à Sum. Pontifice aliud petere: quia benedictio Pallij est Sum. Pontifici reservata. *DD. in c.* 2. *h. t.*

17 Sum. Pontifex quando & ubi utitur Pallio?

℞ Semper & ubivis locorum. Quia Pallium designat potestatem, quam plenissimam habet in universam Ecclesiam Christianam, quæ ejus intelligitur esse Provincia *can* 17. & 21. 19, *q* 3.

18 Sum. Pontifex utiturne Baculo Pastorali?

℞ Non: tum propter Historiam tum propter mysticam rationem. Propter Historiam quia ut Innocentius Papa III. scribit, quòd D. Petrus misit Baculum suum Euchario primo Trevenorum Episcopo, quem cum Valeriano & Materno ad prædicandum Evangelium genti Teutonicæ destinavit, cui successit in Episcopatu Maternus, qui hocce Baculo fuit de morte suscitatus, quem Baculum usq; hodie cum magna veneratione Treverensis Ecclesia asservat ac Papa illo utitur dum ibi est, & non alibi. Propter mysticam rationem; quia Baculi curvatio, in Episcopis limitatam & coarctatam significat potestatem, quo ideo non utitur Papa, cum habea universalem potestatem. Barbos. *in c. un.* §. *fine de sacra Unctione ubi alios citat.*

---

# CAPUT. XI.
## De Translatione Episcopi,

1 Quid est Translatio?

℞ Est ab una Ecclesia ad aliam regulariter facta mutatio. *Lancell. Inst. Iur. Canon. h. t. in gloss.*

2 Cur in titulo ponitur de Translatione Episcopi, vel Electi?

℞ Quia electus & confirmatus, in multis æquiparatur Episcopo consecrato, & præcipuè: quia eadem pæna posita est, si Electus vel Confirmatus suâ authoritate se transferat, quæ posita est Episcopo consecrato. *c.* 2. *h. t.* §. *Sicut.*

3 Quis habet potestatem transferendi & confirmandi Archiepiscopos & Episcopos?

℞ Solus Sum. Pontifex: quia id est de majoribus Ecclesiæ negotijs. Ad eum enim spectat restitutio depositorum Episcoporum. *can.* 10. 2, *q.* 6. depositio eorundem. *can.* 9. 3. *q.* 6. divisio Episcopatus unius in duos, & unio duorum in unum. *can.* 53. §. *Sicut.* 16. *q.* 1. & *can.* 48. *ibid.* exemptio Episcoporum & Abbatum. *can.* 52. *ibid.*

approbatio

approbatio Scriptorum & Conciliorum. *c. 2. in fin. de Sum. Trinit. & can. 2, dist. 17*, resolutio articulorum fidei. *can.* 12. 24.*q*,1. constitutio Concilij generalis. *can.* 1.2. *&* 3.*dist.*17. translatio sedis Episcopalis de loco ad locum. *can.* 44. 7. *q.* 1. mutatio seu translatio Episcopi ad alium Episcopatum *ut tot. tit. hic.* & non datio appellationis. *Cap.* 7. *q.* 3. *jux. vers. seqq.*

*Restituit solus Papa, ac deponit & ipse*
*Dividit, unit, & eximit, approbat acta, resolvit*
*Articulos fidei, Synodum vocat Urbis & Orbis,*
*Transfert, commutat, nunquam appellatur ab ipso.*

4 Archiepiscopus poteſtne transferri ad Episcopatum ?

℞ Poteſt cum licentia & dispensatione Sum. Pontificis, obdescensum de majori & altiori dignitate, ad minorem. *c. fin. & ibi. gloss. h. t. c.* 1. *de Cleric. n. residen. & can* 24. *in fin. dist.* 93.

5 Propter quas causas poteſt Episcopus transferri?

℞ Propter *necessitatem*, ut nimirum barbaricam sævitiem in illa Diæcesi grassantem, evitet, quâ cessante redire tenetur. *can.* 44. 7. *q.* 1. Propter *utilitatem* evidentem: quia in alia Ecclesia plus proficere poteſt, ut fecit D. Petrus, cùm ex Ecclesia Antiochena se Romam transtulit. *can.* 37. 2. *q.* 7. *& can.* 34. 7. *q.* 1. Et propter majus præmium benemeritæ de Ecclesia personæ. tum si quis propter bonum commune factus eſt pauper, ut satisfaciat suis debitoribus. *Abb. & alij DD. in c. fin. h. t.*

6 Quare Solus Papa poteſt transferre Episcopos ?

℞ Quia Episcopus habet Conjugium Spirituale cum sua Ecclesia tanquam cum vera sponsa, eſtq; illi matrimonialiter alligatus, ideò solus Papa poteſt dissolvere hoc Conjugium Spirituale. *c.* 2. *& ibi Abb. h. t.*

7 Quod eſt fortius vinculum carnale an Spirituale?

℞ Si spectetur vinculum carnale seu matrimoniale præcisè, eſt fortius Spirituali: quia non solvitur, nisi morte alterius Conjugis. Siverò spectetur quò ad effectum, Spirituale carnali eſt fortius; quia in eo imprimitur character indelebilis: unde si Episcopus mortuus resuscitaretur, maneret sine nova consecratione Episcopus *gloss. in c.* 2. *v. fortius. h. t. & Abb. ibi. n.* 31.

8 Canonici vel alij Clerici habentne vinculum matrimoniale cum sua Ecclesia, sicut Episcopus?

℞ Non: quia licet sint adscripti tali Ecclesiæ, non sunt tamen illi matrimonialiter alligati, & ideò liberè possunt eligi in Episcopos: quia Ecclesia non habet duos sponsos; sed unum. *c. fin. de Postul. Prælat. & c.* 36. *de Elect. in* 6.

9 Papa poteſtne transferre Episcopum invitum?

℞ Causâ cessante, servando juſtitiam non poteſt: quia in dissolutione vinculi requiritur consensus partis. *c. fin. de Confirm. util. vel. inutil. n.* 13.

10 Quibus modis solvitur vinculum Spirituale quod Episcopus habet cum sua Ecclesia ?

℞ Tribus: Translatione, renuntiatione & depositione: omnia tamen cum authoritate Papæ fieri debent. *Abb. in c.* 2. *n.* 31. *h. t.*

11 In quo assimilatur Matrimonium Carnale Spirituali ?

℞ In eo, quod in utroq; verificatur præceptum Dei. *quos Deus conjunxit, homo non separet. Abb. c. fin. n.* 2. *h. t.*

12 In quo differunt Conjugium spirituale contractum inter Episcopum & Ecclesiam, & carnale contractum inter Virum & Uxorem ?

℞ Quia Conjugium inter Virum & Uxorem, eſt unum ex 7 Sacramentis Ecclesiæ, Conjugium verò spirituale non eſt, sed solùm quoddam fortius vinculum. *ut. dictum n.* 7. *h cap.*

13 Quam pænam incurrit Episcopus, qui propriâ authoritate se transfert de una ad aliam Ecclesiam?

℞ Utraq; privatur, & illâ, quam per Superbiam sprevit, & illâ, quam per avaritiam concupivit. Per quæ enim quis peccat, per eadem puniri debet. *c.* 3. *&* 4. *h. t.*

14 Translatus legitimè Episcopus, habetne aliquid juris in Ecclesia priori ?

℞ Poſt expeditionem literarũ translationis, præsentationem earum in Capitulo & per assecutionem possessionis pacificæ alterius Episcopatus, nihil habet juris in priori Ecclesia. *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell, gloss.* 15 *n.* 49. *ubi alios citat. Felln. in c.* 7. *n.* 9. *de Rescript. Garz. de Benef. p.* 11. *Cap* 6. *n.* 30. 49. *& seqq.*

15 Præter Episcopos, possuntne alij Prælati transferri

℞ Possunt: ut Cardinales. *DD. in c.* 19. *de Præbend.* Archiepiscopi. C. 4. *de Postulat.* Abbates. *c.* 7. *de Convers.* & Præpositi. *DD. in c.* 21. *de Elect.* imò & quicunq; alij beneficiati. *c.* 4. *de Renunt.* sed. horum & Præpositorum translatio fit authoritate cujuslibet proprij Episcopi. *DD. & gloss. in d. c.* 4. *de Renunt.*

## CAPUT XII.
## De Familia Episcopi.

1 Familiares Episcopi quales debent esse?

℞ Non debent esse rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, voluptatum amatores, sed modeſti, quieti, obedientes; vitia fugientes, virtutes, amplectentes, ita, ut in veſtitu, cultu & omnibus actibus honeſtatem præseferant, alijs dent exemplum virtutis & humilitatis, sicut decet miniſtros Miniſtrorum Dei. *Conc. Trid. Sess.* 2. *Decret.* de modo vivendi in Concilio.

2 Familia Episcopi gaudet ne privilegio fori ?

℞ Gaudet, sicut alij Clerici. quia privilegium non solùm extenditur ad Clericos sed etiam ad omnes Miniſtros necessarios ad servitium Episcopi & ad exercendam jurisdictionem Ecclesiaſticam. *Abb, & Barbos: in c. fin. n.* 2. *ubi. cit. DD, de Off. Archidiac.*

3 Qui dicuntur de Familia Episcopi ?

℞ Qui illi semper assiſtunt & ipsius sunt continuò commensales. *c. fin. & Gemin. ibid. de verb. Signif. in* 6. *& Barbos. loc. cit.*

4 Episcopus poteſtne habere familiam armatam & miniſtros juſtitiæ ?

℞ Poteſt Cohortem Haſtatam, vel Loricatam, vel Milites Cataphractos, aut alios Milites, pro decentia suæ dignitatis & etiam miniſtros Iuſtitiæ, sicut alij Iudices sæculares: quia jurisdictio Ecclesiaſtica non minus eſt necessaria, quàm

 jurisdictio

jurisdictio Sæcularis. *Bald. in l. Nam salutem. §. fin. C. de Præfect. vigil. Decius. in c. 7. de Off. delegat.* cujus familiæ numerus debet esse competens, considerata Civitate, loco & magnitudine negotiorum.

5 Si fuerit controversia, vel querela inter Episcopum & aliquem Dominum Sæcularem de numero familiæ armatæ Episcopi, quis debet determinare numerum?

℞ Iudex Ecclesiasticus Superior: nam sæcularis etiamsi sit ProRex, non potest se in causam Ecclesiasticam sub pœna excommunicationis intromittere. *DD. in tot. tit. de Foro competen.*

6 Ista familia armata & ministri justitiæ gaudentne privilegio fori, sicut alij familiares Episcopi?

℞ In hoc est consvetudo Civitatis, vel Provinciæ attendenda & Privilegium Sum. Pontificis, si quod est, observandum, sed si ex hujusmodi familia sint Assasini, famosi latrones & alij hujusmodi, non censerem & ijs consvetudinem vel privilegium suffragari. *per. Bull. Greg. IV.* 1591 *Calen. Iun.* Cum alias. *quam refert. Piajec. Prax. Episcop. p. 2. Cap. 4. a. 8. n. 3.*

7 Ista Familia & ministri justitiæ quas qualitates debent habere?

℞ Debent esse periti, quieti, pacifici, non abutentes Officio & libertate Ecclesiastica, nec illam accipientes ad delicta sua detegenda. *DD. in c. fin. de Off. Archid.*

8 Talis familia & ministri possuntne arma deferre sine Iudicis Sæcularis licentia?

℞ Possunt tam offensiva, quàm defensiva solâ Episcopi licentiâ. *DD. in c. 2. de For. Competen.*

9 Si Iudex Sæcularis injiciat manus violentas in talem Familiam vel Ministros, inciditne in canonem?

℞ Non: quia lex pænalis non debet extendi ad casus in ea non contentos. *DD. in can. Si quis suadente. 29. 17. q. 4.*

10 Isti familiares & ministri justitiæ suntne liberi, saltim cùm inserviunt, à solutione gabellarum, sicut alij Clerici?

℞ De hoc nulla est dispositio in jure; unde consvetudo, quæ est altera lex, est attendenda Civitatis, vel Provinciæ.

11 Servi Ecclesiarum, Episcopi & Clericorum possuntne fatigari à potestate sæculari angarijs?

℞ Sub Excommunicationis pæna eo ipso non possunt, neque alias impositionibus, modò actualiter & continuò, non verò per menses inserviant, *Can. 69. & ibi gloss. Clericorum 12. q. 2.*

12 Famulo infirmo pro tempore infirmitatis, teneturne Episcopus, vel quivis alius Dominus solvere?

℞ Negativè: quia verè per famulum stat, quominus operas suas non præstet, imò si quas expensas in ejus infirmitatem dominus fecerit, tenetur easdem refundere, nisi aliud consuetudo Patriæ obtineat. Verùm in foro conscientiæ dominus tenetur famulum curare & ei subvenire infirmo. *Barbos. cum DD. à se cit. in c. 1. n. 5. & 6. de Cleric. ægrot.*

# CAPUT XIII.

## De Vicario, Assessore & Fisco Episcopi.

1 Quis dicitur Vicarius Episcopi?

℞ Ille qui vices ejus gerit. Cùm enim Episcopus plurimis involutus negotijs per se omnibus sufficere nequeat, Vicarium sibi unum vel plures constituit. *c. 14. de Off. Ordinarii.*

2 Distinguiturne Vicarius Episcopi, ab alijs Vicarijs?

℞ Licet Archipresbyter. *c. 1. & 3 de Off. Archipresb.* & Archidiaconus. *c. 1, & 7. de Off. Archid.* dicantur Vicarij Episcopi, quia tamen nomen proprium & administrationem ex ipsorum canonum præscripto habent, nec sunt constituti ab Episcopo, sed ab ipso jure ratione dignitatis & Officij, quo funguntur; ideo a Vicario per Episcopum in partem sollicitudinis suæ constituto, distinguuntur. *Valen. Lib. 1. tit. 28. §. 2. n. 1.*

3 Quomodo aliter appellatur Vicarius Episcopi?

℞ Si sit generalis, appellari solet Officialis Episcopi. *Clement. 2. ibi gloss. v. Officialis de Rescript.*

4 Constitutus Vicarius generalis ab Episcopo estne perpetuus?

℞ Non, sed ad placitum, etiam sine datione rationis amovibilis: quia nominatio Vicarij, est actus liberæ voluntatis, de quo nemo cogitur reddere rationem. Ista tamen amotio & revacatio debet illi insinuari, alias si illam ignoret, interim per eum gesta tenent, donec ei innotescat. *Gars. p. 5. Cap. 8. n. 174 & Seqq. de Benefic.*

5 Vicarius Episcopi quas qualitates debet habere?

℞ Quoniam ex ejus facto, si malum constituerit teneatur Episcopus. *d. c. 7. de Off. Archid. & Rebuff. in forma Vicariatus n. 188.* ideo eundem constitui debet, probatis moribus, ætate 25. annorum. *arg. in c. 7. §. Inferiora de Elect.* rerum & Causarum forensium peritus. *l. penul. C. de Iudic.* Doctor, vel saltim Licentiatus in Iure Canonico, vel alias quantum fieri potest idoneus. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 16. de Ref.* Clericus saltim primæ tonsuræ non Conjugatus. *can. 22. & seqq. 16. q. 7.* non excommunicatus neq; Suspensus; quia hi de jure Officiorum sunt incapaces.

6 Episcopus potestne habere Vicarium foraneum, & quas qualitates debet habere ac jurisdictionem?

℞ Potest: & si fieri potest, sit qualitatum Vicarij generalis, habeatq; jurisdictionem limitatam & delegatam, fiatq; ab illo ad constituentem appellatio. *gloss. in Clemen. 2. v. Foraneo. de Rescript.*

7 In quibus causis constituitur Vicarius Generalis?

℞ In omnibus exceptis ijs, quæ sunt Ordinis, nisi sit Episcopus, qui possit vices etiam in his gerere Episcopi: modò causæ mandatum speciale non requirant, unde in instrumento concessionis Vicarij debent exprimi. *c. 3. h. t. in 6.*

8 Si Episcopus est excommunicatus vel suspensus est ne suspensa jurisdictio Vicarij?

℞ Affir. quia pendet à jurisdictione Episcopi, & agit omnia, ut instrumentum, non ut causa principalis: Sed si Episcopus sit Suspensus in aliquo uno actu, in eodem etiam erit Suspensus Vicarius, non item in reliquis. *c. 1. & ibi gloss. h. t. in 6.*

9 Vicarij

9 Vicarius generalis in absentia Episcopi potestne dare facultatem alicui Episcopo, ut exerceat Pontificalia & faciat Ordinationes?

℞ Non potest, nisi ad id habeat speciale mandatum. *c. 3. de tempor. Ordin. in 6.*

10 Vicarius, habens mandatum generale Episcopi, potestne conferre beneficia & resignationes eorum recipere?

℞ Non potest nisi ex speciali mandato. *c. fin. h.t. in 6. & Rebuff. in Prax benef. n* 49.

11 Vicarius potestne unire beneficia, & interponere authoritatem permutationibus?

℞ Non potest sine speciali mandato. *Rebuff. ibid. n.* 102.

12 Vicarius potestne visitare vel congregare Synodum?

℞ Non potest nisi habeat speciale mandatum Episcopi. *Rebuf. ibid. n.100. & c.6. de Off. Ordin. in 6.*

13 Vicarius generalis potestne dare dimissorias literas ad Ordines suscipiendos?

℞ Non potest sine præfato speciali mandato, nisi Episcopus sit in remotis. *c.3. de Tempor. Ordin. in 6.*

14 Vicarius potestne dispensare in casibus, in quibus de jure Episcopus dispensare potest?

℞ Non potest absq; speciali mandato, neq; in casibus illis, qui à Sum. Pontifice Episcopo committuntur. *Rebuff. loc. cit. n.* 41.

15 Vicarius ex commissione generali potestne inquirere, corrigere & deponere Clericos?

℞ Et ad hoc requiritur speciale mandatum. *c.2. h.t. in 6. Julius Clarus in Prax. Criminal. q. 40. §. fin.*

16 Quæ Vicarius non potest agere sine speciali mandato Episcopi?

℞ Abbates & Abbatissas benedicere. *DD. in Clemen. 2. de stat. Monach. & can. 1. dist. 69.* Causas Matrimoniales tractare. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 20. de Ref.* authoritatem donationi Iuris Patronatus imponere. *Rebuff. loc. cit. n.* 115, alium Vicarium in locum sui substituere. *Capell. Toloss. decis. 39. q. 37. in Addict.*

17 Si Episcopus det facultatem suo Vicario specialem ad absolvendos casus reservatos, poteritne ipse alium subdelegare, absq; eo, quòd hoc specialiter non contineatur in mandato?

℞ Poterit: quia is est áctus jurisdictionis. *Navar. Cons. 22. de Pœnitent.*

18 Si Episcopus det facultatem Clerico particulari absolvendi à casibus reservatis, poteritne similiter alteri eam delegare?

℞ Non: quia talis Clericus non exercet jurisdictionem, neq; facit Officium Iudicis, & sic jus Commune illi non favet. *Navar. loc. cit.*

19 Quæ committuntur à Romano Pontifice Episcopo, poteritne Vicarius sine speciali mandato ea agere?

℞ Si nomine personæ committuntur, non poterit, secus si committantur nomine Officij. *Cabarella Clemen. 2. q. 9. n. 8. de Rescript.*

20 Vicarius Episcopi, vel ipse Episcopus pro dispensatione sibi à sede Apostolica remissa, potestne aliquid accipere?

℞ Nihil etiamsi consvetudo ferat contrarium.

21 Si Vicarius fuerit Canonicus debetne præcedere alios Canonicos in Choro, Capitulo & in Actibus publicis?

℞ Quamvis repræsentet Episcopi in actibus jurisdictionem, tamen in Choro, Capitulo & in alijs publicis actibus, suum ut Canonicus habet locum.

22 Episcopus potestne habere Iudicem sæcularem?

℞ Potest, præcipuè si habet jurisdictionem sæcularem, ne contingat ipsum irregularem fieri, cùm alicui mutilatio, vel mors sit inferenda, sed talibus Episcopis Sum. Pontifex dat Breve, ut jurisdictionem, absq; metu irregularitatis exercere queant, ut apud Nos in Polonia, Celsissimus Princeps, Dux Severiæ Episcopus Cracoviensis & alij: tùm Jllustrissimi Deputati ex Capitulis ad Tribunal Regni. *c. fin. & DD. ibi. ne. Clerici, vel Monachi: in 6.*

23 Episcopus in causis decidendis, potestne habere Assessorem, & quas qualitates hebere debet?

℞ Potest, sive Ecclesiasticum, sive Laicum, sive Iuristam, sive Theologum; ut Episcopum judicantem suo Consilio juvet. *l. fin. C. de Assessor, & in Rubr. ff. de Offic. Assessor.*

24 Episcopus potestne habere fiscum seu Fiscalem, & quas qualitates habere debet?

℞ Potest: sive Ecclesiasticum, sive Laicum; quia est minister necessarius Tribunalis Episcopi & debet esse persona sufficiens, fidelis & diligens. *Dias. in Pract. Crimin. Cap. 45.*

15 Quod est Officium Fiscalis?

℞ Purgare Diæcesim ab omnibus vitijs, inquirere delicta secreta, præcipuè concubinatus, notitiam habere vitæ Clericorum & hominum totius Diæcesis. *Bald. per. tot. tit. ff. de Iure fisci*

26 Episcopus potestne habere Carceres?

℞ Potest & debet necessariò publicos & secretos ad custodiam delinquentium & pænam eorum, qui in judicio negant veritatem. *c.3. de Pœnis in 6.* idq; circa Ecclesiam Cathedralem. *Constit. Provinc. Gnesnen. Lib. 1. §. Ad hac statuimus de Offic. Ordin.*

27 In eodem Carcere possuntne esse simul Viri & Mulieres?

℞ Non possunt propter decentiam, sed debet esse distinctus Carcer, si contingat incarcerari Mulierem. *Dias. ubi Supr.*

28 Committens delictum in carcere, quam pænam incurrit?

℞ Eandem pænam, quàm si delictum committeret in domo Regis, quia carcer est instar Regiæ domus. *Dias. ubi Supr.*

29 Episcopus potestne implorare auxilium brachij sæcularis & in quibus casibus?

℞ Potest tunc vel maximè cum vires suas videt insufficientes ad resistendum alicui potentiæ criminosæ, & Iudex Sæcularis, ne videatur malorum impietati favere, tenetur ei succurrere. Qui enim non repellit à Socio injuriam si potest, tam est in vitio, quàm ille, qui facit. *can. 2. & seqq. 23. q. 3.*

30 Quam pænam incurrunt impedientes jurisdictionem Episcoporum, vel eos non adjuvantes, vel resistentes?

℞ Excommunicationis ipso facto Bull. Cænæ Domini.

30 Quam pœnam incurrunt impedientes jurisdictionem Episcoporum, vel eos non adjuvantes, vel resistentes ?

℞ Excommunicationis ipso facto *Bull. Cœnæ Domini.*

31 Iudex Ecclesiasticus dum petit auxilium brachij Sæcularis, Iudex Sæcularis debetne videre processum factum à Iudice Ecclesiastico ?

℞ Non debet, nisi forsan ad finem informationis, sed non ut acqvirat per hoc aliquam jurisdictionem supra Iudicem Ecclesiasticum. *Abb. & Imol. in c. 1. de Off. Ordin.*

## CAPUT XIV.

## De Indulgentijs & Remissionibus

1 Quis concedere potest Indulgentias ?

℞ Sum. Pontifex de plenitudine suæ potestatis, Legati intra fines suæ legationis. *c. fin. & ibi gloss. de Off. Legat.* Episcopi intra suum territorium. *c.4. & penult. de pænit. & Remiss.* Prælati inferiores, si illis competat de jure speciali. *c.12. de Excessib. Prælat.* sed Sum. Pontifex quaslibet concedit, alij verò limitatè.

2 Concessæ à Sum. Pontifice possuntne publicari sine licentia Episcopi ?

℞ Non, propter majorem cautellam, ne falsæ publicentur. *Conc. Trid Sess. 25. ad fin. Decret. de Indulgentijs*

3 In concessione Indulgentiarum sufficitne potestas Concedentis, an etiam requiratur causa justa & rationabilis ?

℞ Ad validitatem Indulgentiarum non sufficit sola potestas Concedentis, sed justa ac rationabilis requiritur causa Quia Concedens non dominus, sed fidelis dispensator thesauri Ecclesiæ est constitutus, ac proinde nisi ex justa & rationabili causa Indulgentias concedere debet: alias non dispensaret, sed dissiparet. *Extravag. Comm. 2. de Pænit. & remiss*

4 In concessione Indulgentiarum, quæ Causa spectari debet ?

℞ Causa spectatur tum ex opere, quod Pontifex requirit pro Indulgentia, quale est Oratio, jejunium, eleemosina tum. ex parte finis intenti, qvi debet esse bonum commune Ecclesiæ, ut favor fidei, conservatio religionis ejusdem augmentatio, conversio infidelium, hæresum eradicatio, pax & concordia Principum Christianorum &c. Et quanto finis est excellentior & magis necessarius Ecclesiæ tantò cæteris paribus maior potest dari indulgentia. *Valen. Lib. 5. tit. 38 §. 23. n. 3.*

5 Quæ requiruntur in illis, qui volunt consequi Indulgentias,

℞ Debent esse imprimis membra Ecclesiæ; quia inter alios Ecclesia suos thesauros non distribuit. *can.7. 23.q.4.& can.7.1.q.3.* 2dò. contriti & Confessi. *c.1. de Pænit. & remiss. & Clemen.un. circa fin. de Reliq. & Vener. Sanctor.* ideoq; semper in Bullis additur, *verè pænitentibus & Confessis.* 3tiò debent per se opera, quæ pro Indulgentiarum consecutione præscribuntur adimplere. 4tò, debent esse in statu gratiæ & absq; peccato mortali. *Navar. in Comment. de Indulgen. Notab. 14.*

6 Quoties quis consequitur Indulgentias

℞ Quando Indulgentiæ conceduntur indeterminatè, vel toties, quoties; semper illas consequitur, qui facit opus præscriptum, modò iteratiò non cedat in contemptum earum. *Navar. loc. cit. Notab. 15. & 31. cum. aliis à se citatis.*

7 Quando Indulgentiæ sunt determinatè concessæ, quoties quis easdem consequitur ?

℞ Cùm conceduntur determinatè seu ad opus limitatum, nim. à primis Vesperis, usq; ad secundas, vel usq; ad noctem; semel tantùm eas potest quis consequi. *Navar. ubi supr. Notab. 31. ubi alios citat.*

8 Indulgentiæ ad quod tempus concedi possunt ?

℞ Ad tempus determinatum, quô elapsô, exspirant, Si verò non habeant tempus determinatum non exspirant morte concedentis, sed durant ad revocationem ejus, qui potest eas revocare, aut ad interitum loci, aut rei, cui sunt concessæ. *Navar. ibid.*

9 Debet ne ijs succurri ex ærario publico Ecclesiæ per Indulgentias, qui cùm possint de suo æs alienum solvere, & nolunt ?

℞ Non debet: qvia hoc pacto daretur materia delicti & negligentiæ. *c. 10. de Consvet. & l. 5. ff. de Pact. dotalib.* ideo qui parum aut nihil curat operibus pœnalibus satisfacere & pœnam purgatorij redimere, illi nihil prosunt Indulgentiæ.

10 Potestne quis sibi thesaurizare Indulgentias ut illi prosint pro futuris pænis ?

℞ Non potest: quia ut solutio non fit ante debitum contractum, sed illud supponit; ita & Indulgentiæ non dantur pro delendo peccato committendo, sed commisso.

11 Quando conceduntur ab Ecclesia maximæ Indulgentiæ ?

℞ Sub tempus Iubilæi, quod celebrabatur olim Anno quolibet centesimo, ex Constit, Bonifaci VIII. Anno Christi 1300. postea Anno 1350 Clemens VI. Iubilæum reduxit ad Annum Quinquagesimum. *Etravag. Comm. 2. de Pænit & Remiss* tandem 1445. Sixtus IV. secutus Pauli II, Decretum ad Annum Vigesimum quintum contraxit tempus ob breviorem hominum vitam.

12 In Iubilæo concesso à Sum. Pontifice per duas hebdomadas, potestne quis in una jejunare,& in alia sumere Sacramentum ?

℞ Non: quia est Servanda forma privilegij *Ugolin. de Off. & potest. Episcop. §. de Indulgentiis fol. 358.*

13 Si quis non lucratur Iubileum in Civitate sua, potestne ire ad aliam & ibi lucrari ?

℞ Potest: Bonum enim in quacunq; Civitate repertum fuerit, potest lucrari. *Ugolin. ubi supr.*

## CAPUT XV.

## De Potestate Episcopi in Commutatione Ultimarum voluntatum & reductione Missarum.

1 Quis poterat ante, propter penuriam temporum valoris monetæ auctionem, reducere Missarum, numerum, & modo quis ?

℞ A Concil.

℟ A Concil. *Triden. Sess.* 25. *Cap.* 4. *de Ref.* hæc facultas data erat Episcopis, ut in synodo Diæcesana, Abbatibus & Generalibus, Ordinum, Regularium, ut in Capitulis Generalibus, non vero Provincialibus, ut pro sua conscientia in reductione Missarũ possint statuere ea, quæ magis ad Dei honorem & cultum necnon Ecclesiæ utilitatẽ viderint expedire; ita tamen ut eorum semper Defunctorum Commemoratio fiat, qui pro suarum animarum Salute legata ad pios usus reliquerunt; sed hodie hanc authoritatem reducendi numerum Missarum *Urbanus. VIII.* sibi & Successoribus suis reservavit, eoq; fine *Decretum S. Congreg.* 1625. 21. *Junij.* Cum sæpe contingat. *quod refert Piasec. in Prax. Episcop. p.2.Cap.3. art. 2.n.31.* intercessit: Ecclesijs tamen Regni Poloniæ idem *Urbanus VIII. Rescripto suo* 1634. 26. *Novembr.* Cùm sicut accepimus. *ut videre licet apud citatum Piasec. ubi sup. ad fin.* permisit reductionem Missarum, si post Concilium Tridentinum facta non fuerat.

2 Quare Sum. Pontifex sibi reservavit hanc facultatem cùm eleemosyna sit ita tenuis, ut ea quis commodè sustentari nequeat?

℟ Ideo ne pereant piæ testantium voluntates, ne violetur de facili fides benefactorum, ne Animæ defunctorum suffragijs priventur, ne Ecclesijs debitus cultus subtrahatur, & ne Christi fideles à charitate & intentione relinquendi legata pro Suffragijs amoveantur, existimantes Clericos tam sæculares, quàm Regulares una Missâ satisfacere pluribus. *Decret prælleg. S. Cong.*

3 Episcopus in synodo Diæcesana poteritne tollere qualitates & onera posita in fundatione alicujus beneficij vel Capellaniæ?

℟ Non, etiam de consensu Patroni; quia talis facultas non est data illi à Concilio Tridentino, ut patet ex *d. Sess.* 25. *Cap.* 4. *de Ref.*

4 Missæ positæ in fundatione beneficij alicujus vel Capellaniæ, possuntne reduci ad minorem numerum ab Episcopo vel Synodo Provinciali?

℟ Multùm est attendenda intentio fundatoris ad hoc, ut talis reductio non fiat, nisi à Sum. Pontifice. *jux. Decret. alleg. S.Congreg.* Quia & Conc. Trid. loc. cit. loquitur solùm de Missis à testatoribus relictis, non de Missis in fundatione alicujus beneficij positis. *Declarat. Cardinal. S.Conc. Trid. Interpretum in d. Sess.* 25. *Cap.* 4. *de Ref.*

5 Quæ est differentia inter Missas relictas in fundatione beneficij & Missas relictas à testatoribus?

℟ Ea: quia Missæ ex fundatione beneficij sunt approbatæ per authoritatem Sum. Pontificis vel Episcopi, & pensio pro illis in bonis immobilibus ac fructiferis est relicta; at verò Missæ relictæ à testatoribus nec approbationem requirunt, nec pro illis pensio relinquitur perpetua, sed temporalis, & finitur numerò Missarum à Testatore præfinitò, impletò.

6 Si alicui beneficiato in fundatione impositum est onus, ut quotidie Missas de B.V. Maria celebret, tenebiturne tanto oneri satisfacere?

℟ Non, sed cum consilio Episcopi, poterit dictum onus ad aliquas Missas principales reducere. Testator enim contra legem Ecclesiæ præscribentis quotidie Sanctorum vel Sanctarum Missas, disponere non potest sed si Testator jubeat, ut in Anno 20. vel 30. dicantur Missæ de B. V. M. Beneficiatus tenetur eas dicere ne videatur voluntati Testatoris expresse contradicere. *Navar. Cons.* 9.*n.*8. *de Observ. Missar.*

7 Quis potest commutare ultimas voluntates Defunctorum?

℟ Episcopus, tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, cognoscendo rem summariè & extrajudicialiter narrata priùs à partibus veritate. *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 6. *de Ref.*

8 Legata ad pios usus, possuntne, absq; authoritate Papæ, in alios converti etiam meliores?

℟ Generaliter non possunt: quia hæc res est gravissima, & tutiùs est recurrere ad Caput Ecclesiæ, quàm cum scrupulo & sub dubio aliquid operari.

9 Quæ legata possunt converti in alios pios usus cum authoritate Episcopi?

℟ Jlla, quæ impedimento juris vel facti usui destinato à Testatore non possunt inservire. *Imola in Clement.* 2. *de Relig. Domib. Çovar. in c.* 17. *de Testamen.*

10 Quod est impedimentum Iuris, vel facti?

℟ Iuris est, ut si relinquantur bona immobilia Religiosis qui sunt eorum ex suo instituto & Regula incapaces; Facti est. ut si testator mandat Ecclesiam ædificari in loco infidelium, vel ubi est bellum continuum, aut si mandet dicere Missas in hac Ecclesia, quæ propter alia onera tale legatum non potest adimplere &c.

11 Quando est difficile adimplere voluntatem testatoris, sed non impossibile, poteritne Episcopus eam commutare?

℟ Poterit in rem similem vel meliorem: quia difficile æquiparatur impossibili. *Felin.Cons.*42 *n.* 17.

12 Taxa à testatoribus posita pro eleemosyna Missarum, debet ne servari?

℟ Talis taxa á S. Congreg. Concil. reprobatur: quia debet esse secundum synodum cujuscunq; Provinciæ, & secundùm rationem considerato tempore & penuria rerum. *Miranda. in man. Praesyt. p.* 1. *q.* 41. *a.* 23.

13 Pro Missis celebrandis potestne fieri conventio de certa eleemosyna?

℟ Neg. neq; promittens de non solutione potest convenire, neq; eum Iudex potest obligare, ut solvat eleemosynam ultra consvetudinemu dandam Sacerdoti pauperi ratione sustentationis. *Cajet. in Sum. v. Simonia regul.* 5.

## CAPUT XVI.
## De Jmaginibus.

1 Imagines habentne in se aliquam virtutem & dignitatem?

℟ Non habent in se, sed inquantum referuntur ad prototypon, quod repræsentant, ut illis deferatur honor debitus. *Conc. Trid. Sess.* 25. *Decret. de Invocat. Sanct:* iuxta illud:

*Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus, ipsa*
*Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.*

2 Ad quid ponuntur Imagines in Ecclesia?

℞ Ut imitemur eorum, quos repræsentant, virtutes, componamus nostros mores, sed non ad turpia lucra, neq; ad hoc, ut eorum festivitates conversationibus & ludis celebrentur, sed devotione & Missis. *Conc. Trid. loc. cit.*

Quis potest imponere novam Imaginem & nova miracula publicare?

℞ Episcopus cum consilio virorum doctorum. *Conc. ibid. & Bull. Urbani VIII.* 5. *Julij* 1634. Celestis Ierusalem. *quam refert. Piasec. Prax. Episcop. p.* 2. *Cap.* 3. *a.* 3. *n.* 7.

4 Si nova oriatur quæstio super novam Imaginem, quid agendum?

℞ Episcopus deferat negotium ad Synodum Provincialem, ubi re examinata, consulat Sum. Pontificem, antequam de difficultate quidquam statuat. *Conc. Trid. loc. cit.*

5 Invocationes & venerationes Sanctorum ad quid sunt utiles?

Ad impetranda beneficia à Deo per intercessionem Sanctorum. *Conc. Trid. loc. cit.*

6 Miracula Imaginum, quomodo probantur?

℞ Per testes fide dignos & omni exceptione majores. *Conc. Trid. ubi Supr. & d. Bull. Urbani VIII.*

7 Quando Imago posita in aliqua Capella Ecclesiæ Parochialis, Oblationes & eleemosynæ, quæ offeruntur, cui cedunt?

℞ Ecclesiæ Parochiali, etiamsi Capella habeat distinctum Patronum. *Abb. in c.* 9. *n.*2. *de his. quæ fiunt. à Prælato &c.* vel Si offerantur non intuitu Ecclesiæ, sed Capellæ, sive Altaris habentis bona distincta ab Ecclesia Parochiali: quia tunc cedunt usui Capellæ, vel Altaris. *Felin. in c.* 18.*n.*2.& 3.*de Offic. Ordin. Decis. Rotæ in una Benevent. Spolij coram Orano* 1585. 2. *Xbris. Piasec. in Prax. Episc. p.*2.*Cap.*5.*art.fin.n* 48.*ubi alios citat.*

8 Si contingat fieri aliquod miraculum in aliqua Ecclesia Regularium, quid Episcopus agere debet?

℞ Debet accedere ad eam Ecclesiam, inhibere, ne confluxus fiat populi, donec capiantur informationes legitimæ & miraculum per viros doctos probetur, ac tandem Sum. Pontifici deferre. *S. Th.* 3.*p.q.*44.*a.*3.*in Solutione ad* 2. *Archidiacon. in c. nec minorum.* 26.*q.*5.& *Conc. Trid. ubi Supra.*

9 Quam pænam incurrunt miracula sine licentia & examine Episcopi, publicantes?

℞ Sive sint Sæculares sive Regulares Clerici pæna excommunicationis, vel incarcerationis, vel alia ad arbitrium Episcopi puniuntur. Quia miras culorum publicatio est de gravioribus negotij Ecclesiæ, ideo propria authoritate cujuslibet fieri non debet. *Conc. Trid. ubi supra.*

## CAPUT XVII.
## De Privilegijs Episcoporum.

1 Episcopus post consecrationem & acceptam possessionem, quæ privilegia consequitur?

℞ Plenitudinem potestatis, Ordinis & jurisdictionis. *Ugolin. Lib.* 1. *Cap.* 2. § 2.

2 Episcopus, quæ insignia habet?

℞ Infulam, annulum, baculum, pileum, & vestitum violacei coloris, Crucem ante pectus reliquijs adornatam, & si sit Archiepiscopus, per Cruciferum sive equitantem, sive incedentem ante Eum defertur Crux tam in Archidiæcesi, quam in Diæcesibus Suffraganeorum, ejus. In Armis verò Gentilitis Episcopi apponi solet Infula & baculus Pastoralis, vel si Episcopus sit simul Princeps, Mitra & Gladius ac supra Insigne Galerus. *Vgolin. loc. cit.*

3 Quæ sunt de jure privilegia Episcoporum?

℞ Ista sequentia: 1*mo* debetur ipsi obedientia à Clericis & Laicis, 2*dò* subiectio illa quæ præstatur domino majori & superiori. 3*tiò*, reverentia, quæ debetur patribus carnalibus & Magistris. 4*tò*, quòd Episcopus habeat de jure institutionem & approbationem beneficiorum. 5*tò*, habet correctionem Subditorum. 6*tò*, habet jus reformandi mores Subditorum? ideo potest facere Statuta & leges ad reformationem necessarias, & Subditi eas, sub pænis in ijs contentis tenentur observare. 7*mò*, habet jurisdictionem ordinariam causarum ad forum Ecclesiasticum pertinentium. 8*vò*, habet potestatem conferendi Ordines, Ecclesias consecrandi, Abbates & Abbatissas benedicendi. 9*nò*, faciendi Synodum Diæcesanam quolibet anno & in ea præsidendi. 10*mò*, habet jus percipiendi omnes fructus ad suam mensam Episcopalem ex fundis & possessionibus ei annexis; & visitandi Diæcesim singulis annis. 11*mò*, in necessitate potest petere subsidium à suis subditis. *Abb. in c.* 16. *de Off. Ordinan.* & *c.*15. *de Excessib. Prælat.*

4 Episcopus in sua Diæcesi, quam sedem & locum habet?

℞ In Ecclesia, choro, Capitulo & processionibus habet primam sedem eminentiorem alijs. *Conc Trid. Sess* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

5 Quis debet Episcopo eligere locum & sedem ipse an Canonici?

℞ Ipsemet Episcopus: quia hæc electio ipsi data est per Conc. Trid. unde si voluerit Antecessorum suorum sedem ex causa infirmitatis vel alia rationabili mutare, non potest conrra eum allegari consvetudo; alias nullum privilegium electionis sedis & loci daretur Episcopo per *d. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

6 Quæ dicitur Ecclesia Episcopi?

℞ Tota Diæcesis: cùm sit Pastor & Parochus ejus universalis ipsi enim principaliter incumbit cura animarum totius Diæcesis; *can.* 5. 10 *q.* 1. & *can* 24. 12. *q.* 1.

7 Potestne Episcopus eligere sibi sepulturam in sua Ecclesia?

℞ Potest, in loco qui ei placuerit, nisi jam sit ab alio occupatus, & idem facere potest in inferioribus Ecclesijs. *Abb. in c.*9.*n.*4. *de Donation.*

8 Episcopus post consecrationem, quomodo se debet gerere cum Ducibus, Regum Ministris & alijs Senatoria, dignitate præditis.

℞ Tam in Ecclesia, quàm extra debet observare Pontificiam dignitatem, & meminisse se esse Patrem, Pastorem & Superiorem Sæcularibus. *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 17. *de Ref.*

9 Episcopus potestne inservire alicui Principi Sæculari?

℞ Dedecet

℞ Dedecet Ministros Pontificiam dignitatem habentes sæcularibus inservire. *d. Sess. 25. Cap. 17. de Ref.*

10 In processionibus publicis, quam authoritatem & locum habet Episcopus?

℞ Primum locum & Summam authoritatem: quià potest defacto & summariè componere differentias ortas, inter Confraternitates, Religiosos, Clericos & populos, potestq; imponere pænam excommunicationis contra inobedientes appellatione remota, quæ si in hoc casu datur, solùm ad effectum devolutivum, non verò suspensivum. Quod enim Episcopus hac in causâ & controversia, statuit, executioni demandandum est, ne processio & Officium divinum cum scandalo aliorum retardetur, ita quod si aliqui Religiosi, à determinatione Episcopi, relinquentes processionem & ad Domos suas se conferentes, appellaverint: remanent excommunicati. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 13. & ibid. in Declarat. & Remiss. de Regular.*

11 In Altari in quo Episcopus celebravit Missam Pontificalem, poteste aliquis celebrare eadem die?

℞ Non potest, nisi in necessitate urgente, vel de licentia Episcopi, idq; propter solam Episcopi reverentiam. *Can. fin. & ibi gloss. de Consecr. dist. 2.*

12 Episcopus potestne secum habere Altare portatile, ut in itinere, vel in quolibet alio loco suæ residentiæ Missas celebret, vel faciat celebrari?

℞ Potest, sive sit infirmus, sive non, modo non violetur interdictum: quia habet privilegium sibi datum *à Conc. Trid. Sess. 22. Decret. de obs. & evitan. in Celebr. Missæ. & c. fin. de Privilegi in 6.*

13 Potest ne Episcopus in aliena Diœcesi absq; licentia Ordinarij uti hoc privilegio?

℞ Potest; modò eo non utatur in Urbe Romana, ubi propter summam Papæ authoritatem, ejus requiritur licentia. *tenet Ugolin. de Off. & potest. Episcop. Lib. 1. Cap. 2. §. 2. de mente & consilio S. Congreg. Conc. Trid. & alioium DD.* licet contrarium sentiat. *Navar. Cons. 1. de Privileg.*

14 Episcopus tenetur ne de præcepto quotidie audire Missam?

℞ Non tenetur absolutè, sed de consilio: quia in *d. c. fin. de Priveleg. in 6.* non præcipitur, sed svadetur. Et non debet imponi Episcopo obligatio, quæ in jure illi non est imposita. *Abb. in c. 1. n. 10. de Vita & honest. Cleric.*

15 Episcopus potestne dare facultatem ut in domibus privatis fiant oratoria, & ibi celebrentur Missæ?

℞ Non potest, prcpter prohibitionem *Decreti Concil. Triden. n. 12. hoc Cap. allegati.* & reservationem Sum. Pontificis per Bull. Pij V. factam nisi urgeat & Episcopum ad hoc permoveat gravis aliqua necessitas. Unde & Regulares non debent præsumere in Privilegijs sibi à sede Apostolica concessis hoc in casu: quia hæc privilegia, utpote Decreto Concil. contraria, per d. Bull. Pij. V. sunt revocata. *Piasec. in Prax. Episcop. p. 2. Cap. 3. a. 3. n. 12. & Seqq. ubi alios DD. citat.*

16 Potestne Episcopus á Subditis suis petere subsidium charitativum?

℞ Potest, si sit pauper & reditus ejus ad sustentationem debitam ei non sufficiant, quia subditi de jure tenentur suum alere Pastorem. *c. 6. §. Prohibemus. de Censib.*

17 Episcopus potestne retinere sibi pænam pecuniariam?

℞ Potest, si sit imposita per sententiam, vel statutum, & præcipuè si sit Episcopus indigens, vel etiam potest illam applicare pauperibus. *Felin. in c. 13. de. Off. Ordin. & Abba. in c. 3. n. 8. de Pœnis.*

18 Episcopus potestne eligere quemcumq; Confessarium propter se etiam non approbatum?

℞ D Potest, ac eum approbare, modò sit ejus Diœcesis; alias si eligeret alterius Diœcesis, Confessarium, deberet habere approbationem sui Ordinarii. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 25. de Ref.*

19 Episcopus incidit ne in excommunicationem à jure, vel ab homine latam?

℞ Licet Episcopus non incidat in excommunicationem, nisi sit contra ipsum expressa, incidit tamen in generalem vg. in *can. si quis svadente.* & alias excommunictiones hujusmodi, modò specialiter ab illis non eximatur. *c. 4. de sent excomm. in 6. & ibi gloss.*

20 Quare Episcopus incidit in excommunicationem generalem, & non incidit in specialem vg. interdictum vel Suspensionem, nisi de eo fiat expressa mentio?

℞ Quia excommunicatio generalis prohibet aliquid faciendum, interdictum verò & suspensio puniunt aliquod delictum jam commissum, ideo convenit ut Ecclesia mitiùs se habeat circa factum, quàm circa faciendum, præsertim circa Episcopos, penes quos est Pontificalis Officij executio. *gloss. d. c. 4. de sent. excomm in 6.*

21 Episcopus, dum jurat, teneturne tangere Evangelium?

℞ Sufficit, ut inspiciat librum Evangelij, & pectus tangat, præsumitur enim in illo residere omnem veritatem. *c. fin de jur. calumn. Rudolph. p. 1. Cap. 11. n. 95.*

22 Episcopus potestne esse Judex in propria causa?

℞ Vt Episcopus ita & nullus alius, potest esse judex in propria causa. *l. un. C. Ne quis in sua causa.* Potest tamen esse in causa suæ dignitatis, vel Ecclesiæ: quia debet esse tantæ integritatis, ut in causis his sequatur justitiam, sicut in causis alienis, non ex odio, sed ex dilectione æquitatis judicans. *can. 1. & ibi gloss. 23. q. 3.*

23 Episcopus extra suam Diæcesim potest ne dare benedictionem?

℞ Solùm, dum celebrat, jam verò Legatus & Archiepiscopus in suis Provincijs, ob privilegium sibi à jure datum, dant benedictiones tam privatas, quàm solennes, extra autem suas Provincias, solùm tunc, cùm celebrant. *Abb. in c. 3. de Privileg. in 6.*

24 Episcopus habens Patrem est ne liberatus à Patria potestate?

℞ Est in his, quæ afferunt incommodum & subjectionem: quia non est licitum, ut qui habet tantos fili-

tantos filios sibi Subditos, sit sub potestate alicujus. Verùm in his, quæ pariunt commodum & utilitatem, est sub potestate patria, & sic, ut hæres succedit Patri. *Auten. Sed Episcopalis dignitas. C. de Episc. & Cler.*

25 Si Episcopus fiat de religione, teneturne servare Regulam suæ Religionis?

℞ Non tenetur; nisi in his, quæ non impediunt ejus Officium: quia per consecrationem statim liberatur ab Obedientia & Regula suæ Religionis *can. un. &. ibi gloss. 18. q. 1.*

26 Clericus Regularis, vel alterius Diæcesis inserviens Episcopo in divinis Officijs teneturne se illi conformare?

℞ Tenetur, licet Religio & Diæcesis distinctum habeat officium. *Clemen. fin. de Celebr. Miss.*

27 Clericus Regularis inserviens Parochiali Ecclesiæ, in Officijs divinis teneturne se illi conformare?

℞ Tenetur; quia non præstat officium Monachi, sed Parochi, in reliquis verò debet se conformare cum sua Religione: Unde more Romano dicto Officio, aliud Officium dicere non tenetur more Regularium, ne gravetur. *Ugolin. de Off. & potest. Episcop. Cap. 2. §. 2.*

28 Appellatione dignitatis in privilegijs venit ne Episcopus?

℞ Venit in favorabilibus, non verò in odiosis: quia odiosa sunt necessariò exprimenda & restringenda, favorabilia verò amplianda. *c. 1. de Concess. Præbend. in 6. & c. 15. de Reg. jur. in 6.*

29 Episcopus quæ potest delegare?

℞ Iurisdictionem fori pænitentialis, fori externi, meri vel mixti, & ea, quæ sunt Ordinis. *Franc. in c. 3. de Privileg. in 6.*

30 Episcopus, quæ delegare potest alteri Episcopo?

℞ Omnia, quæ solus obire potest. *Franc. loc. cit. & Zarabell. q. 2. n. 13. de stat. Monach.*

31 Episcopus potestne delegare benedictionem Monialium simplici Sacerdoti?

℞ Licet antea poterat, per. *can. 2. 26. q. 6.* modò non potest, ut patet ex *Declarat. Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 7. de Regular. & Clemen. 2. ac ibi gloss. de stat. Monach.*

32 Potestne Episcopus subdelegare absolutionem à peccatis cuilibet Sacerdoti?

℞ Habito respectu fori interioris, solos Sacerdotes approbatos ad audiendas Confessiones subdelegare potest. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 15. de Ref.* at habito respectu ad Causas fori exterioris & Tribunalis, ut condemnet, vel absolvat aliquem à delicto simplex Sacerdos, potest illum ad hoc subdelegare. *gloss. in c. 2. & ibi Decius. n. 7. de Judic.*

33 Episcopus constituens Iudicem Clericum primæ Tonsuræ potestne ei dare facultatem Censuras fulminandi vel ab eis absolvendi?

℞ Potest *gloss. in c. 9. de Consecr. Eccl. vel Altar.*

34 Si Episcopus habeat causas mixti fori, cui eas potest delegare?

℞ Sive Ecclesiasticis, sive Sæcularibus personis mixtim vel divisim. *DD. in c. 10. de Off. Ordin.*

35 Episcopus causam Ecclesiasticam Civilem, potest ne delegare Laico?

℞ Potest, non verò criminalem vel Clericorum: quia Laici sunt incapaces judicandi Clericos. *gloss in d. c. 2. & ibi Decius n. 44. de Iudic.*

36 Episcopus in necessitate, potest ne Ecclesiæ suæ bona oppignorare?

℞ Potest, si sit pauper, vel captivus fortuitò aut in aliquo bello & non habeat, unde sustentetur: quia est verus Ecclesiæ sponsus. Et sicut sponsus bona Sponsæ suæ causâ sustentationis oppignorare vel etiam vendere potest, ita similiter Episcopus bona Ecclesiæ uti sponsæ. *Abb. in c. 3. n. 6. de Cler. ægrotan.*

37 Episcopus tenetur ne solvere debita sui prædecessoris

℞ Si fuerunt debita contracta in augmentum perpetuum Mensæ Episcopalis de novo intrans Episcopus tenetur ea solvere & alia, quæ in bonum Episcopatus facta sunt. *Abb. in c. 16. n. 4. & 5. de Rest. Spoliat.*

## CAPUT. XVIII.

## De Delictis & pœnis Episcoporum

1 Causæ criminales etiam hæreseos contra Episcopos, coram quo Judice sunt tractandæ?

℞ Solum coram Sum. Pontifice. Episcopi enim cùm sint inter se æquales, alijs omnibus superiores & fratres Ssmi Domini vocentur, ideo propter hanc dignitatem à nullo alio debent judicari. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5. de Ref.*

2 Causæ Civiles & criminales minores Episcoporum, ubi & coram quo sunt tractandæ?

℞ Solum in synodo Provinciali. *Declarat. S. Congr in d. Sess. 24. Cap. 5. de Ref.*

3 Propter quæ delicta Episcopus potest citari, ut compareat in Curia Romana coram Sum. Pontifice?

℞ Solum propter illa delicta, quæ sequitur pæna depositionis seu privationis à jure: sed antequam vocetur, debent fieri informationes ex testibus fide dignis à Metropolitano, vel alio Episcopo, ne Ecclesia destituatur Pastore, solatio & regimine. *Conc. Trid. Sess. 13. Cap. 6. de Ref.*

4 Quæ delicta Episcopi sequitur depositio?

℞ Crimina hæreseos, læsæ majestatis contra Sum. Pontificem, si Episcopus sit Assasinus, falsificator Literarum Apostolicarum, agrorum depopulator, inobediens Sum. Pontifici, Simoniacus simonia reali, stuprator Monialium, monetæ falsificator, & aliorum similium perpetrator. *c. 9. de Hæret. c. 7. de Crimin. falsi. & Sylvest. v. Degradatio.*

5 Si populus de suo Episcopo scandalizetur, poteritne privari?

℞ Non: potest tamen transferri ad æqualem vel Superiorem Ecclesiam. *Abb. in c. fin. n. 13. de Confirm. utit. vel inutili.*

6 Si Episcopus habeat concubinam, poteritne privari?

℞ Non: sed si eam monitus non dimittat, ipso facto suspensus est. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 14. de Ref.*

7 Si causæ criminales petentes depositionem vel degradationem Episcoporum ad capiendam informationem committendæ sint, cui committi debent?

℞ Solis Metropolitanis, vel Episcopis, commissione manu

ne manu Sum. Pontificis signata. *d. Sess.* 25. *Cap.* 14. *de Ref.*

8 Quis potest sententiare in causis Episcoporum privationem, vel degradationem petentibus?

℞ Solus Sum. Pontifex cum consilio Cardinalium, vel aliorum Episcoporum, propter magnam authoritatem dignitatis, auditis & visis partium defensionibus. *Conc. Trid. loc. cit.*

9 Testes contra Episcopum quales debent esse?

℞ Viri bonæ famæ, conversationis et omni exceptione majores, qui si odio temeritate, aut cupiditate aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctandi sunt. *Conc. Trid. Sess.* 13. *Cap.* 7. *de Ref.*

10 Episcopi titulares, si sint Parochi, possunt ne in Parochia sua Pontificalia exercere?

℞ Non possunt, nisi cum licentia Ordinarij; quia jurisdictio Episcopi titularis, quam habet in Parochia, est subiecta jurisdictioni Ordinarij. *Conc. Trid. Sess.* 5. *Cap.* 2. *de Ref.*

11 Si Episcopus veniens ad Sum. Pontificem, non osculetur pedes ejus in signum debitæ reverentiæ, aut discedat sine ejus licentia, quam pœnam incurrit?

℞ Remanet excommunicatus: qui committit delictum inobedientiæ, vel contemptus. *Extravag. Comm.* 2. *de Majorit. & Obedien.*

12 Episcopus non examinans dispensationes super incompatibilitate beneficiorum, quam pœnam incurrit?

℞ Suspenditur ab ingressu Ecclesiæ *Conc. Trid Sess.* 7. *Cap.* 5. *de Ref. & Extravag. Comm.* 2 *de Off. Ordin.*

13 Episcopus detinens aliquem Clericum in carcere, ut dimittat contra suam voluntatem beneficium, quam pœnam incurrit!

℞ Suspenditur à perceptione fructuum per triennium, & dimissio ipso jure nulla. *Clement.* 2. *de Pœnis.*

14 Episcopus delinqvens in exercendo suo Officio contra hæreticos, relinqvendo eorum delicta impunita, quâ pœna punitur?

℞ Suspenditur per triennium ab Officio. *Clement.* 1. § *Verùm. de Hæretic.*

15 Episcopus, ubi habet facultatem promovendi ad Doctoratum, si omittat aliquid de solennitatibus ad talem actum requisitis, quâ pœna punitur?

℞ Tanquam negligens in suo Officio per sex Menses à collatione hujusmodi Doctoratus suspenditur. *Clement. fin. de Magistr. & ne aliquid.*

16 Episcopus excommunicatus, vel suspensus, si exerceat Pontificalia, quam pœnam incurrit?

℞ Remanet irregularis. *c.* 1. *de Sent. excomm. in* 6.

17 Si Episcopus excommunicatus faciat aliquem actum, valebitne?

℞ Si excommunicatio sit notaria & actus, quem facit reguletur ad jurisdictionem, ut collationem beneficiorum, causas judicandas, non valebit: secus si non sit notaria. si verò actus, quem facit, reguletur ad ea, quæ sunt Ordinis, valebit Ordo per excommunicatum Episcopum collatus, sed Episcopus fiet Irregularis. *Abb. in c.* 44. *de Elect. n.* 13

18 Si quis hostiliter persequitur Episcopum, vel aliqui in eum conspirant, quam pœnam incurrunt?

℞ Per *Clement.* 1. *de Pœnis & Bulla Cœnæ Domini*, ipso facto excommunicantur, & si sint Clerici degradantur & Curiæ sæculari traduntur, *can.* 17. *& ibi gloss.* 2.*q.*7. *& can.* 18. *cum seqq.* 11.*q.* 1

# CAPUT XIX.

## De Supplenda negligentia Prælatorum.

1 Quid est negligentia Prælati?

℞ Est omissio ejus, quod de jure vel consvetudine ratione sui muneris facere debet. *can.* 1. *&.* 2. *dist.* 84.

2 Jn quibus committunt negligentiam Prælati?

℞ Jn multis: ut si non eligunt Episcopum intra trimestre. *c.*41. *de Elect. in* 6. Episcopi & alij Prælati si non præsentant ad beneficium intra 6 Men. à die notitiæ computando. *c. fin. h. t.* Laici intra 4 Menses. *c.* 2. *& ibi Abb. h. t.* unde pro hac vice privantur jure præsentandi & eligendi ac eorum negligentia per proximum superiorem suppletur,

3 Quis debet supplere vices Archiepiscopi, in his quæ de jure tenetur facere?

℞ In congreganda Synodo Provinciali & his similibus, Episcopus antiquior, in alijs Sum. Pontifex. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 2 *de Ref.*

4 Si Episcopus ter cum humilitate requisitus nolit benedicere Abbatem suæ Diœcesis, quis Supplet ejus vices?

℞ Sum. Pontifex in odium Episcoporum, concedit Abbati hoc in casu exercitium Officij, donec Episcopus resipiscat *c.*1. *& ibi gloss. h.t.*

5 Si Episcopus captus sit à barbaris, quis ejus supplet vices?

℞ Capitulum, tanquam si esset mortuus, qui verè civiliter mortuus est. *c.*3.*h.t. in* 6.

6 Vacante Ecclesia Cathedrali potestne Sum. Pontifex dare Visitatorem?

℞ Potest ad supplendam necessitatem Prælati *c.* 4. *h. t. in* 6.

7 Quibus modis negligentia Prælati coercetur?

℞ Varijs ac varijs, pro modo majoris, vel minoris negligentiæ. Aliquando imponitur, & excommunicatio ad duos menses. *can.* 101. 1. *q.* 1. Aliquando pœna depositionis, vel privationis Officij vel dignitatis &c. *c.*1. *de Off. Custodis.*

# CAPUT. XX.

## Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo Censu concedant.

1 Iurisdictio Episcopalis, vel alia spiritualis, potestne dari sub annuo censu, vel vendi, aut locari alicui ex conditione, ut Singulis annis det pro illa tantam pecuniam?

℞ Non potest, ut dict. *Lib.* 3. *Cap. fin. n.* 34. quia jurisdictio gratis conferri. *c.*1. *h. t.* & Judices gratis judicare debent. *can.* 15.14 *q.* 5.

2 Regimen Ecclesiæ vel Cura Animarum, potestne alicui Clerico sub annuo censu committi?

℞ Non: imò illi, cui committitur cura animarum, dari debet congrua portio ad Sustentationem. quia dignus est operarius mercede sua. *d.*3. *h.t.*

3 Fructus Ecclesiæ, vel Episcopatus, aut Mensæ Episcopalis, possunt ne sub annuo censu concedi?

℞ Possunt: cum nullam rei Spiritualis habeant rationem, idq; ad breve tempus, ne videatur alienatio; olim quidem ad septennium *c. fin. h. t.* hodie ad triennium. *Extravag. Comm. unic. de Reb. Eccl. non alienan. & Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 11. de Ref. & dict. Supr. Lib. 3. Cap. fin. n. 36.*

4 Clericus potest ne locare suas operas, veluti dicere Missas, Confessiones audire, prædicare & Sacramenta administrare pro pretio?

℞ Potest ratione sui laboris & congruæ sustentationis, etiamsi sit dives; non verò ratione rei Spiritualis. *Abb. in c. 3. n. 2. & ibi Innoc. h.t. & DD. in c. 11. de Præben.*

5 Iudex, Advocatus, Procurator possuntne accipere Salarium, vel locare operas suas?

℞ Possunt licité accipere pro labore suo, & locare operas suas ad triennium vel ultra. Istorum enim labor est pretio æstimabilis, sicut labor cujuslibet operarij vineam fodentis. *Abb. in c. 1. n. 4. h. t.*

6 Quam pœnam incurrunt, qui vendunt, & emunt Iurisdictionem Episcopalem, vel aliam Spiritualem?

℞ Qui emit privatur re empta, & qui vendit, privatur potestate conferendi talem jurisdictionem in posterum. *c. 1. h. t.*

7 Si Episcopus suam jurisdictionem vendat, committit ne Simoniam, vel incidit in excommunicationem?

℞ Non committit Simoniam. Quia decidere causas, gubernare populum, non est beneficium neq; Sacramentum, neq; directè est Spirituale quid, sed est quoddam regimen alicujus Tribunalis, in quo Judex pro suo labore habet certas obventiones, vel Salarium de Camera Episcopi. *gloss. in d. c. 1. h. t. & DD. ibi.* Nec incidit in excommunicationem: quia cum sumus in pœnalibus, Pœna, ubi non est posita, non debet augeri. *Abb. in d. c. 1. h. t.*

8 In venditione Vicariatus, Provisoratus &c. committiturne Simonia?

℞ Non: nisi simul cum illis Officijs detur aliqua potestas Spiritualis, ut absolvendi à peccatis, vel baptizandi &c. & detur pecunia pro illa potestate. *Abb. in c. 2 h. t. n. 2.*

9 Quare Episcopus est Simoniacus committens, receptò pretiò, suas vices alicui, iste verò, qui vices gerit ejus licet recipiat Salarium, non committit?

℞ Quia iste recipit præmium sui laboris & operæ stipendium: locat enim Episcopo suas operas, nec ullo jure cogitur suo stipendio militare. *c. 16. de Præscript.* ast ille pro sua jurisdictione exercenda si pretium accipiat, ex eo, quòd vices committit, jurisdictionem suam vendere videtur; cùm Salarium potiùs dare deberet. *Azor. Instit. moral. p. 3. Lib. 12. Cap. 14. quæsit. 1. v. sed cur quæso,*

## CAPUT XXI.

## De his, quæ fiunt à Prælatis, sine Consensu Capituli

1 Episcopus quid potest agere sine consensu Capituli?

℞ Ea omnia, quæ habet de jure Episcopali, ut jurisdictionem & Pontificalia exercere, Orationes conferre, Ecclesias consecrare &c. *Abb in c. 7. h. t. n. 14.*

2 Episcopus, in quibus rebus necessario debet requirere consensum Capituli?

℞ In negotijs arduis, in quibus de jure requiritur consensus Capituli: ut sunt donationes, venditiones, alienationes, commutationes rei Ecclesiasticæ, veterum dignitatum suppressiones, suppressarum suscitationes, statuum Ecclesiæ mutationes *c. 1. 8. & ibi DD. h. t.* Ecclesiarum, sibi, aut suæ Ecclesiæ subjectarum, alijs Ecclesijs, vel Monasterijs incorporationes *d. c. 8. & 9. h. t.* Institutiones, destitutiones & beneficiorum Collationes, tum electionum confirmationes, nisi aliud dictet consvetudo. *c. 4. & 5. h. t.*

3 In prædictis arduis negotijs, qualis consensus Capituli debet esse?

℞ Expressus, in Scriptis & libere datus cum Sigillo & in ea forma, in qua Capitulum solitum est facere fidem in suis rebus. *Abb. in c. 1. n. 3. 4. & 5. h. t.*

4 Episcopus venitne appellatione Capituli?

℞ Quamvis Episcopus gaudeat omnibus privilegijs Capitulo concessis, non venit tamen appellatione ejus: quia est Superioris dignitatis. *Abb. in 7. n. 14. h. t.*

5 Electus Episcopus potest ne disponere rebus Ecclesiæ consentiente Capitulo?

℞ Ante confirmationem non potest: quia electio sola non dat jurisdictionem, & potest irritari, si ex aliquibus causis à Papa non confirmetur. *Abb. in c. 3. n. 2. h. t.*

6 Cùm Episcopus rem magnam alienare non potest, ut dictum supra *Lib. 3. Cap. fin.* in alienatione rei parvæ debet ne requirere expressum consensum Capituli?

℞ Sufficit tacitus: si tamen in alienatione rei parvæ Capitulum reclamet, alienatio hujusmodi non habebit vires. *Abb. in c. 1. & 3. n. 8. h. t.*

7 In beneficijs conferendis, quæ sunt simultaneæ collationis, requiritur ne consensus totius Capituli, vel majoris partis?

℞ Sufficit consensus Majoris partis; at verò in alienationibus requiritur consensus totius Capituli: quia sunt negotia perpetua & graviora. *c. 6. n. 6. h. t.*

8 Episcopus potest ne præscribere contra Capitulum jus præsentandi & alia negotia ad Capitulum spectantia?

℞ Potest: quia est capax jurisdictionis Ecclesiasticæ & jurisdictio de jure præscribitur, *Abb. in d. c. 6. n. 6. h. t.*

9 Ad ædificandam & dotandam Ecclesiam, requiritur ne consensus Capituli?

℞ Non requiritur, sed solius Episcopi. *can. 9. dist. 1. de Consecr.* Ad illum enim spectat consecratio, quam si non dotatam consecraverit, ad dotandum eam de proprio obligatur. *c. 8. & ibi gloss. ac Abb. n. 3. de Consecr. Eccles.*

10 Episcopus, potest ne Statuta condere sine consensu Capituli?

℞ Potest: consilio tamen ejus, pro meliori expeditione rei gerendæ opus est, licet illud nisi in casibus

casibus à jure expressis, Episcopus sequi non teneatur. *Piasec. Prax. Episcop. p.2. Cap. 2.a. 2.n. 8. ubi alios citat. & S. Congr. Conc.* 1592. 27. *April. decisionem affert.*

11 Quæ nam in statutis condendis servanda sunt ?

℞ Hæc: ut rarissimè pæna excommunicationis apponatur; ne ex frequentia abeat in contemptum; ut rarò apponatur pæna pecuniaria, ad evitandam avaritiæ suspicionem, quæ ab Episcopo longius abesse debet, sed potius pæna aliqua temporalis *c.10. de Vita & honest. Cleric.* ne multa statuta ferantur sed solùm necessaria & profutura. Toleranda enim aliquando sunt potius aliqua mala, ne eveniant graviora: nam qui nimis emungit, elicit Sangvinem. *can. fin. dist.* 4. Unde Episcopus sit memor illius Chrysostomi super Matthæum: *Circa vitam tuam esto austerus, circa aliorum benignus, audiant te homines parva mandantem & grandia facientem. Et illius Bernardi: Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum onera potius portare deberetis. Piasec. loc. cit. n.* 12.

# CAPUT XXII.
## De Concilijs.

1 Unde dicitur Concilium ?

℞ A Consulendo, quasi consilium dictum quòd ad Concilia vocentur viri Sapientes, ad consultandum de ijs, quæ ad publicam utilitatem spectant. Aliter à græca voce Synodus appellatur, quasi comitatus, vel cœtus, à coëundo, idest conveniendo. *can.* 1. §. *Synodus. dist.* 15.

2 Quid est Concilium ?

℞ Est Congregatio hominum Ecclesiasticorum prudentum, authoritate Prælatorum convocatorum, ad tractandum communi intentione de rebus Ecclesiæ necessarijs, & utilitatem ejus publicam concernentibus. Elicitur. *ex d. can.* 1. *dist.* 15.

3 Quotuplex est Concilium ?

℞ 2plex: Aliud UNIVERSALE, seu GENERALE, quod à Sum. Pontifice, vel ejus Legato cum omnibus (idest totius Orbis Christiani) Episcopis, celebratur. *gloss. can.* 1. *dist.* 17. Unde & Oecumenicum, idest totius Orbis Christiani, & Universale, respectu convocatorum, appellatur. Et aliud LOCALE seu PARTICULARE, quod dividitur in NATIONALE, quod celebrat aliquis Patriarcha, vel Primas cum Archiepiscopis & Episcopis, unius, vel plurium Provinciarum, qualia sunt Concilia multa Romana, Toletana & Africana. PROVINCIALE, quod Archiepiscopus seu Metropolitanus cum suæ Provinciæ Suffraganeis, Episcopis, Abbatibus & alijs Clericis celebrat. Et DIÆCESANUM seu EPISCOPALE, quod ab Episcopo inter suæ Diæcesis Clericos & Abbates indicitur. *can.* 2. *dist.* 38. *& can* 16. *cum. seqq.* 18. *q.* 2.

4 Distingvuntur ne Concilia Particularia ab Universalibus ?

℞ Affir. quia hæc vim definiendi habent & omnes Christi fideles consttringunt. *can.* 1. §. 1. *dist.* 15. *& c.* 5. *&. similib. de Constit.* Illa verò non habent vim definiendi, sed solum procurandi, ut, quod alias generaliter sive specialiter statutum est, observetur, & non omnes consttringunt, sed tantùm subditos, quamdiu in regno vel Diæcesi morantur. *c.2. de Constit. in 6. & l. fin. ff. de Iurisdict. omnium Iudic.*

5 Quis debet Concilia convocare ?

℞ Patet ex n.3. quod Generalia solus Papa, Nationalia Patriarcha vel Primas, Provincialia Archiepiscopus Metropolitanus, vel eô impeditô Episcopus antiquior, Diæcesana Episcopus vel *jux. Honor. ab Axel. in Sum. Decretal. ad. Tit. de Constit. n.* 7. sede vacante Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. *Conc. Trid Sess.* 24. *Cap.* 2. *de Ref.* de quo Diæcesano Concilio seu Synodo sequenti Capite dicetur.

6 Quam pænam incurrit Archiepiscopus, vel Episcopus antiquior, negligens in tempore congregare Concilium Provinciale ?

℞ Ultra pænas positas à Sacris canonibus, in Regno Nostro Poloniæ 200 aureorum subit mulctam. *Conc. Trid. loc. cit. & can.* 7. *dist.* 18. *& Const. Provin. Gnesn. Lib.* 5. *Cap.* 5.

7 Quis debet designare locum Concilio congregando?

℞ Metropolitanus in sua, vel alterius Suffraganei Episcopi Diæcesi, attenta commoditate Hospitiorum, victualium & æqualitatis undique itineris; verùm si commodè fieri potest non est deserenda Metropolitana Ecclesia. Ita censuerunt. *DD. in Cap.* 2. *d. Sess.* 24. *de. Ref.*

8 Concilium Provinciale quando fieri debet ?

℞ Quolibet triennio post Festa Resurrectionis Christi Domini, vel alio commodiori tempore ut in Regno Nostro Poloniæ post Festum S. Bartholomæi. *Conc. Trid. loc. cit. & Const. Provinc. Gnesnen. ubi supra.*

9 Si nulla sit necessitas congregandi Concilium Provinciale, inciditne Metropolitanus in pænas statutas à SS. cann. & quid debet agere ?

℞ Finitô trienniô Metropolitanus sciscitetur à Suffraganeis Episcopis per Epistolas, num aliqua sit, congregandi Concilium, & si nulla sit, certiorem faciat Sum. Pontificem, & sic nullam incurrit pænam: quia ubi non est infirmitas, ibi non sunt necessaria remedia.

10 Qui debent vocari & venire ad Concilium Provinciale ?

℞ Omnes Suffraganei Episcopi, Episcopi exempti & viciniores nulli Archiepiscopo subjecti, modò in ante eundem eligant, Abbates usum Mitræ & baculi habentes, Dignitates &c. *d. Sess.* 24. *Cap.* 2. *de. Ref. in Declarat. S. Congreg.*

11 Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum debent ne vocari ad Conc. Provincialia?

℞ Debent: modò Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, habeant jurisdictionem quasi Episcopalem; quia quod ad omnes spectat ab omnibus approbari debet. *Abb. in c. fin. de his, quæ fiunt à Prælat. sine Consen. Capit, & decl. S. Congreg. super. d. Sess.* 24. *Cap.* 2. 1596. 19. *Xbris.*

12 Si dicta Capitula noluerint venire ad Concilium Provinciale, possunt ne compelli ?

℞ Quia Capitula non habent votum decisivum, ideo non possunt compelli, sed specialiter invitari. *d.c. fin. de his, quæ fiunt à Prælat. & decl. S. Congreg. loc. cit.* Sed Episcopi, quod habeant votum decisivum, compelli possunt. *Conc. Trid. ubi. supra.*

 13 Episcopus

13 Episcopus legitimè impeditus, poteftne per Procuratorem fuum ad Conc. Provinciale venire?
℞ Poteft, & nullam pænam incurrit: modò probet fe impeditum effe infirmitate, vel alia urgentiffima legalitate. *Abb. in d. c. fin. de his, quæ fiunt à Prælat.*
14 Procuratores pro Epifcopis in Conc. Provin. comparentes, habentne votum decifivum?
℞ Habent cum alijs Epifcopis & locum immediatè poft Epifcopos, Canonici verò Cathedralium Ecclefiarum, Dignitates, Abbates, folùm habent votum confultivum. *Conc. Trid. & Abb. c fin. ubi fupr.*
15 Laici poffuntne vocari ad Conc. Provincialia?
℞ Ad defendenda jura poffunt vocari, ficut fecit Bonifacius VIII. Papa, fed cùm agitur de corrigendis vitijs Clericorum, debent expelli. *Abb. ubi fupr. c. 61. de Elect.*
16 Epifcopus exemptus, & Sedi Apoftolicæ immediatè Subjectus, fi femel ex præfcripto Conc. Trid. elegerit aliquem Metropolitanum, poteritne poftea eundem mutare?
℞ Non poterit: tam ipfe, quàm ejus Succeffor. quia quod femel placuit amplius difplicere nequit, & rationi confentaneum eft, ut fit omnibus notum & fciatur ad quod Concilium talis exemptus fpectare & vocari debeat. *Conc. Trid. loc. cit. c. 21. de Reg. Iur. in 6. & can. 17. 32. q. 5.*
17 Archiepifcopus poteritne talem Epifcopum exemptum cogere ad fervanda ftatuta Concilij Provincialis, cui ipfe interfuit & votum cum alijs Epifcopis decifivum dedit?
℞ Negat: quia Concilium folùm petit præfentiam Epifcopi exempti, & ex ifta præfentia non fubijcitur Metropolitano, imò ejus exemptio illæfa fervatur, & remanet tantùm ficut in ante remanferat, fubjectus Sum. Pontifici. qui fi vellet, poffet eum cogere ad fervanda dicta ftatuta, fed non Metropolitanus. *Declarat. S. Congr. Conc. Trid. loc. cit.*
18 Præcedentia Epifcoporum in Conc. Provinciali in fedendo, vel in dando voto, unde fumi debet?
℞ Non ex prioritate Epifcopatus, aut Parentelæ vel alterius alicujus caufæ, fed ex prioritate Confecrationis. quia Confecratio eft dignitas fubftantialis, reliqua autem funt accidentia. *DD. in d. Seff. 24. Cap. eodem.* nifi forte in aliquo Conc. Provinciali fit aliquod Privilegium, vel Conftitutio, aut Confvetudo dé modo fedendi.
19 Quæ debent tractari in Concilio Provinciali?
℞ Quæ neceffaria funt pro ftabilienda fide Catholica, pro extirpandis hæreticis, pro augmentando cultu divino, pro moderandis moribus fidelium, corrigendis exceffibus, reprimendis vitijs, componendis controverfijs, fedandis litibus, vita & honeftate Clericorum, de docenda doctrina Chriftiana, de faciendis notis decretis Conc. Trid. & de alijs rebus, quæ per SS. Cann. & antiqua Concilia tractari decernuntur. *Conc. Trid. loc. cit.*
20 Caufæ Civiles & Criminales Epifcoporum, ubi funt tractandæ?
℞ In Concilio Provinciali, fi funt minores, quas nimirum non fequitur pæna depofitionis, vel degradationis, alias vocarentur majores & coram Sum. Pontifice tractari deberent. *Conc. Trid. Seff. 24. Cap. 5. de Ref.*
21 Miracula & difficultates, quæ ex eis oriuntur ubi funt tractandæ?
℞ In Conc. Provinc. ut relatio vera, integra & fidelis de illis Sum Pontifici tranfmittatur. Miracula enim funt de majoribus Ecclefiæ negotijs & eorum declaratio ad folum Sum. Pontificem pertinet. *Conc. Trid. Decret. 2. à princ. Seff 25.*
22 Caufæ abfentiæ Epifcoporum, & licentia data à Metropolitano, ubi funt tractandæ?
℞ In Con. Provinc. & ibi judicari debent, fi Epifcopi dicta licentia abutantur & Diæcefis ob non refidentiam detrimentum patiatur. *Conc. Trid. Seff. 23. Cap. 1. de Ref.*
23 Ecclefiæ Cathedralis Præbendæ habentes tenues proventus, poffuntne per Conc. Provinc. augeri?
℞ Non poffunt, tractatio tamen de illis in Conc. Provinc. vocatis de jure vocandis fieri poteft & difcuffô dilingenter negotiô ad Sum. Pontificem remitti ut hujufmodi Præbendis per unionem beneficiorum aliorum provideat. *d. Seff. 24. Cap. 13. de Ref.*
24 Decreta Conc. Provinc. quando funt publicanda?
℞ Quàm primùm approbata fuerint à Sum. Pontifice. *DD. in d. Seff. 24. Cap. 2. de Ref.*

# CAPUT XXIII.

## De Synodo Diæcefana.

1 Quid eft Synodus Diæcefana?
℞ Eft quædam congregatio in unum perfonarum Ecclefiafticarum ab Epifcopo facta ad Dei laudem & animarum falutem. *Ugolin. de Off. & poteft Epifcop Cap. 4. fol. 99.*
2 Synodus Diæcefana quando fieri debet & quo tempore?
℞ Singulis annis & tempore accomodato, in quo Parochi pro fua abfentia non faciant damnum Ecclefijs fibi commiffis. *Conc. Trid. Seff. 24. Cap. 2. de. Ref.*
3 Quis debet convocare Synodum Diæcefanam?
℞ Epifcopus propria authoritate abfq; confilio & confenfu Capituli. *Conc. Trid. ubi fupra.*
4 Qui debent ad illam neceffariò venire?
℞ Canonici Cathedralis & Collegiatarum Ecclefiarum. Dignitates Archiprèsbyteri, Parochi, qui curam animarum habent, etiamfi fint Regulares exempti, Abbates Diæcefani, Canonici Regulares, omnes Clerici habentes beneficia fimplicia & qui funt Sacris initiati. *c. 16. de Off. Ordin. & c. 9. de Major. & obed. & Conc. Trid. loc. cit.*
5 Qui non obligantur venire ad Synodum Diæcefanam?
℞ Plures 1mò Clerici in Minoribus Ordinibus conftituti non habentes beneficia. 2dò Regulares exempti, qui fuis Capitulis generalibus fubjiciuntur, fi non habeant beneficium Curatum unitum, cui per fuos Regulares ferviant. 3tiò qui morbo, vel Senectute detinentur. 4tò, qui habent Ecclefiam Parochialem, & non habent fubftitutum, ut eam relinquant. 5tò qui impediuntur legitima caufa, veluti bello, pefte, inimicitia, impetu fluminis, incurfu latronum. 6tò Excommunicati denuntiati, nifi veniant ad petendam abfolu-

absolu-

absolutionem & veniam. *Ugolin. Lib. 2. fol. 100.*

6 Quam pœnam incurrunt non venientes vocati ad Synodum Diæcesanam?

℞ Censuris Ecclesiasticis coërcendi sunt ab Episcopo, donec veniant. *DD. in d. Cap. 2. Seß. 24. & d. c. 9. de Major & obedien.*

7 Qui propter impedimentum, non possunt venire ad Synodum, quid debent agere, ut non incurrant pœnam?

℞ Debent per Procuratorem suum testimonio fide digno se in facie Synodi excusare, ut cognoscatur eorum obedientia. Impedito enim legitimè, non currit pœna neq; præscriptio. *Ugolin. loc. cit.*

8 Qui habent Beneficium in una Diæcesi & habitant in altera, ad quam Synodum debent venire?

℞ Ad Synodum Episcopi, in cujus Diæcesi habent beneficium: quia ibi agitur de cura animarum & gubernatione Ecclesiarum. *DD. & gloß. in d. c. 9. de Maiorit. & obed.*

9 In Synodo Diæcesana votum Canonicorum estne consultivum, an decisivum?

℞ Regulariter est consultivum, sed in aliquibus casibus à jure expressis est decisivum. *DD. in d. Cap. 2. Conc. Trid. Seß. 24.*

10 In Synodo Diæcesana quid debet tractari?

℞ De vita & honestate Clericorum, correctione morum, augmento cultus divini, & qvilibet ex congregatis liberè debet proponere ea, quæ sibi magis videbuntur statuenda ad bonam gubernationem Ecclesiarum, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus. *Ugolin. ubi supra.*

11 Synodus quomodo inchoatur?

℞ A decantatione Missæ, cui qui intersunt, Indulgentias 40 dierum consequuntur. *Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 1. de Off. Ordin. fol. 78. ubi* videre licet, in quo ornatu quisq; ad Synodum comparere debet.

12 In Synodo Diæcesana, qui & quot Iudices Causarum ex Curia Romana remissarum eligi debent?

℞ Iurium gnari, in Ecclesiastica dignitate constituti & ut potissimùm graduati, ad minimum quatuor. *Conc. Trid. Seß. 25. Cap. 10. de Ref.*

13 In Synodo Diæcesana qui & quot Examinatores ad Curata beneficia eligi debent?

℞ Viri qualificati ad minimum sex. *Conc. Trid. Seß. 24. Cap. 18. de Ref.*

14 Decreta Synodi Diæcesanæ quando sunt publicanda?

℞ Finita Synodô, postquam typis mandata fuerint & approbata, ut ad omnium notitiam deveniant. *DD. in Conc. Trid. Seß. 24. Cap. 2 de Ref.*

## CAPUT XXIV.

## De Iudicibus Synodalibus.

1 Iudices Synodales in Synodo Diæcesana, ut dictum immediatè n. 12. electi, debentne in Synodo sequenti de novo eligi an confirmari?

℞ Possunt eligi de novo, vel electi confirmari & numerus eorum augeri. *Conc. Trid. Seß. 25 Cap. 10. de Ref.*

2 Dicti Iudices Synodales, quas qualitates debent habere?

℞ Debent esse docti, bonæ vitæ, in dignitate Ecclesiastica vel Canonicatu constituti, si fieri potest, graduati. *Conc. Trid. loc. cit. & c. 11. de Rescript. in 6.*

3 Quæ solennitas est servanda in electione Iudicum Synodalium?

℞ Postquam Synodus eos elegerit, Episcopus eorum designationem Romano Pontifici transmittat, ut cognito cujuslibet eorum nomine Curiæ Romanæ Officiales, possint eis, vel ei Causas delegare. *Conc. Trid. Seß. 2. Cap. 10.*

4 Quod est Officium Iudicum Synodalium?

℞ Iudicare Causas à Sede Apostolica, vel à Nuntijs aut à Legatis sibi commissas cum Summa brevitate & justitia, litigantium dilationibus, calumnijs & expensis occurrendo. *Conc. Trid. loc. cit.*

5 Si contigerit aliquem ex Iudicibus Synodalibus mori, aut longo tempore abesse, & non sint plures, quàm quatuor, quid agendum?

℞ Ordinarius loci cum Consilio Capituli substituat alium in locum defuncti vel absentis, donec in sequenti Synodo alius eligatur, ita, ut sint semper quatuor. *Conc. Trid. loc. cit.*

6 Concilium Capituli in hoc casu requiriturne de necessitate, ita ut Episcopus teneatur necessario illud sequi?

℞ Requiritur solùm pro forma electionis, sed illud Episcopus de necessitate sequi non tenetur. *DD. in d. Cap. 10. Seß. 25.*

7 Iudex Synodalis incepto negotio sibi commisso, si renuntiet dignitati, poteritne finire negotium?

℞ Affir. Iurisdictio enim ejus radicata in persona per solam citationem perpetuatur usq; ad finem causæ. *c. 20. & ibi gloß. v. Quasi captum. de Off. Judic. Delegat. & Decl. S. Congreg. Conc. 2. Mart. 1587.*

8 Si Judex Synodalis cæptô negotiô sibi commissô, moriatur, vel diuturna absentia detineatur, poteritne illud alius Conjudex finire?

℞ Si negotium commissum sit generaliter, ut Iudici Synodali, poterit alius Conjudex stante tali casu citatis de novo illud finire. *c. 14. de Off. Iudic. Delegat. Felin. in. c. 7. n. 17. de Rescript.* Verum si commissum sit specifice tali, vel tali personæ ejus nomine expressò, se alter Conjudex intromittere non potest. *d. c. 14. & ibi Abb. n. 3. & 4. 3. & 4. de Off. Iudic. Delegat.*

9 Potestne causa à Sede Apostolica alijs, quam Iudicibus Synodalibus committi?

℞ Potest, ut videmus in praxi: sed si Concilij præscripto attendamus, tales delegationes dicuntur subreptitiæ, nisi Iudices Synodales in Curia Delegantis sint ignoti: *Conc. Trid. Seß. 25. Cap. 10. de Ref.*

10 Iudex Synodalis unius Diæcesis potestne partem alteram Diæcesis alterius citare?

℞ Potest, attento jure communi, modò pars ultra unam dictam à finibus suæ Diæcesis non maneat, nisi aliud in Rescripto exprimatur. *c. 11. §. Cum verò & §. Cum autem. de Rescript. in 6.*

11 Potestne Iudex Synodalis à Partibus habere mercedem?

℞ Potest moderatam secundùm qualitatem personæ suæ, esculenta & poculenta liberè oblata.

nemini enim Officium suum debet esse damnosum. *d.c.11.§.Insuper & ibi gloss.de Rescript.*

12 Judex Synodalis potestne habere Assessorem?

℞ Si Judex non fuerit graduatus & Assessore indigeat, potest eum assumere & eundem perse salariare, modò non suspectum partibus assumat *d. c. 11. Assessorem. de Rescript. in 6.*

13 Quis debet nominare Notarium in Causa Iudici Synodali commissa?

℞ Ipse Judex Synodalis, quemadmodum & alios Officiales necessarios: qui si metas rationis in exigendis salarijs excesserint, eosdem Judex prudenter refrænet. *d. c. 11. §. Notarium. de Rescript. in 6.*

14 Judex Synodalis suam commissionem excedens, quam pænam incurrit?

℞ Tenetur ad integram restitutionem & soluendas expensas parti læsæ. *d. c. 11. §. si quid. autem. de Rescript. in 6.*

15 Judex Synodalis Causam sibi commissam, in quo loco tractare debet?

℞ In loco insigni, in quo possit commodè copia peritorum haberi. *d.c.11. à princ. de Rescript in 6.*

---

# CAPUT XXV.

## De Examinatoribus Synodalibus.

1 Examinatores à Synodo Diæcesana sex vel plures electi, quas qualitates habere debent?

℞ Debent esse Doctores, vel saltim Licentiati in S. Theologia, vel Iure Canonico, sæculares, aut etiam Regulares cujuscunq; Ordinis, juramento ad S. Dei Evangelia in manibus Episcopi vel Synodi de fideli muneris sui executione obstricti. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Ref.*

2 Officium eorum quousq; durat?

℞ Usq; ad proximam Synodum Diæcesanam, in qua vel confirmari, vel alij de novo eligi possunt. *DD. in d. Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Ref.*

3 Electio Examinatorum Synodalium & aliorum Officialium facta in Synodo Diæcesana, ligatne Episcopum de novo intrantem?

℞ Ligat ut pote canonicè facta, *Decl. S. Congr. Conc. Trid. 18. April. 1595.*

4 Si contingat electos Examinatores mori, possuntne alij in locum mortuorum ab Episcopo subrogari?

℞ Possunt viri qualificati præcipuè (si super vivant,) ex iis qui in præcedenti Synodo fuerunt approbati. *Prax. Episcop. Francis. Leon.*

5 Si aliquis Examinatorum Synodalium annô transactô moriatur, potestne Episcopus in locum ejus, quemadmodum si intra annum moriatur, alterum substituere?

℞ Non potest: imò & aliorum Examinatorum transacto anno exspirat Officium. *S. Congr. Conicl. Trid. super d. Sess. 24. Cap. 18. de Ref. 1. Februar. 1593. declaravit.* Quia intentio Concilij est, ut singulis annis fiat Synodus Diæcesana, & sic intra annum, non verò extra, dat facultatem substituendi alium Examinatorem. *Decret. Clementis VIII. quod refert Garc. p. 9. Cap. 2. n. 72. de Beneficijs.*

6 Si Episcopus transactô annô nominaverit aliquos examinatores loco mortuorum, vel fecerit concursum cum alijs Viris qualificatis, sed non cum Examinatoribus Synodalibus, erit ne validus talis concursus & provisio?

℞ Quamvis affirmativam partem teneant *Barbos. de Potest. Episcop. p. 3. alleg. 60. n. 50. Rota decis. allegantis.* Contrarium tamen. *Mossabr. Lotter. Garcias loc. cit. Riccius & Venerus in exam. Lib. 4. Cap. 25. n. 12.* asseren. beneficium sic collatum, posse ab alio impetrari: quia provisio devolvitur ad sedem Apostolicam ex expresso Decreto. *Concil. Triden. Sess 24. Cap. 18. de Ref. & Bull. Pij V. 1566. Calend. April.* In conferendis. Unde Barbosa loc. cit. intelligendus est de Examinatoribus in locum mortuorum eligendis infra annum post Synodum celebratam, non verò extra. jux. explicationem *Garc. loc. cit.*

7 Si sit completus numerus sex Examinatorum, & transacto anno Synodus Diæcesana non fiat, exspirabit ne officium eorum, vel durabit usq ad aliam Synodum?

℞ Durabit usq; ad aliam synodum: quia cum sint sex & approbati à Synodo, intentio Concilij impletur. *Decl. S. Congr. Concil. quam refert Genuen in Prax. Cap. 66. in annot. n. 17. & Leo in Thesau. for. Eccl. Cap. 18. n. 28.*

8 Quare Concilium vult, ut Examinatores sint ad minus sex, cùm in quolibet examine Episcopus non teneatur vocare, nisi tres, quos voluerit?

℞ Ideo forsitan: quia si solùm essent tres, ab Examinandis possent precibus vel pretio corrumpi. Scirent enim Episcopum illos & non alios ad examen vocare. quod in ampliori numero scire vix possibile.

9 Possuntne aliquid ab Examinandis Synodales Examinatores pro labore accipere?

℞ Nihil, sive ante, sive post examen, sub pæna suspensionis ipsô factô & privationis dignitatis *can. 5. dist. 24.*

10 Coram quo Iudice Examinatores, aliquid respectu examinis recipientes debent conveniri?

℞ Coram Episcopo, vel Synodo Diæcesana, qui ultra dictas pænas arbitralibus possunt puniri: Dantes verò & obtentis beneficijs privantur & ad obtinenda alia incapaces redduntur, *DD. in Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Ref. & Paris. de Resignat. Benef. Lib. 8. q. 9.*

11 Poteritne Ordinarius, vel Synodus Diæcesana Examinatoribus Synodalibus pro labore aliquod stipendium assignare?

℞ Neg. & decretum esset nullum. *Garc, loc. cit n.* 379. sed Petr. de Ledesma in Sum. p. 2. tract. 7. p. 159. refert; quòd in Hispania communi usu receptum sit, ut Examinatores recipiant aliquid pro labore suo, videlicet unum aureum pro quolibet examine, solvendum ab eo, qui eligitur in Parochum.

12 Examinatores quod votum habent in examine?

℞ Solùm consultivum. Peracto enim examine debent omnes idoneos cum omnibus qualitatibus denuntiare Episcopo & sic functi sunt officio suo. *Conc. Trid. loc. cit.* Ut tamen Episcopus habeat integram cognitionem illorum qui examinati

minati

minati sunt, Examinatores addere solent Titium approbo, Sejum reprobo &c.

13 Approbatio Examinatorum debet ne esse communi consensu, vel sufficit major pars votorum?

℟ Sufficit major pars: quia judicium & sententia sumitur ex majori parte. *Garc. loc. cit. n.* 109.

14 Si vota Examinatorum fuerint paria, quid Episcopus, vel ejus Vicarius agere debet?

℟ Potest addere ei suffragium, quem magis aptum & idoneum judicaverit. Ad illum enim spectat ex Concurrentibus idoneis magis idonei electio. *Declat. Conc. Trid. super. d. Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Ref.* 5. *April.* 1598. *&* 1599.

15 Episcopus, vel ejus Vicarius præsens in examine, potestne sicut alij Examinatores. Concurrentes interrogare?

℟ Potest: quia Examinatores sunt ei per Synodum in adjutorium assignati. *DD. in d. Sess.* 24.

16 Vota Examinatorum debentne esse publica an secreta?

℟ Id non est declaratum à Concilio, sed magis videtur expedire, ut palam inter se vota sua conferant, & Secretarius scribat si præsens est, Titius approbatus & Sejus reprobatus. *Garc. ubi supr. n.* 10.7

17 De sola ne tantum literatura Examinatores tenentur examinare?

℟ Præter literaturam, etiam de moribus, ætate, prudentia & alijs circumstantijs ad regendam Ecclesiam opportunis, quæ omnia, Episcopo referant fideliter idq; sub peccato mortali. *Garc. de Benef. p.* 5. *Cap.* 7. *n.* 11 *& Conc. Trid. ubi Supra Medin in Sum. Lib.* 1. *C* 14. § 32

18 Si Examinatores peracto examine Titium renuntient scientiâ idoneum & de moribus & vita nihil dicant, faciuntne satis suo officio?

℟ Non: quia & de his necessario, ut immediatè dictum inquirere debent. *Conc. Trid. ibid.*

19 Qui debent præferri in Concursu?

℟ I præferri debet graduatus, non graduato, *Caputaq. decis* 277. *p.* 1. *& Pute. decis.* 200. *Lib.* 3. II. Originarius Civitatis, extraneo. *Rota decis.* 628. *in princ. ubi DD. cit.* de gremio ejusdem Ecclesiæ, posthabito digniore alterius Ecclesiæ. *Reginald. in Prax. for. Penit Lib.* 30. *tract.* 3. *n.* 200. III. Magis literatus, minus literato, *Farinac. Rom. decis.* 977. IV. Majori habilitate præditus, veluti prudentiâ, integritate morum, maturitate & pietate. *Farinac. decis* 638. V. Non habens beneficium, habenti. *Reginald. loc. cit. n.* 290. VI. Minus doctus, modò idoneus, cujus mores noti & approbati, doctiori præferendus, cujus vita ignoratur. *Gonzal. ad Reg.* 7. *Cancell. gloss.* 4. *n.* 112. *& Garc. p.* 9. *Cap.* 2. *n.* 111.

20 Ad quas Ecclesias requiritur examen per concursum?

℟ Ad omnes Patochiales Ecclesias Juris Patronatûs Ecclesiastici, in Mensibus reservatis vacantes. sive illæ Ecclesiæ vacantes sint Collationis, Clericorum Sæcularium, sive Regularium, sive Monialium: non verò ad illas, quæ sunt Iuris, Patronatus Laicorum. *Conc. Trid. loc. cit. Garc. Ubi supra. n.* 355. *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *n.* 234.

21 Si Laicus plures uno eodemq; tempore ad unam Ecclesiam præsentaverit, potestne fieri Concursus inter dictos præsentatos?

℟ Potest & debet, ut pluribus præsentatis magis idoneus eligatur. *Respon. S. Congr. Conc. quam refert Garc. loc. cit. n.* 256. *& Gonzal. ad Reg. Cancell. d. gloss.* 6. *n.* 238

22 Est ne Examen per Concursum necessarium in Parochialibus unitis alicui dignitati?

℟ Non est necessarium. *Garc. loc. cit. n.* 193.

23 In beneficijs Curatis Iuris Patronatus Laici, quæ jure devolutivo conferuntur, debetne fieri examen per Concursum?

℟ Debet, nec Patronus per hoc læditur: quia pro illa vice propter negligentiam Patroni, jus conferendi cessit Episcopo *censuit S. Cong.* 29. *Iun.* 1600

24 Estne servanda forma Concursus, si Patronus Laicus habet duas voces præsentandi & unam Ecclesiasticus Patronus?

℟ Affirmat. respon. S. *Congr. Concil. in una Montis Regalis* 6 *Aug.* 1593.

## CAPUT XXVI.
## De Visitatione Diæcesis.

1 Quid est Visitatio?

℟ Est sedula rerum omnium, ad Christianam disciplinam & Christianos mores corrigendos, pertinentium, inquisitio. *Colligitur. ex c.* 1. §. *Sane. de Censib. in* 6.

2 Quis est finis Visitationis?

℟ Exterminare hæreses, corrigere malos mores, examinare sanam doctrinam, reficere Ecclesias, exhortari Concionibus populum ad religionem, pacem &c. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref. & d. c.* 1 §. *sane. &* §. *Procurationes. de Censib. in* 6.

3 Quæ loca sunt visitanda & quo Ordine?

℟ Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, Parochiales, Hospitales, Capellæ, Seminaria, Monasteria Episcopo subjecta, Montes pietatis, Confraternitates, & omnia alia loca pia. Et primò quidem Ciborium, fons baptismi, Altaria, Sacrarium. Vestes, apparamenta, supellex Ecclesiæ num in decenti custodia teneatur, proventus, legata, census &c. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 4. *de Ref. Sess.* 7. *Cap.* 8. *de Ref. Sess.* 22. *Cap.* 6. *de Ref. & Sess.* 25. *Cap.* 6. *de. Ref. tum c.* 1. *de Censib. in* 6.

4 Innotescentiales Literæ debet ne præcedere Visitationem & quid continere debent?

℟ Debent omninò, continentes diem visitationis inchoandæ, in qua populus ad Ecclesiam congregatus & de utilitate visitationis per visitatorem instructus, de statu Ecclesiæ, moribus, vita Clericorum & alijs secretè interrogatur. *Hostien. in Sum. de Censib. n.* 16.

5 Quis potest visitare?

℟ Episcopus per se ipsum, vel si fuerit legitimè impeditus, per idoneum & qualificatum substitutum. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Ref.*

6 Quam potestatem Episcopus habet in visitatione?

℟ Maximam ad morum correctionem & reformationem, nec pænam ab eo impositam suspendit appellatio, quæ si conceditur solùm ad effectum devolutivum, non verò suspensivum conceditur, *d. Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Ref.*

7 Qui præter Episcopum possunt visitare?

℟ Generales & Provinciales Religionum approbatarum

batarum sibi duntaxat subjectas Ecclesias, & Monasteria. Archidiaconi & aliæ Dignitates, quæ habent vel jus consvetudinarium, vel privilegium à Sede Apostolica concessum, idq; per se, non per substitutos. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. & 9. *de Ref.*

8 Capitula possunt ne habere suos Visitatores?

℞ Possunt: modò habeant privilegium, vel Consvetudinem immemorabilem visitandi; cæterum visitator per Capitulum electus, ab Ordinario approbandus est. *Declar S. Congr. Conc. Trid. sup. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.* 30. *April.* 1587.

9 In quo casu Achidiaconus, vel alius Visitator, potest per substitutum visitare?

℞ Si Iurisdictio Archidiaconi, vel alterius Visitatoris solùm versetur circa emolumenta Ecclesiarum & reditus, tunc possunt per substitutum visitare; secus si versetur circa mores Clericorum corrigendos: tunc enim tam amplam facultatem non habent, sicut Episcopi. *Conc. loc. cit. in Declarat. v. Per se ipsos.*

10 Potestne Episcopus visitare personas & loca, jam alias ab Archidiacono, vel alio Visitatore, visitata?

℞ Potest; tamen à Visitatoribus jam punitos, iterum punire nequit, nec ab eis absolutos, ad detegendos defectus cogere licet processum videre potest. *Conc. Trid. ibid. v. sed. non ideo.*

11 Archidiaconus, vel alij visitatores pro Visitationibus expediendis, possuntne ad placitum suum Notarium assumere?

℞ Non possunt, sed ab Episcopo deputatum, idq; vel Apostolicum, vel in defectu hujus alium Clericum in sacris constitutum, à quo Acta visitationis conscripta intra mensem Visitatores Episcopo reddant. *Conc. Trid. d. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

12 Episcopus visitans potestne recusari?

℞ Non potest: nisi modum in visitando excedat. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 4. *de Ref. & ita S. Congr. ibid. censuit.*

13 Recusatus Episcopus, ex quo excessit modum invisitando, debetne cessare à visitatione?

℞ Non debet, sed Visitationem suam ulterius prosequi & punienda punire tenetur. *S. Congr. Conc. loc. cit.*

14 Quoties Episcopus suam Diæcesim visitare debet?

℞ Quolibet anno, ita, ut si Diæcesis sit ampla, Visitationem per se, vel suum Archidiaconum, vel alium Visitatorem, intra biennium finiat. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3 *de Ref. & Const. Provin. Lib. de Officio Ordin.*

15 Episcopus Visitationem aggrediens potestne quoscunq; sub pœna excommunicationis per edictum suum cogere, ut si quæ sciant contra Capitulum, vel Canonicorum vitam & mores, deponant?

℞ Non licere ista Episcopo, censuit. S. *Congr. Conc. Trid. sup. Sess.* 6 *Cap.* 4. *v. Visitari corrigi.*

16 Episcopus, vel ejus Visitator, potestne visitare proventus & reditus Ecclesiæ patronatæ?

℞ Potest, nec Patronus se intromittere debet. *Conc. Trid. d. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

17 Potestne Episcopus visitare testamenta & ultimas voluntates?

℞ Potest, imò tenetur habere curam, ut suffragia relicta pro defunctis, impleantur: de jure enim est executor omnium testamentorum. *d. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

18 Quis potest visitare & corrigere Clericos Sæculares, qui in Ecclesijs Regularium exemptorum administrant Sacramenta?

℞ Episcopus loci, quamvis sint illi Clerici non solum Sæculares, sed etiam Regulares, modo habeant administrationem Sacramentorum: nisi Abbates & alij Regularium Superiores habeant quasi Episcopalem jurisdictionem. Episcopi tamen & in hoc casu, in talia loca & personas majorem habent jurisdictionem. *Conc. Trid. Sess.* 25 *Cap.* 11. *de Regular.*

19 Equites Hierosolymitani, Parochiales Ecclesias per Commendas obtinentes, à quo visitari debent?

℞ Ab Episcopis vel eorum Visitatoribus. *Bull. Pij V.* 22. *7bris.* 1571. *exposcit. quam refert. Piasec. in Prax. Episcop. p.* 2. *Cap.* 3. *a.* 6. *n.* 36.

21 Quis potest visitare Ecclesias in quibus Moniales habent jurisdictionem Spiritualem?

℞ Episcopus ex facultate sibi tradita à *Conc. Trid. Sess.* 7. *Cap. de Ref.*

21 Episcopus potestne visitare Moniales subiectas Regularibus, si Monasteria sint in ejus Diæcesi?

℞ Potest, sed solum in his rebus, quæ ad Clausuram pertinent, toties, quoties Episcopis videbitur expedire: in alijs verò ipsi Regulares debent eas visitare, *Piasec. loc. cit. a.* 7. *n.* 8. *& seqq.*

22 Quis debet visitare Clericos vagabundos & Monachos extra Monasterium, in alicujus Principis obsequio, aut in Civitate cum licentia Superioris, degentes?

℞ Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 2. *de Ref. & Sess.* 14. *Cap.* 4. *de Ref.*

23 Quis potest visitare Monasteria & Capitula etiam exempta, ubi non viget observantia Regularis?

℞ Episcopus tanquam sedis Apostolicæ Delegatus. *Conc. Trid. Sess.* 21. *Cap.* 8. *de Ref.*

24 Si in Monasterijs vigeat regularis observantia, aliquis tamen Religiosus cum scandalo vivat vel in communi, aut in particulari aliquid dignum correctione inveniatur, quid tunc Episcopus facere debet?

℞ Monere Superiorem illius Monasterij, ut talia scandala, vel errores corrigat, qui si ista intra sex menses neglexerit scandalosos; non punierit; Episcopus tanquam Apostolicæ Sedis Delegatus poterit tale Monasterium visitare & delinquentes punire. *d. Sess.* 21. *Cap.* 8. *de Ref.*

25 Potest ne Episcopus visitare Ecclesias Parochiales unitas Canonicis Regularibus?

℞ Potest. *Piasec. in Prax. Episcop. p.* 2. *Cap.* 3. *a.* 6.

26 Ecclesiæ & beneficia exemptorum, quæ dicuntur nullius Diæcesis, à quo debent visitari?

℞ Ab Episcopo proximiori, vel ab eo Episcopo, qvem semel exempti in Synodo Provinciali elegerunt. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 9. *de Ref.*

27 Quis potest visitare Hospitalia, Collegia, Scholas, Confraternitates, Montes pietatis & pia loca Laicorum?

℞ Episcopus

℟ Episcopus, nisi sint immediatè subjecta Regibus & Principibus; tunc enim requiritur eorum expressa licentia. *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 8. *de Ref.*

28 Patroni possuntne visitare Ecclesias & ornamenta ?

℟ Non possunt, nisi illis competat ex fundatione: nihilominus Episcopus debet eas visitare. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref*

29 Quis potest visitare fabricas, bona earum & Administratores ac eos mutare, rationes ab eis petere & omnia ordinare ?

℟ Episcopus singulis annis, nisi aliter in fundatione sit cautum. *Conc. Trid. Sess.* 22 *Cap.* 9. *de Ref.*

30 Quis potest visitare Confraternitates Laicorum, quorum Capellæ & Altaria sunt in Monasterijs Regularium ?

℟ Episcopus potest visitare personas, statuta, bona, vivendi modum; non verò ipsa Altaria, vel Capellas, quæ sunt intra Regularium Claustra & Ecclesias. *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 8. *de Ref.*

31 Si in fundatione alicujus Hospitalis, vel operæ piæ expressè sit cautum, quòd ratio redituum reddatur aliquibus Patronis sive Ecclesiasticis, sive Sæcularibus & ab iis fiat visitatio, potest ne Episcopus se intromittere ?

℟ Potest, sed conjunctim cum illis Patronis. *Conc. Trid. loc. cit. Cap.* 9. *de Ref.*

32 Cùm Episcopus visitat cum alijs Patronis, votum Episcopi quale est protunc ?

℟ In hoc casu Episcopi votum æquale est voto Patroni, & major pars condemnat, vel absolvit. *DD. Super Cap.* 8. 10. *Conc. Trid. Sess.* 22.

33 Si in fundatione Hospitalium, vel operæ piæ expressè cautum sit, quòd visitatio & ratio redituum, reddatur aliquibus Patronis Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, in isto casu, quam potestatem habet Episcopus ?

℟ Stante tali expressa cautione Ordinarius potest se junctim cum Patronis intromittere ad prædictam visitationem & rationum receptionem. *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 9. *de Ref.*

34 Episcopus visitans cum Patronis in casu allegato, quod votum habet ?

℟ Idem, quod Patroni, ac major pars votorum absolvit & condemnat. *DD. in Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 8. & 10. *de Ref.*

35 Si in erectione Hospitalis, vel alicujus piæ operæ expresè cautum sit, ne Episcopus ullatenus se intromittat, quid tunc potest agere ?

℟ In isto casu Episcopus à visitatione abstinebit, ut in suo vigore maneat Conc. Trid. exceptio. illa: *nisi secus fortè in institutione vel Ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresè cautum esset. Sess.* 22. *Cap.* 9 *de Ref.*

36 Familiares Cardinalium in quibus subditi sunt Episcopis ?

℟ Solùm in his quæ pertinent ad beneficia, quæ obtinent in Diæcesi Episcopi. *DD. in Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

37 Quæ loca non possunt visitari ab Episcopo ?

℟ Illa omnia, quæ sunt in observantia Regulari & subjecta sunt suis Superioribus; unde etiam Episcopus visitare non potest Ecclesias Equitum S. Joannis Hierosolymitani, S. Lazari, S Jacobi de Spatha, S. Jacobi de Calatrava, S. Jacobi de Alcantara, S. Stephani, Christianæ militiæ sub invocatione Conceptionis Immaculatæ Virginis, S. Spiritus in Gallia, sub in vocatione B. Mariæ de Monte Carmelo, Templariorum &c Quia Ecclesiæ horum Equitum per varias Summ. Pontificum Constitutiones à jurisdictione Ordinariorum eximuntur, nisi sint Parochiales, aut in illis Sæculares Clerici deserviant. *d. Supr. n.* 19, *hoc. Cap.* & *DD. in Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 8. *de Ref.*

38 Episcopus Visitans, qua pœna potest punire delinquentes ?

℟ Non ordinaria, quæ á jure statuta est, sed extraordinaria, quæ magis respiciat emendationem, quàm correptionem & vindictam. *DD. in Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

39 Quid potest Episcopus in Visitatione statuere & præcipere ?

℟ Illa omnia, quæ pertinent ad meliorem gubernationem & regimen Ecclesiæ; ut fusè describitur. *in Const. Provinc. Gnesnen. Lib.* I. *de Off. Ordinar. v. Visitationes.*

40 Quantum temporis Episcopus visitatationi tribuere debet ?

℟ Tempus hoc non est præscriptum à Conc. Trid. sed arbitrio Episcopi relictum, licet debeat esse breve, moderatum & discretum, ut constat ex verbis illis: *studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere.* Conc. Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

41 Visitatio Episcopi debetne esse continuata ?

℟ Affir. nec ad alia se Episcopus convertere debet, nisi infirmitatis, vel majoris negotij causa aliud svadeat. *d. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

42 Possuntne Episcopi, vel Visitatores ab eis designati, aliquid pro labore in Visitatione accipere?

℟ Non possunt etiam sponte oblatum, nulla etiā immemorabili consvetudine suffragante, præter victualia ipsis, famulis eorum & equitatui modesto à Conc. Trid. permissa, quæ victualia ad ijs, qui visitantur redimi pretio possunt *d. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.* & *c.* 3. *de Censib. in* 9.

43 Episcopus Archidiacono vel alteri visitanti Diæcesim potestne præscribere Comitatum & equitatum, tum tempus moræ in qualibet Parochia?

℟ Potest. *Declar. S. Congr. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref. v.* Quidquam procurationis. Et ita in Synodo Szyszkoviana Diæcesis Gracoviensis Anno 1621 celebrata & à Paulo V. approbata *Cap.* 5. *de Archidiaconis & alijs Visitatoribus.* præscriptus est modus uisitandi: *ut nim. Archidiaconus, vel alius Visitator ultra famulos Septem & equos Sex in Visitatione non habeat, nec ultra horas* 24. *in Parochiali Ecclesia moretur, nisi inquisitionis necessitas longioris temporis spatium exigat.*

44 Quare Episcopis in Visitatione debetur victus, etiamsi habeant sui Episcopatus reditus, unde possunt sustentari ?

℟ 1mò in signum Subjectionis & Superioritatis, 2dò. ratione hospitalitatis & urbanitatis, quia denegare sustentationem Prælato visitanti esset contra charitatem; cùm bona Ecclesiæ sint deputata usibus publicis. 3tiò ut facilius inducantur ad visitationem necessariam. 5tò. quia Prælatus in

latus in itinere majores facit expenſas, quàm domi ſuæ. *Abb. in c. 16. de Præſcript.*

45 Victus in viſitatione. Epiſcopo, vel Viſitatori miniſtrandus, poteſtne præſcribi à Parocho?

℞ Non poteſt. Eſt enim à jure impræſcriptibilis: cùm nemo ſuis ſumptibus cogatur alteri ſervire *Abb. loc. cit.*

46 Qui Clerici à præſtatione huiusmodi victus tempore Viſitationis, ſunt liberi?

℞ 1mo illi, qui erant abſentes Viſitationis tempore & non ſunt viſitati. 2do, qui habent privilegium Sedis Apoſtolicæ de non præſtando victu Viſitatori. 3tio Clerici Civitatis illius, in qua Epiſcopus habitat & habet ſuam domum. *DD. in d. Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 3. de Ref.*

47 Epiſcopus Diæceſim percurrendo Confirmationis Sacramentum miniſtrans, debetne à Clericis expenſarum reſtitutionem petere?

℞ Non debet, neq; à Clericis, neq; à Laicis. quia miniſtratio Sacramenti Confirmationis ſpectat ad Epiſcopi Officium, quod ſuis expenſis exequi tenetur. *DD. in d. Seſſ. 24. Cap. 3. de Ref.*

48 Qua pæna punitur Epiſcopus, ſi ipſe, vel aliquis de ejus familia, aut alius Viſitator, à viſitatis ultra victum, aliquod munus etiam ſponte oblatum, vel non à viſitatis pro victu accepit?

℞ Quia quæſivit, quæ ſua ſunt, non quæ JESU Chriſti, ideo pænam maledictionis æternæ incurrit, à qua non eſt abſolvendus, niſi duplum intra menſem reſtituat; & ſi neglexerit Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ab ingreſſu Eccleſiæ, inferior ab Officio & beneficio ad plenam ſatisfactionem ſuſpenditur, quod ſi celebret, fit irregularis, per Papam abſolvendus. *c. 1. §. Procurationes. & c. 2. ac ibi gloſſ. v. Suſpenſos. Cenſib. in 6.*

49 Poteſtne Epiſcopus in viſitatione teſtamentorum, ex relictis pijs aliquid exigere?

℞ In hoc ſervanda eſt loci conſuetudo, qua ſtante, poteſt Epiſcopus exigere trigeſimam, vel aliam partem *Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 3. de Refor. & Declar. n. 14.*

50 Ubi non eſt conſvetudo, ut Epiſcopi in viſitatione teſtamentorum ex relictis, vel legatis pijs aliquid accipiant, poſſuntne tamen accipere?

℞ Standum eſt in hoc caſu conſvetudini, de nihil accipiendo inductæ. niſi contra illam jus aliquod habeatur. *Conc. Trid. loc. cit. & ibi DD.*

51 Si Epiſcopus non recipiatur ab illis, qui viſitari ſolent, quid debet facere?

℞ Si ſit in quaſi poſſeſſione viſitandi, debet excommunicare rebelles. *c. 6. de ſent. excom. in 6.* & ſi id non prodeſt, poterit frangere portas Monaſterij, vel Eccleſiæ, & impedientes incidunt in excommunicationem Bullæ Cænæ Domini *Abb. in c. 1. n. 5. de Immunit. Eccleſ.*

## CAPUT XXVII.

## De Viſitatione Canonicorum, qui gaudent Privilegio Adjunctorum.

1 Quæ Eccleſiæ Cathedrales gaudent Adjunctis?

℞ Illæ ſolùm, quæ ante Conc. Trid. Privilegio, vel alio jure exemptæ erant à juriſdictione Epiſcopi, ac etiam illæ, quæ habent concordias confirmatas ex certa ſcientia, quam vocant in forma ſpeciali. *DD. ſup. Seſſ. 25. Cap. 6. de Ref.*

2 Capitulum, quod ante Conc. Trid. in criminalibus non erat ſubjectum Epiſcopo, manere ne debet ſubjectum poſt Concilium?

℞ Affir. Epiſcopus enim cum Adjunctis, alias cum duobus Canonicis in principio cujuslibet Anni per Capitulum electis, ſervato ordine in *d. Seſſ. 25. Cap. 6. de Ref.* præſcripto, in criminalibus cognoſcere poteſt. Quia Conc. Trid. hanc juriſdictionem Epiſcopis, quæ ante Concilium eis ſublata erat, reſtituit. De jure enim communi ad Epiſcopum ſpectat delicta ſuorum Canonicorum punire. *DD. in d. Cap. 6. Seſſ. 25. de Ref.*

3 Si aliqua Eccleſia habeat concordiam confirmatam in forma communi & in conſvetudine immemorabili ſtabilitam, gaudebit ne privilegio Adjunctorum?

℞ Neg. quia tales concordiæ procedunt ex Officio Pænitentiarij, & non ſunt ex certa ſcientia, ac ideo illis derogatum eſt per Concilium: non ſunt enim ſignatæ manu Sum. Pontificis ſicut concordiæ ex certa ſcientia *Conc. Trid. loc. cit. & DD. ibi.*

4 Si Epiſcopus ante Conc. Trid. majorem juriſdictionem habebat, quàm illam, quæ eſt illi data à Conc. Trid. loc. cit. debetne reduci ad terminos Concilij?

℞ Neg. qui majori authoritati non eſt derogatum per d. Concil. imo ſalva & intacta remanſit. Concil. enim dedit Epiſcopis id, quod non habebant, ſed non ſuſtulit id quod habebant. & ſic in Eccleſijs, in quibus ante Conc, Epiſcopi procedebant ſine Adjunctis, & poſt Concil. ſine illis procedere poterit. *Conc. Trid. Seſſ. 6. Cap. 4. de Ref. & DD. ibi.*

5 Quis poteſt viſitare Eccleſias Collegiatas, vel Eccleſias nullius Diæceſis, aut Eccl. Cathedrales quæ ante Concil. non erant exemptæ, vel quæ ante Concil. habebant concordias confirmatas in forma communi?

℞ Epiſcopus ſine Adjunctis, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, non obſtante quavis appellatione, quamvis dictæ Eccleſiæ contrarium prætendant. *Conc. Trid. Seſſ. 6. Cap. 4. & DD. ſuper Cap. 2. Seſſ. ejusdem ac Seſſ. 24. Cap. 9. de Ref.*

6 Si Eccleſia Collegiata in Cathedralem erigatur, competit ne ei ex hoc privilegium Adjunctorum?

℞ Neg. quia hoc privilegium non eſt datum omnibus Eccl. Cathedralibus ex ratione quòd ſint Cathedrales, ſed ſolùm, quòd fuerant exemptæ ante Concilium. *DD. Super d. Seſſ. 25. Cap. 6. de Ref.*

7 Quis poteſt viſitare Eccleſias & Capitula, quæ gaudent privilegio Adjunctorum?

℞ Epiſcopus per ſe ipſum, quoties opus fuerit, non verò per viſitatorem, etiamſi ſit impeditus *Conc. Trid. Seſſ. 6 Cap. 4. & Seſſ. 25. Cap. 6. de Ref. & ibi DD.*

8 Quot ſunt ſpecies Viſitationum in Eccleſijs, quæ gaudent privilegio Adjunctorum?

℞ Tres *Præparatoria*, quæ eſt quædam ſummaria inquiſitio rerum pertinentium ad Eccleſiam facta ab Epiſcopo in loco Capituli conſveto, omnibus convocatis Canonicis & quolibet ex ordine ad quæſita Epiſcopi reſpondente ac ultima reſpon-

ſione

sione sensum dante, quid sit necessarium ad meliorem statum Ecclesiæ. *Episcopalis*, quæ prosequitur per Episcopum cum fisco contra aliquem Canonicum, testibus ad deponendum venientibus. *Et plenaria*, quæ fit in judicio plenario servato ordine juris: cùm Episcopus cum Adjunctis procedit ad puniendum delictum alicujus Canonici.

9 Metropolitanus potestne visitare per se ipsum Ecclesias & Capitula exempta, vel non exempta suorum Suffraganeorum?

℞ Non potest, nisi causa cognita in Synodo Provinciali. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

10 Episcopus in Visitatione præparatoria, teneturne assumere Adjunctos?

℞ Assumptio Adjunctorum, est in libero beneplacito Episcopi, qui visitationem sui Capituli, vel per se solum; vel cum Adjunctis, vel cum duobus Iurisperitis etiam extraneis & Notario Clerico expedire potest. *arg. in tex. Extravag. Comm.* 1. *de Off. Ordin. & Conc. Trid. locis citatis.*

11 Episcopus in visitatione Episcopali, si voluerit recipere testes & procedere contra aliquem Canonicum, teneturne necessariò assumere Adjunctos sui Capituli?

℞ Potest assumere Adjunctos de Capitulo, vel etiam Jurisperitos duos extraneos, modò non puniat pæna ordinaria juris, sed mitiori, quæ magis respiciat emendationem, quàm correptionem. *DD. in Cap.* 6. *d. Sess.* 25. *de Ref.* & *Marsil. Lib.* 4. *p.* 19.

12 Episcopus visitans quando tenetur assumere Adjunctos?

℞ Quoties voluerit, servato juris ordine prosequi delictum alicujus Canonici, quod resultavit ex præparatoria, vel Episcopali Visitatione.

13 In Visitatione præparatoria, vel Episcopali, si Episcopus inveniat aliquod delictum carceratione, vel alia pæna dignum, & voluerit illud prosequi ac castigare, tenebiturne dare ttansumptum Reo?

℞ Tenebitur ac ad carcerem & aliam pænam procedere cum Adjunctis de Capitulo: quia tunc jam agitur de damno alicujus Canonici rei. *DD. in Cap.* 6. *Sess.* 25. *de Ref.*

14 Episcopus in visitatione, sive præparatoria, sive Episcopali, sive plenaria, debetne necessariò assumere Notarium Capituli?

℞ Non, sed potest assumere suum Notarium vel alium modò non sit suspectus Capitulo, quia tunc ut tollatur suspicio, deberet ei dari socius *DD. loc. cit.*

15 Episcopus in Visitatione Episcopali, vel plenaria, potestne assumere pro fiscali suum Capellanum, vel alium ministrum Ecclesiæ?

℞ Potest, nec ad assumptionem hujusmodi fiscalis requiritur assensus Adjunctorum, quorum jurisdictio est stricti juris, solùmq; ad fulminandum processum & sententiandum non ad nominandos Officiales extenditur.

16 Visitatio Canonicorum in quo loco debet esse?

℞ Ubi Capitulum solet celebrari, si id commodè fieri poterit, alias in alio loco omnibus commodo.

17 Si Episcopus vellet visitare aliquem Canonicum particulariter, vel facere probationem super aliquo delicto, poteritne id facere in sua domo?

℞ Poterit: quia tunc procedit contra unam personam delinquentem, & non facit actum cum toto Capitulo, alias deberet descendere ad locum, in quo Capitulum solet celebrari. *DD. Super Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

18 Ubi debet esse carcer Canonicorum?

℞ In Palatio Episcopi, loco decenti, vel ad Ecclesiam, si sit commoditas & decens habitatio ad hunc effectum facta.

19 Poteritne Episcopus exigere juramentum à Canonicis in Visitatione?

℞ Poterit, non in præparatoria, sed in Episcopali, cùm procedit ad puniendum alicujus delictum. Censuit. *S. Congr. Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 4. *de Ref.*

20 Potestne Episcopus cogere aliquem Canonicum sub pæna excommunicationis, ut detegat proprium delictum?

℞ Non potest: nemo enim se prodere tenetur in foro exteriori. *DD. super d. Sess.* 6. *Cap.* 4. neq; edicto suo potest vocare testes, ut sub pæna excommunicationis revelent, quæ sciant, vel habeant contra Capitulares, aut eorum vitam & mores. Censuit. S. *Congr. Conc. Trid. ibidem.*

21 In visitatione quomodo se gerere debet Episcopus?

℞ Tanquam Pater & Pastor, non verò ut percussor. *Conc. Trid. Sess.* 13. *Cap.* 1. *de Ref.*

22 Quantum temporis debet Episcopus tribuere visitationi suorum Canonicorum?

℞ Non est præscriptum á Concilio, sed tempus debet esse breve, ac Episcopus discretus & moderatus, nec visitatio debet interrumpi sine magna Causa. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Ref.*

23 Quem ordinem servare debet Episcopus, volens visitare suum Capitulum & Canonicos gaudentes privilegio Adjunctorum?

℞ Præmissis Literis Innotescentialibus debet descendere ad Ecclesiam Episcopus Clero comitante, Cappa Pontificia indutus, ibiq; per se, vel in casu præpeditionis per Prælatum primum, Sacrô votivô absolutô & præmissis Orationibûs ad eum usum in Pontificali Romano præscriptîs, ac Sermone de utilitate & causis Visitationis, ad particularem Ecclesiæ Visitationem descendit. Et 1mo quidem præsentibus omnibus Canonicis & Prælatis, Ciborium, fontem baptismi, Altaria, apparamenta & Suppellectilem Ecclesiæ num in decenti custodia teneatur, Archivum, Statuta & Scripturas revidet. *Hostien. in Sum. de Censib. n.* 16. *v. Et. imprimis.* 2dò facit connotari per Notarium numerum Prælatorum & Canonicorum in loco Capitulari ad pulsum majoris campanæ congregatorum, eorum Præbendas, reditus, celebrationem generalium & particularium Capitulorum, distributiones, præsentias, Canonicorum de novo intrantium admissiones &c. per Notarium similiter connotari facit. *c.* 30. *de Elect. & c.* 44. *de Simon.* 3tiò tandem ad visitationes, præparatoriam Episcopalem & plenariam descendit, dequibus Supra dictum.

24 Episcopus visitans suos Canonicos potestne ab eis recusari tanquam suspectus?

℞ Non potest, si intra terminos visitationis se

 continéat

contineat & si processum non compleverit, secus verò si terminos visitationis excesserit & processum compleverit quia tunc ut recusari, ita & ab eo appellari potest. *DD. Super Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Ref.* non debet tamen cessare à visitatione, licet recusatio sit sive justa, sive injusta. *dict. Supra.*

25 Si Capitulum, vel aliquis de eo, nomine Capituli à tota visitatione, vel aliquo ejus articulo appellaverit, quid agendum?

℞ Debet deferre Episcopus appellationi quò ad effectum solùm devolutivum non suspensivum, & suam Visitationem debet prosequi ac ordinanda ordinare: quia hæc authoritas data est Episcopis visitantibus *à Conc. Trid. Sess.* 13. *Cap.* 1. *de Ref.*

26 Metropolitanus in causis visitationis & correctionis, potestne admittere appellationem Canonicorum?

℞ Potest, quò ad effectum devolutivum, non verò impedire executionem Sententiæ Episcopi, nisi talis executio per Sententiam definitivam reparari nequeat, ut si aliqua pæna corporalis vel exilij per Episcopum imposita foret. *Conc. Trid. Sess.* 6. *Cap.* 1. *de Ref.*

27 Quando Episcopus ex potestate sibi tradita à Con. Trid. procedit tanquam sedis Apostolicæ Delegatus in Visitatione, vel in alijs negotijs, ad Metropolitanum ne, an ad Sum. Pontificem debet fieri appellatio?

℞ Ad Metropolitanum; quia hujusmodi delegatio fuit mixta, idest de ea re in qua Episcopus de jure communi ante Conc. Trid. poterat cognoscere. Concil. enim non dedit de novo jurisdictionem Episcopis quò ad visitationes expediendas, sed solùm antiquam coadjuvavit: si verò Episcopus habuerit delegationem meram, hoc est in ea re, in qua Episcopus non habet jurisdictionem ordinariam, tunc appellandum est ad Sum. Pontificem. *Conc. Trid. Sess.* 6 *Cap.* 1. & *Sess.* 24. *Cap.* 10. *de Ref*

28 Si Episcopus extra visitationem ad instantiam alicujus partis procedat ad pænam infligendam alicui Canonico de Capitulo, quod gaudet privilegio Adjunctorum, quomodo procedere debet?

℞ Cum Adjunctis à principio cujuslibet anni per Capitulum electis, & non sine illis, ac servatâ formâ *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

29 Adjuncti in principio anni electi, possuntne mutari & alij eligi, antequam annus finiatur?

℞ Possunt pro libitu Capituli. Eorum enim electio in favorem Capitularium absq; ulla conditione data est *DD in d. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

30 Jurisdictio Adjunctorum ad quas causas extenditur?

℞ Solùm ad Criminales. *Conc. Trid. loc. cit.* Unde si causa sit mixta, separanda est, ac Episcopus vel ejus Vicarius in Civili cognoscit, in criminali verò Adjuncti.

31 Si Episcopus extra Visitationem cum Adjunctis procedit, in quo loco & cum quibus, Notario & Fiscali procedere debet?

℞ In domo sua Episcopali, loco decenti, vel Tribunali consueto cum suis proprijs Notario & Fiscali à se, absq; assensu Adjunctorum assignatis. *Conc. Trid. loc. cit.*

32 Vicarius sede Episcopali à Capitulo electus, si vellet contra aliquem Canonicum procedere criminaliter, debetne adhibere Adjunctos?

℞ Si Episcopus vivens adhibere solebat etiam ille adhibere debebit. *DD. Super Conc. Trid. loc. cit.*

33 Ad quos actus debent adhiberi Adjuncti?

℞ Cum Adjuncti sint veri Conjudices Episcopi, ideo ad totum processum, usq; ad sententiam definitivam, quam cum Episcopo subscribere tenentur. in causis criminalibus adhiberi debent. *Conc. Trid. loc. cit.*

34 Adjuncti possuntne recusari à delinquente Canonico?

℞ Non possunt: sunt enim dati à jure & è Concil. Trid. in favorem Capituli ac per illud electi ad placitum; ideo per Canonicum delinquentem non possunt recusari. *Conc. Trid. loc. cit.*

35 Adjuncti, duo ne, an unum habent suffragium?

℞ Tantùm unum, & si uterq; non conveniat cum Episcopo in sententia interlocutoria, vel definitiva, intra sex dies una cum Episcopo debent tertium eligere Adjunctum, quod si in electione discordes fuerint, potestas eligendi tertij Adjuncti ad viciniorem Episcopum deberet devolvi *Conc. Trid. loc cit. in Declarat.*

36 Episcopus vicinior cui Adjuncto tertio, an per votum Episcopi, an verò Adjunctorum electo, adhærere debet, an etiam possit tertium eligere?

℞ Potest, si voluerit accedere cumvoto ad votum Episcopi, vel Adjunctorum, atq;unum per quamcunq; partem electum confirmare, vel tertium, omissis illis duobus, de quibus inter Episcopum & Adjunctos fuit controversia, eligere. Hæc enim ei facultas data est *à Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref*

37 Ille tertius Adjunctus electus, potestne suum ad placitum proferre sententiam, vel etiam debet se conformare Episcopi vel Adjuctorum Sententiæ?

℞ Debet se omnino conformare Episcopi, vel Adjunctorum Sententiæ. Quia ille Adjunctus tertius non est ut Judex Causæ, sed solum ut approbator Sententiæ magis justæ. *Con. Trid. loc. cit.*

38 Si Adjuncti requisiti, noluerint vel neglexerint procedere in aliquo delicto, devolviturne tota jurisdictio ad solum Episcopum?

℞ Neg. quia jurisdictio Episcopi & Adjunctorum ita est commulativa, ut unus sine altero procedere non possit. *DD. & Marsil. Lib.* 4. *super d. Cap.* 6. *Sess.* 25. *de Ref.*

39 Si totum Capitulum delinquat, potestne Episcopus sine Adjunctis procedere?

℞ Potest, modò delictum non sit contra Episcopum vel non habeat ex tali re nocumentum: quia talis causa deberet devolvi ad Metropolitanum. *DD. in d. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

40 Quæ sunt delicta in quibus Episcopus potest solus ad Summariam informationem & Capturam sine Adjunctijs procedere?

℞ Illa, quæ

℞ Illa, quæ ex incontinentia idq; post tertiam monitionem proveniunt, non omnia sed solum Adulteria, de quib loquitur *Conc. Trid. sess. 24. Cap. 8. de Ref.* Concubinatus, de quibus *Idem Conc. Sess. 25. Cap. 14. de Ref.* & alia graviora, quæ de jure depositionem vel degradationem merentur & in quibus de fuga timeatur. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 6 de Ref.*

41 Omnes ne Canonici Cathedrales gaudent privilegio Adjunctorum?

℞ Omnes sive sint Clerici primæ Tonsuræ, sive in Sacris, sive in sacerdotio, sive voto ob aliquod delictum privati, modo constituant corpus Capituli tali privilegio gaudentis: unde si aliqua dignitas habeat Stallum in choro cum Canonicis, & non sit de Corpore Capituli illi privilegium Adjunctorum non potest suffragari, nisi super hoc Speciale habeat privilegium Sanctæ Sedis. *DD. Super d. Sess 25. Cap. 6 de Ref.*

42 Istæ tres monitiones, de quibus n. 39. debentne esse privatæ vel publicæ, an per edictum & intra quod tempus?

℞ Tempus monitionis unius, ab altera, est arbitrio Episcopi relictum, prima tamen monitio debet esse privata, secundum legem Evangelicam scilicet inter Episcopum & delinquentem, altera coram duobus, vel tribus testibus, tertia coram pluribus sed non per edictum: quia talis monitio non esset charitativa. *DD. in d. Sess. 25. Cap. 14. de Ref.*

43 Si in delicto Concubinatus timeatur de fuga, potestne Concubinarius ante monitionem incarcerari?

℞ Potest, ne judicium eludatur. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 6. de Ref.*

44 Cognitio Concubinatus cujus est fori?

℞ In Laicis mixti fori, in Clericis verò Spiritualis, ubi sine strepitu & figura judicis, solâ facti veritate inspectâ judicantur *Conc. Trid. Sess 25 Cap 14. de Ref.* Et est de gravioribus in quibus timetur de fuga propter pænam.

45 Conc. Trid. quando posuit pænas Concubinario d. Sess. 25. Cap. 14 sustulit ne pænas positas à jure contra Adulteros & Concubinarios?

℞ Non, sed illas adjuvit pænâ excommunicationis, & in Clericis privatione tertiæ partis fructuum. *DD. in d. Sess. 25. Cap. 14. de Ref.*

46 Si Judex voluerit condemnare Concubinarium in pecunia, reclusione & alijs levioribus pænis à jure Statutis, debet ne necessario præcedere monitio tertia?

℞ Negativè. *DD. in d. Sess. 25 Cap. 14. de Ref.*

47 Si in delictis non timeatur de fuga, tùm propter authoritatem personæ, tùm propter senectutem ejus delinquentis, ac alias circumstantias, potestne Episcopus sine Adjunctis procedere summariè & ad Capturam?

℞ Neg. Quia ad hoc, ut procedat sine Adjunctis duo copulativè requiruntur 1mum quòd delictum sit grave & petat degradationem. 2dum, quòd timeatur de fuga delinquentis. *Conc. Trid. Sess 25 Cap. 6. de Ref.*

48 Quis debet judicare hunc timorem de fuga?

℞ Judex, consideratâ personâ, delictô, & aliis circumstantiis viro prudenti reservatis.

49 Si alicujus Canonici committentis delictum leve non trahens post se degradationem timeatur de fuga, poteritne Episcopus ex solo isto casu sine Adjunctis, ne eludatur judicium, procedere?

℞ Non: quia ad tollendos Adjunctos in causa Summaria & captura, debent concurrere duo requisita n. 46 posita, copulativè, non disjunctivè. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 6. de Ref.*

50 Episcopus in Visitatione poteritne inquirere de rebus scandalosis publicis solùm, an etiã occultis?

℞ De utrisq;. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 6. de Ref.*

51 Episcopus poteritne visitare bona Capituli & eorum Administratores?

℞ Poterit. *Conc. Trid Sess. 6. Cap. 4. de Ref.*

52 Fabricas & Administratores earum, poteritne visitare?

℞ Poterit, nisi consvetudine, privilegio, vel aliquo alio jure, quidpiam aliud caveatur. *Conc. Trid Sess. 22 Cap 9. de Ref.*

53 Quis potest visitare Seminarium?

℞ Episcopus & expellere non proficientes. *Conc Trid. Sess. 23. Cap. 18. de Ref.*

54 Quis potest visitare, approbare & punire Notarios Apostolicos?

℞ Episcopus non solùm Ordinaria authoritate, sed etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, quamvis sint Apostolica, Imperiali, vel Regali authoritate creati, nulla ipsis ad effectum suspensivum appellatione suffragante. *Conc. Trid. Sess. 22 Cap. 10. de Ref.*

55 Quando Episcopus privat aliquem Notarium officio ob imperitiam, quæ negotia potest exercere, & quæ non?

℞ Si sit creatus à Principe Sæculari, omnia sæcularia negotia exercet, non autem Spiritualia. *Conc. Trid. d. Sess 22. Cap. 10. de Ref.*

56 Ubi sunt Collectores Apostolici, possuntne visitari & corrigi ab Episcopo & qui tales dicantur?

℞ Visitari & corrigi non possunt, quamvis suum Officium non exercuerint, modò sint deputati, quia sunt exempti à jurisdictione Episcopi. Dicuntur autem Collectores, qui mandatum habent colligendi jura Apostolica tempore Sedis vacantis. *Declarat. S. Congr. Conc. Trid. Super d. Sess. 25. Cap. 6. de Ref. v. Succollectores.*

57 Si Episcopus procedat sine Adjunctis in aliquo casu, in quo tenebatur eosdem adhibere, quid Capitulum agere debet?

℞ Delumptis super hoc instrumentis testimonialibus à Notario, quæ omnino extradere debet, notificet Summ. Pontifici, qui vigore privilegij Capituli in hujusmodi Episcopum pænas in jure vallatas extendet. *Decis. Rot. 1618.*

## CAPUT XXVIII.

## De Ecclesia Cathedrali, Capitulo & Dignitatibus.

1 Ex quibus membris constat Ecclesia Cathedralis?

℞ Ex Episcopo vel Archiepiscopo, Dignitatibus, Canonicis, Portionarijs & alijs Ministris. *Abb. in c 5. de Confirm. utili, vel inutil.*

2 Quis Caput est Ecclesiæ Cathedralis?

℞ Episcopus, cui honor, sedes & præcipua in rebus gerendis est authoritas. *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.*

3 Quis potest augere Canonicatus & Præbendas, ac minuere numerum Canonicorum, ubi Ecclesiæ sunt insignes & Præbendæ tenues?

℞ Episcopus cum consensu Capituli uniendo Beneficia simplicia & supprimendo numerum Canonicorum, modò per ejusmodi suppressionem non supprimatur cultus divini promotio. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 15. *de Ref.* Unde si Regulares (ut in aliquibus Regnis) haberent Ecclesiam Cathedralem & Præbendas tenues, eorum Abbas, non posset easdem supprimere: quia non illi, sed Episcopo cum consensu Capituli hæc data est facultas à *Conc. Trid. d. Sess.* 24. *Cap.* 15. *de Ref.*

4 Regularis potestne esse in Ecclesia Cathedrali Sæculari Canonicus?

℞ Potest, cum dispensatione Papæ, ut per hanc eximatur ab obedientia sui Abbatis, *Abb. in d. c.* 5. *de Confir. util. vel inutil. & c.* 2. *de stat. Monach.*

5 Quis potest tollere solutiones & promissiones illicitas, quæ in aliquibus Ecclesijs, in electione & admissione Canonicorum fieri solent?

℞ Episcopus de his rebus cognoscere debet, & quas laudabiles consvetudines non invenerit, easdem tollere & penitus abolere tenetur. *Conc. Trid. d. Sess.* 24. *Cap.* 14. *de Ref.*

6 In cognoscendis hujusmodi consvetudinibus, quomodo se gerere debet Episcopus?

℞ Tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, breviter cognoscendo & summariè exequendo. *d. Sess.* 24. *Cap.* 14. *de Ref.*

7 Canonici reversi ad dict. Consvetudines ab Episcopo sublatas, qua pœna puniuntur?

℞ Pœna Simoniæ. *Conc. Trid. loc. cit.*

8 Si Episcopus & Capitulum statuant, ut aliquid ab intrantibus solvatur pro fabrica, debetne solvi?

℞ Debet, cùm sit justa eleemosyna. *DD. in Sess.* 24. *Cap.* 14. *de Ref.*

9 Dignitates in Ecclesia ad quid sunt institutæ, & quales debent esse easdem obtinentes?

℞ Ad augendam & conservandam Ecclesiasticam disciplinam & decorem Ecclesiæ; & qui eas obtinent, debent alios præcellere pietate, exemplo, doctrina & morum integritate, debentq; esse versati in ordine Clericali. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

10 In Ecclesijs Cathedralibus quas qualitates habere debent Prælati & Canonici?

℞ Monet Concilium Trid. *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref. & Piasec. Prax. Episcop. p.* 2. *Cap.* 5. *a.* 3. *n.* 20. ut ubi commode fieri potest, dignitates omnes (quarum nomine Canonici Cathedrales gaudent. *Rot. decis.* 445. *n.* 15. *& Piasec. loc. cit. Cap.* 3. *a.* 2. *n.* 23. *& Cap.* 4. *a.* 1. *n.* 28.) vel saltim dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus & in Collegiatis insignioribus Doctoribus vel Licentiatis in S. Theologia, vel in Jure Canonico conferantur. Verùm in Nostro Regno Poloniæ (*ut varia statuta & Constit. Regni, quas refert Zalaszowski Tom.* 1. *tit. ult. per. Bull. Leonis X.* 1515 Creditam nobis. *& Pauli III.* 1543. Cunctis Orbis. *confirmata. obloquuntur*) requiritur etiam alia qualitas, ut sint Nobiles ex utroq; Parente Nobili procreati, exceptis in qualibet Ecclesia Cathedrali quinq; Doctoribus in S. Theol. duobus, in Jure Canonico duobus & uno in Medicina

11 Potestne Synodus Provincialis præcipere, ut solis Graduatis Dignitates prædictæ conferantur?

℞ Non potest: quia Conc. Trid. non præcipit, sed hortatur ad melius *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

12 Quæ Dignitates debent conferri Graduatis?

℞ Illæ quæ exercent jurisdictionem, vel debent ex fundatione publicè legere. *DD. in d. Sess.* 24. *Cap.* 12.

13 Archidiaconi, qui sunt oculi Episcopi, debent ne esse Doctores?

℞ Affir. *ut dicetur infra de Off. Archidiac.*

14 Ad obtinendam dignitatem in Ecclesia Cathedrali, quæ ætas requiritur?

℞ Sufficit 22. annorum completorum. *Conc. Trid d. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

15 Dignitates habentes Curam Animarum annexam, quibus conferri debent?

℞ Attingentibus 25. annum inchoative, cum doctrina, integritate morum & scientia ad suum munus exequendum necessaria. *Conc. Trid. loc. cit.*

16 Si Dignitas in Cathedrali habeat beneficium non Curatum, requiriturne hæc ætas sicut in Curatis?

℞ Non requiritur, sed sufficit debere illam ætatem, quæ requiritur, ad obeundum munus tali dignitati annexum. *Conc. Trid. loc. cit.*

17 In eadem Ecclesia potestne obtineri simul Dignitas & Canonicatus?

℞ Potest, ubi est talis consvetudo, cui per Concilium non est derogatum *Declar. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 17 *de Ref. n.* 1.

18 Capellania cum dignitate, vel Canonicatu, potestne simul obtineri in eadem Ecclesia?

℞ Potest, modò non habeat aliquod onus annexum, quod sit incompatibile cum dignitate, vel Canonicatu: alias, secus. *Declarat Conc. Trid. loc. cit.*

19 Uni personæ potestne Episcopus conferre duo beneficia simplicia?

℞ Non potest modò unum sufficiat ad sustentationem. *Conc. Trid. d. Sess.* 24. *Cap.* 17. *de Ref.*

20 Potestne unus obtinere plura beneficia simplicia absq; dispensatione Apostolica?

℞ Non potest si sint sufficientia, aut quodlibet requirat personalem residentiam: siverò non sunt hujus conditionis, non indigent dispensatione. *Conc. Trid. Sess. loc cit.*

21 Si Dignitas in Cathedrali, habeat Parochialem annexam Ecclesiam & Cura Animarum per Parochum sit exercenda penes quam Ecclesiam talis Beneficiatus residere debeat?

℞ Penes Parochialem. *DD. in d. Sess.* 24. *Cap.* 17.

22 Dignitas habens Parochialem unitam, Episcopus dum vacat, debetne illam conferre prævio concursu?

℞ Negat. quia ad Collationem dignitatis non requiritur Concursus, ad quam Porochialis unita habet se accessoriè, ac sequitur naturam sui principalis.

23 Epis-

23 Epiſcopus poteſtne conſtituere Vicarios perpetuos in beneficijs Curatis, Dignitatibus, vel Eccleſijs Collegiatis unitis ;
℞ Poteſt aſſignatâ ipſi ad arbitrium portione, tam authoritate. *Conc. Trid. Seſſ. 7. Cap. 5. & 7. de Reform. quàm. per. Bull. Pij. V* 1567. Ad exequendum. *quam refert Piaſec. Prax. Epiſcop. p. 2. Cap. 3. a. 2. n. 20.*

24 Dignitas in Cathedrali habens reditus & diſtributiones quotidianas tenues, poteritne ſimul cum Parochiali obtineri?
℞ In hoc caſu Sum. Pontifex conſulendus eſt, ut ipſe provideat. *DD. in Cap. 4. Seſſ. 7. Conc. Trid. de Ref.*

25 Canonicus in Sacris non conſtitutus habet ne vocem in Capitulo?
℞ Non habet, nec ad habendam per Capitulum aut Epiſcopum poteſt diſpenſari, Stallum tamen in Choro habere, Domum pro reſidentia optare & parte diſtributionum frui poteſt. *Piaſec. loc. cit. Cap. 3. a. 2. n. 7. ubi alios citat.*

26. Abſentes poſſuntne diſtributiones quotidianas lucrari?
℞ Non poſſunt. *c. un. de Cler. non. reſiden in 6. & Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 15. de Ref.* Lucrantur tamen illas abſentes, qui exercent curam Animarum ipſi Capitulo incumbentem, vel qui abſunt in negotio Capituli. *c. 2. de Cleric. non reſiden. Conc. Trid. Seſſ. 22. Cap. 3. de Ref.* Pœnitentiarij Canonici, cùm interim Confeſſiones audiunt. Infirmi durante infirmitate. *d. c. un. de Cleric. non reſiden. in 6.* modò decumbant in civitate, ſeu in loco ubi eſt ſita Eccleſia *Covarr. Practic. qq. Cap. 10. a 8.* & ſi antea, dum ſani erant, ſolebant officijs adeſſe. *Abb. in c. 1. de Cler. ægrot. n. 6.* Senio confecti, propter quod non poſſunt adeſſe, Cenſuris innodati vel incarcerati injuſtè *DD. in c. 6. de Conſtit.* Doctores actu tempore Officij legentes ex profeſſione. S. Congr. Conc. coram Gregorio XIII ſub his verbis:

*Idem cenſendum eſt de docentibus in Eccleſijs, qui quamvis à ſervitio Chori abſentes eſſent, poſſunt percipere fructus ſuorum Canonicatuum. exceptis quotidianis diſtributionibus, ſed ex gratia diebus quibus legunt, habendi ſunt ſicut præſentes in Choro & inſervientes, non modò pro illis horis, ut ſi mane legunt pro horis matutinis & Miſſa Solenni, ſed etiam pro tota die; ut declaravit Gregorius XIII.* quam declarat. refert. *Gonzal. Super Regul. 8. Cancell. § 7. Proœm. n. 180. Barbos. Tract. de Canonicis & dignit. Cap. 27. n. 33. ubi alios citat plurimos. & ſeqq.* Plures caſus videri poſſunt in Remiſſ. *Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 12. de Ref.*

27 Scholaſticus Eccl. Cathedr. quam qualitatem debet habere?
℞ Debet eſſe Doctor in S. Theologia, vel Jure Canonico, aut ſaltim Licentiatus, alias facta collatio, vel proviſio nulla ſit & invalida, non obſtantibus quibuſvis privilegijs & conſvetudinibus etiam immemorabilibus. *Conc. Trid. Seſſ. 23. Cap. 18. n. 33. de Ref.*

## CAPUT. XXIX. De Decano Capituli

1 Decanus debetne eſſe Graduatus neceſſario?
℞ Non. quia illi non eſt impoſitum hoc onus à Conc. Trid ut Archidiacono & Scholaſtico.

2 Decanus ab Epiſcopo poteſtne compelli ad canendum Evangelium, vel dicendas Miſſas majores, aut alia munera obeunda?
℞ Non poteſt, niſi aliud vel Conſuetudo, vel Præbenda Decanatui annexa ſvadeat. *DD. Sup. Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap 12. de Ref.*

3 Quod eſt Officium Decani?
℞ Regere Clericos in Officiorum miniſterio, à crapulis & mundanis negotijs arcere. *Conc. Colon. 2 p. 3. Cap. 2.* curare, ne Clerici in habitu Sæculari incedant, *Ibid. Cap. 7.* ut in Eccleſia omnia fiant ordinatè *Ibid. Cap. 9.* ut pax inter Clericos foveatur & inimicitiæ deponantur. *Ibid. Cap. 17.* & congregare Capitulum, ubi eſt primus Prælatus.

4 Quot perſonæ faciunt Capitulum?
℞ Tres Canonici præbendati, in Sacris exiſtentes. *c. 1. & ibi gloſ. v. duo. de Elect. l. Neratius. ff. de Verb. Sign.*

5 In quot perſonis retinetur jus Eccleſiæ, vel Capituli
℞ In uno ſolo, & poteſt defendere Eccleſiam, appellare, & alios juris actus formare. *d c. 1. gloſ.* ſ *allegat de Elect*

6 Quot perſonæ faciunt Congregationem?
℞ Duæ, & 10 perſonæ faciunt populum, 11. turbam. *l. Sicut § ult ff. Quod cujuſcunq; univer. & gloſ. duo. d. c. 1. de Elect.*

7 Si Decanus ſit primus Prælatus & abſens, poteritne alius Prælatus inferior, vel Canonicus, congregare Capitulum?
℞ Poterit: quia talis jurisdictio non competit Decano ratione Ordinis, ſed ratione ſuperioritatis & Officij, & talis eſt omnium ferè Eccleſiarum conſvetudo, quæ ſemper eſt ſervanda. *DD. Super. Conc. Trid. Seſſ. 22. Cap. 4. de Ref.*

8 Quibus diebus debet congregari Capitulum?
℞ Diebus ſtatutis ab Eccleſia, mane poſt dictam tertiam in Choro.

9 Si Decanus noluerit congregare Capitulum, quid agendum?
℞ Si dies ſit ordinaria Capituli, Decanô coram Secretario Capituli requiſitô, poterit alius Prælatus, vel Canonicus antiquior Capitulum facere & proponenda proponere.

10 Neceſſitate occurrente, poteritne Decanus, vel alius Prælatus, aut Canonicus, extra diem Capitularem, congregare Capitulum?
℞ Poterit: Neceſſitas enim non eſt ſubjecta humanæ conſtitutioni. *can. 11. & ibi gloſ. de Conſecr. diſt. 1.*

11 Quo Ordine in Capitulo Prælati & Canonici ſedere & proponere debent?
℞ Ordine prælationis, in Prælatis & in Canonicis Ordine antiquitatis, cum modeſtia, abſq; vociferatione & alterius vocis interruptione proponere debent proponenda.

12 Poteſtne Canonicus ſuam vocem committere alteri?
℞ Poteſt, ſed iſte Canonicus non duas, ſed unam vocem & Suffragium habebit. Quia quod ſentit in ſua conſcientia eſſe juſtum, id ſentire debet in amici

in amici conscientia. *Abb. in c.* 12. *de Sent. & re judic. n.* 2. *&* 9.

13 Quis debet determinationes Canonicorum re solvere?

℞ Præsidens Capitulo Decanus, vel Canonicus aut Prælatus, & si in aliquo deficiat, quilibet potest advertere & cum modestia informare, ut resolutio majoris & sanioris partis per Secretarium connotetur. *c.* 1. *de. His quæ fiunt à majore parte Capituli.*

14 Quando major pars Capituli facit aliquid contra Juris statuta, vel contra rationem, minor pars potestne reclamare & protestari?

℞ Potest, & debet appellare ac deducere rem ad Superiorem, ne per taciturnitatem videatur tali rei consentire. *c.* 43. *de Reg. Iur. in* 6. *& Abb. in d. c.* 1. *de His. quæ fiunt à Major. part.*

15 Si Canonici vocati ad Capitulum, non veniant, ut aliquòd negotium differatur, vel non fiat, quæ pars Canonicorum requiritur ad tale negotium juridicè terminandum?

℞ Si negotium sit universitatis, vel magni momenti, requiruntur ad minus duæ partes Canonicorum. *Bald. in l.* omnes populi. *ff. de. Iust. & jure & March. decis* 1103. sed quælibet Ecclesia habet in hoc suum statum & hoc est servandum.

16 In Capitulo Canonicorum, quæ res tractari debent

℞ Omnes pertinentes ad cultum divinum, utilitatem Ecclesiæ, morum reformationem, Statutorum observationem, administranda bona Ecclesiæ, fabricæ & alia idgenus necessaria.

17 Notarius Capituli à quo debet eligi?

℞ A Capitulo Clericus, vel Laicus, prout magis Capitulo ad negotia expedienda placuerit.

18 Capitulum Cathedrale coram quo Iudice debet conveniri?

℞ Coram suo Episcopo. *Conc. Trid. Sess.* 14. *Cap.* 5. *de Ref.*

19 Capitulum de quibus rebus debet reddere rationem Episcopo?

℞ De juribus ad bona mensæ Episcopalis pertinentibus, & de fructibus tempore sedis vacantis per Oeconomos perceptis. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 16. *de Ref.*

20 Episcopus teneturne in aliquibus casibus adhibere Capituli Consilium?

℞ Tenetur: 1mò in eligendo Canonico Doctore, ubi talis mos & consvetudo *Conc. Trid. Sess.* 5. *Cap.* 1. *de Ref.* 2dò in omnibus rebus spectantibus ad cultum divinum & bonum regimen. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.* 3tiò in augendo præbendas tenues *Idem ibid. Cap.* 15. 4tò in rebus spectantibus ad Seminarium. *Sess.* 23. *Cap.* 18. *de Ref.* 5tò in constituendo Judice, vel Examinatore Synodali, si alius moriatur. *Sess* 25 *Cap.* 10 *de Ref.* 6tò in omnibus rebus, quas Episcopus in Capitulo proposuerit, in quibus nec Episcopus, nec Capitulum habet aliquod damnum & præjudicium. *DD. in Sess.* 25. *Cap.* 6 *de Ref.*

21 Episcopus quibus modis potest esse in Capitulo?

℞ Duobus: 1mò, ut Episcopus 2dò, ut Canonicus sicut contingit in Collationibus Beneficiorum, quæ spectant ad simultaneam collationem, ubi tunc unum habet Suffragium, sicut unus ex Canonicis *c.* 15. *de Concess Præbend.*

22 Si Episcopus sit in Capitulo ut Canonicus, ubi sedere & quando suum Suffragium dare debet?

℞ In primo loco adornato, & primus Sententiam dicit. *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref. & d. c.* 15. *de Concess. Præbend.*

23 Si Episcopus sit in Capitulo ut Canonicus, quis debet proponere & resolvere?

℞ Decanus, vel Prælatus alius, acsi Episcopus non esset præsens, quamvis cum omni urbanitate debeat petere licentiam ab Episcopo & eum salutare. *Abb. in d. c.* 15. *de Concess. Præben. n.* 8. Episcopus enim datò suffragiò recedere potest, si nolit decisionem expectare.

24. Si appelletur à sententia Capituli, cui Episcopus tanquam Canonicus interfuit, ad quem fieri debeat hujusmodi appellatio?

℞ Ad Episcopum tanquam legitimum judicem Capituli, & nihil obest, licet interfuerit sententiæ Capituli: quia tunc particularem personam tanquam unus de Capitulo repræsentabat. *Abb. in d. c.* 15. *de Concess. Præb.* Secus si interfuerit, ut Episcopus & omnia, ut Capituli Præsidens disposuerit: quia tunc ad Metropolitanum deberet fieri recursus. *Idem Abb. loc. cit.*

25 Si Episcopus congreget Capitulum ut Episcopus, qua hora illud debet congregare?

℞ Quacunq; hora, die, voluerit, sicut & Capituli Prælatus necessitate postulante.

26 Episcopus congregatô Capitulô, potestne proponere, quæ ipsi videbuntur?

℞ Potest & vota audire Capitularium ac ex suffragijs majoris partis concludere, modò res, de qua agitur non sit in commodum Episcopi, vel ejus Consangvineorum. *DD. super Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 6. *de Ref.* Quia in hoc casu congregatô Capitulô & propositâ materiâ, relinquere debet solos Canonicos, ut ipsi liberè rem discutiant & determinent. *DD. ibidem.*

27 Si Episcopus in Capitulo propositurus est rem spectantem ad dignitatem Episcopalem, poteritne illud congregare?

℞ Poterit, si de tali re secundùm Canonicas Sanctiones ipse potest esse Judex; si verò judicium in alio Tribunali fieri deberet, in tali casu non poterit sua authoritate Capitulum congregare. *DD. Ibid.*

28 Authoritas congregandi Capitulum pertinet ne ad Vicarium absente Episcopo?

℞ Si Capitulum sit exemptum, Vicarius non habet istam authoritatem, nisi ipsi ex Consvetudine competat. *DD. ibid.*

29 Potestne Episcopus cogere Capitulum, ut habeat Secretarium Clericum?

℞ Non potest, sed liberè potest habere Clericum vel Laicum.

30 Punctator Eccl. Cathedr. potestne esse Clericus vel Laicus & à quo eligi debet?

℞ A Capitulo eligi debet sive Clericus, sive Laicus.

## CAPUT XXX.

### De His, quæ fiunt à Majori parte Capituli.

1 Quæ dicitur

1 Quæ dicitur major & quæ sanior pars Capituli?
℞ Iam supra dictum. *Lib. hoc Cap.* 4 *Sect.* 1.*n.* 26.
2 In Capitulo, quæ pars prævalet in rebus justitiæ?
℞ Pars major & Sanior: quia in his residet potestas Capituli. *c.* 1. *h. t.*
3 In rebus gratiæ, quæ pars prævalet?
℞ Sufficit unius rationabilis contradictio, ut id, quod petitur, non fiat. *d. c.* 1. *h. t.*
4 Major pars Capituli, poteſtne disponere de rebus spectantibus ad singulos Canonicos?
℞ Non poteſt tanquam in gratiosis. *Abb. in c. fin. n.* 4. *h. t.* Quod enim omnes tangit ab omnibus eſt approbandum. *Arg. l. Fundum. ff. de Servit. præd. rust.*
5 Quando in Capitulo prævalet contradictio minoris partis?
℞ Dum per minorem partem objicitur aliquid rationabile & probatur coram Judice, ac per sententiam approbatur, vel quando major pars determinat aliquid contra juramentum à Capitularibus præstitum. *DD. in c. fin. h. t.*
6 Minor pars poteſtne appellare ab illo, quod facit major pars Capituli in rebus justitiæ?
℞ Non poteſt, neq; hujusmodi appellatio admittenda *d. c.* 1. *h. t.* nisi appelletur ex rationali causâ. *Scac. de Appell. q.* 17. *limit* 25 *n.* 2. & 3.
7 Si major pars faciat aliquid ln præjudicium Ecclesiæ, minor pars teneturne necessariò appellare, an sufficit contradictio?
℞ Sufficit contradictio cum rationis datione, licet multùm operetur appellatio, & Judex vel Episcopus aut visitator poteſt tale factum majoris partis quocunq; tempore revocare, quamvis non fuerit interposita appellatio. Quæ enim fiunt à Capitulo, non fiunt judicialiter. *Abb. in d. c.* 1. *n.* 13. *h. t.*
8 Capitulum habetne jurisdictionem Civilem, vel Criminalem in singulos Canonicos, vel Ministros Ecclesiæ?
℞ De jure non habet, nisi ipsi competat ex aliquo speciali privilegio aut immemorabili præscriptione. *Abb. in c.* 2. *n.* 3. *h. t.*
9 Quis numerus Canonicorum debet esse, ut acta illius valeant?
℞ De jure sufficit ut sint duæ partes Canonicorum existentium in illa Civitate, sed in qualibet Ecclesia super hoc debet esse statutum perticulare, quod debet observari. *Abb. in d. c.* 1. *n.* 16. *h. t.*
10 Absentes sunt ne vocandi ad Capitulum?
℞ Sunt in tribus Casibus: in causa electionis novi Prælati. *gloſſ. c.* 42. *v. Sanior. de Elect.* receptionis novi Canonici. *c.* 33. *de Præben. in* 6. & cessationis à Divinis. *c.* 8. *de Off. Ordin* quæ vocatio Canonicorum etiam ad alias magnas & arduas causas à rationis paritate extendi poteſt. In alijs verò causis non eſt necessaria omnium vocatio *Abb. in d. c.* 1. *n.* 15. *h. t.*
11 Si major pars Capituli sit excommunicata, vel deliquit, & vellet aliquid statuere, minor pars pro tunc prævalebitne?
℞ Prævalebit, & poteſtas penes minorem partem, quæ non eſt excommunicata & non deliquit, remanebit. *Abb. in d. c.* 1. *h. t.*



12 Si aliquis Canonicus excommunicatur, interdiciturne per hoc Capitulum?
℞ Negativè. *c.* 2. *h. t.* Culpa enim suos debet tenere authores. *Surd. p.* 1. *q.* 23. *n.* 1. & iniquissimum ac diabolicum esset, si ex facto alterius, alter teneretur. *Barbos. in c.* 22. *de Reg. Juris in* 6.
13 Canonici possuntne interdicere Ecclesiam?
℞ Non, sed Episcopus; nisi sede Episcopali vacante per Vicarium à se Electum: quia tunc exercent jurisdictionem Episcopi. *Abb. in d. c.* 2. *n.* 1. *h. t.*
14 Si quis non sit de Capitulo, & appellet, suspendit ne executionem Capituli?
℞ Negat: ac ejus appellatio eſt frivola & nulla. Nemo enim alienis negotijs se intromittere debet. *c.* 19. *de Reg. Iur. in* 6. nisi damnum particulare appellanti Capitulum inferre vellet. *c.* 3. *h. t.*
15 Si Capitulum contraxit debitum, tenenturne ad solutionem ejus superviventes Canonici?
℞ Affir. quia Canonici antiqui & præsentes unum corpus repræsentant & in solidum sunt obligati. Non enim Canonicis fuit datum debitum, sed Capitulo, alias Capitulo nulla fides daretur, quod esset absurdum. Capitulum namq; repræsentat unam Ecclesiam & unum Corpus, in quo summa fides, summa veritas. *Abb. in c. fin. d.* 6. *h. t.*
15 Si fabrica Ecclesiæ habeat majorem indigentiam, quàm reditus ferunt, poteritne Episcopus cum majori parte Capituli statuere & cogere, ut minor pars pro necessitate hujus fabricæ componat?
℞ Affir. quia ad reparationem Ecclesiæ tenentur Episcopus, Canonici, Clerici & universa Civitas; cùm sit domus Dei. *Abb. in c. fin. n.* 1. *h. t.*

## CAPUT XXXI.
## De Magistris & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

1 Qui hìc dicuntur Magistri?
℞ Illi qui literas, seu quamlibet scientiam profitentur. *l.* 57. *ff. de Verb. Signif.* Et dicuntur Magistri, quasi Majores in statione, sicut Ministri, minores. *gloſſ. in Clemen.* 2. *v. Doctoratus. h. t.* vel etiam dicuntur Magistri, à monendo, vel à monstrando. *Hostien in Summ. h. t.* §. 1.
2 Ut detur Magistro docendi licentia, poteſtne pro illa aliquid exigi?
℞ Prohibent jura Cann. ne pro licentia docendi aliquid accipiatur, imò acceptum restitui jubent. *c.* 2, *h. t.* Esset enim gravamen & docentium & discentium: cùm docti potius invitandi sunt ad docendum.
3 Eſt ne tamen Simonia, si pro docendi licentia aliquid à Magistris exigatur?
℞ Non eſt: dum nihil spirituale vendatur, manet tamen tales privatio beneficij, qui idoneæ personæ licentiam docendi sine pretio denegant. *c.* 1. & 3. *h. t.*
4 Magistri, possuntne aliquid pro labore suo exigere?
℞ Quamvis deberent gratis dare, quod gratis acceperunt, tamen Episcopi Magistros & Doctores in congruis locis constituere debent. *can.* 12 *dist* 37.

*dist.* 37. ac uni unius Præbendæ proventum assignare *c.4.h.t. & Conc. Trid. Sess.5.Cap 1.de Ref.*

5 Pretium, licet ne accipere pro consilio dando?

℞ Licet tam ICtis, quàm Theologis & Medicis, cùm hi actus sint merè naturales & conditio vel scientia personæ sit accidentaria. *Zoes Lib, 5. h. t. n. 6.*

6 Pro gradu Licentiaturæ vel Doctoratus potest ne aliquid exigi?

℞ Potest sine labe Simoniæ: quia illis quidquid datur, non solùm datur per modum stipendij assistentium pro labore, verum etiam per modum pretij & contractus onerosi; cum gradus nihil aliud sit, quàm publicum testimonium scientiæ studio & labore quæsitum ac approbatio ad Officium docendi, consulendi, curandi & similia cum quibusdam privilegijs, facultatibus commodis & honoribus temporalibus exercendi. *Zoes. loc. cit. n. 3.*

7 Quas qvalitates debet habere Doctor, qui assumitur ad legendum?

℞ Debet habere peritiam docendi, facundiam dicendi, subtilitatem interpretandi, copiam differendi, & approbationem ab habente potestatem. *Abb. in d. c. 1. n. 4. h.t.& l. Magistros. C. de Profes.*

8 Monachus potestne assumi ad legendum?

℞ Potest, in defectu alterius: cùm hoc Officium sit magnæ charitatis. Dicitur enim: qui alios erudiunt, quasi in arundineto discurrent, judicabunt nationes & dominabuntur populis. *Abb. citans Hostien. in.d.c.3.n.1.h.t.*

9 Magistri constituti ab Ecclesia Cathedrali, quod onus debent habere?

℞ Debent legere cum magna cura & docere pauperes & filios illius Civitatis. *c.1.h.t.*

10 Si Prælatus non ponat Magistrum, quis supplet vices ejus?

℞ Prælatus Superior: positio enim Magistri est summè necessaria. *c.1.h.t.*

11 Beneficia pingviora cui sunt danda?

℞ Literatis potiùs, quàm ignaris. *Abb.d.c.1 n.3.h.t.*

12 Canonici per quod tempus possunt abesse causâ studiorum & quid percipiunt?

℞ Per quinquennium, & percipiunt fructus suæ Præbendæ, exceptis distributionibus quotidianis, dummodò sint in aliqua Universitate approbata & habiles ad studia *c.5.h.t.*

13 Judæus potestne doctorari?

℞ Neg. propter Doctoratus dignitatem, quæ non confertur. *Abb. n. 1. & DD. in c. 3.h.t.*

14 Quis præferri debet Doctor an Miles?

℞ Doctor, ut dicit Cicero: Cedant arma togæ, concedant laurea lingvæ. *Abb. d. c. 3. n. 2. h. t.*

## CAPUT. XXXII.

## De Lectione Sacræ Scripturæ.

1 Lectio S. Scripturæ quibus in locis haberi debet?

℞ Ad Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas, ac in Civitatibus insignibus, tum in Monasterijs. *Conc. Trid. Sess. 5. Cap. 1. de Ref.*

2 Lector S. Scripturæ à quo debet examinari ad Ecclesias Sæcularium legens?

℞ Ab Episcopo præmissa fidei professione. *Conc. ubi supra.* qui debet sustentari ex Præbenda sibi data, ut dict. *Cap. 31. n.4. Libri hujus.*

3 Lectio Gramaticæ à quo & unde debet institui

℞ Ab Episcopo cum consilio Capituli ad Ecclesias, ad quas lectio Theologiæ commode haberi non potest, debetq; ei tale uniri beneficium, quod suo debito servitio non fraudetur. *Conc. Trid. ubi supra.*

## CAPUT XXXIII.

## De Canonico Doctore & Concionatore.

1 In quibus Ecclesijs debent esse Præbendæ Doctorales?

℞ In Cathedralibus & Collegiatis insignioribus; ut in Regno nostro Poloniæ ex *Constit. Provinc. & Bullis Leonis XV.* 1515. Creditam nobis, & *Pauli* III, 1543. Cunctis Orbis Ecclesijs, in qualibet Cathedrali Ecclesia 5, Præbendæ solis Doctoribus, ut *dict. Cap. 28. n. 10. huius Libri*, ex quibus alij sunt Concionatores, alij Pænitentiarij, nisi ex fundatione ab hoc munere excipiantur.

2 Isti Canonici Doctores quomodo debent eligi?

℞ Per suffragia secreta ab Episcopo, junctim cum Capitulo. *Conc. Trid. Sess. 5. Cap. 1, de Ref.* nisi privilegia specialia, vel consvetudines in aliquibus locis aliud velint.

3 Quas qualitates habere debet eligendus in Canonicum Doctorem?

℞ Debet esse Doctor, vel Licentiatus saltim in illa Facultate, ex qua Præbenda vacans requirit Subjectum, idq; in Universitate aliqua ex approbatis, ex legitimo Matrimonio natus, vel dispensatus, vitâ, moribus & scientiâ præditus, ita, ut sit aptus ad munus talis Præbendæ annexum exequendum, *Conc. Trid. ubi supra.*

4 Canonico Doctorali seu Doctori Juris interesse Ecclesiæ promoventi debet ne dari stipendium?

℞ Neg. præter Præbendam, quæ datur loco Salarij & stipendij *Garc. de Benef. p 5. Cap.4.§. 1.*

5 Canonicus Doctoralis si sit occupatus defensione alicujus litis, debetne haberi pro præsenti in Choro & quid lucratur?

℞ Debet haberi pro præsenti & lucratur præter fructus suæ Præbendæ etiam distributiones quotidianas. *Garc. de Benef. p. 3. Cap. 2. n. 362. Barbos. de Off. & potest. Episcop. p. 3, alleg. 53 n. 171.& S. Congr. 31. Ian. 1603. teste Aldan. tit. 10. n. 51.*

6 Canonicus Doctoralis defendens negotia Ecclesiæ in alia Civitate quid lucratur?

℞ Præter Præbendæ reditus & distributiones quotidianas, lucratur salarium tantum, quantum lucratus fuisset alius Canonicus, si illud negotium & iter suscepisset. Canonicus enim Doctoralis ex obligatione suæ fundationis, domi solùm non verò extra, tenetur absq; Salario negotia Ecclesiæ promovere *S. Congr. Conc. 21. Aug. 1604. quam refert Sellius Cap. 36. n. 52.* Officium enim suum nemini debet esse damnosum. *l. Si Communis Servus. §. Quod verò ff. de Adul.*

7 Canonicus Concionator quas qualitates debet habere?

℞ Debet esse Doctor vel Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico, peritus in concionando, qui non

qui non solùm verbo, sed sanctitate & exemplo populum ædificet. *DD. supra Conc. Trid. Sess. 5. Cap. de Ref.*

8 In qua Ecclesia & quibus diebus debet Concionari?

℞ In Ecclesia majori, ubi Capitulum personaliter assistit, idq; diebus Solennibus & alijs ex fundatione Præbendæ suæ præscriptis, sed in hoc servanda est consvetudo cujusq; Ecclesiæ.

9 Si in Ecclesia majori sint alij Concionatores & Canonicus Concionator voluerit illos impedire ac ipse concionari, quid agendum?

℞ Non est ipsi hoc permittendum, sed antiqua consvetudo servanda; cùm & cibus quotidianus generet fastidium, & nemo in Officio suo est perturbandus, ac quod alterius est, sine facto ejus, alterius fieri nequit. *Menoch. Cons. 161. n. 19.*

## CAPUT XXXIV.

## De Lectore S. Scripturæ in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis.

1 Canonicum Doctorem, Lectorem S. Scripturæ quis debet eligere?

℞ In electione Canonici Lectoris, quemadmodum & aliorum Canonicorum, consvetudo Ecclesiæ servanda est. *Garc. de Benefic. p. 5. Cap. 4. n. 162.*

2 Quod est Officium electi Canonici Lectoris?

℞ Tenetur ad expositionem & interpretationem S. Scripturæ per se, si est idoneus; alias per Substitutum. *Conc. Trid. Sess. 5. Cap. 1. de Ref.*

3 Si Canonici Lectoris sit tenuis Præbenda & insufficiens ad sustentationem, quid agendum?

℞ Episcopus cum consilio Capituli uniat aliquod beneficium, vel constituat aliquam contributionem à Beneficiatis suæ Diæcesis persolvendam usq; ad sufficientem talis Doctoris sustentationem. *Conc. Trid. loc. cit.*

4 Si Præbenda Theologalis sit tenuis, poteritne Episcopus alteram in eadem Ecclesia vacantem illi unire?

℞ Poterit, & ambas Thologo applicare, dummodo Canonici alij habeant sufficiens stipendium. *Ita, S. Congr. Conc. 16. Febr. 1619.*

5 Canonicus Theologus resignatâ sua Præbenda Theologali, potestne obtinere mediante optione pingviorem Præbendam, cum retentione sui Stalli?

℞ Potest, ut censuit. *S. Congr. Rit. in una Veronen. 2: 7bris 1597.*

6 Canonicus Theologus ex vi consvetudinis potestne obtinere dignitatem in eadem Ecclesia, quæ nullum habet onus & emolumentum, sed solam præcedentiam?

℞ Potest, ut & quilibet Canonicus, qui ex ratione dignitatis obtentæ Canonicis accipit locum, ac eos in processionibus præcedit. *S. Congr. Concil. 18. 9bris. 1628.*

7 Theologiam volenti legere Canonico, quod tempus & horam assignare debet Episcopus?

℞ Assignatio temporis & horæ pro legenda Theologia ab arbitrio Episcopi dependet. *Garc. loc. cit. n. 156. Alzedo de Præstantia Episcop. dignit. p. 2. Cap. 9. n. 42.*

8 Quo tempore Canonicus Theologus potest vacare à Lectione?

℞ Tribus Mensibus videl. Julio Augusto & 7bri *Garc. loc. cit. n. 157. & Galet. in margarita Casuum Consciens. v. legere. 3.*

9 Ad hanc Lectionem S. Scripturæ, qui accedere tenentur?

℞ Canonici ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, & alij Presbyteri, *S. Congr. Concil. 11 Augusti 1618.* quos nolentes cogere potest Episcopus pœnâ etiam pecuniariâ. *S. Congr. 1. Julii 1620,*

10 Si Præbenda Theologalis fuerit ditior alijs Præbendis, vel habuerit aliquam administrationem Hospitalis, v g, vel alicujus operæ piæ, mortuô Theologô, potestne ab aliquo Canonico illius Ecclesiæ optari?

℞ Non potest, quia qualitates illius Præbendæ sequuntur qualitates personæ ad hoc officium electæ. *Garc. de Benef. p. 5. Cap. 4. n. 132,*

11 Si Clericus non reperiatur idoneus ad obtinendam Præbendam Theologalem, quid faciendum?

℞ Collatio hujus Canonicatus est eo usque suspendenda, donec sæcularis Clericus qualificatus inveniatur. & interim ad docendum ex aliquo Monasterio Clericus Regularis idoneus est assumendus, cujus Superiori vacantis Præbendæ fructus & proventus totales sunt dandi. *Constit. Pii V. & Greg. XIII. Zerol. v. Præbenda Theologalis § 5. Prax. Episcop. p. 1.*

12 In Ecclesijs Collegiatis, quid agendum de Lectore S. Scripturæ?

℞ Id, quod in Cathedrali ob eandem necessitatem lectionis S. Scripturæ. *Conc. Trid. Sess. 5, Cap. 1, de Ref.*

## CAPUT XXXV.

## De Lectione S. Scripturæ in Monasterijs & Publicis Studijs.

1 In Monasterijs Monachorum debetne institui Lectio S. Scripturæ?

℞ Debet, si commodè fieri potest, ac Abbates ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato ad hoc opportunis remedijs compelli possunt. *Conc. Trid. Sess. 5. Cap. 1. de Ref.*

2 Lector in Monasterijs debetne approbari ab Episcopo?

℞ Non, sed à suo Superiore. *Conc. Trid. loc. cit.*

3 In publicis studijs, seu Universitate (quæ componitur ex 4. Facultatibus; Theologica, Juridica, Medica & Philosophica. per Sum. Pontificem approbatis) debetne omnino legi S. Scriptura seu Theologia?

℞ Debet; quia eô ipsô non deberet dici publicum studium, si Facultate aliqua careret. *DD. super Conc. Trid. loc. cit.*

4 Studentes Canonici in Publicis Studijs, seu Universitatibus, debentne percipere fructus suarum Præbendarum tempore studij?

℞ Debent, modò cum licentia Episcopi studeant & ultra quinquennium non morentur. *c. 12. de Cleric. non residen. & c. 2. de Privileg. in 6. ac ibi gloss.* non percipiunt verò si studeant alibi, quamvis ibi optimè legatur & publicè cuicunque audire volenti. *Barbos. de Off. & potest. Episcop. p. 3. allegat. 56. n. 22. ubi alios citat.*

## CAPUT XXXVI.
### De Lectore Grammaticæ.

1 Si in aliqua Civitate, vel Diæcesi Lectio Theologiæ commodè haberi non possit, quid agendum?
℞ Tunc Episcopus cum Consilio Capituli eligere debet Magistrum Grammaticum, qui pauperes & Clericos doceat, ut deinceps ad S. Scripturæ studia transire possint. *Conc. Trid. Sess.* 5. *Cap.* 1. *de Ref.*

2 Unde talis Magister debet sustentari?
℞ Episcopus potest illi aliquod beneficium simplex unire, modò beneficium debitò non fraudetur obsequiò; vel etiam potest ipsi de sua Mensa, vel Capitulari congruum assignare salarium. *Conc. Trid. ubi supr.*

3 Talis Magister Grammaticæ, quamdiu potest percipere fructus dicti beneficij?
℞ Quamdiu docuerit, & non amplius; quia beneficium non in titulum datur ipsi, sed in salarium & stipendium, *Conc. Trid. ibidem.*

4 Talis Magister, quas qualitates, debet habere?
℞ Debet esse vitâ, moribus & scientiâ præditus, & ab Episcopo approbatus. *Conc. Trid. ibid.*

5 Ad legendam Grammaticam poteftne assumi vicinus Parochus?
℞ Potest, si in eadem Civitate reperiatur, modò utrique Officio satisfiat. *DD. supr. d. Sess.* 5. *Cap.* 1, non verò ruralis, quamvis habeat Vicarium, & ipse diebus Festis per se Officia Parochi exerceat. S. *Congr. Conc. Trid.* 11. *Jan.* 1594. declaravit.

6 Magistri prima rudimenta docentes, debentne ab Episcopo examinari?
℞ Debent de vita, moribus & scientia, & facere professionem fidei, sicut alij altiores scientias docentes. *Bull. Pii IV.* 13 9bris. 1565. sacrosanctò.

## CAPUT XXXVII.
### De Canonico Pænitentiario.

1 Pænitentiarius in Ecclesijs Cathedralibus, ad quid debet institui & quas debet habere qualitates?
℞ Ad audiendas Confessiones, qui debet esse Doctor, vel saltim Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico. ac debet esse 40. annorum. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 7. *de Ref.*

2 Canonicus Pænitentiarius à quo debet deputari?
℞ Ab Episcopo sine consensu Capituli, etiamsi Præbenda Pænitentiarij, vacante Sede Episcopali vacet: si verò in Mensibus reservatis hujusmodi Præbenda vacet, spectabit provisio ad Sum. Pontificem. *Declarat. Conc. Trid. super d Sess.* 24. *Cap.* 8. *de Ref. & Zerola in prax. p.* 2. *v. Pænitentiarius. n.* 3.

3 Si ex præscripto fundationis Præbendæ Pænitentiarij collatio spectet, ad Episcopum simul cum Capitulo, & illam contingat vacare in Mensibus ordinarij, quid agendum?
℞ In hoc casu ad electionem Pænitentiarij, simul cum Episcopo concurrit Capitulum: quia Conc. Trid. loco cit. per suum decretum jus providendi partibus non sustulit, *Garc. de Benef. p.* 5. *Cap.* 4. *n.* 161. *&* 162.

4 Capitulum habens simultaneam, ut præmissum est collationem Præbendæ Pænitentiarij, si illam sede vacante Episcopali conferat, eritne valida collatio?
℞ Ad validitatem hujusmodi collationis requiritur pro parte Capituli specialis Bulla Apostolica. *Garc. loc. cit. n.* 145.

5 Canonicus Pænitentiarius teneturne tam ante, quam post meridiem in loco excipiendis Confessionibus designato sedere?
℞ Quamvis confiteri volens, quocunque in loco sedentem Pænitentiarium perquirere possit, & coram illo confiteri, tamen Pænitentiarius in loco suo saltim per aliquod tempus sedere debet, idque certis horis ad arbitrium Episcopi. *Decl. S. Congr. in una Abulen.* 21. *April.* 1587. *& Garc. loc. cit. n.* 117.

6 Canonicus Pænitentiarius quando pro præsenti habendus est in Choro?
℞ Tunc, dum est præsens, & dum audit Confessiones in Ecclesia Cathedrali, ac lucratur non solùm distributiones, sed etiam eloemosynas; secus si in Confessionali preces dicat vel Missam celebret. *Barbos. in Tract. de Canonicis & dignitat. Cap.* 26. *n.* 20. *&* 21. *ubi DD. & Decl. S. Congr. cit.*

7 Canonicus Pænitantiarius, audiens Confessiones in Confessionali Ecclesiæ Cathedralis, debetne habere in manu Bacillum, seu Virgam, seu Baguetam?
℞ In hoc servanda est loci consvetudo antiqua, nec nova inducenda. *Declar. S. Congreg. in eadem Abulen.* 21. *April.* 1587. *& Barbos. loc. cit.* 15.

8 Talis Pænitentiarius teneturne audire omnes Pænitentes, vel solùm illos, qui habent casus reservatos?
℞ Omnes: quia institutio Pænitentiarij ad utilitatem omnium facta est. *Declar. S. Congr. in eadem Abulen. & Garc. n.* 5. *citatus.*

9 Canonicus Pænitentiarius teneturne ad majorem residentiam, quàm alij Canonici?
℞ Non tenetur, sed ad æqualem, modò non absit Festis Solennioribus, quibus Pænitentes frequentius ad Confessiones accedunt. *Barbos. loc. cit. n* 19. *ubi alios. DD. allegat.*

10 Dictus Pænitentiarius, poteftne absolutè à casibus Episcopo reservatis, ex ea ratione solùm, quòd sit Pænitentiarius, absolvere?
℞ Non potest sine licentia Episcopi: quia electio sola non dat illi hanc authoritatem, sed solùm illum constituit personam aptam ad hoc, ut Episcopus ex sua voluntate possit illi committere casus reservatos. *Barbos. ubi supra cum. DD. à se citatis. & Declar. S. Congr.* 27. *Iun.* 1597.

11 Talis Pænitentiarius, eò ipsò quòd institutus est, habet ne à jure & à Concilio facultatem audiendi Confessiones pænitentium illius Diæcesis absq; nova Ordinarij licentia?
℞ Affir. est enim velut Parochus totius Diæcesis, & quilibet pænitens confitens ipsi peccata, satisfacit præcepto ac si confiteretur proprio Parocho. *Barbos. ibid. & DD. ab eo citati.*

12 Canonicus Pænitentiarius, poteftne suam authoritatem vel casus reservatos sibi ab Episcopo commissos, alteri delegare?

℞ Non po-

℞ Non potest, nisi hoc ipsi expressè demandetur. *Barbos. ibid. n* 17. & 18. *DD. alios referens.*

## CAPUT XXXVIII.
## De Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ.

1 Canonici quales sunt eligendi?

℞ Viri bonæ famæ, honestæ vitæ, & si fieri potest Doctores, vel saltim Licentiati in Jure Canonico vel S. Theologia, habentes Ordinem Sacrum tali Canonicatui annexum. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.* & *dict. supr. hoc Libro. Cap.* 28. *n.* 10.

2 Canonici, quam Parochiam habent?

℞ Ecclesiam Cathedralem, & ibi debent sumere Sacramenta infirmi & sani, licet in alia Parochia habitent.

3 Canonici quomodo alio nomine vocantur?

℞ Cùm alios vitâ & honestate antecellere debeant, ac ob authoritatem eorum & dignitatem vocantur alio nomine Ecclesiæ Senatus. *Conc. Trid. loc. cit.*

4 In quibus casibus Episcopus solet adhibere Canonicos?

℞ Dictum Supra.

5 Ad obtinendum Canonicatum, quæ ætas requiritur?

℞ Ad minus 22 annorum ætas, alias illa, quæ requiritur ad obtinendum Ordinem tali Canonicatui annexum. *Conc. Trid. loc. cit.*

6 Si aliqua Parochia annexa est Canonicatui, quæ ætas requiritur?

℞ Illa, quæ ad Canonicatum, modò Cura animarum non per Canonicum, sed per Vicarium exerceri debeat. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloss.* 9. § 1. *n.* 4.

7 In Ecclesijs Collegiatis, quæ ætas requiritur ad obtinendum Canonicatum?

℞ Sufficit ætas 14. annorum. *Declarat. S. Congr. Conc. super d. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

8 Obtinens Canonicatum, vel aliud Beneficium ante ætatem, quam pænam incurrit?

℞ Nullam, sed solùm tenetur intra 6. Menses ad resignationem, nulla sibi reservata pensione. *DD. super d. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

9 Canonici Romani Ecclesiæ Collegiatæ præferendi ne sunt Canonicis Cathedralibus alterius Civitatis?

℞ Affir: propter honorem Curiæ Romanæ & Sum. Pontificis. *DD. ubi supra.* & *Declarat. S. Congr. ibid.*

10 Unus Canonicus poteſtne alterius Canonici munus obire?

℞ Potest, sed per hoc Canonicus absens, non censebitur esse præsens.

11 Episcopus, vel Canonicus, aut Presbyter ad alienam Ecclesiam veniens, quo honore est afficiendus?

℞ Honorificè pro qualitate Personæ & dignitatis est tractandus, ad locum, quem in sua Ecclesia habet, invitandus. Major enim debetur honor hospitibus, quàm proprijs. *can.* 38. 7. *q.* 1.

12 Canonici in die Cineris, vel Cænæ Domini, possuntne remittere sibi ad invicem fructus malè perceptos & distributiones?

℞ Hæc consvetudo (si alicubi est) petendi veniam hujusmodi intelligi debet de rebus scandalosis & de offensis ad invicem factis verbô, animô, vel opere; sed non de fructibus malè perceptis & non de residendo. *DD. super. d. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

## CAPUT XXXIX.
## De Ordine à Canonicis Suscipiendo.

1 Ad quem spectat designatio, quis Ordo sacer unicuiq; Canonicatui debet annecti?

℞ Ad Episcopum cum consiliò Capituli, non verò assensus. *Barbos. in Tract. de Canonicis & Dignit. Cap.* 42. *post n.* 20. *ubi tres Decisiones S. Congr. Concil. affert.* & *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

2 Intra quod tempus Canonicus, Ordinem Canonicatui suo annexum, suscipere debet?

℞ Intra decursum unius anni. *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap* 4. *de Ref.* & *Barbos. loc cit. Cap.* 16. *n.* 1. *ubi alios cit.*

3 In hac designatione Ordinum, quid Episcopus debet observare?

℞ Ut Saltim dimidia pars sint Presbyteri, alij verò Diaconi, vel Subdiaconi, vel omnes Presbyteri, ubi hæc laudabilis viget consvetudo. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

4 Episcopus cum consilio Capituli annexo Ordine cuilibet Canonicatui, poteſtne istam annexionem infringere?

℞ Non potest, sed ista annexio & disignatio durat in perpetuum. Liquet *ex Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12.

5 In Ecclesijs Jurispatronatus Laicorum fundatis ante Concilium, debetne Episcopus exequi decretum ejusdem Concilij & distribuere cuilibet Canonicatui Ordinem Sacrum?

℞ Negativè, Tales enim Ecclesiæ debent servare suam fundationem, cui per Concil: non est derogatum ac voluntas testatoris, qui de suis proprijs bonis fundavit Ecclesiam, adimplenda est. *c.* 15, *de Testam.*

6 Canonicus Subdiaconus habens suæ Præbendæ annexum Ordinem Subdiaconatûs, poteſtne compelli ab Episcopo ut fiat Diaconus & Presbyter?

℞ Non potest, quia jam satisfacit suæ obligationi & ad amplius non tenetur. *Zerol. in Prax. Episcop. p.* 1. *v. Capitulum.* §. 10. & *v. Canonia.* §. 2.

7 Si Canonicus fiat Presbyter, tenebiturne ex annexione suæ Præbendæ Ordinis Subdiaconatûs, cantare Epistolas?

℞ Affir. ut suo muneri satisfaciat: cùm ejus Præbenda tale munus in perpetuum exigat. *DD. super. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

8 Cujus ætatis debent esse, qui ad dignitates & Canonicatus habentes sibi Ordinem annexum promoveri intendunt?

℞ Illius ætatis, ut intra annum possint ad Ordinem tali Canonicatui, vel dignitati annexum, promoveri. *Barbos. loc. cit. Cap.* 16. *n.* 5. *DD. alios citans*

9 A quo tempore annus promotionis ad Ordinem Præbendæ annexum computari debet?

℞ Non à die Collationis, sed à die possessionis Præbendæ, modò possessionis aditio per Canonicum non

cùm non differatur, *Declarat. S. Congr. Cardinal. Conc. Trid. Interpretum* 13. *7bris* 1631.

10 Quas pænas incurrunt, qui intra annum non promoventur ad Ordines?

℞ Privantur voce activa & parte dimidia distributionum quotidianarum. Clemen, 2. de Ætate & qualit. quod si his pænis non adigantur, possunt ab Episcopo cùm Adjunctis benificijs privari. *Barbos. loc. cit. d. Cap.* 16. 12. 21.

## CAPUT XL.
## De Servitio Episcopo præstando.

1 Poteſtne Episcopus ad latus suum habere Canonicos, ut ipsi assistant, & quid lucrantur?

℞ Potest, etiamsi extra Cathedralem Ecclesiam discesserit, sed tantùm duos qui fructus suarum Præbendarum lucrantur, nòn verò quotidianas distributiones. *Abb. in c.* 15. *n.* 1. *&* 5. *de Cler. non residen. & declar* S. *Congr.* 10. *Maij* 1608. *in Granaten.* 21. *August.* 1604. *in Seonen. &* 9. *Maij.* 1606. *in Cæsaraugust.*

2 Si fructus Canonicorum solùm in distributionibus quotidianis consistant, Canonici Episcopo assistentes quid lucrantur?

℞ Duas solùm partes distributionum, & tertia præsentibus Canonicis cedit.

3 Quis debet servire Episcopo celebranti & Pontificalia exercenti?

℞ Prælati & Canonici sive celebret & exerceat Pontificalia in Cathedr: Ecclesia, sive in Civitate in qua sita est Cathedr. Ecclesia, non verò in Diœcesi, modò numerus sufficiens Canonicorum & ministrorum in Eccl. Cath. remaneat. *S. Rit. Congr. in una Elboren.* 7. *Julii* 1612. *& Barbos. de Canonic. & Dignit. Cap.* 34 *n.* 9. *& seqq.*

4 Episcopo privatim celebranti, tenenturne Prælati & Canonici assistere?

℞ Sive celebret in propria Capella, sive extra Ecclesiam Cathedralem, non tenentur, in Cathedrali verò Ecclesia, consvetudo est servanda. *S. Rit. Congr. in una Lamacen.* 25. *April.* 1608. *& Barbos. loc. cit. n.* 12. *&* 14.

5 Assistentes Episcopo suntne alijs præferendi?

℞ Sunt, etiamsi sint minus digni. S. *Rit. Congr. in una Caputaq.* 18. *Maii* 1602. qui ratione assistentiæ ante Dignitates thurificantur & pacem recipiunt. *Ead. S. Congr. in Cremen.* 28. *7bris.* 1602. *in Nolana* 23. *Maj.* 1603. *& in Bracharen.* 19. *Iun.* 1608.

6 Vicario Episcopi, tenenturne Canonici assistere?

℞ Affir. si nomine Episcopi Pontificalia exerceat. *Ead. S. Rit. Congr. in una Bracharen.* 10. *Febr.* 1608. Eadem enim obiequia debentur Episcopo Delegato, quę & Deleganti. *Ead. S. Congr. in ead. Causa* 20. *Mart.* 1604

7 Quis debet assignare assistentes Episcopo?

℞ In hoc servanda est consvetudo Ecclesiarum, quę si sit nulla, seruanda est dispositio Ceremonialis Romani. *DD. super. Seff.* 24. *Conc. Trid. Cap.* 12. *de Ref.*

8 Quoties debent Pręlati & Canonici Episcopum comitari?

℞ Quoties publicè & Pontificalibus indutus voluerit adire Ecclesiam & horis divinis assistere. *DD. ibid.*

9 Ex quo loco debent eundem comitari?

℞ Ex Palatio Episcopi, modò non distet ab Ecclesia Cathedr. ultra passus 160. *S. Congr. in una Tarracinen.* 20. *August.* 1622. Si verò Palatium remotius sit ab Ecclesia, debent eundem comitari ex aliquo loco ad hoc prope Ecclesiam deputato, vel ex atrio Ecclesiæ, ac ad eundem locum reducere. *Ead. S. Congr. in Oscen* 16. *Maij* 1601.

10 Episcopum extra dies Solennes privatim ad Ecclesiam venientem, debentne Canonici comitari?

℞ Non debent, nisi ex urbanitate id faciant. *Barbos. loc. cit. ubi Cap.* 32. *n.* 7. *multas declarat. S. Congr. citat.*

11 Si Episcopus veniat ad Ecclesiam tempore horarum, quid faciendum?

℞ Quatuor solùm Canonici obviam ei prodeant, nè turbetur, vel interrumpatur Officium divinum, a tot etiam Canonicis reducendus, si velit post Concionem redire. *Barbos. loc. cit. n.* 16. *& seqq. ubi Declarat. S. Cong. plurimas affert.*

12 Suffraganeum pro Episcopo celebraturum, debentne Canonici comitari?

℞ Taliter veniente Suffraganeo ad Ecclesiam debent Canonici aliqui obviam ire & post reducere ad portam Ecclesię, nòn ultra. S. *Congr. in una Bracharen.* 1. *7bris* 1607.

13 Accedenti Episcopo ad Ecclesiam quis debet aspersorium cum aqua benedicta porrigere?

℞ Prima Dignitas tam in Ecclesijs Cathedralibus, quàm in Collegiatis. *S. Congr. in Salamant.* 16. *Jul.* 1605. *Sarzanen* 12. *Mart.* 1612 *& Camarin.* 15. *Mart.* 1618.

## CAPUT XLI.
## De Residentia Canonicorum.

1 Qui tenentur ad residentiam personalem in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis?

℞ Omnes Prælati & Canonici, Abbates, si ibidem sunt beneficiati, Capellani & ministri inferiores, modò habeant congruam sustentationem, *Conc. Trid. Seff.* 24. *Cap.* 12. *de Ref. & ibi DD.*

2 Beneficiati Simplices tenenturne ad residentiam?

℞ Negativè. *Abb. in c. fin. n.* 3. *de Cleric. non resid.*

3 Poteſtne Episcopus dare alicui facultatem de non residendo?

℞ Potest ex justa causa, ad tempus benè visum. *DD. super. Conc. Trid. Seff.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

4 Gratiæ & dispensationes de non residendo, quando valent?

℞ Quando non sunt perpetuæ, sed temporales, quando sunt ex rationabilibus causis à Summ. Pontifice concessæ cum consensu Loci Ordinarij, qui tanquam sedis Apostolicæ Delegatus in tali casu Vicarium idoneum in Beneficio ejusmodi constituere debet. *Conc. Trid. Seff.* 6. *Cap.* 2. *de Ref. & Abb. loc. cit. in c.* 16. *n.* 4.

5 Poteſtne Episcopus concedere, ut Canonici dimidiatim Ecclesiæ deserviant?

℞ Potest: modò totò annò ultra trimestre non absint ab Ecclesia & distributiones tempore absentiæ non prætendant. *DD. in d. Seff.* 24. *Cap.* 12. *de Ref.*

6 Poteſtne Episcopus Prelatum, vel Canonicum ob non residentiam ultra privationem distributionum, alijs pęnis punire?

℞ Potest

℞ Poteſt etiam privatione beneficij monitionibus præmiſſis. *Conc. Trid d. Seſſ. 24. Cap.12 de Ref. & Decl. S. Congr. ſuper. Seſſ. 21. Cap. 3. de Ref.*

7 Si quis perpetuò abſit ab Eccleſia, vel occultetur, ita, ut moneri non poſſit, quid agendum?

℞ Factis tribus edictis publicis in ejus Eccleſia, & elapsis à prima publicatione 6. Menſib. per Epiſcopum privandus eſt beneficio ob ſolam non reſidentiam. *Conc. Trid. Seſſ. 23. Cap. 1. & ibi declarat. S. Congr. n.17 de Ref. & c.11. de Cler. non. reſid.*

8 Immemorabilis conſvetudo poteſtne excuſare aliquem à reſidentia?

℞ In Cathedralibus & Collegiatis inſignibus non excuſat, ſecus in Collegiatis habentibus tenues proventus. *Declar. S. Congr. ſuper. Seſſ. 21. Cap. 3. de Ref. n. 10.*

9 Ut tribus Menſibus Canonicus ſibi à Conc. Trid. ut dictum n. 5. conceſſis abſit, debetne licentiam ab Epiſcopo petere?

℞ Non debet, modò debitò obſequiò Eccleſia non deſtituatur: unde Epiſcopi ex hac ratione juſtè Prælatis & Canonicis interdicunt, ne absq; licentia eorum his tribus Menſibus abſint. *Barbos. in Tract. de Canonic. & Dignit. Cap. 20. n. 4. & ſeqq. ubi DD. & decis. S. Cong. allegat.*

10 Coadjutor & Coadjutus poſſuntne abeſſe his tribus Menſibus?

℞ Poſſunt, modò Canonicum non obſtet impedimentum. *Navar. Conc. 1. n. 6. de Cler. ægrot. & Barbos. loc. cit. n. 7.*

## CAPUT XLII.
## De Abſentia Canonicorum.

1 Canonici Regulares gaudent ne privilegio, ut poſſint abeſſe per tres Menſes, ſicut Seculares?

℞ Neg. poſſunt tamen ſingulis Menſibus de licentia ſui Superioris per dies quatuor abeſſe *DD. juper Conc. Trid. Seſſ. 23. Cap. 1. de Ref.*

2 Si aliqua Eccleſia habeat conſvetudinem, ut Canonici poſſint abeſſe per quatuor Menſes, debetne talis conſuetudo reduci ad tres Menſes?

℞ Debet: ne per longiorem abſentiam Clerici Eccleſia detrimentum patiatur: cùm abſentia ad ſummum tres Menſes excedere non debet. *Conc. Trid. loc. cit.*

3 Epiſcopus poteſtne tamen alicui Canonico dare majorem abſentiæ licentiam?

℞ Poteſt ex juſta & legitima cauſa, præcipuè verò in Regno noſtro Poloniæ. *Declar. ſuper. d. Conc. Trid. Seſſ. 23. Cap. 1. de Ref. n. 11. & Seſſ. 24. Cap. 12. in Declarat. n. 32. v. Ultra tres Menſes.*

4 Quam pœnam incurrunt Canonici, qui ultra tres Menſes abſunt à ſua Eccleſia?

℞ Si abſint per annum, dimidia parte fructuum, pro ſecunda vice, omnibus, pro tertia ipſis beneficijs, privantur. *Conc. Trid. ibid. & c. 6. de Cleric. non reſiden.*

5 Quid lucrantur Canonici prædictis tribus Menſibus abſentes?

℞ Fructus ſolùm ſuarum Prębendarum, non verò diſtributiones quotidianas. *Conc. Trid. ibid.*

6 Si aliquis Canonicus ſit abſens animô fruendi tribus Menſibus, & cùm ad finem dictorum trium Menſium ad Eccleſiam ſuam reditutus ſit, ſuperveniat infirmitas, exundatio aquarum, bella, peſtis &c. quid lucrabitur?

℞ Cùm impedito legitimè, non currat damnum, habebitur pro præſenti, modò hujusmodi impedimentum legitimè probet. *DD. juper. d. Seſſ. 23. Cap. 1. de Ref.*

7 Poteſtne Canonicus abeſſe ab Eccleſia Cauſâ inimicitiæ?

℞ Poteſt: ſed inimicitia debet eſſe capitalis, ex qua timeatur magnum damnum, ac oriatur poſt obtentum Canonicatum: unde de licentia Superioris eousq; poteſt abeſſe, quousq; durat inimicitia. *DD. ibid.*

8 Si Eccleſia patiatur penuriam Miniſtrorum, & ſint aliqui privilegiati per Bullam, vel Breve Apoſtolicum, quid agendum?

℞ In iſto caſu abſentes poſſunt vocari ab Epiſcopo, qui ſi non veniant, Epiſcopus poteſt illis denegare fructus beneficiorum. Quia in iſto caſu ceſſat privilegium, & non præſumitur velle Sūm. Pontificem cum damno Eccleſiæ illos uti tali privilegio. *c.16. & ibi Abb.n.6 de Cler.non reſid.*

9 Archidiaconus viſitans ſuum Archidiaconatum, quid lucratur?

℞ Cùm inſerviat Eccleſiæ in re utili, viſitando lucratur fructus ſuæ Præbendæ & diſtributiones, *Monet. q. 11. n. 63.*

10 Canonicus Theologus, vel Canoniſta ex Capitulo pro Concilio deputatus, quid lucratur?

℞ Fructus Præbendæ & diſtrbutiones: quia occupatur in re graui, communi & utili Eccleſiæ. *Monet. q. 2. n. 11. & 19.*

## CAPUT XLIII.
## De Diſtributionibus quotidianis.

1 Quæ dicuntur quotidianæ diſtributiones?

℞ Illæ, quæ dantur Prælatis & Canonicis Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum Inſignium, ob quotidianam intereſſentiam divinis Officijs, alio nomine vocantur *Manualia beneficia*; vel quia ad manum dantur illis, qui in Choro divinis Officijs interſunt. *Franciſc. Duaren.in Tract. de Benef. Lib. 7. Cap. 4.* vel quia pendent & tribuuntur a manu eas diſtribuentis, illis duntaxat, qui Eccleſiæ inſerviunt, & pro ratione ſervitij, *Steph. Durant. de Ritib. Eccl. Lib. 3. Cap. 15. n. 3.*

2 Unde quotidianæ diſtributiones provenire debent?

℞ Ex tertia parte fructuum & proventuum Canonicorum & Prælatorum, Epiſcopus enim tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, ubi diſtributiones quotidianæ nullæ ſunt, vel ita tenues, ut negligantur, ex cujuſcunq; Prælati, vel Canonici Præbenda proportionaliter hanc tertiam partem pro dictis diſtributionibus deducere poteſt, & ita integrè reſidens Canonicus, vel Prælatus, integram recipiet partem, quæ ex illius Præbenda deducta eſt. *Conc. Trid. Seſſ. 21. Cap. 3. de Ref.*

3 Si Antiquæ diſtributiones ſint, ſed tenues, poſſuntne præter deductionem tertiæ partis ex Præbenda

Præbenda cujuslibet Canonici, vel Prælati, aliunde augeri?

℞ Possunt per suppressionem aliquorum Canonicatuum ejusdem Ecclesiæ, *Abb. in c. 9. de Constit. n. 1.* de Consensu tamen Capituli & Patronorum, si sint Jurispatr. *DD. in c. 25 & 28. de Jurepatr.* vel per unionem aliquorum beneficiorum Simplicium etiam extra ipsam Ecclesiam existentium, similiter de consensu Patronorum si sint patronata. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 15. de Ref.* vel absq; unione, per applicationem fructuum superabundantium alicujus Ecclesiæ. *DD. in c. 1. de Reb. Eccl. non alienan. & in c. 1. eod. tit. in 6.* vel ex pia alicujus pro distributionibus fundatione.

4 Cur ista tertia pars ex Præbendis pro distributionibus debet deduci?

℞ Ut interessentes divinis Officijs habeant solatium, quæ deductio non solùm fit ex necessitate, sed etiam in odium non residentium. *Garc. de Benef. p. 3. Cap. 2. n. 465.*

5 Quod Canonici non residendo amittunt, hoc cui cedit?

℞ Canonicis, qui actu intersunt divinis Officijs. *c. un. de Cler. non resid. in 6.* alias, qui in choro, dum decantantur divina officia sunt præsentes. Unde amittere debet distributiones quotidianas Canonicus, si non intersit Choro, etiamsi adsit in Ecclesia eadem & tunc Missam privatam celebret. *Abb. in L. 12. n. 3. de sent. & re judic. & Gonzal. in Reg. 8. Cancell. §. 7. proœm. n. 181. & 183. ubi affert. Declar. S. Congr. Conc. Trid.*

6 Istæ distributiones à quo & quando debent solvi?

℞ A Procuratore Capituli, quotidiè, vel etiam post aliquot dies, vel tempus: quia in hoc servanda est consvetudo & commoditas cujuscunq; Ecclesiæ, modò in solutione habeatur respectus ad singulas horas servitij & interessentiæ in Choro. *DD. in d. c. un. de Cler. non residen. in 6.*

7 Quis debet interessentiam Canonicorum observare?

℞ Ille, quem quolibet anno Capitulum eligit, vel unum ex Canonicis, vel Clericum, aut quempiam alium, qui post electionem de fideli connotatione in Capitulo jurare debet, ac ideo ejus connotationi credendum est, nec ab ea appellatio conceditur ad effectum suspensivum. *DD. Super. Conc. Trid. Sess. 21. Cap. 3. de Ref.*

8 Si iste Punctator absit, quis supplet illius vices & absentias connotat?

℞ Ille, qui regit Ecclesiam, Decanus videlicet, vel alius Prælatus.

9 Canonici, possuntne videre Librum Punctatoris?

℞ Possunt toties, quoties voluerint, sed solùm in Capitulo, non verò extra.

10 Possuntne aliqui, quamvis non interfuerint Officijs divinis, lucrari distributiones?

℞ Possunt legitima de causa absentes, ut dictum supra *Cap. 28. n. 15.*

11 Canonicus de beneficio provisus, ac per Capitulum ad possessionem & interessentiam non admissus, lite finita, poteste repetere distributiones quotidianas?

℞ Potest, si nimirum talis beneficiatus, cùm non admitteretur ad possessionem beneficij & ad interessentiam in Ecclesia, de repetendis distributionibus fuerit protestatus. *Puteus decis. 233 Lib. 1. Rot. decis. 618. p. 1. & decis. 1170. p. 3. Lib. 3. divers.*

12 Canonicus ad restituendos fructus perceptos condemnatus, teneturne restituere quotidianas distributiones?

℞ Negativè. nisi omnes fructus consisterent in distributionibus. *Barbos. in Tract. de Canonic. & dignit. Cap 21. n. 6. ubi alios. citat.* Quia appellatione redituum & proventuum, non veniunt distributiones: cùm de corpore beneficij non sunt, sed percipiuntur ratione servitij personalis. *c. 32. de Præbend. & ibi gloss.*

13 Canonicus super ætate dispensatus, potestne percipere quotidianas distributiones?

℞ Potest. nam eò ipsò, quod sit dispensatus, provisus de Canonicatu, Præbenda fructibus & stallo, coæquatur alijs Canonicis quotidianas distributiones percipientibus, ut latè *Barbos. loc. cit. n. 12. ubi Decis. S. Congr. allegat.*

14 Canonicus cum expectatione Præbendæ creatus, seu supernumerarius: potestne percipere distributiones quotidianas?

℞ Quamvis talis Canonicus habeat omnia jura Canoniæ, veluti Stallum in Choro, vocem in Capitulo, eligi, eligere & Delegatus Papæ fieri possit. *DD. in c. 9. de Constit. Gomes. de Grat. expect. n. 35. & 38. Hoied de Incompat. benef. p. 1. Cap. 12. n. 6.* tamen quo ad distributiones consvetudo servanda est. *Barbos. loc. cit. n. 14. & seqq.*

15 Coadjutor cum futura successione lucratur ne distributiones quotidianas?

℞ Cùm potestas Coadjutoris à forma dationis Coadjutoriæ pendeat. *Pavin. de Visitat. p. 1. q. 2. n. 32. & Paris. de Resignat. Lib. 7. q. 20. n. 19.* ante omnia inspiciendus est tenor literarum. *Gonzal ad Regul. 8. Cancell. glos. 5. § 9. n 95.* ex quibus tam Officium, quàm emolumenta patebunt, quorum est capax, ac dum præsens est percipit. *Gonzal. loc. cit. n. 15. & Barbos. ubi supr. n. 17.*

16 Qui in eadem Ecclesia ex vi Consvetudinis, vel dispensationis Dignitatem cum Canonicatu obtinet, debentur ne ei duplicatæ distributiones?

℞ Affirmativè. *Barbos loc. cit. n. 18. ubi DD. citat.* sed non desunt contrarium tenentes. *Zoes. Lib 3. Decret. tit. 4. n. 16.*

17 Canonicus causâ Studiorum absens cùm dispensatione Apostolica lucraturne distributiones?

℞ Non lucratur. *Declar. S. Congr. quam refert. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. §. 7. proœm. n. 179.*

18 Possuntne aliqui Canonici absentes lucrari quotidianas?

℞ Possunt ut dixi supra. *hoc Lib. Cap. 28. n. 25.*

19 Canonici absentes tribus Mensibus à jure sibi concessis, lucranturne pro illis distributiones quotidianas, sicut alios proventus?

℞ Neg. nam licet absentia trium Mensium sit inculpabilis & à jure permissa, non tamen est specialiter ad lucrandas distributiones privilegiata, *Engels. Lib. 3. Decret. tit. 4. n. 13.*

20 Si quis Canonicus ob absentiam amittat distributione-

butiones, possuntne illi easdem Canonici separatim vel capitulariter condonare?

℞ Neg. quia expressè in odium non residentium prohibitum est illis à Concilio. *Trid. Sess.* 22. *Cap.* 3. *de Ref.*

## CAPUT XLIV.
## De Professione fidei à Canonicis facienda.

1 Qui tenentur facere Professionem fidei?

℞ Primates, Episcopi, Dignitates, Beneficiati Doctores & Professores omniũ Facultatum in Universitatibus. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 12. *in Remiss. de Ref.* & *Const. Pij. IV.* 1564. *Idib. Novembr.* In Sacrosancta.

2 Intra quod tempus Canonicus debet omittere Professionem fidei?

℞ Intra duos Menses à die perceptionis fructuum imò hodie ante Institutionem & Installationem tam in manibus Episcopi, quàm in Capitulo, alias non facit fructus suos, lucratur tamen distributiones quotidianas, quæ non veniunt appellatione fructuum. *Oldra. Conc.* 118. *Navar. Cons.* 1. & 2. *in man. Cap.* 25 *n.* 135 *de Summ. Trinit. & fid. Cath. Conc. Trid loc. cit.*

3 Professio fidei quo ad beneficium obtinendum potestne fieri per procuratorem?

℞ Quamvis DD, aliqui negativam partem teneant, affirmativa tamen est in praxi. *Conc. Trid. loc. cit. in Remiss. v. Provisi.*

4 Canonici exempti tenenturne emittere Professionem?

℞ Tenentur coram Episcopo. *Sayr. decis.* 1. *de Sum Trinit. & fid. Cath.*

5 Post adeptionem secundi beneficij, debetne secundariò emitti professio fidei?

℞ Debet. *ex Sacr. Congr. Conc. Sorb. in comp. privil. v. Professio. fidei.*

## CAPUT. XLV.
## De Examine & Provisione Parochialis Ecclesiæ.

1 Parochiali Ecclesia vacante, quid debet Episcopus facere?

℞ Debet in ea ponere Vicarium idoneum, assignata ipsi pro arbitrio de fructibus Ecclesiæ portione in vim onerum, donec ei de Rectore provideatur. *Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 18. *de Ref.*

2 In Provisione Parochialis Ecclesiæ, quid debet facere Episcopus?

℞ Si sit Jurispatronatus Ecclesiastici & vacet in Mensibus Sum. Pontifici reservatis debet ponere edictum, ut intra 10 dies à die notitiæ vacationis computando examinari volentes coram se, vel Suo in spiritualibus Vicario compareant, & ab Examinatoribus Synodalibus, de quibus supra Cap. 25. examinentur, atq; sic digniorem per Examen repertum S. Sedi præsentat, vel ipse si sit Jurispatronatus Laicorum vel etiam Ecclesiasticorum in Mensibus Ordinarijs, instituit. *Conc. Trid. loc. cit.*

3 Abbates, Priores, vel aliæ Dignitates, possuntne facere concursum?

℞ Si hujusmodj Prælati fiat exempti ac immediatè Sedi Apostolicæ subjecti habeantq; facultatem nominandi Examinatores Synodales, poterint facere Concursum in beneficijs Curatis quæ ad illorum spectant provisionem, alias secus. *DD. super Conc. Trid. Sess.* 24, *Cap.* 18. *de Ref.*

4 Si præfixo examini die concurrat unus solus, quid agendum?

℞ Est examinandus, & si idoneus repertus fuerit, est ipsi beneficium conferendum. *Garc. de Benef. p.* 9. *Cap.* 2. *n.* 206. *ubi Declar. S. Congr. affert.*

5 Si in termino ex edicto provenienti, ad Concursum nullus compareat, illi decem dies possuntne ulterius prorogari?

℞ Possunt ad alios decem dies, & non ultra. *Zerol. in Prax. Episcop. p.* 1. *v. Parochia* §. 1. *dub.* 3. *ex. Bull. Pij. V.*

6 Si elapso termino edicti, aliquis compareat, debetne post examen aliorum examinari?

℞ Non debet: quia injuria fieret illis, qui intra tempus utile comparuerunt. *DD. sup. d. Cap.* 18. *Conc. Trid. Sess.* 24. *de Ref.*

7 Quæ forma & modus servatur inConcursu peragendo?

℞ Hic quòd nim. concurrentium nominatorum vel non nominatorum ab Episcopo vel ejus Vicario, seorsim quilibet, vel etiam insimul omnes ab Examinatoribus Synodalibus examinantur, de sacramentis, Censuris, restitutione, Simonia, Usura, Jurisdictione & de rebus ad Officium Parochi pertinentibus. *Ugolin. de Off. & potest. Episcop. p.* 2. *fol.* 119.

8 Solùm ne de scientia, an etiam de alijs rebus prædictum debet fieri examen?

℞ Non solùm de scientia, sed etiam de vita, moribus & ætate. *Garc. loc. cit. p.* 5. *Cap.* 7. *n.* 11. & *p.* 6. *Cap.* 2. *n.* 238.

9 Qui debent admitti ad hocce examen?

℞ Clerici docti, bonæ famæ. vitæ, morum, aliquo ordine saltim primâ Tonsurâ insigniti & in ea ætate, ut intra annum ad Sacerdotium possint promoveri. *c.* 7 §, *Inferiora. de Elect.*

10 Qui non debent admitti ad Concursum?

℞ Laici, Irregulares, excommunicati, criminosi, publici peccatores & qui non habent animum retinendi beneficium, sed permutandi. *DD. in c.* 17. *de Rescript.*

11 Potestne Episcopus ad examen admitere aliquem habentem beneficium Curatum?

℞ Potest, sed post pacificam adeptionem possessionis alterius beneficij, primum ipso jure vacat debetq; alteri conferri. *DD. super. Conc. Trid. Sess.* 24. *Cap.* 18.

12 Potestne Episcopus alicui viro notoriè docto absq; examine conferre beneficium?

℞ Non potest: quia faceret contra formam Concil. Trid quod nullum excepit. *Sess.* 7. *Cap,* 13. *de Ref. & ibi DD. in Remiss. v. A locorum Ordinarijs. citati.*

13 Pro Concursu Comparentes, alter Concurrentium potestne aliquid contra alterum opponere?

℞ Potest; irregularitatem nimirum, vel alium defectum. *Rot. decis.* 19. *in nov. de dolo. & contumac.*

14 Concurrens concurrenti poteftne aliquid dare, ut recedat àConcurfu ?

℞ Non poteft abfq; labe Simoniæ: quia ibi agitur de intereffe Ecclefiæ. *Quarant. in Sum, Bull. v. Simoniacos. pag.* 460.

15 Si in Concurfu unus Concurrentium à majori parte Examinatorum, alter à minori dignus reputetur, quem Epifcopus debet approbare ?

℞ Illum, qui à majori parte dignus reputatus, aliàs à contraria approbatione poffet fieri appellatio. S, *Congr. Conc.* 1595. 18. *April.*

16 Infignis in aliqua Univerfitate Doctor in Theologia vel Jure Canonico promoveri intendens ad beneficium Curatum, debetne comparere ad Concurfum ?

℞ Debet: quia examen per concurfum requiritur pro forma collationis, quæ dat effe rei. *Paris. de Refig. Lib* 8.*q.*9.*n.*90. *& feqq. Garc. de Benef.p.*9.*Cap.* 2. *n.* 103. *ubi alios citat.*

17 Epifcopus ex examinatis ab Examinatoribus Synodalibus, quem debet eligere ?

℞ Digniorem & neceffitati Ecclefiæ magis proficuum *Conc. Trid. Seff.* 24. *Cap.* 18. *de Ref.*

18 Epifcopus quomodo debet penfare qualitates digniorum, feu magis idoneorum ?

℞ Eo modo, de quo fupra Cap. 25. n. 19. Lib. hoc. dictum eft, ut qui nimirum habuerit majorem fanctitatem & virtutem præferatur illi, qui habet majorem fcientiam &c. nempe, ut femper eligatur magis idoneus ad regendam Ecclefiam ?

19 Quis dicitur magis idoneus ?

℞ Magis idoneus 2pliciter fumitur: fcil. *per fe*; quia magis eft fanctus & doctior alio. *& per accidens*, quia habet majorem prudentiam, majorem cognitionem illius populi, benevolentiam, vel aliam qualitatem magis neceffariam ad regimen illius Ecclefiæ. *Covarr. p.* 2. §. 7. *n.* 4.

20 Collatio facta minus idoneo, valetne ?

℞ Valet, fed Epifcopus peccat mortaliter, fed non tenetur ad reftitutionem. *Covar. loc. cit. n.*8. *Navar. in* 43. *mifcell. de Orat.*

21 Si Epifcopus facto examine eligat minus idoneum, reliqui poffuntne appellare ?

℞ Poffunt ad Metropolitanum, vel ad Sum. Pontificem, fed interim provifus per Epifcopum regit Ecclefiam. *DD Super Conc. Trid. Seff.* 24 *Cap.* 18.

22 Si beneficium fit Jurifpatronatus laicorum & Epifcopus illud conferat minus idoneo, vel non habenti aliquas qualitates pofitas in fundatione, quam pœnam incurrit ?

℞ Cùm Epifcopus debeat effe juftus Judex & difpenfator, peccat mortaliter & tenetur ad reftitutionem: quia ibi agitur de re aliena ab alio ex proprijs bonis fundata. *Navar. in man. Cap.* 17. *n.* 73.

23 Peracto examine, fi Epifcopus inveniat aliquem digniorem examinatis, relictis ab Examinatoribus approbatis, poteritne eum eligere ?

℞ Non: aliàs collatio effet nulla: quia examinati habent jam jus acquifitum, quod ab Epifcopo tolli non poteft. *Conc. Trid. loc. cit. & DD. ibid.*

24 Quando in provifione Parochialis Ecclefiæ requiritur examen privatum, non Concurfus ?

℞ Cùm refignatur beneficium in favorem alterius in manibus Papæ. vel cùm approbatus per Concurfum non vult confentire juftæ penfioni à Papa tali beneficio impofitæ & collationem ob id non vult acceptare, tunc tale Beneficium confertur alteri prævio folùm privato examine. vel cùm in Concurfu non fuit forma. *Concil. Trid.* fervata. ideoq; approbatus rejectus ac alter ex privato examine fuffectus. vel quando Ordinarius intra 6. Menfes Concurfum inftituere neglexit ob idq; Collatio beneficij etiam in Menfe nòn refervato ad S. Sedem devoluta eft. vel cùm collatio beneficij fit Jurifpatronatus Laicorum, fecus verò fi fit Jurifpatronatus mixti & vacet in menfe refervato. vel quando reditus beneficij fint exigui ut nullus pro concurfu compareat. vel quando beneficium eft litigiofum, quod per fubrogationem prævio privato examine confertur. vel quandò beneficium fpectat ad Ecclefiam Collegiatam & cura animarum per Canonicos exercetur. vel quando Parochialis Ecclefia eft unita alicui dignitati, vel Religioni & Cura animarum per Religiofos fuffertur. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell. gloff.* 6. *à.n.*116.*ad n* 162.*ubi DD.& Declar. S. Congr. citat.*

25 Quis poteft mutare, remittere, minuere vel addere aliquid circa examinationis formam à Conc. Trid. pofitam ?

℞ Concilium Provinciale, confiderata majori Ecclefiæ utilitate. *DD. Super. Conc. Trid. Seff.* 24. *Cap.* 18. *de Ref.*

26 Si omnes Clerici, qui ad examen comparuerunt fint ita rudes. ut latinam lingvam non calleant, poteritne Epifcopus detinere vacationem per longum tempus, vel alicui ex comparentibus conferre ?

℞ Cùm non fperetur inveniri fufficiens, qui Ecclefiæ vacanti præficiatur, fatius eft ut uni ex concurrentibus etiam non idoneo, cum claufula ut erudiatur, conferatur. *DD. fuper. eod. Cap.* 18. *de Ref.*

# CAPUT. XLVI.

## De Parochis & Ecclefijs Parochialibus.

1 Unde dicitur Parochus & Parochialis Ecclefia ?

℞ A præbendo feu miniftrando, qui commiffo fibi populo Sacramentorum pabulum ad pafcendas animas præbet & miniftrat. Parochialis verò Ecclefia dicitur ea, quæ habet curam animarum interiorem, feu in foro pænitentiali, non verò exteriorem, feu in foro contentiofo. *Valen. Lib.* 3. *t.* 29. *n.* 3. *&* 5.

2 Quis primus Singulis Parochis fingulas diftribuit & affignavit Parochias ?

℞ Evariftus I. Pontifex in Urbe Romana, poft Dionyfius Pontifex circa annum Domini 266. per Univerfum Orbem affignatis illis pro neceffariis ad vitam Decimis, quæ intra fines Parochiæ cujusq; continebantur. *ean.* 1. *& ibi gloff.cum pulcherrimis textibus de Decimis.* 13.*q.* 1.

3 In primitiva Ecclefia erant ne diftinctæ Parochiæ ?

℞ Non, fed omnes Clerici fimul adminiftrabant

Sacramenta

Sacramenta fidelibus. *Abb. in c. 9. de his, qua fiunt. á Prælat. sine consen. n. 1.*

4 Quare Parochiæ debent esse distinctæ?

℟ Ut melius ab uno Parocho gubernentur, ut quilibet Parochus suas proprias cognoscat oves & ut Parochiani necessario à suo Pastore proprio suscipiant Sacramenta. *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 9. de Ref.*

5 Quis debet constituere certos fines singulis Parochialibus Ecclesijs?

℟ Episcopus, qui fines Parochiæ & distinctio populi probantur per Testes, deponentes, quòd à tempore immemorabili, tales fines fuerint observati, qui sunt impræscriptibiles. *can. 5. 16 q. 3. can. 11. 16. q. 7. c. 4. de Paracis & Paræcian. Conc. Trid. ubi supra & Sess. 24. Cap. 13. de Ref.*

6 Facultas dividendi Parochias & constituendi in illis proprios fines Episcopis à Conc. Trid. data extenditurne ad Ecclesias ædificandas?

℟ Extenditur. Non solùm enim in Ecclesijs ædificatis, sed etiam ædificandis Episcopus amplissimam habet potestatem. *Conc. Trid. d. Sess. 24. Cap. 13.*

7 Quis & unde debet assignare Parochis fructus necessarios ad sustentationem?

℟ Episcopus tam in Parochijs erectis, quàm in erigendis, ut habeant annuam sufficientem sustentationem, quam Episcopus providebit vel ex unione beneficij Simplicis, vel ex præstimonialibus portionibus, vel ex decimis, Collectis &c. modò non graventur Parochiani & Parochus habeat sufficientem subsistentiam Dignus enim est Operarius mercede sua. *Conc. Trid. loc. cit.*

8 Beneficia Curata possuntne converti in beneficia Simplicia sicut Simplicia in Curata?

℟ Non possunt neq; de parte proventuum beneficij Curati etiam pingvis potest erigi Simplex. Quia beneficium Curatum habens onus & Curam animarum annexam, non potest etiam in parte converti in beneficium, quod nullam curam animarum habet. *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 16. de Ref.*

9 Potestne Episcopus à Parochiali Ecclesia separare aliquam Capellaniam, ut ejus Capellanus in Oratorio remotè à Parochiali Ecclesia constructo, etiam pro commoditate Parochianorum celebret Missas?

℟ Non potest: quia ipsi hoc per. *Concil. Trid. d. Sess. 25 Cap. 16.* est prohibitum, ne beneficia Curata enerventur & debilitentur. Verùm si magna necessitas Parochianorum postulet, potest cogere Parochum, ut ipse procuret in tali Oratorio distante per Presbyterum celebrari Missas, vel etiam potest dare facultatem Parocho ut diebus Dominicis & Festis propter commoditatem Parochianorum Ecclesiam Parochialem adire non valentium, duas celebret Missas. Quia faciliùs est, ut unus Parochus finitâ unâ Missâ in Parochiali Ecclesia, cum altera ad Capellam remotam veniat, quàm plurimi homines, ob remotionem loci, vel aquarum ex undationem, aut aliud impedimentum, præcepto Ecclesiæ, de auditione Missæ diebus Festis & Dominicis non satisfaciant. *DD. Super. d. Cap. 16. Sess. 25. de Ref.*

10 Ex uno beneficio Simplici, possuntne duo fieri simplicia?

℟ Possunt: si sit pingve, modò utriusq; Clericus habeat congruam sustentationem. A pluribus enim Ministris meliùs servitur Ecclesiæ & plures pauperes Sacerdotes ex bonis Ecclesiæ debent sustentari. *Abb. in c. 6. de Cleric. non resid. n. 5.*

11 Si post divisionem factam beneficij Simplicis prior beneficiatus ex aliquo accidenti vel temporum varietate, non habeat congruam sustentationem, debetne secundus beneficiatus privari beneficio, ut primus in sua secunda portione re integretur?

℟ Non debet privari secundus quousq; vivit. jus enim non solùm ad rem, sed etiam in re acquisivit & est in actuali possessione, verùm mortuô illô ille qui divisit beneficium, debet illud unire & reintegrare. *Abb. loc. cit.*

12 Ut Parochialis dicatur Ecclesia, quæ conditiones requiruntur?

℟ Istæ: ut sit in illa potestas pænitentialis ligandi & solvendi, ut sit certis finibus populus in ea distinctus, ut habeat fontem baptismalem, ut in ea Parochus curam exerceat nomine suo, nomineq; suo singulariter & non cum alijs ad Regimen Parochialis Ecclesiæ admittatur. *Rota decis. 52. p. 2. divers. d. n. 1. usq; ad n. 19.*

13 In quo differt Parochialis Ecclesia ab alijs Ecclesijs & Oratorijs?

℟ In hoc: quia sola Parochialis Ecclesia habet fontem baptismalem, de quo lavantur, qui de novo intrant Ecclesiam Dei; reliquæ verò Ecclesiæ tam Regularium, quàm Monialium & Capellæ ac Oratoria fontem prædictum non habent, nisi habeant simul curam animarum annexam. *Ugolin. de Offic. Episcop. Cap. 16. §. 5. n. 1.*

14 Parochialis Ecclesia differt ne á Curata?

℟ Differt: quia hæc curam habet animarum tam interiorem, quám exteriorem, idest tam in foro pænitentiali, quàm contentioso. *Innoc. in c. 22. de Elect* illa verò solùm habet curam interiorem seu in foro pænitentiali: & quidem sine aliqua prærogativa vel prælatione; aliàs diceretur Dignitas vel Personatus. *Valen. Lib. 3. t. 19. 2 ex 3.*

15 Parochialia beneficia unde cognoscuntur?

℟ Potissimum ex fonte baptismali, vel ex aliquo vestigio, per quod constat illum aliquando habuisse, vel ex scriptura. Hæc enim omnia probant parochialem Ecclesiam fuisse etiamsi sit bellô, peste, vel temporum varietate destructa

16 Talia beneficia, quæ, aliter vocantur ruralia, sequunturne naturam beneficiorum Simplicium, vel Curatorum?

℟ Sequuntur naturam beneficiorum Simplicium neq; requirunt residentiam; quia supponuntur non habere populum, cui administrentur Sacramenta, ideoq; priùs loca talia deserta populis repleri debent.

17 Beneficia hujusmodi, possuntne ab Episcopo converti in Simplicia?

℟ Non possunt: quia mutare naturam beneficiorum Curatorum est prohibitum Episcopis, ut *dict. supr. n. 9.* & quia potentia( idest quamprimum Parochiani in finibus illius Ecclesiæ habitaverint) Parochi,

Parochi, etiam sine nova licentia & approbatione habent curam animarum tali beneficio annexam.

18 Potestne Episcopus unam Parochiam in duas dividere?

℞ Potest: cùm nimirum propter loci distantiã exundationem &c. Parochiani ad recipienda Sacramenta & divina officia audienda Parochialem Ecclesiam sine magno incommodo adire non possunt tunc enim Episcopus tanquam sedis Apostolicæ Delegatus etiam invito Rectore Ecclesiæ Parochiam unam, in duas dividere, fines, limites, Decimas, fructus, proventus &c assignare potest. Quia semper attendi debet commoditas vicinorum, qui recipere Sacramenta & non utilitas Parochi. *Conc. Trid. Sess. 21. Cap. 4. de Ref. & ibi Declar. S. Congr. ac c. 3. de Eccles. ædifican.*

19 Sacerdos ad Ecclesiam per Episcopum divisam residens, unde habebit sustentationem?

℞ Ab Ecclesia Matrice pro ipso debent demi aliqui fructus, ut Decimæ Missalia &c qui si non sufficiant, Parochiani in quorum commodum facta est divisio debent compelli ad providendum suo Pastori debitam sustentationem. *Conc. Trid. loc. cit.*

20 Ex duabus Parochijs Episcopus tanquam sedis Apostolicæ Delegatus, potestne facere unam & quando?

℞ Potest, tunc quando Ecclesia parochialis ita est pauper, ut ejus Mister nequeat congruè sustentari, nec divina officia cum illa dignitate, qua decet, valeant celebrari. Hoc tamen advertendum, ut Ecclesiæ sic junctæ absq; aliquo defectu administrentur ac talis unio sit in utilitatem animarum, majus ornamentum & decentiam Ecclesiæ. *Conc. Trid. Sess. 21. Cap. 5 de Ref.*

21 Si Parochia sit intra, & Parochiani extra mænia Civitatis portæq; noctu claudantur, Episcopus potestne ex hoc Capite extra mænia erigere alteram Parochiam?

℞ Non potest quia hoc ipsi non est permissum à Concil. Trid. sed poterit ædificare Capellam & ponere in illa Presbyterum de fructibus Ecclesiæ Parochialis alendum & à Parocho dependentiam habentem. *DD. in Conc. Trid. Sess. 21. Cap. 4. de Ref.*

22 Quæ ætas requiritur ad obtinendum beneficium Curatum?

℞ Sufficit, ut attingat 25 ætatis annum possitq; intra annum ad Presbyteratum promoveri. *c. 14. de Elect. in 6. & Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Ref.*

23 Parochus potestne accipere aliquid pro administratione Sacramentorum?

℞ Non potest: sed si aliquid accipit, debet esse pro eleemosyna & sponte datum. *can. 12. & seqq. 13. q. 2 & c. 8. de Simonia.* Si tamen sit consvetudo aliquid accipiendi, potest accipi licitè, modò sine pacto & Sacramentum priùs conferatur. *c. 42. de Simon.*

24 Tempore pestis vel alterius contagiosæ infirmitatis potestne excusari Parochus ab administratione Sacramentorum?

℞ Non potest: imò in casu negligentiæ arbitrie juxta delicti modum punitur. *Navar. Cons. 3. de Pœnis.* Tenetur enim animam suam pro ovibus seu pro salute Spirituali ovium ponere *Armill. Tabien. v. Episcopus.* Officium namq; Parochi non est limitatum pro tempore Sanitatis, nec est illi comissum cũ aliqua conditione, unde absolutè quovis tempore, multò magis tempore necessitatis debet adimpleri. *Rip. in tract. de Peste. n. 147. Rebuff in prax. de dispen. non resid. n. 30*

25 Clerici beneficium Curatum non habentes excusanturne metu pestis ab administratione Sacramentorum?

℞ Affir Non sunt enim Parochi & ex proprio Officio cum periculo vitæ non tenentur administrare Sacramenta *Scip. de Rubeis in Aphorism. Episcop. v. Pestis. n. 1*

26 In quibus casibus Simplex Sacerdos, vel Religiosus cujuscunq; Ordinis, tenetur tempore pestis administrare Sacramenta, etiam cum periculo propriæ vitæ?

℞ In his: *1 mò*, si proprius Parochus fugiat, peste laboret, moriatur, sit præsens & nolit ministrare, tunc quicunq; Sacerdos, etiamsi illi cura animarum non incumbat, ex lege charitatis & legalis justitiæ, quamvis cum periculo vitæ tenetur peste infectis Sacramenta ministrare. *2 dò*, si ad hoc munus ab Episcopo deputetur. *3 tiò*, si cogatur ad hocce obsequium ab Episcopo cui tunc vel maximè quisq; Sacerdos etiam Regularis qui tunc magis tenetur Episcopum quam Superiorem audire debet obedire, ut promisit in sui ordinatione. *Chaffieaville q. 13. 14. 15. 16. & 17. Cajetanus Sotus &c.*

27 Sacerdotes tempore pestis administrantes Sacramenta & exponentes se periculo vitæ, quam mercedem debent habere?

℞ Maximam: & quidem in hac vita Episcopus debet illis dare pinguiora beneficia, honoribus & præmijs honorare; quia se pro animarum salute evidenti periculo vitæ exposuerunt. In altera vita magnum expectant præmium: quia habentur, ut Martyres; nam in Martyrologio Romano à Cardinali Baronio edito dicitur: Commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima, grassaretur, morbô laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiêre, quos velut Martyres religiosa piorum fides venerari consuevit. Et *S. Dionysius Episcop. Alexandr. relatus apud Eusebium. Lib. 7. Cap. 16. & 17.* dicit: quòd ista mors nihil à martyrij splendore abesse videatur; quia propter incredibilem pietatem & robustam fidem suscipiebatur.

28 Episcopus ad quid tenetur tempore pestis?

℞ Si desint Ministri, qui peste in fectis administrent Sacramenta, Episcopus magistis etiam suis expensis tenetur eos conducere. *Barbos. p. 2. Cap. 17. n. 19. de Offic. & potest. Paroch.* Quod si ad conducendos & præmiandos dictos Ministros reditus Episcopatus non sufficiant, potest in hoc Casu Episcopus Census, terras & possessiones sui Episcopatûs imò etiam & argentum Ecclesiæ vendere, sicuti ad redimendas ab hostibus captivas Virgines, si earum pudititia periclitetur. *Ex doctrina S. Augustin. Bann. 22. q. 33. a. 3. dub. 4.*

29 Episcopus

29 Episcopus & Parochus tempore pestis, possuntne à suis Ecclesijs abesse & fugere?

℞ Non possunt: imò si absint, tenentur venire & administrare Sacramenta perseipsos, vel etiam per substitutos idoneos, qui vellent his Officijs charitatis occupari, animô tamen & providentiâ debent esse præsentes. *Barbos. loc. cit. n. 14. ubi alios citat.*

30 Episcopus tempore pestis quid agere & providere debet?

℞ *1mò*, ut sufficiens sit numerus Ministrorum. *2do*, ut alios in casu fatorum paratos ad obeundum munus habeat. *3tiò*, ut dictos Ministros, præcipuè si non habeant unde vivant, & alios in casu fatorum ministrantium, substituendos alat. *4tò*, ut deputet tales, qui tractent de negotijs pestis, & omnia, quæ accidunt sibi referant. *5tò*, ut subveniat pauperibus infirmis etiam de bonis Ecclesiæ, si sua non suppetant. *6tò*, ut ordinet, ut in Civitate fiant publicæ processiones ac in Missis commemorationes & preces pro sanitate & aversione pestis. *7mò*, ut moneat Confessarios, ut non absolvant homines occultantes pestiferas vestes, quibus alios inficiant. &c.

31 Isti Ministri quo tempore debent ministrare sacramenta peste infectis?

℞ De hoc non est certa regula, sed arbitrio Episcopi & Parochi relinquunt Authores.

32 Clericus administrans sacramentum tempore pestis, quomodo debet illud portare?

℞ Quàm decentissimè ex Capella Eremitica antiqua, vel ad hoc consultò exstructa, aut etiam ex Parochiali Ecclesia desumptum, in vase argenteo deaurato ac serico sacculo inclusò. Cùm verò pervenerit ad locum recitatis clara voce ex Ceremoniali Romano ceremonijs, præmissóq; Pænitentiæ sacramento, SS. Eucharistiam ex Cochleari argenteo, aut bacillo peste infectis à ventorum flatu ne inficiatur ministrabit.

33 Corpora peste mortuorum, ubi debent sepeliri?

℞ Extra Ecclesiam in loco à Civitate designato, quod debet benedici & in eo Crux erigi, ut sit velut Cæmeterium.

34 Extrema unctio peste infectis quomodo debet ministrari?

℞ Licet hoc sacramentum non sit necessarium necessitate salutis, sed necessitate præcepti, tamen sine evidenti periculo vitæ petentibus à Parocho debet ministrari, qui ne inficiatur, potest ungere infirmum è loco remotiori virgâ argentea oblonga, ut etiam non tenetur os, sed solum partem vicinam rabidi alicujus hominis à viperæ vel alicujus animalis rabidi morsu, infecti ungere, ne ipse inficiatur, imò etiam cum gravi periculo vitæ non tenetur hoc Sacramentum ministrare. *Barbos. loc. cit. Cap. 22. n. 15. & seqq. ubi alios. citat.*

35 Tempore pestis poteritne Episcopus dispensare, ut homines sani ad præservationem sui comedant carnes tempore quadragesimæ?

℞ Poterit cum consilio Capituli Theologorum, Canonistarum, Medicorum. Quia omnia, quæ licita sunt ad sanandam pestem, magis licita sunt ad præservationem à peste; tum quia Cibi quadragesimales sunt nocivi hominibus, carnes verò magis utiles, propter quas humores non tam facilè recipiunt morbum. tum quia pestis judicatur pro ultima & extrema necessitate ut patet ex 2. Reg. Cap. ult. ubi Gad Propheta dixit ad David, trium tibi datur optio: aut 7. annis veniet tibi fames in terra tua. aut tribus Mensibus fugies adversarios tuos & illi te persequentur, aut tribus diebus erit pestilentia in terra tua; ex quo liquet pestem esse ultimam miseriam & extremam necessitatem.

36 In quibus casibus possunt res Ecclesiæ vendi & consumi?

℞ In redimendis captivis, ædificandis Ecclesijs, sustentandis pauperibus tempore pestis & famis *Barbos. & Abb. in. c. 1. n. 1. de Pignorib.*

37 Parochus si sit impeditus aliquo morbo, ut non possit ordinari intra annum, amittit ne beneficium Curatum?

℞ Non, nec tenetur ordinari durante morbo, debet tamen per Vicarium supplere servitium Ecclesiæ. *DD. super Conc. Trid. Sess. 7. Cap. 3. de Ref.*

38 Si quis habet litem super Parochialis Ecclesiæ obtentione, debetne intra annum ordinari?

℞ Debet, si est in possessione, quæ si illi sublata sit & aliunde non habeat, unde vivat, debet ei assignari victus de reditibus dictæ Ecclesiæ. *DD. sup. Conc. Trid Sess. 21. Cap. 3. de Ref.*

39 In quibus casibus Parochus, finitô annô non factus Sacerdos, potest lucrari fructus beneficij?

℞ Si fuit infirmus, captus ab hostibus, irregularis sine sua culpa, si non habuit copiam Episcoporum, vel habuit aliquod aliud legitimum impedimentum. *Navar. in man. Cap. 25.*

---

# CAPUT XLVII.
## De Residentia Parochi.

1 Parochi per quot Menses possunt abesse?

℞ Per duos, sed quatuor ad hoc requiruntur: ut sit justa & debita causa, ut hæc causa per Episcopum priùs cognoscatur & approbetur, ut Vicarius idoneus cum approbatione Episcopi & mercedis assignatione per hoc tempus substituatur. ut facultas absentandi inscripto obtineatur & gratis concedatur. *Barbos. p. 1. Cap. 8. n. 58. de Offic. & potest. Parochi. Const. Provinc. Gnesnen. Lib. 3. de Cleric. non. resid. §. Idem statuim. & §. Iure. Canonico.*

2 Quæ sunt justæ causæ se absentandi à Parochia?

℞ *Christiana charitas* ad quam reducitur juvamen alicujus privatæ Ecclesiæ, diremptio litis, controversiarum, odiorum &c. *Urgens necessitas*, ut sunt curatio morbi, evitatio belli, hostium, pestis, aeris intemperiei, inimicitiarum, odij aut offensionis Principis &c. *Debita obedientia*, quæ debetur Papæ, vel ejus Legato, Episcopo, *Et evidens Ecclesiæ vel Reip. utilitas*, ad quam reducitur absentia ad Synodum generalem, Provincialem vel Diæcesanam ritè congregatas & ad easdem vocatio. *Barbos. loc. cit. n. 46. & seqq. ubi alios citat.* Substitutio tamen in his omnibus causis Presbyteri

Presbyteri idonei, ne Ecclesia patiatur detrimentum, requiritur. *Barbos. ibid.*

3 Teneturne Parochus residere, si habeat tenuem Parochiam & tres aut quatuor Parochianos?

℞ Affir. nisi omnes Parochiani extingvantur, quia tunc beneficium simplex censetur. *Barbos. loc. cit n. 4. & 5.*

4 Parochus habens duas unitas Parochiales Ecclesias in qua debet residere?

℞ In digniori & ubi est populus frequentior. Unde si habeat unam Ecclesiam extra Civitatem & alteram intra, in hac, & non illa debet residere. *Barbos. ibid. n. 9. & 10.*

5. Habens cum dispensatione Parochialem & Canonicatum requirentem residentiam, ubi debet residere?

℞ In Parochiali, nisi utriq; propter vicinitatem loci possit satisfacere, & tunc percipit distributiones quotidianas. *Barbos. ibid. n. 12. & seqq.*

6 Parochus habens Vicarium perpetuum cum institutione, teneturne residere?

℞ Tenetur, nisi tota cura animarum translata sit in Vicarium. *Barbos. ibid. n. 18.*

7 Habens Vicarium amovibilem debetne residere?

℞ Debet: amovibilitas enim Vicarij arguit curam esse penes deputantem. *Barbos. ibid. n. 21.*

8 Parochus Studiorum causa potestne abesse?

℞ Non potest: quia Parochialis Ecclesiæ collatio, illos, quibus collata est præsupponit esse dignos & idoneos, qui docere alios, non studere debent; unde si in hoc casu etiam cum permissu Episcopi absit, fructus suos non facit. *Toties declaravit S. Congr. Conc. Trid. & Barb. loc. cit. n. 27. ubi DD. allegat.*

9 Parochus propter Principis, vel populi furorem, inimicitias Capitales, excusaturne à residentia?

℞ Negativè cum. *Barbos. & alijs DD. ab illo loc. cit. n. 31. & 32. allatis.*

10 Parochus abesse volens, semper ne debet relinquere substitutum?

℞ Semper, sive absit cum licentia Episcopi, sive non, nisi sit repentina absentia & ultra septem dies non protrahatur, nullumq; periculum in hujusmodi mora timeatur. *Barbos. ibid. n. 51. & 52.*

11 Parochus abesse volens potestne substituere vicinum Parochum?

℞ Potest: quia Parochus vicinus licet solùm habeat jurisdictionem in gregem sibi commissum, tamen est ita in Diæcesi admissus, ut ei aliqua jurisdictio possit delegari. *Idem Barbos. loc. cit n. 53.*

12 Vbi debet Parochus residere?

℞ In domo propria ad Ecclesiam vel in alia etiam paterna, modò intra fines Parochiæ sit. *Barbos. ibid. n. 34. cum seqq.*

13 Parochus absens sine licentia quam pœnam incurrit?

℞ Præter mortalem culpam, privationem fructuum incurrit pro rata absentiæ. *Barbos. ibidem. n. 67.* & ad residentiam juris remedijs usq; ad privationem compelli potest. *Conc. Trid. Sess. 23 Cap. 1. de Ref.*

14 Episcopus retinens Parochum ad latus suum in munere Vicariatûs generalis vel Secretariatûs, liberne est per hoc a residentia, sicut Canonici duo ad latus Episcopi residentes?

℞ Non: quia magis est necessaria residentia Parochi, quàm Canonicorum. *Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloss. 6.*

## CAPUT XLVIII.

### De Clericis non residentibus in Ecclesia vel Præbenda.

1 Quid est residere in Ecclesia?

℞ Est personaliter Ecclesiæ deservire & beneficij curam gerere, ac suo muneri per se satisfacere. *c. 3. & 6. h. t.*

2 Si quis serviat Ecclesiæ per Vicarium, diciturne residere?

℞ Non: quia residens taliter tradit alteri oves suas, unde ut dicatur bonus pastor, ipse debet ovibus attendere corpore, animo, cura & solicitudine. *d. c. 3. h. t.*

3 Quando quis potest ponere Vicarium, ut dicatur residere per substitutum;

℞ *1mo.* cùm habet privilegium non residendi. *2do.* cùm est consvetudo, ut possit residere per Vicarium, vel Substitutum, ut in beneficijs Simplicibus. *3tio.* cùm Ecclesia Parochialis sit unita Canonicatui, vel Prælaturæ ac in his personalis residentia requiratur. *4to.* quando quis sine culpa incidit in morbum, infirmitatem, vel senectutem. *5to.* cùm sit justa causa excusans à residentia ut supr. Cap. 47. n. 1. & 2. Lib. hoc. dictum. *Goffr. in Sum. de Off. Vicar. §. Nec videndum.*

4 Clericus habens justam causam absentiæ, si Prælatus eandem deneget quid debet facere?

℞ Poterit appellare à denegatione & Superioris Prælati licentiam petere, vel si urgeat necessitas relictô substitutô, se poterit absentare, ita tamen ut non incidat in culpam, vel in moram. *Abb. in c. 4. h t. n. 6.*

5 Clericus frangit ne juramentum, quod præstitit de residendo, si in negotijs Ecclesiæ se absentet?

℞ Non: quia qui pro bono Ecclesiæ se absentat, præsens reputatur & in tali juramento non est fraus. *c. 8. & ibid. Abb. n. 1. h. t.*

6 Qui non residet in beneficio, quos fructus debet percipere?

℞ Nullos: quia beneficium datur propter laborem & Officium; imò talis si diutius, maximè sine causa absit, post monitionem debet privari, etiam appellatione remotâ. *c. 2. 4. 6. 8. 9. & fin. h. t.*

7 Si nesciatur, ubi degat Clericus, absq; monitione potestne privari?

℞ Potest, præmissis tribus publicis edictis Ecclesiæ ejus valvis affigendis, qui si intra sex Menses non redeat taliter per edicta, vocatus privandus est. *c. 1. & 11. h. t. Constit. Provinc. Gnesnen. Lib. 3. h. t §. Nullus.*

8 Clericus habens beneficium Simplex, Studij causâ potestne abesse?

℞ Potest: quia est hæc justa causa, modò per Substitutum deserviat. *Declarat. S. Congr. sup. Trid. Conc. Sess. 23. Cap. 1. de Ref. & DD. ibid.*

9 Si Ecclesia patiatur penuriam ministrorum & sint aliqui Clerici dispensati à Summ. Pontifice á residentia

à residentia, quid tunc Episcopus, facere debet?
℞ Debet vocare taliter dispensatos, qui si non veniant, potest eis denegare fructus. Dispensatio enim cum damno Ecclesiæ censetur esse subreptitia & Sum. Pontif. non præsumitur velle cum penuria servitij dispensare. *c.* 16. & *ibi Abb. n.* 1. *h. t.*
10 Præsentatus ad beneficium si non intendat in eo residere, debetne institui?
℞ Non: imò si sit institutus & introductus, ac non residens, debet eò appellatione remota privari. *c.* 4. *h. t.*
11 Clericus alterius Diæcesis, debetne admitti ad Celebrandum & beneficium obtinendum?
℞ Non debet etiamsi sit Regularis, nisi prius Literas sui Episcopi, vel superioris ostenderit, similiter & ad beneficia obtinenda non debet admitti absq; dimissorijs literis proprij Episcopi. *Const. Provinc. Gnesnen. Lib.* 1. *de Filijs Præsbyt. c.* 5. & *ibi gloss. h. t.*
12 Potestne compelli Clericus, ut continuò resideat in Diæcesi vel Ecclesia?
℞ Non potest: quia hoc judicatur vix possibile & nimis difficile, nisi sit statutum vel consuetudo faciendi tale juramentum, quod tamen intelligi debet humano modo & secundùm vires naturales. *Abb. in c.* 13. *n.* 2. *h. t.* Unde in Nostro Regno licet Parochi residere debeant, tamen ex justa causa relicto Commendario idoneo à residentia continua excusantur. *Const. Provinc.Gn. Lib.* 3. *h. t.* §. *Idem statuimus.*
13 Clericus infirmus quid lucratur?
℞ Fructus & distributiones quotidianas: quia non stat per ipsum, quo minus inserviat, ac in infirmitate juvari & sustentari debet ab Ecclesia, quæ ipsi locò Matris esse videtur. *Abb. in c.* 15. *n.* 5. *h. t.*
14 Si Clericus absentet se à beneficio per decennium, tale beneficium potestne alteri conferri & pro derelicto haberi?
℞ Negat. quia benficiatus habet matrimonium Spirituale cum sua Ecclesia, quod non dissolvitur, nisi per mortem, alterius beneficij acquisitionem, delictum, & privationem, *c.* 8.*h.t.*

# CAPUT XLIX.
## De Clerico ægrotante vel debilitato.

1 Quis Clericus dicitur ægrotans?
℞ Ille, qui ex aliqua infirmitate vel senectute non potest personaliter adire Ecclesiam, sive sit in lecto, sive extra lectum. *c.* 1. *h. t.*
2 Si Clericus actu non ægrotet, timet tamen exire domo, ne incurrat ægritudinem, debetne haberi pro infirmo?
℞ Si timeat ex consilio Medici, debet reputari ut infirmus; cùm non debeat minor cura poni in conservanda sanitate, quàm in acquirenda. *DD. in c.* 2. *h. t.*
3 Quis dicitur debilitatus?
℞ Ille, qui ex lecto infirmitatis surrexit, necdum bene convaluit, vel ille, qui præ senectute non habet vires, vel ille, cui deest pes, manus, vel vires ex dolore interno. *DD. in d. c.* 1. *h. t.*
4 Clericus infirmus quos fructus percipit?
℞ Si residebat ante infirmitatem, percipit omnes fructus sui beneficij & distributiones: quia afflicto non est addenenda afflictio, imò potius ipsius miseriæ miserendum. *c.* 5 *h. t.* Si verò non residebat; nullos percipit: quia infirmitas non debet facere eum melioris conditionis. *Abb. in c.* 1. *n.* 1. *h. t.*
5 Absens recreationis vel alterius negotij causâ & ob id amittens distributiones, revertens tandem animô residendi in itinere infirmitate detentus, amittit ne distributiones?
℞ Non amittit, modò post infirmitatem rectà pergat ad Ecclesiam: quia in hoc casu voluntas reputatur pro facto & voluntas per factum confirmatur. *DD. in c.* 1. *h. t.*
6 Si Presbyter ita sit debilitatus, ut nequeat ascendere ad Altare sine baculo, est ne admittendus ad celebrandum?
℞ Non. *Abb in c.* 2. *h. t.*
7 Presbyter deformis, estne irregularis?
℞ Non, sed inhabilis ad celebrandum. *Abb. ibid. n.* 4.
8 Parocho leproso, debetne dari Coadjutor?
℞ Debet: sive cum futura Successione, sive non; quia lepra inficit & inducit horrorem, unde talis ut verè infirmus, ministrare non debet. *c.* 3. & 4. *h. t.*
9 Episcopo habenti morbum incurabilem, dandus ne est Coadjutor?
℞ Dandus si talis morbus sit perpetuus, & impediat illum ab administratione & Regimine Ecclesiæ. *c.* 5. *h. t.*
10 Si Episcopus confirmatus, & nondum consecratus incidat in morbum vel lepram, debetne removeri, an dari ipsi Coadjutor?
℞ Variæ sunt circa hoc DD. opiniones, verùm si sine sua culpa incidit in morbum, non est removendus, sicut consecratus; quia Consecratio non addit majus vinculum conjugale, ut habetur in *c.* 2. *de Transl. Abb. in d. c* 5. *n.* 2. *h. t.*
11 Archidiacono laboranti morbo paralitico, debetne dari Coadjutor?
℞ Affirmativè. *c. fin. h. t.*
12 Presbyter habens duos digitos & abscissam medietatem palmæ, potestne celebrare?
℞ Non potest, propter deformitatem. tamen alia officia exercere potest, ut Confessiones audire, prædicare. *c.* 2. *h. t.*

# CAPUT. L.
## De Vicarijs & Coadjutoribus Parochorum.

1 Quis dicitur Vicarius?
℞ Ille, qui vicem alterius gerit & Officium Ecclesiasticum, quod alteri ordinario jure competit, ipsius nomine exercet. *Valen. Lib.* 1. *t.* 26 § *à princ.*
2 Quotuplex est Vicarius?
℞ 2plex: *Perpetuus*, qui Canonicè, idest authoritate Episcopi, in aliqua Ecclesia Parochiali cum congrua annua portione ex proventibus Ecclesiæ proveniente constituitur. *c.* 6. *de Off. Vicarii.* & *c.* 30. § *Qui verò. de Praben.* Et *Temporalis*, qui in locum

qui in locum alicujus ad tempus justâ subsistente causâ substituitur. *can.* 48. 26. *q*, 1.

3 Quo differt Vicarius perpetuus à Temporali?

℞ Quia ille per Ecclesiæ Rectorem, vel ejus successorem removeri aut portione assignata fraudari nequit. *c.*.30.§. *Qui vero de Præben*, nisi ex justa caûsa & authoritate Episcopi *c.*3.*de Off. Vicar.* Censetur enim esse inter beneficiarios. *gloss. in c.* 1. *de Off. Vicar.* Iste verò è contra se habet. *Abb in d. c.* 30. *de Præben.* & *gloss. in Extravag. Joann.* 22. 1. *de Præben.*

4 In quibus casibus potest Episcopus ponere Vicarium ad tempus in Parochia, ex sumptibus Parochiæ alendum?

℞ Quando Parochus non est Presbyter, vel abest ex justa causa, vel quando plura beneficia incompatibilia ex dispensatione obtinet, vel quando vacat Ecclesia, vel quando Parochus ingreditur religionem, probationis anno durante vel quando Parochus per se non potest servire nimir. ob delictum, exilium, infirmitatem, vel quando beneficia sint unita Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, Collegijs, Universitatibus, Monasterijs & alijs pijs locis. *c.*7.*de Elect. Conc. Trid. Sess.*7.*Cap.*7.*Sess.* 23. *Cap.* 1.*Sess.*24.*Cap.*18 *Sess.*25.*Cap.*15.*de Reform.*

5 Si in Ecclesijs Monachis subjectis Parochi negligentes fuerint in suo Officio, quid agendum?

℞ Episcopus, per Censuras Eclesiasticas tales Monachos debet compellere, ut tali Parochiæ de ministro diligenti & idoneo provideant, quod etiam extenditur ad Ecclesias, quæ in nullius sunt Diœcesi. *Conc. Trid. Sess.* 5. *Cap.* 2 *de Ref.*

6 In Ecclesijs Curatis unitis Monasterio; quis debet nominare Vicarios perpetuos?

℞ Ipsum Monasterium. quos, assignata ipsis congrua ex beneficio portione, Episcopo præsentare & confirmationem ab eo petere debet. *Bull. Pij V. Calen. Nbris.* 1567. Ad exequendum. & *Gonzal. ad Reg. Cancel.* 8. *gloss.* 5.§. 3.*n.*48. *cum. seqq.*

7 Si totum Capitulum Parochiam & Curam animarum habeat, poteritne Episcopus eam transferre in aliquam personam particularem?

℞ Si talis persona sit de eodem Capitulo & sufficiens, poterit: quia sic meliùs animabus providetur. *DD. super. Conc. Trid. Sess.*24.*Cap.* 13.*de Ref.*

8 Poteftne Eiscopus Parocho dare Coadjutorem & ob quas causas?

℞ Potest cum congruæ portionis de eodem beneficio assignatione, idq; ob Parochi imperitiam, vel ob morbum, propter quem Parochus muneri suo satisfacere nequeat. *Conc. Trid. Sess.* 21. *Cap.* 6. *de Ref.*

9 Poteftne dari Parocho Coadjutor cum futura successione?

℞ Potest, si urgens necessitas, vel evidens Ecclesiæ postulet utilitas, qui per Sum. Pontificem, debet approbari, licet raró datur, ne per hoc votum captandæ mortis inducatur *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 7. *de Ref.*

10 Coadjutor teneturne ad residentiam?

℞ Tenetur sicut proprietarius, & debet cogi ab Episcopo pænis à jure imposit is usq; ad privationem Coadjutoriæ. *Conc. Trid. Sess.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.*

11 Si Episcopus Parocho illiterato det Coadjutorem, talis Parochus debetne residere?

℞ Debet acsi ei non esset datus Coadjutor: quia suâ præsentiâ poterit populum ædificare, eleemosynas ex fructibus beneficij dare & alios pios actus exercere. *d. Sess.* 21. *Cap.* 6. *de Ref.*

12 Si populus sit numerosus ita ut unus Parochus non sufficiat, poteritne Episcopus eidem virtute d. Sess. 21. Cap. 6. de Ref. dare Coadjutorem?

℞ Negat. sed talem Parochum debet cogere, ut habeat ad sui juvamen Capellanum. *ut dict. supra.*

13 Si Parochi sint in scientijs minimè versati, negligentes, scandalosè viventes quâ pæna puniuntur?

℞ Talibus Episcopus solet dare Vicarios & eos suspendit ad tempus, qui si admoniti in incorrigibilitate perseverent, poterit eosdem beneficijs privare, quo in casu non habet effectum suspensivum appellatio. *Conc. Trid. Sess.*21. *Cap.*6.*de Ref.*

## CAPUT LI.
## De Beneficijs.

1 Quid est Beneficium Ecclesiasticum?

℞ Est jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcunq; ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter aliquod Officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum. *Valen. Lib.*3.*t.*5.*n.*3.

2 Quot sunt Species Beneficiorum?

℞ Multæ: Alia enim beneficia sunt *Majora.* ut Papatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia. Et alia *Minora*, quæ his inferiora sunt, Dividunturq; 1mo in *Curata*, quæ habent annexam Curam animarum citra ullam aliam jurisdictionem externam. Clement. 2. §. Verum. de Sepult, Et *non Curata*, quibus nulla ejusmodi cura est annexa. 2do. in *Duplicia*, quæ curam animarum, vel administrationem, vel dignitatem, vel personatum vel Officium adjunctum habent. Et *Simplicia*, quæ idem sunt, quòd non Curata. 3tio. in *Regularia*, quæ regi debent per Regulares, vel ex fundatione, vel Ordinarij, seu Superioris institutione. *c.*2. & *ibi DD. de Capell. Monach.* vel annorum 40 cum bona fide & titulo præscriptione. *c.*5. *de Præscript* & *c.*5.*h.t. in* 6. Et *Sæcularia*, quæ addicta & debita sunt Sæcularibus Clericis, qui nullam sunt professi Regulam, sed in sæculo militant & serviunt Deo.*d.c.*5,*h.t.* Unde axioma juris: sæcularia beneficia sæcularibus & Regularia Regularibus esse conferenda. *c.* 37. & 38. *de Elect. Conc. Trid Sess.* 14. *Cap.* 10. *de Ref.* 4tò in *Collativa* & *electiva*. 5tò in *Manualia* & *non manualia.* 6tò in *Patrimonialia* & *non patrimonialia* 7mò in *Monocula* & *non monocula.* 8vò in ea, quæ sunt *Juris patronatus* & in ea, quæ sunt *libera.* 9nò, in beneficia *Ecclesiarum Collegiatarum* & *non Collegiatarum. Valen. loc. cit.*

3 Quot sunt Species beneficiorum simplicium?

℞ Plures: videlicet præstimonium, præstimonialis portio, Capellania, Canonicatus, Dignitas, portio, media portio in Ecclesia Cathedrali, quæ licet non habeant curam animarum, tamen residentiam requirunt. *c.* 28. *de Præben.* & *dignit. Navar. Cons.* 4. *de Ætat.* & *qualit.*

4 Si quis plura beneficia obtinet cùm dispensatione Papæ, quis debet eam examinare?

℞ Loci Ordinarius, quam si beneficiatus non producit, potest Vicarium assignata ipsi congrua de beneficio

de beneficio portione, non obstante appellatione in beneficio ponere. *Conc. Trid. Sess. 7. Cap. 5. e Ref.*

5 Parochialis Ecclesia & Canonicatus, sunt ne beneficia incompatibilia?

℞ Sunt: quia in Canonicatu habente distributiones quotidianas, requiritur sicut in Parochiali personalis residentia. *Conc. Trid. d. Sess. 7. Cap. 4. de Ref. & DD. ibi.*

6 Clericus potestne obtinere plura beneficia curata vel plura incompatibilia, etiam per commendam?

℞ Non potest absq; dispensatione Apostolica, imò ejdem non dimissis debet privari. *Conc. Trid. d. Cap. 4. & Sess. 24. Cap. 17. de Reform.*

7 Potestne Episcopus conferre duo beneficia eidem personæ & sub eodem tecto?

℞ Non potest, nisi sint difformia id est instituta non ad eundem finem, non habeantq; idem onus & idem Officium eodem tempore explendum, ac quodlibet per se non sit sufficiens ad sustentationem talis Clerici, vel si sit consvetudo, ut illa duo beneficia obtineantur sine dispensatione Apostolica. *DD. in d. Sess. 24. Cap. 17. de Ref. & Piasec. Prax Episcop. p. 2. Cap. 5. a. 3. n. 105.*

8 Si Episcopus conferat beneficium sufficiens adsustentationem alicui aliud, vacatne primum?

℞ Vacat, habita pacifica possessione secundi. *Conc. Trid. d. Sess 24. Cap. 17. de. Ref. & c. 28 de Prebend. tum Extravag. joan. 22 unic. de Concess. Præbend.*

9 Hæc sufficientia ad sustentationem quomodo sumitur?

℞ Non strictô modô, sed consideratâ qualitate personæ, Provinciæ, dignitatis & scientiæ. *Zerol. in prax. Episcop. p. 1. h. t. §. 7 & 8. d. c. 28. de Præben. gloss. in c. 17. de Rescript.* quam sufficientiam Episcopus vel Papa, qui confert beneficium debet judicare.

10 Quæ ætas requiritur ad beneficium simplex obtinendum?

℞ Sufficit attigisse annum ætatis 14. nisi in fundatione cui per Concilium non derogatur sit ætas major, vel minor præscripta. *Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 16. de Ref.*

11 Quæ ætas requiritur ad obtinendas dignitates & beneficium Curatum?

℞ Ætas 25. annorum inchoatorum & ordo. *Conc. Trid. Sess 24. Cap. 12. de Ref.*

12 Quæ ad Canonicatum in Eccl. Cathedr. vel Collegiata?

℞ In Cathedrali illa ætas, quæ requiritur ad obtinendum ordinem tali Canonicatui annexum, sed in Collegiata Ecclesia sufficit ætas 14. annorum. *d. Sess. 24. Cap. 12. de Ref.*

13 Potestne Episcopus dispensare in ætate ad obtinendum beneficium?

℞ Non potest: hoc enim soli Papæ competit. *c. 14. de Temp. Ordin. Thesau. for. Eccl. p. 2. Cap. 3. 15. Vivian. in Prax. Jurispatr. Lib. 6. Cap. 4. n. 38.*

14 Potestne Episcopus Dignitates & Canonicatus habentes annexum ordinem conferre ijs, qui non sunt eo Ordine initiati?

℞ Potest, modò intra annum eo Ordine initientur. *DD. in Conc. Trid. Sess. 22. Cap. 4. & Sess. 24. Cap. 12. de Ref.*

15 Quæ Scientia reqviritur ad beneficium Simplex, vel Capellaniam obtinendam?

℞ Sufficit, ut talis Clericus sciat legere & rudimenta Grammatices *gloss. in Cement. 1. de Concess. præben. Navar, in c. 13. de. Except. n. 3.*

16 Clerici pauperes, labore manuum victum quærentes, quam Scientiam ad beneficium simplex habere debent?

℞ Sufficit illos scire legere & plùs laicis versatos esse circa Sacramenta. *Innoc. in c. 1. de Sum. Trinit & fid Cath. n. 4.*

17 Clerici in sufficientis vacatne beneficium ipso jure?

℞ Dictum Supra immediato Capite.

18 Quibus modis contingit vacare beneficia?

℞ Pluribus: per mortem naturalem beneficiati. per renuntiationem simplicem, vel ex causa permutationis cum consensu Patroni. per privationem, vel depositionem. per electionis cassationem. per translationem. per secundi in compatibilis pacificam adeptionem. per non promotionem curati ad presbyteratum intra annum. per contractum Matrimonium. per emissionem Professionis in Religione. per abscessum à beneficio. per Crimen hæreseos, Simoniæ, læsæ Majestatis sententia declaratoria præcedente & per alios modos, quos vide apud. *Staphilæum de Literis gratiæ. t. de Varijs modis vacationis & Rebuff. in Prax. benef. t. requisita ad collationem bonam à n. 29. & Tract. de Regia ad Prælaturas nominatione. §. Monasterijs v. Vacantibus ubi 31. modi enumerantur.*

19 Clericus habens beneficium Curatum, vel simplex, & habens animum habitum deponendi & beneficium relinquendi, qua pæna punitur?

℞ Si deponat habitum & relinquat beneficium in effectu, tunc tenebitur ad restitutionem fructuum à tempore, à quo habuit animum & voluntatem habitum deponendi & beneficium relinquendi. *c. 35 de Elect. in 6.*

20 Quam pænam incurrit, qui se introducit inbeneficium viventis?

℞ Excommunicationis, fitq; inhabilis, etiam eô mortuô, ad illud consequendum nisi cum dispensatione summ. Pontificis. *c. 1. & ibi Abb. de. Concess. Prabend.*

21 Quam pænam incurrit permutans propria autoritate beneficium?

℞ Amittit illud ex sententia Judicis. *c. 7. de Ref. per. mut.* Permutatio enim est vicina emptioni. *l. 1. & fin SS. de Rer. permut.* Spiritualia autem nec emi, nec vendi possunt. *can. 11. 1. q. & c. 15. de simon.*

22 Quam pænam incurrit ad resignationem beneficij aliquem compellens vel ad Romanam Curiam accedentem impediens?

℞ Si sit Episcopus per triennium à perceptione fructuum suspenditur, si inferior, proprium amitit beneficium, si laicus excommunicatur. *Clement. 2 de Pænit.*

23 Quomodo quis potest privari beneficio?

℞ Per sententiam Judicij, præmissâ trinâ canonica

nicâ monitione, *Conc. Trid. Seß.* 25. *Cap.* 14. *de Resp.* quamvis *Lopez. Pract. Crimin. Canon. Cap.* 83. *v. Monent omnes.* dicat monitionem synodalem, habere vim trinæ monitionis.

24 Quam ob causam imponitur pœna privationis?

℞ Solùm ob causam in jure expressam. *Lopez. loc. cit. Cap.* 134 *n.* 2. *ubi alios citat.* & *Piasec. Prax. Episcop. p.* 2. *Cap.* 4. *a.* 14. *n.* 15. Pœna enim privationis est gravissima & gravior propter durationem pœnâ excommunicationis. *Piasec. loc. cit*

## CAPUT LII.
## De Capellanijs.

1 Capellæ unde dictæ?

℞ Inde, quod capiant populum, seu ut alij volunt â dictione gallica *Chapelle*, quæ tegumen significat, quod veluti tentorium factum secum vehere soliti Francorum Reges, dum erant in expeditione.

2 Distinguiturne Capella à Capellanijs?

℞ Distinguitur: quia Capella est corpus, & Ecclesia per se, Capellania verò dicitur Altare in aliqua Ecclesia existens *Ita Practici Romani & Rebuff. in Prax. benefc. tit. sæculare benefic. quotuplex. n.* 24.

3 Capellaniæ veniunt ne beneficiorum apellatione?

℞ Veniunt. *gloß. in clement.* 2. *v. si beneficiorum. de Decimis*, Vnde ad Capellaniæ titulum perpetuum authoritate Apostolica vel ordinaria erectum poterit quis ordinari. *Garc. de benef. p.* 1. *Cap.* 2. *n.* 83. & 95.

4 Capellania habens onus adjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum, poterit ne simul obtineri cum Canonicatu, vel beneficio Curato?

℞ Negativè, & tales Capellani tenentur ad residentiam, ad quam etiam per Episcopum cogi possunt. *Declarat. Conc. Trid. Seß.* 23. *Cap.* 1. *de Ref.* §. *Et alijs.*

5 Capellanus Presbyter potestne per substitutum Missas dicere?

℞ Potest, si ipse sit impeditus, nisi in fundatione sit expressum, ut per se ipsum & non per alium celebret. *Zerol. in Prax. Episcop. p.* 1. *v. beneficium pag.* 70 & 71. tamen stante etiam tali expressione, Capellanus impeditus per substitutum Missas dicere potest. *Ita censuit S. Congr. Conc. Triden. Seß* 24. *Cap.* 12. *de Ref. in Remiß. v. Sacra Card. Congr.* & *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloß.* 5. *n.* 84.

## CAPUT LIII.
## De Collationibus.

1 Quid est Collatio?

℞ Est concessio beneficij vacantis facta ab habente potestatem *Valen. Lib.* 3 *t,* 7. §. 1. *n.* 4.

2 Collatio in quo differt ab Electione, Præsentatione & Postulatione;

℞ In eo; quia per Collationem acceptatam etiam ante adeptionem possessionis acquiritur jus in re. *c.* 17. *de Preben. in* 6. sicut & per institutionem: per electionem verò & præsentationem, solùm jus ad rem, at per postulationem nullum jus acquiritur postulato, sicut nec per præsentationem ante acceptationem. *Valen. loc. cit. n.* 5.

3 Quæ sunt necessaria in Collatione?

℞ Ex parte conferentis, ut conferat purè, liberè & Spontè sine diminutione vel conditione. *c. un. Ut benefic. sine dimin. confer.* &c. 2. *de Elect. in* 6. Ex parte accipientis, ut sit idoneus, moribus, literis & ætate. *Conc. Trid. Seß.* 22. *Cap.* 4. *de Ref.* Et ex parte rei, ut beneficium vacet & ut Collator legitimè conferat, ad quem collatio spectet. *c.* 2. *de Conceß. Preben.*

4 Quotuplex est Collatio?

℞ 2plex: *Voluntaria, seu libera.* quæ liberè & sine dependentia alicujus fit. *Gar. de. Benef. p.* 1. *Cap. fin. à n.* 32. Et *necessaria, seu non libera*, quæ non liberè. sed cum dependentia & mandato fit alicujus & est debita certæ personæ, seu certo generi personarum. *Idem Garc. loc. cit. p.* 5. *Cap.* 7. *n.* 73.

5 Ad quem spectat Collatio beneficiorum?

℞ Ad eum, quem aut Consvetudo approbavit aut juris authoritas designavit *c.* 8. *de Consvet. c.* 31. *de Elect. t.* 13. & *ibi Abb. de Foro compet.* Et *primò* quidem ad Sum. Pontificem, qui in beneficijs conferendis amplissimam habet potestatem. *c.* 2. *de Praben in* 6. *c.* 5. *de Rescript. in* 6. & *Clemen.* 1. *ut lite. penden.* 2*dò* ad Legatum à Latere in Provinciâ sibi decreta. *c.* 1. & 2. *de Off. Legat. in* 6. 3*tio* ad Episcopum, qui omnium beneficiorum in sua Diæcesi est ordinarius Collator, modò ad alium specialiter non spectet collatiò. *Can.* 10. & *seqq.* 16. 4. 7. *Piasec. Prax. Episcop. P.* 2. *Cap.* 5. *à* 2. *n.* 10. 4*tò* ad Episcopum cum Capitulo, qui habet unam vocem tunc, & alteram Capitulum nisi aliter in fundatione cautum sit. *c.* 14. & *ibi gloß. de Rescript.* 5*tò.* ad Capitulum absq; Episcopo. *Garg. p.* 5. *Cap.* 6. *n.* 13. 6*tò* ad bonæ fidei possessorem. *Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancell gloß.* 45. §. 2. *n.* 11. & *seqq.* 7*mò* ad Abbates Priores & quosvis alios etiam Laicos & Mulieres ad id jus vel Consuetudinem pro se habentes. *Glemen. un. de suppl. neglig. Prælat. Boer. decis.* 32. *n.* 10. & *Cassad. decis.* 1. *de Iurepatr.*

6 quorum beneficiorum Collatio pertinet ad Sum. Pontificem?

℞ Omnium, quæ sunt Sedi Apostolicæ vel reservata, vel affecta; vel ob negligentiam inferioris Collatoris ad Sum. Pontificem devoluta. *Quarant. in Reg.* 8. *Cancell. fol.* 421.

7 Est ne differentia inter reservationem & affectionem?

℞ Est: quia reservatio respicit actum verbalem & expressum; ut si Papa per constitutionem, solò verbò dicat, *Reservamus.* Affectio verò respicit actum realem & factum, ex quo tacita reservatio oritur: ut cum Papa apponit manum super dispositione alicujus beneficij, ad quod omnes inferiores amplius se intromittere non valent. *si monet. Tract. de Reserv. benef. q.* 64 *Æn. de Falcon. Reserv. Pralud.* 3. *per tot.*

8 Quæ beneficia pertinent ad collationem Episcopi?

R Licet Archiepiscopi & Episcopi ab initio nascentis

scentis Ecclesiæ à Papa conferendi beneficia potestatem acceperunt. *gloss. in c.* 18. *v. Devolvetur. circa medium. de Elect. in* 6. habentq; de jure communi in suis Diæcesibus fundatam intentionem in jure conferendi beneficia. *can.* 4. 10. *q.* 1. & *Gonzal. ad Reg* 8. *Cancell.* §. 1. *proœm. n.* 21. tamen ad reservata per Regulas Cancellariæ, vel sedi Apostolicæ affecta, aut devoluta, non possunt se intromittere. *c. unic. Ne sede vacant. aliq. innovet. in* 6.

9 Dignitas in Cathedralibus Ecclesiis primaria, ad cujus collationem spectat?

℞ Ad collationem Sum. Pontificis *Garc. de Benef. p.* 5. *Cap.* 1. *n.* 256. & *seqq.* nisi specialiter competat alteri, ut in Nostro Regno Poloniæ serenissimis Regibus ex Indulto *Sixti.IV.*1482. competit Jus Patronatus ad majores post Pontificales Dignitates in singulis Cathedralibus Ecclesijs Gnesnensi, Cracoviensi, Posnaniensi, & ad Præposituras Eccl. Colleg. Lancicien tum. Michaelis in Arce Crac. *de Anno.* 1433. ac ex Indulto. *Innocentij VIII.* 1493. ad Scholasteriam Lancicien &c. &c.

10 Si Episcopus & Capitulum habeant simultaneam Collationem & discordent, ad quem devolvitur collatio?

℞ Ad Sum. Pontificem, qui liberè poterit providere nominatum ab Episcopo, vel nominatum à Capitulo, vel tertiam personam, ut sibi placuerit; ratio est, quia Summus Pontifex non habet manus ligatas.

11 Quando Capitulum habet collationem simultaneam cum Episcopo Sede vacante, poteritne facere collationem canonicatus, vel præbendarum pertinentium ad suam collationem?

℞ Episcopo mortuo, vel suspenso, Capitulum, quod habet simultaneam, poterit facere collationem beneficiorum vacantium sine Episcopo, & è contra; si omnes Canonici sint excommunicati, Episcopus solus poterit facere collationem sine Capitulo; ratio est; quia quando sunt duo collatores æquales vno mortuo, vel longa absentia impedito, alius supplet eius vices, ne beneficia diu vacent, & sint sine possessore, ut habetur in. *c.* 1. *ne sede vacante aliquid innovetur in* 6.

12 Quomodo acquiritur Ius simultaneæ à Capitulo contra Episcopum, ut necessario simul debeant eligere Canonicos?

℞ Per privilegium Apostolicum, & bullam sibi concessam, & etiam per immemorabilem consvetudinem, quia Ius eligendi præscribitur, & Canonici sunt capaces præscribendi contra Episcopum, ut habetur in *c. cum Ecclesia, de elect*

13 Capitulum, quod habet collationem simultaneam, in quibus mensibus potest vti illa?

℞ Solùm in quatuor mensibus anni collatoribus ordinarijs reservatis, nempe in mense Martij, Septembris, Decembris, & in hac Ecclesia Episcopus non gaudet alternativa in collatione illorum, beneficiorum, vel canonicatuum, in quibus talis Ecclesia habet simultaneam, sed gaudet dicta alternativa in omnibus alijs beneficijs in quibus ipse solus est collator, ut tenent. *DD. in d. c.* 1.

14 Quæ est collatio, quę pertinet ad Episcopum cum consensu, vel assensu Capituli?

℞ Quando in provisione alicujus Canonicatus, vel dignitatis de consvetudine, vel privilegio Episcopus ingreditur capitulum, & dicit talem præbendam vacasse, & quod ipse eam confert in personam Petri quæ sibi videtur idonea, & tunc Capitulum consentit, ut habetur in. *c.* 1. *ne sede vacante aliquid. innovetur in* 6.

15 Quando Capitulum habet Ius consentiendi, poteritne sede vacante, vel excommunicato providere Canonicatum, vel præbendam vacantem in quatuor mensibus ordinarijs?

℞ Non, sed devoluitur ius collationis ad Sum. Pont. Episcopo mortuo; ratio est, quia Ius consentiendi, vel consiliandi non est Ius conferendi sed quid distinctum, ut habetur in. *c.* 1. *ne sede, vacante aliquid innovetur in* 6.

16 In collatione, quam habet Episcopus de consensu, vel assensu Capituli. poterit Capitulum contradicere, vel nominare aliam personam distinctam, quam nominat Episcopus?

℞ Non poterit Capitulum nominare aliam personam quia tunc haberet simultaneam cum Episcopo, sed bene poterit proponere Episcopo illam personam non esse idoneam, vel opponere aliquos defectus; & hoc audito, Episcopus poterit nominare aliam personam. vel illam, & quam prius proposuit, quia Episcopus solum tenetur petere consilium, vel assensum, sed non tenetur necessariò eum sequi DD. in *c.* 1. *ne sede vacante aliquid innovetur.*

17 In collatione, quam Episcopus habet de consensu Capituli, si Capitulum appellet à provisione facta ab Episcopo, hæc appellatio, quem effectum habet?

℞ Solum effectum devolutivum, sed non suspensivum, & possessio debet dari proviso ab Episcopo, imò hęc appellatio erit quasi frivola, nisi Capitulum opponat defectum, qui reddat inhabilem, & incapacem talem provisum, sicut si opponat, quòd non est baptizatus, vel hæreticus, vel excommunicatus.

18 Quomodo cognoscitur, quòd Ecclesia Cathedralis non habet Ius simultaneę, sed solum Ius consentiendi?

℞ Videndo omnes provisiones prǽteritas, & si fuerit aliqua provisio facta in mense, in quo Episcopus gaudeat alternativa, tunc certè cognoscitur Capitulum non habere simultaneam, neq; jus providendi, sed solum jus consentiendi propter honorem. Secundo, si non invenitur aliqua provisio, in qua Capitulum discordavit cum Episcopo, & nominavit aliā distinctam personam; ex his clarè collegitur Capitulum non habere jus simultaneæ. Tertio, si Capitulum nunquam in tempore sedis vacantis fecit collationem alicujus præbendæ, imò si præbenda vacavit, Episcopo mortuo, & Papa providit, certissimum est Capitulum nō. habere simultaneā.

19 Quæ est collatio, quæ pertinet ad Abbatem cum consilio, vel consensu Episcopi?

℞ Quando aliquis instituit aliquod beneficium, vel capellaniam & jubet ut eam provideat

 persona

persona particularis, cum consensu tamen Episcopi, tunc Episcopo mortuo, vel longe absente, talis persona poterit facere collationem, absq; illo consilio, ne beneficium dicatur vacare, ut habetur in *c. 1. ne sede uacante aliquid innovetur in 6.*

20 Quæ est collatio, quæ pertinet ad solum capitulum?

℞ Quando capitulum est in consvetudine immemorabili, vel habet privilegium providendi Canonicatus, vel aliqua beneficia, vel capellania sine Episcopo, tunc in his Episcopus solùm habet approbationem scientiæ. *c. cum. Ecclesia, de electione.*

21 Quis dicitur ordinarius collator?

℞ Episcopus & capitulum. Gl. in cap. quamquam *de elect. in 6. & Steph. Quaranta in 8. reg. cancellariæ.*

22 Quibus modis confert Summus Pont beneficia?

℞ Jure suo per devolutionem, per præsentationem, per resignationem, & per affectionem. *Regula Cancellariæ 8. Steph. Quaranta vbi sup.*

23 Quis dicitur inferior collator?

℞ Aliquis Abbas, vel dignitas, quando habet facultatem virtute alicujus fundationis instituendi aliquē in aliqua capellania, vel beneficio de jure patronatus. Clemen. unica, de supplenda neglig. Prælator. *Trident. synod. session. 24. capit 18. Bull. Pij V. in numero 32.*

24 Si collatio ad Prælatum regulare, vel inferiorem collatorem spectet, & constituto tempore non conferat, ad quem deuoluitur?

℞ Si Prælatus sit exemptus, ad Sedem Apostolicam: si non sit exemptus, ad Ordinarium. *Clem. vnica, de supplenda neglig. prælator.*

25 Quæ collatio est magis priuilegiata, collatio ordinaria, vel a collectore inferiori?

℞ Collatio ordinaria, quia tribuit titulum coloratū ex iuris dispositione. sed qui habet collationē ab inferiori collatore, tenetur probare privilegium, in cujus virtute facta fuit collatio, *Paris. cons. 95. num. 8. vol. 4. Abb. in c. porro, de privileg. Auth. de mandato Princip. §. deinde.*

26 Intra quod tempus debet Episcopus conferre beneficium?

℞ Intra sex menses à die notitiæ, & non vacationis computandos *c. licet, de supplend. neglig. Prælator. c. nulla, de concessione prabendæ Bulla Pij V. de collationibus.*

27 Si Episcopus fuit impeditus, vel excommunicatus currit ne tempus?

℞ Non, sed numeratur totum tempus quo habuit impedimentum. *c. quia diversitatem. de concessione prebenbæ.*

28 Potest Episcopus conferre beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis' quæ præcipitur in *Bulla Greg. XIII. de resignationibus publicandis.*

℞ Non, sed Papa, ut apparet in Bulla de resignationibus faciendis.

29 Beneficia secularia cujuscunq; generis sint, possuntnè conferri fratribus regularibus?

℞ Non, sine dispensatione Apostolica. *Trid. synod. sess. 14. cap. 11. de reform.*

30 Collatio capellaniæ potest en conferri simplici clerico?

℞ Potest, & non tenetur sumere ordinem sacrum nisi in fundatione cautum sit, & poterit onera Missarum per alium absolvere. *DD. super c. 5. sess. 25.*

31 Collatio beneficij facta in eo, qui non habet legitimam ætatem, vel in eo, qui non habet ordinem, est ne valida?

℞ Non, *Navarr. cons. 1. de ætate, & qualitate. nu. 1.*

32 Si Episcopus conferat beneficiū alicui absq; mentione primi beneficij, talis collatio erit ne nulla?

℞ Non, quia presupponitur Episcopum habuisse notitiam per librum visitationis, & ubi non est ignoratia, non est defectus, *Cum. si. de Offic. ordinarij.*

33 Episcopus potest conferre beneficia per ascensionem ad Episcopatum?

℞ Non, quia Papæ sunt reservata. *in Reg. 8. Cancellariæ, Quaranta ubi sup.*

34 Potest Episcopus conferre beneficia vacantia per privationem?

℞ Potest, sed non consangvineo, nec familiari suo, nec resignatis, ut non detur occasio, ut facilius, & citiùs sententia privationis detur, *Bulla Pij V. 58. in §. qui vero.*

35 Potestne Episcopus conferre beneficium eidem privato?

℞ Potest, nisi privatus fuerit de obtinendo in posterum aliquod beneficium, quia tunc sententia annullatur.

36 Si Episcopus cōferat irregulari beneficium in casibus occultis, in quibus ipse potest dispensare, videtur ne ex hoc dispensasse?

℞ Non, quia in irregularitate requiritur expressa dispensatio, & habilitas ante collationem?

37 Potestne Episcopus conferre beneficia absenti?

℞ Potest, & debet providere ut intra certum tempus acceptet, & ante possessionem literæ expediedæ sunt, & talis electus absens potest accipere possessionem per procuratorem *c. accedens tit. de prabendis.*

38 Potest Episcopus ante absentis acceptationem revocare collationem, & alteri conferre?

℞ Non, quia provisus acquisivit ius per provisionem in eius favorem *factum. capit. si tibi absenti. de præbend. in 6.*

39 Sidefacto Episcopus conferat ante acceptationē, & primus acceptet, secunda collatio erit ne valida?

℞ Non, etiam si fuerit sub conditione, si primus non acceptaverit, vel refutaverit. *c. 2. de elect. in 6. & c. 2. de concessione præbendæ.*

40 Episcopus conferens beneficium, potestne imponere onus fabricandi Ecclesiam dirutam?

℞ Minimè, quia collatio debet esse pura, & non conditionalis.

41 Potestne Episcopus cōferre beneficia illegitimis?

℞ Vnum tantum. *cap. 1. de filijs Presbyt. in 6. iuncta gloss.*

42 Intra quod tempus debet Episcopus conferre beneficia coram eo resignata?

℞ Intra

℞ Intra mensem ex *Bulla Greg. XIII. de resignationibus, & publicationibus.*

43 Intra quot menses tenetur Episcopus providere beneficia curata in suis mensibus vacantia?

℞ Intra sex menses, & ipsis elapsis, devolvitur ad Sedem Apostolicam. *Bulla. Pij V. c. 32. in num*

44 Beneficia vacantia in mensibus Apostolicis, intra quod tempus tenetur Episcopus providere?

℞ Intra quatuor menses, alias illis transactis absq; ordinariorum concursu collatio in curia fiet *Bull. Pij V. 32. in num.*

45 Potestne Episcopus conferre beneficia vacantia in Curia Romana suæ diœcesi, si vacent suo in mense

℞ Non, sed Papa, *c. licet, de præbend. in 6*

46 Potestne Episcopus conferre beneficia filijs hæreticorum?

℞ Non, neq; nepotibus. *c. ad abolendam, de hæret. Pegna. 3. P. directorij. Inquisitor. consil. 162. vers. ad hoc collatio.*

47 Si hæresis fuerit occulta, valebit ne collatio?

℞ Affirmativè, quia illa pœna solum imponitur hæretico, cui hæresis deducta fuit in forum exteriorem.

48 Collatio beneficij facta excomunicato licèt ignoret illum esse excōmunicatum, valet ne?

℞ Non: quia excommunicatus est membrum putridum, & sic est incapax beneficij. *Navar. c. 27. n. 272.*

49 Collatio beneficij facta perjuro tenetne?

℞ Non, & erit annullanda per sententiam. *Abb, in c. querelam, de iureiurando.*

50 Beneficia possuntne conferri constituto in minobus ordinibus ante decimum quartum annum?

℞ Non absque dispensatione. *Trid. sin. sess. 23. Cap. 6. de reform.*

51 Beneficium ingredientis religionem, quando potest conferri?

℞ Secuta professione, vel ante, si accedat consensus ingredientis. *c. beneficium, de reg. juris. in 6.*

52 Vicarius potest ne conferre beneficia spectantia ad collationem Episcopi?

℞ Potest si habeat speciale mādatū aliàs nō poterit.

53 Quando collatio spectat ad Episcopum, & Capitulum communiter, alter sine altero poterit ne conferre talem collationem?

℞ Non poterit, & collatio ab uno facta sine alio nulla erit, & devolvitur ad Summum *Pont. DD. super c. 18. Sess. 24.*

54 Quando collatio spectat ad Capitulum, & intra spatium sex mensium non conferat, ad quem devolvitur collatio?

℞ Ad Episcopum, & eo negligente, ad Metropolitanum. *Bulla. Pij V. 32. in num.* & si conferatur à Capitulo post sex menses non valebit, nisi sit de consensu Episcopi. *c. literas de concessione præbendæ c. licet c. fin. de supplenda neglig. prælat.*

55 In cōferendis beneficijs curatis, quis ordo est servandus?

℞ Positus *à Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. & Bulla Pij V. super collatione beneficiorum parochialium data Calendis Aprilis 1568. ut dixi lib. 4. c 43.*

56 Quibus persōis debent cōferri beneficia curata?

℞ Personis dignis, qui per se ipso curam animarum exercere valeant, alias provisio erit nulla. *Conc. Trid Sess. 7. c. 3. de reform,*

57 Dignitates curam animarum habentes quibus debent conferri?

℞ Attingentibus vigesimum quintum annum cum doctrina ad suum munus exequendum necessaria. *Conc. Trid. sess. 24. c. 12.*

58 Si Episcopus conferat beneficium indignis, qua pœna punitur?

℞ Si per Cōcilium Provinciale monitus talis Episcopus non resipuerit, & se emendaverit, suspenditur à collatione beneficiorum, donec per Summum Pont. restituatur. *c. grave de præbend. & dignit.*

59 Si Episcopus contulit alicui beneficium, quod non poterat dare, quia non erat suæ provisionis, sed Summi Pont ad quid tenetur?

℞ Ad dandum eidem personæ primum beneficium suæ provisionis, quod vacaverit; ratio est, ne videatur fraudulenter fecisse primam provisionem, & etiam, quia iam semel approbavit talem personam, non debet illam relinquere destitutam à congrua sustentatione. *cap. inter cætera, de præbend. & dignitatibus.*

60 Si duo concurrant coram Episcopo in aliquo beneficio, vel dignitate, & unus sit ordinatus ab ipso Episcopo, & alius fuit ordinatus ab alio Episcopo, cui debet Episcopus conferre tale beneficium?

℞ Si in cæteris qualitatibus isti duo sint æquales, vel quasi æquales, Episcopus debet conferre beneficiū ordinato à se; ratio est, quia illum habet tanquam filium, & tenetur eum quodam modo alere; quia intercedit quoddam vinculum reverentiæ, & amoris inter Episcopum, & sicut inter patrem, & filium.

61 Beneficium non vacans potestne conferri certæ personæ?

℞ Non, sed benè poterit collegio perpetuo uniri. *Abb. in capit. cum venisset. numero 10. de restitut. spoliator.*

## CAPUT LIV.
## De Alternativa.

1 In quibus mensibus potest Episcopus conferre beneficia?

℞ Regulariter in quatuor mensibus, videlicet, Martij, Iunij, Septembris, & Decembris. *Quaranta reg. Cancellariæ. 8. Clem. 8.*

2 Episcopus, qui gaudet alternativa, in quibus mēsibus potest conferre beneficia?

℞ In sex mensibus, videlicet, Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris, Decembris. *d. Reg. 8. Cancellar. §. insuper.*

3 Quid debet agere Episcopus, ut gaudeat alternativa?

℞ Duo, Primò residere verè, & realiter in sua Ecclesia, & Diœcesi. Secundò acceptare alternativam, & facere instrumentum acceptionis sigillo proprio munitum, sua manu subscriptum, datum in aliquo loco suæ Diœcesis, & transmittere ad datarium Papæ, & postquam fuerit in dataria recogni-

recognitum, & registratum, gaudebit privilegiô alternativæ, & non ante, & hoc expressè disponitur in eadem *Reg.* 8. *Cancellariæ*.

4 Si Episcopus absit ex causa necessaria á sua Ecclesia, vel ex mandato Sedis Apostolicæ, poteritne gaudere privilegio alternativæ, quam in Curia acceptavit?

℞ Non, quia conditio residendi est taxativa, quæ excludit, & negat omne aliud tempus, & aliam causam. *Barthol. in leg. 1. num. 1. ff. si quis ius dicenti non obtemperavit, Ruyn. cons. 133. nu. 6. vol. 1.*

5 Si Episcopus absens à sua Diæcesi brevi tempore, & relinquat familiam in suo palatio veluti per viginti dies, vel triginta, & tempore absentiæ vacaverint beneficia in mensibus alternativæ, poteritne illa providere?

℞ Benè poterit, quia in Civitate dicitur manere, licèt ibi non sit præsens, quia habet familiam in civitate. *Barthol. in l. 1. num. 7. ff. de liberis agnoscendis. Felyn. in cap. quoniam frequenter num. 10. ut lite non contestata. Trident. synod. Sess. 23. cap. 1. de Reformat.*

## CAPUT LV.
### De permutationibus.

1 Quid est permutatio de Jure Civili?

℞ Est certa rei ad alteram mutua præstatio. *l. 1. ff. de rerum permutat.*

2 Quid est permutatio de iure Canonico?

℞ Unum pro altero beneficio accipere. *Mandosius de signatu. gratiæ. Tit. de permut. beneficior.*

3 Quid requiritur in permutatione?

℞ Beneficium ab utraq; parte, & causa cognita, & probata ab eo, qui debet admittere permutationem.

4 Quotuplex est permutatio?

℞ Duplex, alia simplex, quando unum beneficium pro altero simpliciter permutatur, alia non simplex, quando in permutatione reservatur aliqua pensio, vel fit cum pacto, ut unus solvat alteri expensas bullarum, quæ conditiones exprimi debent in permutatione beneficiorum.

5 Episcopus poteritne accipere resignationes factas in manibus suis causa permutationis?

℞ Poterit, si permutationes sint simplices. *Clem. unica, de permutatione. lib. 6.*

6 Quibus poterit Episcopus conferre talia beneficia causâ permutationis resignatâ?

℞ Ipsis permutatis, & non alijs. *Clement. unica de permutatione. lib. 6. Bulla Pij V. de resignatione. Abb. in capit. inter cætera, de Præbendis, & Dignitatibus.*

7 Beneficiũ Jurispatronatus potestne permutari sine licentia patroni, ab Episcopo conferri?

℞ Generaliter loquendo non; *Paris. lib. 2. quæst. 4. num. 10. de resignat. beneficiorum.*

8 In quibus casibus poterit Episcopus sine consensu Patroni conferre beneficium Jurispatronatus?

℞ Primo, quando Patronus vocatus est peremptoriè cum expressione causæ, & non comparet. Secundò, quando permutatio fit cum clausula, si Patrono placuerit; tunc enim permutans effugiet pœnas Tertiò, si fiat magna utilitas Ecclesiæ, puta si sint Hæretici, & si sit magnus Theologus, qui accipit beneficium, vel exemplaris vitæ, & magnæ sanctitatis. Quartò, si Rom. Pontifex in expeditione, & Bulla derogat Juripatronatus, speciatim. *Paris. in tit. 9. cit. de benef. resign. & alii.*

9 Permutatio potestne impediri ab his, qui expectant beneficia, vel præbendas primò vacaturas authoritate Apostolica?

℞ Non *c. 2. de renuntiatione in 6. ratio est, quia cum damno obtinentium Summus Pontif. non facit gratiam præbendæ primo vacaturæ.*

10 Si permutatio non habeat effectum, & ambo volunt redire ad sua beneficia, indigetne novâ collatione?

℞ De consvetudine non. *Rebuffus, de permutatione num. 12. Joannes Andreas in capit. unico, de rerum permutat.*

## CAPUT LVI.
### De renuntiationibus.

1 Quid est renuntiatio?

℞ Est Juris proprij, spontanea abdicatio seu cessio, *c. Dilecto in fine de Præbendis.*

2 Quotuplex est renuntiatio?

℞ Duplex. expressa, quando fit in scriptis, verbis expressis; tacita, quando fit sine verbis, ut per ingressum, vel adeptionem beneficij incompatibilis.

3 Quæ differentia est inter renuntiationem, & resignationem?

℞ Magna; nam resignatio aliquando est in favorem certæ personæ nominatæ à resignante; renuntiatio verò non est in favorem alicuius personæ, ut superior liberè provideat, quem voluerit. Iterum resignatio semper est de re, vel beneficio iam possesso; renuntiatio verò aliquando est de Iure possidendi. *Goffred. verb. renuntio.*

4 Papa potestne renuntiare Papatui?

℞ Potest, & illum non poterit iterum reassumere. sed non poterit resignare in favorem alicuius personæ, cum ipse sibi non possit eligere successorem. *Felyn. c. 1. de constit. col. 42. c. Apostolica 8. q. 1.*

5 Episcopus potestne absque licentia renuntiare suæ Ecclesiæ, vel eam cedere?

℞ Non imò illi dari non potest, nisi causa senectutis. *Cap. 1. eod.*

6 Beneficiatus potestne renuntiare beneficio sine licentia superioris?

℞ Non. *c. admonet. eod. tit.*

7 Renuntiatio beneficij in manibus laici valetne?

℞ Non, & renuntians privatur beneficio. *c. quod in nobis, de renunt.*

8 Qui habet renuntiandi licentiam, & respuit, potestne compelli?

℞ Potest. *c. quidam, eod. tit.*

9 Qui renuntiat beneficio, & iurat renuntiationẽ, poteritne iterum admitti de cõsensu maioris partis Capituli?

℞ Poterit, cum iuramentum non extendatur ultra id, quod profertur. *cap. cum, de renunt. sed ipse illud repetere non potest sine consensu Capituli. c. ex transmissa. eod tit.*

10 Quæ est causa, propter quam Papa potest concedere, ut Episcopus cedat Ecclesiæ?

℞ Si probe

℞ Si probabiliter timeat mortem, aut non habeat, unde sustentetur. *c. ad supplicationem eod. titul.* & sunt etiam aliæ sex causæ, propter quas Papa concedit licentiam, his versibus contentæ.

*Debilis, ignarus, tum conscius, irregularis,*
*Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit*

*c. nisi cumpridem eodem tit.*

11 Ex quibus causis potest Episcopus mutari ex una Ecclesia in alteram?

℞ Non auaritiæ, & majoris lucri, dominationis, vel declarationis, sed solùm ex causa necessitatis, vel utilitatis. *c. mutationes, 7, q. 1.*

12 Si aliquis Episcopus renuntiavit propter crimen, poteritne reassumere?

℞ Non, secus autem si propter infirmitatem, vel defectum scientiæ, quæ tempore tolli poterat. *c. post translationem, eod. tit.*

13 Potestne quis privari beneficio suo propter infirmitatem?

℞ Non. *c. Pontifices 7. q. 1.* sed potest illi dari Coadjutor. *q. 7. q. 1. petisti.*

14 Qui sponte renuntiavit electioni de se factæ, poteritne iterum eligi?

℞ Non. *c. in præsentia eod. tit. de renuntiatione.*

15 Si aliquis renuntiavit literis beneficialibus, & ante renuntiationem facta est institutio, videturne renuntiâsse institutioni?

℞ Non, quia renuntiatio tantum valet, quantum sonat *c. sane eod. tit.*

16 In una, eademque Ecclesia possuntne esse duo Episcopi?

℞ Non. *c. in apibus 7. q. 1.*

17 Illegitimus potestne renuntiare beneficio, ad quod fuit dispensatus ex causa permutationis?

℞ Non, quia gratia dispensationis verificata est in primo actu, & sic necessariò debet exprimere, quod dispensatus fuit ad tale beneficium, & valorem primi, & secundi beneficij, ut congruè sustentetur.

## CAPUT LVII.
## De resignationibus.

1 Quid est accessus?

℞ Accessus est, quando Summus Pont. beneficium puero non habenti ætatem concedit, & iste accessus sublatus est per. *Trident synod. cap. 7. Sess. 25. de refor.*

2 Quid est regressus?

℞ Quando Summus Pont. concedit alicui successionem alicujus beneficij, ut illud possideat post mortem alicujus, & hoc sublatum est per. *Conc. Trid. c. 7. Sess. 25.*

3 Quid est resignatio?

℞ Est Iuris proprij spontanea refutatio.

4 Quotuplex est resignatio?

℞ Duplex, Absoluta, quando quis sine aliqua conditione resignat; Conditionalis est, quando quis resignat servando sibi aliquam pensionem. *c. tua nos, de simonia. Puteus. dec 158. Lib. 3.*

5 Potestne Episcopus admittere resignationes beneficiorum?

℞ Potest, sive sint simplicia, sive curata, dummodo resignatio fiat sine nominatione personæ, nec reservatione personæ. *Bulla Pij V. quæ incipit, quanta Ecclesiæ Dei 58.*

6 Quibus ex causis potest Episcopus admittere resignationes?

℞ Ex causis à jure expressis, nempè quando de jure, vel de facto inservire Ecclesiæ non possunt, puta quia sunt crimine, vel censura irretiti, vel habent duo incompatibilia, vel volunt ingredi religionem, vel contrahere matrimonium, aut habent graves inimicitias, vel senio sunt confecti, vel nimia infirmitate impediti *d. Bulla. Pij V.*

7 Quæ crimina erunt causæ sufficientes ad admittendam resignationem beneficiorum?

℞ Si sit adulter, homicida, simoniacus, concubinarius, exul, irregularis, si scandalosè vivat. *Paris de resignat. beneficior. lib. 5. q. 6. Abb. c. 1. de iudicijs, & Steph. Quaranta in tract. de benefic. resignatione.*

8 Quę debilitas corporis requiritur, ut sit causa sufficiens ad resignationem?

℞ Quælibet debilitas impediens servitium Ecclesiæ, sive proveniat ex senectute, sive ex morbo accidentali. *c. nisi. §. alia, de renunt.*

9 Qui defectus scientiæ requiritur ad resignationem & renuntiationem?

℞ Quando caret scientia mediocri. *c. cum nobis, de elect. c. venerabilis, de prabend.*

10 Quomodo debent intelligi inimicitiæ, malitiæ plebis, ad hoc, ut sint causæ renuntiationis?

℞ Quando inimicitiæ sunt tàm arduæ, & plebs tam duræ ceruicis, & homines tantæ malitiæ, ut apud ipsos amplius proficere Prælatus non possit. *Steph. Quaranta in tit. de benef. resignatione. §. qui etiam.*

11 Quod scandalum est sufficiens ad renuntiationē?

℞ Non intelligitur de omni scandalo, sed de illo quod sedari non potest absq; peccato mortali. *Steph. Quaranta ubi sup*

12 Quando quis renuntiat beneficio, usque ad quem diem percipit fructum?

℞ Ex communi sententia usq; ad extensionem consensus.

13 Si quis locavit ad triennium suum beneficium & postea illud resignet, resignatarius de novo intrans tenebiturne locationi?

℞ Non, nisi sit in utilitatem Ecclesiæ.

14 Si in resignatione committitur simonia, restituiturne beneficium ad resignantem?

℞ Non, sed vacat, ut dixi. *lib. 3. c. de simonia.*

15 Quibus potest conferre Episcopus beneficium sibi resignatum?

℞ Quibuscunq; idoneis personis simpliciter, sed non suis consanguineis, & nec familiaribus sub pęna suspensionis à collatione beneficiorum, neque consangvineis resignantis, neq; familiaribus, cum tales non nominentur in resignatione, quia hoc est prohibitum in dicta. *Bulla. Pij V. quæ incipit, quanta Ecclesiæ commoda, & tenet Quaranta in tit. de benef. resignat. §. cæterum. fol 102.*

16 Si quis committat aliquod delictū, cuius pæna sit privatio beneficiorum, poteritne talis lite pendente de Inquisitione resignare sua beneficia in favorem alicuius?

 ℞ Poterit,

℞ Poterit, etiam post sententiam, appellatione pendente resignare sua beneficia in manibus Episcopi simpliciter, & in manibus Summi Pont. in favorem alicujus personæ; ratio est, quia nemo privatur suo beneficio, & suo iure usq; ad sententiam ultimam definitivam. *Quaranta. de benefic. de resignat. fol.* 104. *Boer. dec* 205. *Lancell. de attentatis. c.* 5. *nu.* 10.

17 Resignans beneficium in manibus ordinarij, poteritne iterum idem beneficium recuperare?

℞ Non, ut tollatur omnis fraus, & dolus. *Paris. tract. de benef. resig.* 46. *nu.* 12. *Quarant. eod. tract.* §. *circa renuntiationem.*

18 Si procurator ad resignandum beneficium revocetur, valetne resignatio?

℞ Si revocatio non fuit notificata procuratori antequam extendat consensum, valebit talis resignatio; Puteus dec. 428. *lib.* 1. *Paris. de resignatione beneficiorum lib.* 9. *quæst.* 27. *num.* 1.

19 Si quis obtineat licentiam à Papa ad resignandum, & postea eum pœnitet, & revocat, poteritne Papa eum compellere?

℞ Affirmativè, quia Papa semper considerat commodum Ecclesiæ, & quod primum fuit voluntarium, postea est necessarium. *c. quidam*, *de renuntiatione.*

20 Si Episcopus sit intra curiam, poteritne admittere resignationem beneficij suæ diœcesis?

℞ Affirmativè, sed debet exire extra mœnia urbis ob reverentiam Papæ ad ea conferenda.

21 Capitulum sede vacante poteritne admittere resignationem?

℞ Poterit, ex causa, quia succedit Episcopo in omni iurisdictione.

22 Capitulum sede vacante poteritne præstare authoritatem permutationi præstitæ?

℞ Potest, illis beneficijs exceptis, quorum collatio, electio, seu præsentatio pertinet ad solum Episcopum, quia in illis Capitulum non succedit, sed necessariò expectandus est Episcopus de novo intrans. *Abb. in Clementina unica. de rerum. permutatione. nu.* 7.

23 Si resignatio, & permutatio completa sit ex una parte, & per alteram stet, quo minus adimpleatur, debetne restitui pars ad suum beneficiū?

℞ Debet; quia durum esset, ut absq; sua culpa perderet suum beneficium. *c. cum universorum, de rerum permutatione. Capitul. proposuit de concessione præbend.*

24 Quotuplex est renuntiatio?

℞ Duplex, expressa, quando fit in scriptis, vel verbis expressis, tacita, per ingressum religionis, per crimē commissum & per adeptionem beneficij incompatibilis. *Doct. in c. cum universorum.*

25 Quid requiritur ad hoc, ut renuntiatio teneat?

℞ Ut fiat scienter, sponte, purè in scriptis, & quòd renuntians possit renuntiare.

26 Poteſtne Episcopus renuntiare Episcopatum?

℞ Poterit ex causis contentis in *c. nisi de renuntiatione*?

27 Illegitimus poteſtne renūtiare beneficium, ad quod fuit dispensatus ex causa permutationis?

℞ Non, quia gratia dispensationis verificata fuit in primo actu.

## CAPUT LVIII.

### De publicationibus faciendis.

1 Intra quod tempus debet fieri resignationis publicatio?

℞ Intra novem menses à die datæ citra montes, ex *Bulla Greg. XIII.* 87. *in num.*

2 Quomodo fit resignationis, vel permutationis publicatio?

℞ Si fiat in manibus ordinarij, debent fieri die festo, vel dominico in Ecclesia, & affigi ad portas Ecclesiæ, & de his Notarius debet facere fidem. *Bulla Gregorij XIII. in num.* 87. *Bullę Pij V. super admittendis resignationib.* 58.

3 Quomodo debet fieri publicatio resignationis, vel permutationis?

℞ Siue facta fuerit in manibus Apostolicis, vel ordinarijs, debet fieri talis publicatio in Cathedrali, & affigi in portis Ecclesiæ ipsius beneficij, & legi Bulla resignationis die festivo, vel dominico, in Missa maiori, & Notarius de ijs debet facere fidem. *Bulla Greg. XIII.* 87. *in Bull. Pij. V. super admittendis resignationibus, quod etiam fieri debet cum eo, qui habet beneficium litigiosum.*

4 Si beneficium sit rurale, & non habeat Ecclesiam, vel sit bellum, vel pestis, quid agendum?

℞ Si sit rurale beneficium, publicatio fiat in Ecclesia parochiali proximiori: si sit bellum, vel pestis, debet sumi testimonium, & fieri publicatio in proximiore Cathedrali, vel Parochiali; ut patet ex supra dicta *bulla* §. *si verò Ecclesia.*

5 Si quis resignet beneficium, & non faciat publicationem intra tempus debitum, quam pœnam incurrit?

℞ Beneficium ipso iure vacat ad provisionem sedis Apostolicæ, & neque resignans, nec ille, in cujus favorem resignatum est, poterunt illud retinere. *d. Bulla.*

6 Coadiutoriæ suntne publicandæ?

℞ Affirmativè; quia ubi eadem ratio, idem Ius esse debet illud. ff. *ad legem Aquiliam. Cravetta Consi.* 183. *num.* 5. licèt aliqui dicant coadiutoria non cadere sub dicta constitutione de publicandis resignationibus, sed securius est eas publicare.

7 Regula de triennali quibus non suffragatur?

℞ Illis, qui non faciunt dictam publicationem resignationis; ratio est, quia in duobus casibus non suffragatur in his, qui per simoniam obtinuerunt beneficia Secundo, non suffragatur his, qui obtinent sine titulo beneficia reservata sedi Apostolicæ; & quia, qui non facit publicationem ex dicta bulla, perdidit titulum, ideo illi suffragatur regula de triennali. tenet dicta *Bulla Gregorij XIII.* §. *quod si quid quam. Paris. consil.* 178. & 185. *lib.* 4. *Put. dist.* 150 *lib.* 2.

## CAPUT LIX.

### De vnionibus.

1 Qvid est vnio?

℞ Aggregatio unius beneficij ad alterum facta ob utilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ. *Vgolinus de officio, & potestat. Episcopi. fol.* 138.

3 Quotuplex est vnio ?

℞ Duplex, alia tacita alia expressa; tacita est quando quis resignat beneficium in favorem Capituli, vel monasterij sine aliqua expressione. Expressa est, quando resignat cum clausula, quòd tale beneficium amplius non vacet. *Bulla Pauli II. in Ord. 8. Parisius de resign. benefic. lib. 4. q. 10.*

4 Quis potest unire, & ob quas causas, & in cujus favorem ?

℞ Sum. Pontifex pro suâ voluntate absq; expressione causæ, & Episcopus ob necessitatem, paupertatem, vel utilitatem alicujus Ecclesiæ, ut Parochus commodè sustentetur, vel in favorem Seminarij. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. de Ref. Abb. c. cum nostris de concessione Præb. num. 15.*

5 Ecclesia non vacans, potestne uniri cum aliâ ab Episcopo; Rectore non vocato ?

℞ Potest, sed debet unio à Sede Apostolica confirmari. *Abb. in c. consultationibus. n. 3. de donationibus.*

6 Quid debet Episc. attendere, quando facit unionem?

℞ Debet providere, ut onera beneficiorum suppressorum sustententur, & non pereant, & exprimere causam unionis, & eam à Summo Pont. confirmari. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. Sess. 23. c. 18. de Ref.*

7 Beneficium non vacans potestne conferri certæ personæ ?

℞ Non, sed poterit uniri Collegio, vel Seminario. *Abb. c. cum venisset de restit. spoliat. n. 10.*

8 Facultas uniendi duas Parochiales data Episcopo à Conc. Trid. Sess. 21. c. 5. intelligiturne de parochialibus, quæ actu habnet Parochos, vel de parochialibus, quæ in potentia possunt illos habere ?

℞ Solum de parochialibus habentibus actu parochos, quia in illo textu providetur necessitati præsenti.

9 Si aliqua parochialis sit tenuis, poteritnè illi altera parochialis tenuis uniri, ut ex utraque sufficiat sustentatio Parochi ?

℞ Poterit, & si non sufficiat, poterit iterum uti remedijs positis. *in c. 13. Sess. 24. Conc. Trid. de Reform.*

10 Si parochialis sit tenuis, poteritnè Episcopus unire illi beneficia simplicia, etiam reservata ?

℞ Potest, aut assignare primitias, decimas, vel collectas super parochianos, ita ut sufficiens portio parocho assignetur. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13.* sed non potest unire parochialibus beneficia regularia, vel quæ unita sunt Cathedralibus, vel Collegiatis, quia hæc omnia sunt excepta *à Conc. Trid. Sess. 24. c. 13.*

11 Quæ beneficia non potest Episcopus unire ?

℞ Primò, non potest unire beneficia curata simplicia. Secundò, non potest unire regularibus beneficia simplicia, nec curata. Tertiò, nec beneficia alterius Diœcesis. Quartò, nec beneficia Juris patronatus Laicorum. Quintò, nec aliqua beneficia suæ mensæ, sive simplicia sint, sive curata, hoc enim spectat ad Summum Pont. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. Sess. 23. c. 18. de Ref.*

12 Quis potest uniones factas revidere ?

℞ Episcopus. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 13. & Sess. 7. c. 7. & c. 6. de Ref.*

13 A quo tempore possunt vniones ab Episcopo examinari ?

℞ A quadraginta annis ante Concilium, & si fuerint subreptitiæ, potest illas irritas declarare, sed non potest examinare uniones factas ante quadraginta annos á die publicationis Conc. Trid. numeratos, quia iam gaudet privilegio immemorabili.

14 Uniones, quæ non sunt sortitæ suum effectum, vel quæ deinceps concessæ fuerint, debentne ab Episcopis executioni mandari ?

℞ Non, imò cùm vacaverint beneficia, liberè ut antea conferantur, nisi Papa in suis Bullis expressam faciat mentionem, Conc. Trident. dispensando, ut habetur in. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. de Ref.*

15 Quando una Ecclesia unitur alteri, quæ solemnitates requiruntur ?

℞ Requiruntur illæ solemnitates, quæ requiruntur in alienatione rei Ecclesiasticæ, quia talis unio est alienatio perpetua, de quibus dixi *lib. 3. c. fin.* & tenet *Abb. in c. tua nuper, de his, quæ fiunt à prælatis sine consensu Capituli. num. 4. & 1.*

16 Si aliquis patronus habeat in aliqua Ecclesia decimas, & oblationes, poteritnè Episcopus de consensu ipsius patroni sine consensu Capituli, eas unire alicui monasterio, vel pio loco ?

℞ Non, quia cum ista unio sit alienatio perpetua, necesse requiritur consensus Capituli, & aliæ solemmnitates. *c. pastoralis, de his, quæ fiunt à prælatis sine consensu Capit.*

17 Quis potest compellere Clericos, ut exhibeant dispensationes ad beneficia incompatibilia obtinenda ?

℞ Episcopus, & potest eis ponere Vicarium idoneum cum congrua assignatione fructuum sine appellatione. *Conc. Trid. Sess. 7. Cap. 5.*

## CAPUT LX.

### De Prædicatoribus in Ecclesijs Catedralibus & Parochialbus tempore Quadragesimæ, & Aduentus.

1 Episcopus teneturne prædicare per se ipsum ?

℞ Tenetur, & si impeditus fuerit, viros idoneos deputare, qui eius vices suppleant, & eos alere. *Conc. Trid. Sess. 5. c. 2. de Reform.*

2 Si parochus per se ipsum vult prædicare, debetne à populo, vel ab Episcopo alius prædicator admitti ?

℞ Si sit idoneus ipse est præferendus, & non prohibendus, quia facit officium suum. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 4.*

3 Diaconus potestne prædicare ?

℞ Potest, quia in ordine datur ei officium cum approbatione Episcopi.

4 Poteritne Episcopus committere prædicationem Laico, qui non sit in sacris ?

℞ Laico non, sed benè Clerico, qui non sit in sacris, si doctrina, & sanctitate polleat, ex declarat. *Cardinal. interpre Conc.*

5 Prædicatores omnes à quo debent examinari, & approbari ?

℞ Ab Episcopo, tàm sæculares, quàm regulares, etiam si habeant licentiam ab alijs Episcopis prædicandi in suis Diœcesibus, & debent ab eo benedictionem, & licentiam in scriptis accipere, alias non sunt

non sunt admittendi, quia licentia aliorum Episcoporum non extenditur ad alienas Diœceses. *Conc. Trid. Sess. 5. c. 2 & Sess. 24. c. 4. Quaranta verb. prædicator. fol. 398. Bulla Leonis X. incipiens. superna, & infra.*

6 Quo tempore debet prædicari ?

℞ In Quadragesima, Aduentu, Dominicis, & festivis diebus. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 4.*

7 Quis potest nominare prædicatores in Cathedralibus tempore Quadragesimæ, & Aduentus ?

℞ Solus Episcopus, & non Capitulum non obstante consvetudine immemorabili in contrariũ.

8 Quis debet nominare prædicatores in Ecclesijs, quæ non sunt Cathedrales ?

℞ Episcopus, vel populus, qui erogat illis eleemosinam ad eorum sustentationem.

9 In Ecclesijs, quæ non sunt Cathedrales, est ne sublata consvetudo immemorabilis, ut populi, & civitates eligant prædicatorem, & Episcopo præsentent ?

℞ Non, sed tenentur illum alere, & ad hoc cogi possunt ab Episcopo.

10 Si Episcopus velit in Oppidis suæ Diœcesis, ubi est consvetudo, ut populus nominet prædicatorem, poteritne ipse eum nominare ?

℞ Si Episcopus eum sustentare velit, poterit, si verò non, debet observare consvetudinem, & acceptare nominationem populi.

11 Populus potestne cogi pœnis, vel censuris ad audiendam Missam, concionem, vel doctrinam ?

℞ Non, sed solum moneri debet, & licèt non pareat monitioni, non est excommunicandus.

# LIBER QVINTVS

## DE CAUSIS ECCLESIASTICIS & DE DELICTIS CLERICORUM ac PÆNIS

### CAPUT I.

### De Causis Ecclesiasticis.

1 Causæ omnes Ecclesiæ, coram quo Judice tractari debent ?

℞ Coram ordinario *Conc. Trid. Sess. 24. c. 20. de Ref.*

2 Judex Ecclesiasticus quot modis potest procedere in delictis Clericorum ?

℞ 3bus modis. *1mò*, ad Instantiam partis. *2dò*, ex Officio. *3tiò*, ad Instantiam fisci. *Julius Clarus in Practica Criminali q. 3. §. fin.*

3 Quæ sunt Causæ quæ possunt tractari coram alio Judice præter Ordinarium ?

℞ Quæ juxta sanctiones apud sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas Papa ex urgenti & rationabili causa, commissione, manu propria signatas sibi avocaverit. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 20.*

4 Quæ causæ etiam excipiuntur, quæ non debent tractari coram ordinario in prima instantia ?

℞ Causæ studentium in Universitatibus talibus, quæ vigore conservatoriæ, tractantur coram suo Judice, tam in Possessione, quàm in proprietate. *DD. super. c. 20.*

5 Intra quod tempus debent fieri causæ Ecclesiasticæ ?

℞ Intra biennium à die motæ, litis, quo transacto, licitum est Partibus ad Judices superiores accurrere, & appellare, & debent sumere, litem in eo statu, in quo est. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 20.*

6 Si per judicem non stat, quo minus causa finiatur intra biennium, poteritne ab illo legitimè appellari ?

℞ Quotiescunq; partes diligentiam non fecerunt, ut Causa esset conclusa, non possunt appellare, sed si causa non est conclusa, & biennium finitum, legitimè poterunt appellare

7 Inhibitiones quæ dantur à Metropolitano, quid debent continere ?

℞ Necessario debent continere definitivam sententiam ad gravamen irreparabile per definitivam, alias nullæ sunt

8 Quando Judex ad quem, potest inhibere Judicem à quo ?

℞ Quando appellatio est justa, & causa appellationis cognita ab ipso Judice ad quem, & citata parte contraria, & non antea, *Abb. in c. super eo. de appell. c. Romana de appell. in 6.*

9 Si Judex à quo, revocat decretum per ipsum factum, à quo legitimè fuit appellatum, poteritne ipse Judex à quo, procedere in causa & illam finire ?

℞ Poterit, & tunc causa non devolvitur ad Judicem ad quem, quia cessante causa, cessat effectus *c. cum cessante causa de appell.*

10 Judex ad quem, potestne determinare causam appellationis non viso processu.

℞ Non, imo appellans tenetur actus suis expensis producere, & portare à judice à quo ad Judicem ad quem. & Judex à quo tenetur gratis postulanti exhibere. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 3.*

11 Quid requiritur in Inhibitione ut sit justificata, & suos operetur Effectus ?

℞ *1mo*, quod Judex ad quem sit superior. *2do*, quod Inhibitio totum negotium comprehendat, *3tio* quod concedatur parti cujus interest, *4to*. quod duret Officium Judicis inhibentis, *Cæsar de Grassis d. c. 109. de appell.*

12 Si quis appellat ad Metropolitanum, vel Nuntium, talis superior poteritne eximere appellantem à Jurisdictione sui Episcopi in alijs causis saltem durante ea lite?

℞ Non, quia hoc est prohibitum, & per appellationem non eximitur quis à Jurisdictione sui Judicis?

13 Si quis appellat de vero negotio, poteritne coram eodem Judice conveniri, & de alio puniri?

℞ Poterit, cum per appellationem à Jurisdictione non liberetur. *c. proposuit nobis c. præterea de Appellat.*

14 Quando appellatur in criminalibus ad Romanam Curiam cui debet committi in partibus?

℞ Archiepiscopo vel ejus Vicario sed ex causâ potest committi alteri viciniori Episcopo, & ejus Vicario, sed non inferiori *Conc. Trid. Sess. 13 c. 2. de Ref.*

15 Si Clericus consentiat, ut sua causa in criminalibus in prima Instantia tractetur coram Auditore Cameræ vel Metropolitano, vel alio Judice superiore, poteritne tractari?

℞ Non, nisi etiam consentiat Episcopus, quia agitur de ejus Jurisdictione, nisi sit commissio specialis Papæ, propria manu signata.

16 Delegationes in Causis criminalibus in curia Rom: vel à Nuntijs vel Legatis, factæ alijs Judicibus, & non ordinarijs, vel synodalibus quam vim habent?

℞ Tales delegationes censentur subreptitiæ, quia non est credibile ut Judices superiores, velint eximere illum reum, à Jurisdictione sui Episcopi cum proprius Pastor possit mederi melius, quam alienus, cui non incumbit cura illius ovis. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. de Ref.*

17 Quis debet cognoscere de Rescripto appellationis à Sum: Pontifice in rebus criminalibus impetrato?

℞ Solus Episcopus. *Conc. Trid. Sess. 13. c. 5. de Ref.*

18 Intra quas dietas debet committi causa appellationis in criminalibus?

℞ Intra duas. *Conc. Trid. Sess. 13. c. 2. de Ref.*

19 Quando appellatur ab excommunicatione, vel tortura, vel carceratione, quomodo est procedendum?

℞ Tunc petenda sunt acta, & judex non est inhibendus, nisi visis actis, & si apparet gravamen, inhibitio datur.

20 Si quis incarceratus appellet, debetne excarcerari?

℞ Non, donec visis actis à superiore aliud fuerit ordinatum, *Quaran. in Sum: Bullarum. verbo Archiepiscopi Authoritas fol. 69.*

21 Si quis excommunicatus appellaverit, quis debet eum absolvere judex, superior, an inferior?

℞ Si visis actis repertum fuerit, sententiam excommunicationis fuisse justam, remitti debet ad Judicem inferiorem, ut ab eo accipiat absolutionem, si verò repertum fuerit injustam fuisse sententiam, tunc Judex superior poterit eum absolvere & si dubitetur, debet eum remittere ad Judicem inferiorem, ut intra breve tempus eum absolvat.

22 Contra contumacem debetne admitti appellatio?

℞ Dum appellans perstiterit in Contumacia, nec debet dari inhibitio, nec recipi appellatio. *Step. Quaranta in sum. Bullar. verb. Archiepiscopi Authoritas.*

23 Potestne quis absolvi ad cautellam, etiam non sit excommunicatus?

℞ Potest. *Decian: in capit. ad præsentiam de appell:*

24 Absolutio ad cautelam quomodo debet dari & quando?

℞ Quando dubitatur de justa causa excommunicationis, & tunc visis actis, parte citata, præstita cautione de parendo mandato, per breve tempus ad residentiam, expensis satisfactis. *Quaranta in verbo Archiepiscopi authoritatas n. 14.*

25 Si aliquis Episcopus habeat Privilegium Apostolicum corrigendi Clericos sibi non subditos, & voluerit punire & procedere contra aliquẽ, Clericum sibi non subditum pro aliquo crimine, etiam atrocissimo, quem ordinem debet servare?

℞ In ista causa debet procedere cum interventu proprij Episcopi ipsius delinquentis, si apud Ecclesiam residerit, aut cum interventu personæ ab ipso Episcopo deputandæ & ideo debet in principio litis, Episcopum certiorem facere, alias processus & omnia secuta, sunt nulla, ratio est, quia Concilium voluit ut quilibet Pastor, non excludatur propriæ ovis. *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 8. de Refor.*

26 Sufficitne quod Episcopus, qui habet privilegium corrigendi alienos subditos, faciat certiorem Episcopum delinquentis de crimine, de processu & de sententia?

℞ Non, sed necessario Episcopus delinquentis, vel persona ab eo deputata debet intervenire in illa criminali causa cum plenaria facultate judicandi, condemnandi & absolvendi, sicut ille Episcopus qui virtute sui privilegij, vult corrigere alienum subditum, ratio est, quia privilegium talis Episcopi per *Cap. 8. Sess. 14.* limitatum est, & modificatum ad hoc, ut eo non utatur solus, nisi cum interventu Episcopi proprij delinquentis. *2do* quia intervenire in aliquo negotio plus dicit quam facere aliquem conscium illius delicti: *3tio* quia Jurisdictio proprij Episcopi illius delinquentis, semper manet integra, & non sublata per privilegium alterius Episcopi, & sic dicere, quod procedatur cum interventu proprij Episcopi est dicere, quod ille interventus sit cum potestate jurisdictionali. *4to* quia dicta limitatio privilegij Episcopi corrigendi sibi non subditos, est pænalis, cum processus & omnia inde secuta sint nulla, & viribus omnino careant. *Conc. Trid. Sess. 14. Cap. 8.*

27 Episcopus illius delinquentis, qui corrigitur ab alieno Episcopo, si sit in propria Ecclesia, poteritne deputare personam quæ cognoscat de hac causa, vel necessario debet esse extra suam Ecclesiam, ad hoc ut possit deputare dictam personam?

℞ Non, imo si residerit in propria Ecclesia, datur illi hoc privilegium ratione residentiæ, ut cum interventu ipsius, vel personæ ab eo deputandæ, fiat punitio Clerici sibi non subditi, at vero si Episcopus sit extra suum Episcopatum, neq; ipse potest intervenire in punitione dicti

Clerici, neq; deputare perſonam quæ ſuo nomine interveniat, quia hæc facultas data fuit Epiſcopo, ſi apud Eccleſiam reſideret, & non poteſt extendi ad Epiſcopum non reſidentem, præcipuè cum Concilium dicat, ſi in propria Eccleſia reſiderit, quia ſic eſt conditionale & à contrario ſenſu, ſi non reſiderit, hoc privilegio non gaudet *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 8.

28 Sententia lata ab Epiſcopo qui habet privilegium puniendi alienos ſubditos, cum interventu Epiſcopi; delinquentis. à quo debet mandari executioni?

℞ Ab Epiſcopo, qui habet privilegium puniendi alienos ſubditos, quia in dicto c. non eſt modificatum privilegium, niſi ſolum quo ad hoc, quod procedatur cum interventu proprij Epiſcopi *Conc. Trid. Seſſ.* 14. *Cap.* 8.

29 Capitulum, & Vicarius ſedis vacantis, gaudebuntne dicto privilegio?

℞ Affirmative, quia in omnibus juribus Juriſdictionis ſuccedunt Epiſcopo, & hoc eſt in favorem rei, & privilegium generalis juriſdictionis.

30 Sententia lata à Judice à quo, ſi nulla ſit ex defectu Juriſdictionis, quia illam protulit in hominem ſibi non ſubditum, vel quia nullam habebat juriſdictionem, poteritne confirmari à Judice ad Quem?

℞ Si talis juſtitia continebat juſtitiam, debet Judex ad Quem, eandem ſententiam proferre, ſed non eam confirmare, quia ex defectu juriſdictionis à principio nulla fuit. *Achil. de ſent. & re-judicata.*

## CAPUT II.

## De vita & honeſtate Clericorum.

1 Quomodo in hoc titulo ſumitur Nomen vita?

℞ Sumitur pro uſu honeſto, vel inhoneſto vivendi & degendi in hac vita, ſeu ſumitur pro actibus vel operationibus bene vel male factis, & non pro ipſo vivere & reſpirare hominis, *ut in Rub. ſit devita & honeſtate Clericorum.*

2 Hoc nomen honeſtas, quid ſignificet in jure?

℞ Honeſtatem juſtitiæ publicæ id eſt conſtitutiones Eccleſiæ, quæ propter honeſtatem ſunt editæ, ut quando prohibetur, ne quis nubat cum conſangvinea uxoris ſuæ. *c.* 1. *de ſponſalibus Lib.* 6.

3 In hoc titulo quomodo ſumitur devita & honeſtate Clericorum?

℞ Sumitur pro honeſtate exteriori Clericorum, quæ conſiſtit in completu multarum rerum, c: in actionibus in veſtibus, in verbis, in riſu in celebratione, in ſobrietate, & officijs

4 Cum celebrat Clericus, quam honeſtatem habere debet?

℞ Debet eſſe diviſus & ſeparatus á populo, propter majorem reverentiam & attentionem, & devotionem. *c.* 1. *de vita & honeſt. Cleric.*

5 Clerici veniuntne appellatione populi & vicinorum?

℞ In materia ſtricta & odioſa negativè, in materia favorabili & privilegiata veniunt, licet non nominentur, quia quidquid conceditur populo, ex majori parte & ratione & cauſa debet concedi Clerico tanquam digniori. *Abb. c.* 1. *de vita & honeſt. Clericor. n.* 4.

6 Appellatione populi veniuntne fæminæ?

℞ Affirmativè, cum populus conſtet ex maſculis & fæminis, *Abb. c.* 1. *de vita & honeſt. Cle. n.* 4.

7 Quam pænam incurrit Clericus portans arma?

℞ Excommunicatur per ſententiam *c. Cler. de vita & honeſt. Cler.*

8 Clericus uſurarius, quam pænam incurrit?

℞ Debet excommunicari per ſententiam *c. Clericus de vita & honeſt. Cleric.*

9 Poteſtne Clericus abſq; pæna portare arma defenſiva?

℞ Poterit, quia pæna impoſita Clerico ferendi arma Offenſiva & ſic poterit portare abſq; pæna thoracem ferreum, quia cum iſtis armis defendit ſuam vitam, & neminem offendit. *Abb. c. Clerici de vita & honeſt Cleric. n.* 3.

10 Si Clericus non poteſt aliter mortem vitare poteritne occidere aggreſſorem?

℞ Poteſt abſq; irregularitate excommunicatione vel pæna, ſi occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia de jure vim vi repellere licet. *Abb. in c. Clerici de vita & honeſt. Clericus n.* 2.

11 Clericus poteſtne pugnare in bello juſto ſine metu irregularitatis?

℞ Cum licentia Papæ poterit, & ſi ſit in navi vel triremi, & pugnetur, poterit ad evitandam ſuam mortem ſine irregularitate, etiamſi non habeat licentiam ſummi Pontificis, quia in hoc caſu vim vi repellit. *Abb. in c. Clerici de vita & honeſt Clericor n.* 5.

12 Clericus portans cultrum habebitne pænam debitam Clericis portantibus arma?

℞ Si culter ſit ad uſum incidendi panem carnem, mundandi arbores, & ad uſus neceſſarios ad vitam, vel ad aliam artem exercēdam nō habet aliquā pænam, quia textus *c. Clerici* intelligitur de armis quæ inventa ſunt ex ſua inſtitutione ad offendendum ut enſes pugiones & ſimilia. *Abb. in c. Clerici de vita & honeſt. Cleric n.* 7.

13 Clericus vel Monachus portans arma excommunicaturne ipſo Jure vel per ſententiam?

℞ Monachus portans arma & tenens illa intra ſepta monaſterij excommunicatur ipſo facto, at Clericus ſæcularis tenens arma non prohibita in domo, nulla pæna punitur quamvis portans ſecum excommunicetur per ſententiam *Abb. in c. Clerici n.* 8. *de vita & honeſt. Cleric.*

## CAPUT III.

## De Peculio Epiſcoporum & Clericorum, & quibus Perſonis poſſint bona relinquere per teſtamentum.

1 Quid eſt peculium?

℞ Eſt certa pecunia ſeparata à negotiatione, & rationibus Patris vel Domini ut detur filio vel ſervo *l. depoſito ff. de peculijs* §. *peculium.*

2 Unde dicitur peculium?

℞ A pecunia, pecunia autem à pecoribus, quia totum quod antiqui habebant, conſiſtebat in pecoribus, non enim inventa erat pecunia ſigillata ex auro,

ex auro, vel argento ſicut hodie *c. totum 1. q. 3.*

3 Quotuplex eſt peculium ?

℞ Multiplex 1*mo* Caſtrenſe, 2*do* quaſi caſtrenſe 3*tio* adinventitium. 4*to* profectitium 5*to* paganicum, 6*to* non paganicum, aliquando etiam ſumitur pro hæreditate vel patrimonio. *l. cogi ff. ad Trebellianum l. ſi. quis Presbiter.* C. de Epiſcopis & Clerici l. cum oportet. l. cum multa l. de bonis, quæ liberis.

4 Quod eſt peculium Caſtrenſe ?

℞ Eſt illa pecunia vel ſubſtantiâ, quam miles ſuo labore, vel fortuna acquirit in bello, dum militat in caſtris, & in illo habet jus miles plenum, etiam ſi habet patrem; & etiam milites ſervi, qui aſſiſtunt in palatio, illud quod acquiritur dicitur peculium Palatinorum, qui licet non ſint in bello Servant tamen Perſonam Principis *Bald. in l. cum oportet C. de bonis quæ liberis col ult*

5 Quod eſt peculium quaſi caſtrenſe ?

℞ Illud quod Advocatus acquirit ſuo labore, præſtando litigantibus patrocinium in ſuis cauſis quia ſicut miles in bello labore corporali, ſic Advocatus in ſtudio labore animi & ſpiritus, acquirit illam pecuniam, & quod Magiſter cujuſcunq; ſcientiæ acquirit docendo diſcipulos in ſcholis. *l. fin. c. de inoff. taſtam.*

6 Quod eſt peculium adventitium ?

℞ Illa pecunia vel ſubſtantia quæ filio advenit, ab avo paterno vel materno, vel ex teſtamẽto Agnatorum vel ſuorum parentum & hoc peculiũ eſt proprium filij quo ad proprietatem, & patris, quo ad uſum fructum, ſed ſi hoc fuerit datum à Rege vel Imperatore gaudet & privilegijs caſtrenſis peculij. *l. cum. multa l. de bonis quæ liberis.*

7 Quod eſt peculium profectitium ?

℞ Dicitur illa pecunia, quam pater vel Dominus dat filio vel ſervo ut cum illa negotientur, & patris quo ad proprietatem & ſervi vel filij quo aduſum fructum, & aliquando appellatur peculium paganicum profectitium vel non paganicum. *Bart. in l. illud de Collationibus.*

8 Quod eſt peculium Clericorum & Epiſcoporum ?

℞ Eſt patrimonium Clericorum quo ſuſtentantur. *l. Cogi ff. ad Trebell.*

9 Quotuplex eſt peculium Clericorum & Epiſcop.?

℞ 2plex, perfectitium quod procedit ex fructibus ſui beneficij, vel ex acquiſitis introitu Eccleſiæ, & adventitium quod provenit Clerico intuitu ipſius perſonæ. *Godfr. in ſum. eod. tit.*

10 Quotuplicia ſunt bona, quæ Clericus vel Epiſcopus habet in ſua poteſtate ?

℞ 2plicia: 1*mo*, ſunt bona ſui beneficij conſtituta ad ſuſtentandum. 2*do*, ſunt bona Eccleſiæ conſtituta pro fabrica vel pro ornamentis & aliis neceſſitatibus.

11 Iſta bona in quo differunt ?

℞ Primo in eo, quia in bonis fabricæ Epiſcopus vel Presbyter eſt adminiſtrator, in bonis ſui beneficij eſt uſufructuarius, cum plenaria adminiſtratione. 2 *do.* de bonis fabricæ vel Eccleſiæ tenetur reddere computum & rationem legalem, de bonis ſui beneficij non tenetur reddere alicui computum & rationem 3*tio.* ſi bona fabricæ in ſuos uſus vel ſuorum convertit, tenetur ſolvere de proprio; ſi verò bona ſui beneficij convertit in uſum proprium, nihil tenetur ſolvere. 4*to* in bonis fabricæ vel Eccleſiæ, neque habet proprietatem neque uſum fructum in bonis beneficij habet uſum fructum, & ad illa defendenda habet proprietatem. *Abb. in c. t. de peculio Cleric.*

12 Si Clericus ex pecunia Eccleſiæ emat agrum, & in ſcriptura emptionis ponat, quod ipſe emit, cui debet adjudicari ager ?

℞ Eccleſiæ, & ſi Clericus vivit, debet puniri propter fraudem. *Abb. c. t. de peculio Cleric. n.* 4.

13 Quando emitur aliquid & ſolvitur ex pecunia vel bonis Eccleſiæ, inſtrumentum quid debet continere ?

℞ Inſtrumentum debet fieri nomine Eccleſiæ, & non Prælati vel Clerici ementis, alias talis Prælatus vel oeconomus removeri debet ab adminiſtratione *c. Presbyter de peculio Cleric c. in quirendum eod. tit.*

14 Res quæ emitur cujus præſumitur eſſe ?

℞ Illius de quo cantat Inſtrumentum, niſi aliud in contrarium probetur *Abb. c. Presbiter n.* 8. *de peculio Cleric.*

15 Clericus quæ acquirit ex induſtria ſua cui acquirit Eccleſiæ, vel ſuis hæredibus ?

℞ Acquirit ei cui ipſe voluerit, & clare ex teſtamento, præcipue in Regnis Hiſpaniæ ubi Clerici poſſunt teſtari de ſuis bonis, & Epiſcopi de illis bonis & fortuna cum quibus fuerant electi & ideo in electione fit ſolenne inventarium, ut hæredibus ejus reddantur illa bona, & valor eorum, quæ habebant ante ingreſſum ad Epiſcopatum *Abb. c. 1. de peculio Clericos n.* 5.

16 Si aliquis velit relinquere centum aureos Eccleſiæ ſvaſus à Confeſſore relinquit Confeſſori teneturne talis reſtituere Eccleſiæ ?

℞ Si Confeſſor faciat dolum & dicat mendacin nempe quod Eccleſia eſt dives, quod non habeat neceſſitatem; tunc tenebitur ad ſolvendum damnum inde exortum, ſi vero ſermonibus blandis ſine mendacio proponat ſuam neceſſitatem, non tenetur ad damnum, quia charitas à ſe ipſo incipit, & nemini facit injuriam, *c. charitas eſt à qua de pænitentia Abb. c. Presbyter n.* 6. *de peculio Cleric.*

17 Epiſcopus de quibus bonis debet ſuſtentari & facere ex penſas ex boniſne & fructibus vel Eccleſiæ, vel ex bonis quæ habet ante ingreſſum in Epiſcopatum ?

℞ Ex bonis ſuæ Eccleſiæ, quia dignus eſt operarius mercede ſua, divina ſcriptura dicit, non alligabis os bovi trituranti, & bona quæ habebat ante ingreſſum in Epiſcopatum, & labores ejus debent ſervari intacta, & illæſa, ut ipſe in teſtamento diſponat.

18 De reditibus Eccleſiæ poſſuntne Epiſcopi alere ſuos Conſangvineos & familiares ?

℞ Si ſint pauperes vel in neceſſitate eos poſſunt juvare ſecundum ſtatum eorum, quia charitas bene ordinata à ſeipſo incipit. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 1. *de Ref.*

19 Hæc paupertas quomodo est intelligenda?

℞ Largo & politico modo, secundum nativitatem, nobilitatem qualitatem, & statum Personæ, licet non debeat eos ditare, quia hoc petit ratio & charitas est bene ordinata *Abb. in c. in eos de hæret: n. 2.*

20 Si Episcopus habeat ex una parte fratrem carnalem hæreticum, vel Christianum, ex alia proximum, utrosq; pauperes, cui eorum debet subvenire?

℞ Fratri carnali hæretico ex lege naturæ. *Gloss. c. 1. Dist. 30. Abb. in c. si quis de hæret. n. 1.*

21 Si aliquis regularis factus sit Episcopus, cui debet relinquere bona sua post mortem?

℞ Illa bona quæ habuit ante consecrationem debet relinquere Monasterio, & quæ acquisivit post consecrationem suæ Ecclesiæ, tanquam ultimæ sponsæ. *c. unico 8. q. 1. Covarr. tit de testib. c. 1. n. 19.*

22 Episcopus poteſtne per testamentum relinquere bona sua suis consanguineis & suis famulis?

℞ Cum distinctione bona, quæ habuit ante consecrationem facto suo inventario tempore consecrationis, poterit ea libere relinquere suis parentibus vel suis famulis, & testare de illis libere sicut alij Clerici, at vero bona, quæ acquisivit post consecrationem, debet necessario ex relinquere vel Ecclesiæ, vel ei Personæ ad quam pertinet spoliū ratio est, quia illa acquisivit ex Officio Episcopi, vel ex fructibus Ecclesiœ tenet. *Abb. in c. ut unus de peculio Cleric. n. 1. & 2.*

23 Si aliquis Prælatus habeat Officium, & munus aliquod Regium, veluti aliquam Præsidentiam vel delegationem regiam, vel Proregnatum vel ex sua industria & literis absque officio Prælati acquirat aliqua bona, cui debet ea relinquere?

℞ Cui ipse voluerit in suo testamēto, sicut bona quæ acquisivit ante consecrationem, de quibus libere potuit testari, ratio est, quia qui habet jus percipiendi spolium, solùm habet hoc Jus in bonis acquisitis ex Officio Episcopi, vel ex fructibus Episcopatus, sed non habet Jus ad bona quæ acquirit Petrus, non ut Episcopus, sed sicut Petrus, & textus in *c. ut unus, de pecuio Cleric.*, cum sit stricti Juris, non debet extendi ad bona, quæ aliquis hæreditavit, vel ex suo bono, labore & scientia, ut Petrus acquisivit, sed solum ad bona Ecclesiæ, de quibus loquitur, quia diversa ratio militat in bonis Ecclesiæ, & in bonis acquisitis precipue cum nullus perdat suum Jus, suamq; libertatem ex eo, quod sit Prælatus, *c. relatum de testamentis.*

24 Ad faciendum suum inventarium quas solennitates debet ad hibere?

℞ Si Prælatus sit in Regno Hispaniæ debet comparere perse vel per suum Procuratorem, si sit in Regno Siciliæ debet comparere ante Proregem, & Tribunal Patrimonij, & ibi demonstrare suam præsentationem vel Bullas Apostolicas & petere Commissarium vel Commissarios, ad faciendum suum inventarium Juridicum, tanquam si illo die mortuus esset.

25 Prælatus quid debet facere ante Commissarios datus à Nuntio, vel Collectore Apostolico, vel in Regno Siciliæ à Prorege?

℞ Debet ante eos comparere, & debet ostendere ante illos omnia bona sua mobilia, immobilia domos, agros argentum & aurum, pecuniam peristromata, servos, mancipia, & tandem omnia bona, quæ acquisivit intuitu suæ præbendæ & beneficiorum, tum bona quæ hæreditavit à suis Parentibus, item quæ acquisivit intuitu suæ personæ, vel donatione, & simul debet declarare quæ debita contraxerat, usq; ad præsentem diem, & quando illa solvere debeat, & quo tempore, debetq; solemniter jurare in manibus dictorum Commissariorum quod illa omnia bona sua sunt, & non aliena, neq; sibi mutuata, & quod nulla fraus neq; dolus in ostensione illorum sit.

26 Dicti Commissarij qui faciunt inventarium quid debent agere?

℞ Debent vocare peritos diversæ artis, & sigillatim scribere dicta bona, tam mobilia, quam immobilia, & valorem dictorum bonorum secundum justam æstimationem, & ab ipsis debent accipere juramentum deveritate judicanda & taxanda & debent sigillatim scribere omnia bona cum suo justo valore & postea facere summam omnium bonorum & eam subscribere, quam etiam Episcopus cum inventario subscripsit, quod inventarium debet esse juridicum cum testibus coram Notario, sicut si esset inventarium alicujus defuncti, posita facultate Commissariorum, qui faciunt dictum inventariū.

27 Facto dicto inventario, quid faciendum, ut hæredes Episcopi habeant sua bona integra post ejus mortem?

℞ Hoc inventarium debet poni in Hispaniæ regestris, seu officio Nuntij Apostolici, & in Regno Siciliæ in officio senatus Patrimonij regij, & Episcopus debet accipere transumptum, authoritate munitum, & illud servare, & relinquere suis hæredibus, cum testamento, ut post ejus mortem habeat valorem hujus Inventarij.

28 Si Episcopus durante ejus lite consumat bona mobilia sui inventarij vel tempore pereant, & vendat ad suam necessitatem bona inmobilia vel donet donatione inter vivos, poteritne, tempore mortis suæ testari de valore inventarij, & facere testamentum, & legare valorem illorum bonorum in pecunia numerata?

℞ Episcopus potest per testamentum relinquere valorem omnium bonorum in pecunia numerata personis quibus voluerit, ratio est, quia Episcopus de bonis sui beneficij debet sustentari & de bonis quæ habuit ante consecrationem quia dignus est operarius mercede sua 2do quia bona quæ habuit ante consecrationem, non tenetur Episcopus conservare sed potest licite ea profundere, & dare pauperibus. 3tiò quia ista bona, quæ habuit ante conserrationem & valor illorum, habent hoc privilegium quod Episcopus de illis possit testari, alias frustra fieret inventarium. 4tò. quia loco istorum bonorum & ad solutionem illorum subrogantur bona quæ Episcopus relinquit post suam mortem, etiam si illa habuerit intuitu Ecclesiæ 5tò, quia si Episcopus non habuisset ista bona quæ acquisivit ante consecrationem consumeret bona Ecclesiæ in suis necessitati-

necessitatibus quæ relinquit post mortem. 6to, quia ex bonis inventarij & ex bonis quæ Episcopus acquirit intuitu Episcopatûs fit una massa integra, de qua massa debent tolli tempore mortis Episcopi ualor & pecunia dicti inventarij, sicut tollitur dos mulieris de corpore bonorum mariti & mulieris quia valor istorum bonorum habet privilegium, quod Episcopus possit de illis disponere per testamentum.

29 Si Episcopus non fecit inventarium & tempore mortis suæ relinquat partem bonorum suorum suis hæredibus, vel familiaribus, vel operibus pijs, declarans se acquisivisse bona ista suo labore, vel sibi esse donata, vel non esse ex fructibus Episcopatus, in isto casu quid est faciendum?

℞ In hoc casu hæredes ejus admittatur, ad probationem, & restituenda sunt illis omnia bona, quæ probaverint non esse acquisita intuitu Ecclesiæ, ratio est, quia in istis bonis spolium non habet ullum Jus, cum non habet aliquod Jus nisi in bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ deductis debitis & ære alieno tenet. *Abb. in c.1. de peculio Cleric. n.1.*

30 Mercedes famulorum Episcoporum, debita contracta ab Episcopo pompæ funebrales. mercedes medicorum & pharmacopolæ ex quibus bonis debent solvi, nam ex bonis acquisitis ante Episcopatum, an ex bonis acquisitis post Episcopatum, & intuitu Ecclesiæ?

℞ Si debitum contractum fuit ante consecratione, debent solui ex bonis sui inventarij, si vero fuit contractum post consecrationem debent solvi cum omni pompa funerali, & mercede suorum famulorum, ex bonis quæ reliquit, & percepit ex fructibus Ecclesiæ, ratio est, quia bona quæ habuit ante Episcopatum, & postea sunt in suo inventario, debent servari intacta & illæsa ad liberam dispositionem Episcopi per suum testamentum alias nudum esset privilegium invētarij.

31 Quæ bona necessario debet hæreditare Ecclesia Episcopi in ejus morte?

℞ Omnia Ornamenta Altaris, Vestes Sacras, cum quibus celebrat Episcopus, vasa aurea & argentea, & omnia Vestimenta Sacra, & benedicta, quæ pertinebant ad Capellam Episcopi, & ipse habebat in domo sua, & in Capella privata, hæc omnia non cadunt sub privilegio spolij, & in omnibus Ecclesijs Hispaniæ, ex immemorabili consvetudine ac ritu traduntur Ecclesijs Cathedralibus, ubi Episcopus moritur, ex justa & rationabili causa, quia illa Ecclesia est vera sponsa illius Episcopi & recipit jugalia sui sponsi. 2do. Quia turpe & fædum est, ut res sacræ vendantur in augmentum spolij. 3tio. Quia ex istis relictis Ecclesia Cathedralis sustentatur cum honore & splendore. & hæc consvetudo tanquam rationi consona inviolabiliter servatur in Hispania.

32 Bona quæ habet Episcopus accommodata á suis parentibus vel amicis, ut argentum vel peristromata, aut alia similia post ejus mortem cui debent dari?

℞ Suis proprijs Dominis, quia sunt bona aliena, & in alienis non intrat jus spolij, & ad probationem quod sint aliena, sufficit confessio Episcopi, vel ejus scriptura, & non requiritur major solennitas quam in alio homine particularis, qui habet rem commodatam, & Commodatarius pro beneficio quod facit Episcopo, non tenetur ad majorem probationem, quam monstare per scripturam vel confessionem partis, rem esse suam *l. 1. ff. comodales Bar. ibid.*

33 Episcopus dum vivit, quam potestatem habet in bonis, & fructibus sibi provenientibus intuitu suæ Ecclesiæ?

℞ Episcopus habet illam potestatem, quam habet fidei commissarius, vel primogenitus in majoratu, & liberè potest usum fructum & peccunias consumere, donare, dare, & ex his sustentari modestè, & in bonos usus convertere absq; eo, quod teneatur reddere alicui computum, & rationem legalem, ratio est, qui est usu fructuarius cum plēa administratione absq; depedentia alicujus, ut tenet *Abb. c.1. de peculio Cleric. n.8.*

34 Si Prælatus vel Clericus male expendat bona sui beneficij, tenebiturne de suo satisfacere?

℞ Si consumat bona beneficij vitiosè in rebus indebitis, ut in ludis, in sustentatione concubinæ, & his similibus, & habet alia bona patrimonialia, vel acquisita suo labore tenebitur satisfacere, quia Clericus non habet tantam facultatem in disponendo de bonis sui beneficij, sicut habet laicus de bonis laicalibus & sæcularibus, ratio est, quia bona Ecclesiæ dantur ad bonum usum & sustentationem, & decorem personæ, secundum ejus dignitatem, non ad vitia ejus, voluptates, quia est Sanguis JESU Christ. *Abb. in c. fin. de peculio Cleric. n.5.*

35 Donationes factæ ab Episcopo stante ejus vita de aliquibus bonis ab ipso emptis, dum est Episcopus & contractus & scriptura ab ipso facta valetne?

℞ Omnes donationes factæ ab Episcopo bonorū vel immobilium vel Mobilium, dum vivit sunt validæ, sive donet pauperibus, Ecclesijs, vel suis parentibus, vel cuilibet personæ, ratio quia in bonis sui beneficij est usu fructuarius cum plenaria administratione, & sicut potest illa edere, & consumere, ita donare. *Abb. in c. si quis. de peculio Clericor.*

36 Potestne Episcopus ex fructibus sibi debitis sui beneficij, dum vivit emere agrum, villam, vel castellum, vel reditus stabiles, & donare proprietatem suis parentibus, vel alicui personæ, & reservare sibi usum fructum?

℞ Bene poterit donare proprietatem, & servare sibi usum fructum, durante ejus vita, & vita alterius, ratio est quia sicut potest libere donare vel consumere illas pecunias, cum quibus emit agrum illum, sic potest donare agrum & rem emptam, cum sit usu fructuarius cum plenaria administratione, tam in usu fructu, quam interusorio, proveniente & usu fructu, tenet. *Abb & DD. loco allegatur.*

37 Si Prælatus emat aliquem agrum suo nomine, post ejus mortem debetne adjudicari hæredibus Prælati vel Ecclesiæ, vel spolio?

℞ Si Prælatus fecit inventarium & in scriptura emptionis dicat se emere illum agrum ex bonis quæ habuit in suo inventariò, vel ex acquisitis suo labore, quia fecit ex suo salario, tunc præsumitur pro hærede, & onus probandi contrarium incumbit Ecclesiæ, si in scriptura nihil dicat vel non fecit inventarium, præsumitur pro Ecclesia, & onus probandi incumbit hæredi, si vero sit dubium, in dubijs præsumitur pro Ecclesia. *Abb. in c. ut unus de peculio Cleric. n.* 3. & 4.

38 Si Prælatus emit aliquem agrum,& facit scripturam su o nomine & vivens illum donat Parentibus suis, vel servis cum moritur, Ecclesia potestne petere aliquid?

℞ Non, in isto enim casu Ecclesiæ nulla competit actio petendi, quia sicut Prælatus, quotidie donat expendit pecunias, poterit donare bona immobilia, domos oppida & agros à se emptos, sicut potest illa vendere & in suos usus con vertere.

39 Si quis Prælatusvel Clericus faciat meliorationes in rebus Ecclesiæ suæ vel in suo Palatio, vel in fundo suæ mensæ,de bonis sui beneficij poteritne eas relinquere alicui post suam mortem?

℞ Non, sed solum uti dum vivit *1mò*, quià rationi consentaneum est, ut quis melioret beneficium de quo vivit,sine quo Ecclesiâ non conservatur *2do*, quià Accessorium sequitur naturam sui principalis *3tio*, quia laboravit in terra qua si aliena, cum ipse solum usum fructum habeat, & proprietas est pro Ecclesia & successoribus *c. fin. de peculio* Cler. *Abb. ibid n.* 2.

40 Si Prælatus faciat meliorationes in Ecclesia, vel fundo suæ mensæ de bonis sui patrimonij, poteritne eas in morte mandare suo hæredi?

℞ Affirmative. *Abb. c. fin. n.* 3. *de peculio Cler.*

## CAPUT IV.
## De Bonis Clericorum.

1 Bona Clerici cujus sunt & ad quem pertinent?

℞ Post moderatam sustentationem ad pauperes pertinent, quia bene dicitur bona Cler. bona pauperum.

2 Clericus si habeat bona patrimonialia, & beneficium de quibus bonis tenetur se sustentare?

℞ De bonis beneficij, quia qui altari servit, de altari sustentari debet, & dignus est operarius mercede sua & bona patrimonialia potest relinquere libere suis parentibus etiamsi sint divites. *c. cum secundum de præbend. & dignitatibus. Abb. in c. vult de peculis Cler.*

3 Bona Clerici confiscata propter delictum, cui debent applicari?

℞ Fisco sui Episcopi, vel suæ Ecclesiæ, quia antiquitus bona Clerici mortui applicabantur suæ Ecclesiæ. *Abb. in c. quia deversitatem de concessione Prabenda n.* 14.

4 In quos usus Clericus bona Beneficij convertere debet?

℞ Debet se honeste alere, & quæ supersunt pauperibus erogare, & parentes præferendi sunt, si sunt pauperes, & non potest eos in usus pravos & inutiles expendere, ut in alendis canibus & mulieribus impudicis. *DD. super c. multa de Preb.*

5 Paupertas Parentum quomodo est intelligenda?

℞ Secundum qualitatem personæ oppidi & loci, magis enim requiritur ad sustentandum nobilem quam ignobilem, *Abb. c. in eos de hæret.*

6 Clericus potestne succurrere Matri vel sorori de bonis Ecclesiæ?

℞ Poterit dare ad vitam necessaria, & adjungere matrimonio consangvineas, vel dotare monasterio, juxta qualitatem earum, & obligare fructus beneficij adsolutionem, tenet *Abb. in c.* 1. *de cohabit. mulierum & Cler. n.* 5.

7 Clericus potestne subvenire suis proprijs filijs de Bonis Ecclesiæ?

℞ Poterit, & est obligatus ad id faciendum, etiam si filij sint nati ex illicito & sacrilego coitu, quia talis Clericus est Pater naturalis talis filij, & de lege naturæ tenetur alere & juvare quem genuit tenet. *Abb. in c.* 1. *eod. tit. n.* 4.

8 Si quis sit executor alicujus Eleemosynæ vel operæ piæ, & debeat distribuere, triticum, pecunias, vel alia bona inter pauperes, ad sui electionem poteritne dare ea suis consangvineis vel familiaribus?

℞ Si sint pauperes poterit inter eos distribuere eleemosynas, ratio est, quia ex eo quod quis sit consangvineus, vel familiaris non efficitur incapax ad suscipiendam eleemosynam, etsicut talis distribuens potest de suis proprijs bonis dare eleemosynam suis Parentibus ita potest de bonis alienis, quæ sunt sub ejus dispositione ut tenet. *Abb. in c.* 1. *de cohabitatione Mulierum & Celericor. n.* 5.

9 Clericus quid debet dare famulo infirmo?

℞ Cibum & tenues expensas per octo, vel decem dies, si sit Clericus pauper, si sit Canonicus vel dives debet eum curare & dare medicos & expensas, quia est Officium charitatis. *Abb. in c.* 1. *de Cler. agrotante n.* 8. *Sylvest. verb. familia n.* 4.

## CAPUT V.
## De vestibus Clericorum.

1 Clericus utens vestibus sæcularibus quâ pæna punitur?

℞ Privatur officio sacerdotis, quo adusq; resipiscat *c. Episcopi* 21. *q.* 4.

2 Quibus vestibus debet indui sacerdos, & qua pæna punitur, qui habitum honestum non fert?

℞ Tunica nigra talari, & si semel correptus se non emendaverit, potest perveniri cum eo ad privationem officiorum & beneficiorum. *c. penul. dist* 23. *Conc. Trid. Sess.* 14. *c.* 6.

3 Qui colores sunt prohibiti Clericis in suis vestibus?

℞ Color rubeus aut viridis, & etiam, prohibitum est eis portare calcanea deaurata, & fibulas & corrigias auri & argenti. *c. penul. de vita & honest Cler.*

4 Clerici possuntne portare Annulos?

℞ Si sint in dignitate Ecclesiastica constitui cæteri vero non *c. penul. de vit. & honest Cler.*

5 Clericus nutriens comam vel barbam, quâ pæna punitur?

℞ A suo

℞ A suo Archidiacono etiam invitus tondendus est, *c. Clerici. dist.* 23.

6 Sacerdotes quomodo sunt sepeliendi ?

℞ Iduti vestibus sacris ad imitationem Nadab & Abiud, qui fuerunt sepulti, & cum magno honore & luminaribus accensis, sicut fuit antiqua consvetudo Ecclesiæ primitivæ. *Lyra. c. Levitici* 10.

# CAPUT VI.

## De Pænis Clericorum.

1 Potestne Episcopus imponere pænas Clericis subditis ?

℞ Potest, si alia via delinquentes coërcere non valet, nam quando valet, à pænis abstinendum est, cum Episcopus sit pater, *Conc. Trid. Sess.* 13. *c.* 1 *de reformat.*

2 Si plures pænæ sint in uno delicto, quam debet Judex vel Episcopus eligere ?

℞ Possunt eligere quam maluerint, sed debent eligere mitiorem, ut fiat judicium, cum misericordia, & quia Episcopus est Pater & quem potest corrigere non debet occidere. tenet *Abb. in c. at si Clerici de judicijs n.* 36.

3 Quando Judex procedit ex solis Præsumptionibus, quam sententiam debet proferre ?

℞ Sententiam moderatam, & raro vel nunquam debet pænā ordinariā imponere, & magis debet, respicere emendationem morum quàm punitionem delicti, tenet. *Abb. in c. si quisquam de cohabitatione Cler. & Mulierum n.* 4.

4 Quomodo debet procedi cum Clerico incorrigibili ?

℞ Si delicta sint atrocia & de se petant depositionem, degradationem, & in Laico de jure illa delicta puniuntur morte temporali, tunc si Clericus fuit admonitus & correptus, primò, secundò & tertio, & si perseveravit in delictis, 1mo est deponendus, 2do excommunicandus, 3tio, solenniter degradandus, 4to, tradendus Curiæ sæculari *c. cum non ab homine de judicijs.*

5 Judex sæcularis, quid debet agere cum Clerico degradato ?

℞ Ex processu facto à Judice Ecclesiastico absq; novo processu, & probationibus talem Clericum condemnare ad mortem, & illam executioni mandare.

6 In quibus casibus debet Clericus degradari, & Curiæ sæculari tradi ?

℞ In pluribus, primò, quando est hæreticus relapsus, vel impænitens. 2do, si commisit crimen læsæ Majestatis humanæ. 3tio, quando est falsarius literarum Apostolicarum 4tò, quando Clericus refert calumniam suo Episcopo, tollendo illi famam vel honorem vel machinando illi mortem. 5to, si sit incendiarius vel depopulator agrorum. 6to, si assassinus, sed considerandum est an tale delictum comissum à Clerico, in Laicis petat mortem atrocem, & tunc considerata gravitate & atrocitate delicti, debet Clericus tradi Curiæ sæculari, quia sunt aliqua delicta, quæ in homine sæculari petunt pænam mortis, ut furtum & homicidium casuale, & in Clerico non semper petunt degradationem, sed possunt puniri reclusione perpetua, cum Sacerdos sit præcellentioris & altioris conditionis, quam Laicus *c. si quis sacerdotem* 11. *q.* 1. *c. si qui sunt* 2. *quæs.* 7. *c. novimus de verb. significatione c. ad abolendam de hæreticis.*

7 Inquisitus debetne puniri pæna æquali, sicut accusatus ?

℞ Non, sed mitiori modo, ratio est, quia in inquisitione proceditur ex solo zelo Judicis, & nulla est læsio partis, sed in accusatione est damnum partis, & debet illi satisfieri, tenet *Abb. in c. at si Clerici, de judicijs n.* 34.

8 Quomodo Episcopus debet procedere cum subdito criminoso, cum delictum non est publicum sed constat soli ipsi ?

℞ Debet subditum privatim corrigere absq; judicij strepitu, attendendo ad medicamentum animæ *Abb. in c. conquerenti de rest. spoliat.*

9 Quando debet Clericus privari suo beneficio ?

℞ Cum 3bus requisitis, primò, quando causa privationis sit justa, & jure expressa pro tali delicto 2dò, quando delictum ob quod privatur sit publicum, & non occultum. 3tiò, quod privetur per sententiam servato ordine Juris. *Abb. c. conquerenti de restit. spoli. n.* 2.

10 Genera pænarum quæ ab Episcopo imponi possunt ?

℞ Partim quæ affligunt corpus, partim quæ animam, partim quæ famam. *Henriq. Lib.* 13. *c.* 1

11 Quæ sunt pænæ corporis, quas Clericis Episcopus potest imponere ?

℞ Damnatio ad triremes, detentio carceris, fustigatio, tractus cordæ, exilium, remissio ad brachium sæculare, hæc omnia secundum delicti qualitatem. *Bernar. Diaz. in pract. crimin. c.* 143. *Julius. Clar. in pract. q* 60. *§. fin.*

12 Quæ est pæna pecuniaria ?

℞ Quando quis debeat luere delictum in corpore & luit in bonis, facta moderata compensatione *Felin. c. caterum de Offic. ordin. n.*7.

13 Quæ est pæna famæ ?

℞ Depositio, degradatio, quæ hominem faciunt infamem *c. degradatio de pænis Lib.* 6

14 Quare statuta est pæna à Jure in delictis ?

℞ Quia pæna dirigit hominem ad virtutem, ut ejus timore desistat à malo, & à committendo delicto. *Abb. in c. nisi specialis de Offic. legati n.* 5. *&* 6. *& c. ad reprimendam de Officio Judicis Ordinarij n.* 1.

15 Pæna in delictis quanta debet esse ?

℞ Commensurabilis delicto. *Abb. in c. nisi specialis de Offic. legati n.* 5.

16 Si quis committat, aliquod delictum & habeat alias virtutes; quomodo est puniendus ?

℞ Mitiori pæna, & etiam est diligendus sicut Clericus. *Abb. in c. nisi specialis de Officio. legati n.* 3.

17 Conspirantes contra proprium Episcopum, qua pæna puniuntur ?

℞ Si conspiratio sit contra honorem, vel personam Episcopi, sive in re parva, sive in gravi, si sint Clerici deponuntur pro prima vice, pro secunda tanquam incorrigibiles, traduntur Curiæ sæculari, si sint

ri, si sint sæculares, excommunicatur & puniuntur pœna talionis. *Abb. in c. cum non ab homine c. at si Clerci de judicijs c. fin. de testibus cogendis n. 4.*

18 In pœnis arbitrarijs quomodo se debet gerere Judex?

℞ Non debet dare pœnam ordinariam, neq; majorem, sed minorem considerata persona & qualitate delicti. *Abb. in c. inquisitionis de accusat. n. 9.*

19 Quæ est pœna animæ?

℞ Excommunicatio, suspensio, interdictum & cessatio à divinis, *Tol. Lib. 1. c. fin. Suar. L. 5. Avila & alibi communiter D.D.*

20 Poteritne Episcopus examinare suos Clericos & suspendere illos ad tempus ab exercitio Ordinis, & Officio si sint Parochi?

℞ Potest quoties voluerit, etiamsi sint approbati ab alijs Episcopis. *Conc. Trid. Sess. 14. cap. 3. de Ref.*

# CAPUT VII.
## De armis.

1 Clerici possuntne habere arma suis in domibus?

℞ Possunt ad sui defensionem, sed non possunt ferre ea extra domum.

2 Quibus ex causis potest Clericus ferre arma extra domum sine pœna?

℞ 1mò, ex licentia sui Episcopi, 2dò in itinere. 3tiò, si habeat graves inimicitias, 4tò, si aliquis voluisset perfodere domum suam vel facere violentiam *c. Cler. de vita & honest. Cleric.*

3 Quæ sunt arma Clericorum, quibus debent se defendere & Ecclesiam?

℞ Lachrymæ, lectiones & orationes *c. convenior. §. quid ergo 23. q. 8.*

4 Clericus qui portat arma quam pœnam incurrit?

℞ Triginta dies inclusus in carcere debet jejunare in pane & aqua *c. Clerici 23. q. 8.* sed hodie punitur, secundum Constitutiones Synodi suæ Diœcesis.

# CAPUT VIII.
## De Clericis pugnantibus in duello.

1 Quot modis committitur homicidium?

℞ 4. Facto, Præcepto, consilio & defensione, *c. 2 de Clericis pugnantibus in duello.*

2 Quid est duellum?

℞ Est decertatio duorum, vel plurium de facienda aliqua re vera vel pro vidicanda aliqua injuria, statuto tempore, & loco cum patrinis electis à partibus, quorum Officium est dividere terram, & solent recognoscere arma, judicare de victoria, ita quod veritas illius rei sit posita in armis, & non in alio judicio, ita definitur *in Lib. antiquo duelli:*

3 Quam pœnam incurrunt qui certant in duello?

℞ Tam ipsi, quam Patrini adjuvantes sunt excommunicati, infames, & omnia sua bona confiscata, & si decesserint e vita in pugna, carent sepultura Ecclesiastica. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. & Bulla Gregor. XIII. quæ incipit ad tollendam detestabilem duellorum.*

4 Domini temporales non prohibentes duellum quam penam incurrunt?

℞ Sunt excommunicati,

5 Si dicti Domini assignaverint locum duello, quam pœnam incurrunt?

℞ Ultra excommunicationem, amittunt, quid quid ab Ecclesia obtinent, & si locus ubi celebratur duellum, sit de feudo statim perdunt, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 19.*

6 Hæc excommunicatio posita à Concilio de quibus duellis intelligitur?

℞ De duellis solennibus & publicis tantum, ubi servantur omnia requisita posita in definitione duelli, non de duellis privatis, quando quis accensus ira aliquem privatim provocat in agrum vel certum locum ad pugnandum, quia Conc Trid. solum voluit tollere genus pugnarum quod solenniter olim fiebat, ad restitutionem honoris, & duella vocabantur, & lex pœnalis extendenda non est *Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 19.*

7 Si quis in duello, vel torneamentis vulneratus petat pœnitentiam, quæ sacramenta debent ei administrari?

℞ Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, non autem sepultura Ecclesiastica *c. 1. & 2. de torneamentis.*

8 Quare huic majora conceduntur & minora denegantur?

℞ Quia Sacramenta pœnitentiœ & Eucharistiæ ad salutem animæ sunt necessaria, & ideo ei communicantur, at vero pœna posita ab Ecclesiâ, ut talis careat sepultura Ecclesiastica, non tollitur ab Ecclesia per pœnitentiam, ut homines à tali crimine arceantur. *tex in c. 1. de torneamet. & ibi gl.*

9 Quam pœnam incurrit Clericus qui pugnat in duello, sive ibi moriatur, sive non?

℞ Deponendus est ab officio & beneficio *c. 1. de Clerico pugnante in duello.*

10 Clericus provocans vel acceptans duellum sollenne, qui cum effectu descendit in arenam est ne suspensus ipso jure?

℞ Non, sed venit suspendendus per sententiam sed ipso jure excommu nicatur *à Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. c. de Clericis pugnan in duello.*

11 Clericus provocans aliquem ad pugnam, vel ad singulare certamen, vel acceptans provocationem alterius, si non descendat ad talem pugnam, estne excommunicatus vel qua pœna punitur?

℞ Talis Clericus non est excommunicatus, quia excommunicatio non incurritur verbis (nisi in materia hæresis) sed factis, & talis punitur pœna gravi arbitraria á Judice, tanquam inquietus *DD. in c. 1. de Clerico pugnante in duello.*

12 A quo dispensatur talis Clericus pugnans in duello?

℞ Si in tali duello fuit mutilatio membri Clerici vel adversarij vel mors, à solo summo Ponrifice, si autem non fuit mutilatio membri, neq; mors sed aliquod vulnus minimum, à suo Episcopo, *c. 1. de Clerico pugnante in duello & ibi DD.*

13 Clericus qui dat ensem vel pugionem ut aliquis occidatur & cum eo fit occisio, quam pœnam incurrit?

℞ Incurrit pœnam inregularitatis, sed si ipse nihil sciebat, & commodavit casu ensem vel pugionem alicui, & ille fecit homicidium, Clericus non remanet inrregularis, cum nullam dederit dire-

derit directam causam tali occisioni, nisi causam remotissimam, ut si Clericus ædificet domum & ista domus cadat, & occidat habitantes non incurret irregularitatem, quia ista causa est remotissima, & præter voluntatem ædificantis *c. 2. de Clerico pugnante in duello.*

14 Si quis accedat ad locum torneamenti non animo pugnandi, sed ex alio accidenti, & ibi moriatur, carebitne Ecclesiastica sepultura?

℞ Non, quia talis pæna posita est contra eos, qui animo pugnandi accedunt ad duellum. *c. ad audientiam de torneamentis.*

15 Si in festis publicis, ubi præmia proponuntur aliquis ad ostentationem virium aliquid faciat & inde moriatur, ut ludendo ense, saltando per arborem, luctando, vel alia similia faciendo, debetne talis carere sepultura Ecclesiastica?

℞ Si exercitium sit licitum, & non sit in evidenti periculo amittendi vitam, sed solum ad ostendendas, magnas vires, vel corporis agilitatem, talis non caret sepultura Ecclesiastica, quia dum vivit, aliquos ludos facere licet ut in *l. solent ff. de aleatoribus.* si autem exercitium sit in evidenti periculo vitæ, ut antiqui faciebant gladiatores, talis caret sepultura Eccleastitca ut *l. sequ. ff. eod. tit.*

16 Quando Nobiles & equites ob aliquam lætitiam edunt torneamenta, vel ludunt arundinibus cursando cum equis, & ibi quis moriatur, caretne sepultura Ecclesiastica?

℞ Non, quia præcipua intentio Equitum non est interficere aliquem, sed solum ludere & plaudere Principi, vel populo. *c. ad audientiam de torneament.*

17 Qui dicitur incorrigibilis?

℞ Ille qui pluries admonitus non se emendat.

18 Clericus homicida incorrigibilis quam pænam incurrit?

℞ Deponendus est degradandus, & tradendus Curiæ sæculari, ut naturaliter moriatur. *c. 1. de homicidio. voluntario vel. casuali.*

19 Qui occidit latronem vel inimicum inculpata tutela defensionis suæ personæ, ita quod aliter se non poterat liberare, quam pænam incurrit?

℞ Nullam, quia vim vi repellere licet, & quilibet magis tenetur suam vitam conservare, quam vitam alterius. *c. 2. de homicidio volunt. vel casuali.*

20 Moderamen inculpatæ tutelæ, quomodo debet judicari, stricto vel largo modo?

℞ Largo modo in favorem Clerici se defendentis, cum tale inculpatæ tutelæ dependeat à futuro eventu, & sæpe ex eo succedit casus inopinatus, & præter intentionem, imò & sæpe contra voluntatem facientis; ratio est, quia conservatio vitæ, est primum bonum, & quilibet tenetur ad suam vitam defendendam. *DD. in c. 2 de Clerico pugnante in duello.*

21 Si aliquis Clericus occidat latronem, ita tamen ut fugiendo vel alio modo se potuisset liberare, quam pænam incurrit?

℞ Puto quod sit irregularis, quia potius debebat dimittere sua bona, quam hominem interficere, *Gloss. in c. suscepimus* & infra de homicidio volunt. vel casuali!

22 Quam pænam incurrit Clericus homicida voluntarius?

℞ Privatur Officio vel beneficio obtento, vel obtinendo, & fit irregularis, cujus absolutio est reservata Papæ, sed si homicidum sit casuale, vel vim vi repellendo, cognita causa ab Episcopo dispensatur *Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. de Ref.*

# CAPUT IX.
## De Clerico homicida.

1 Sacerdos homicida quam pænam incurrit?

℞ Tam sacerdos, quam Diaconus, vel subdiaconus, Ordine privatur, & deponuntur, & recluduntur, in monasterio, ut faciant pænitentiam duodecim annis. *c. tua discretionis, de pænis.*

2 Clericus pugnans pro se, vel pro alio, quam pœnam incurrit?

℞ Non debet amplius sacros Ordines exercere, etiamsi neminem interfecerit. *c. Henr. Presbyter, de Cler. pugnant. in duello.*

3 Clericus, qui in duello, vel rixa moritur, quam pænam incurrit?

℞ Non privatur sepultura Ecclesiastica, sed in oratione, & oblatione pro eo non postulatur. *c. quicunque Clericus. 23. q. 8.*

4 Clericus, qui occiderit Cardinalem, vel Episcopum, qua pæna punitur?

℞ Amittit beneficium, & omnia bona sua confiscantur. *c. felicis, de pœnis, Clem. 1. in 6.*

5 Clericus, qui occidit paganum, qua pæna punitur?

℞ Est suspensus, nec poterit promoveri ad alios Ordines. *c. Clericum, dist. 50.*

6 Clericus, qui ob sui defensionem aliquem occiderit, qua pæna punitur?

℞ Si aliter non potuit vitare mortem, non incurrit irregularitatem, neque aliquam pœnam *Clementina. Cap. si furiosus, de homicidio, & late de hoc in isto libro 5.*

# CAPUT X.
## De Clerico Simoniaco, usurario, vel falsario, vel latrone.

1 Quam pænam incurrit Clericus Simoniacus?

℞ Privatur Sacerdotio & beneficio. *c. insinuato de Simonia.*

2 Pro sepultura poteſtne exigi aliquid?

℞ Non, sed si quid sponte offeratur ab hæredibus defuncti, recipi potest. *c. quæsta est, 13. q. 2. c. in Ecclesiastico, ead. q.*

3 Poteſtne exigi pretium pro danda possessione, pro ordinatione, pro collatione Sacramentorum, pro benedictione nubentium, & pro mortuis sepeliendis?

℞ Non potest, pro his rebus exigi pretium, cum sint res sacræ, & si exigatur, committitur simonia. *c. non satis. de Simonia.*

4 Quam pænam incurrit Sacerdos, qui pretium petit ab eo, cui sacram Communionem dispensat?

℞ Deponitur. *c. nullus. 1. q. 1.*

5 Quam pænam incurrit Clericus, faciens furtum, vel frangens domum?

℞ Septem annis debet pænitere, & recludi in aliquo loco. *c. Si quis Clericus 17. q. 4.*

6 Quam pænam incurrit Clericus falsarius?

℞ Si falsificaverit Bullas Apostolicas, privatur officiis, & bene-

cijs, & beneficijs, & degradatur, & traditur Curiæ sæculari. *c. ad audientiam. c. ad falsariorum, de crimine falsi, c. novimus. de verborum significatione.*

7 Clericus tentans furto subtrahere vasa sacra qua pæna est puniendus?

℞ Gravissima pæna, & si de facto id fecerit, maiori pæna à Judice Ecclesiastico est puniendus, ita ut, si furtum sit qualificatum, possit degradari, & ad triremes mitti.

## CAPUT XI.

### De cohabitatione Clericorum, & mulierum, ex Libro tertio Decretalium.

1 Quid est cohabitatio Clerici, & mulieris?

℞ Est simul in unum habitare, quasi habitarent maritus, & uxor.

2 Clericus potestne retinere mulierem in domo sua?

℞ Si talis mulier sit suspecta de incontinentia, non debet eam domi retinere, etiam si sit soror, vel consanguinea, sive sit suspecta cum ipso Clerico, vel cum tertia persona propter honestatem Clericorum. *c. 1. de cohabitatione Cler. & mul.*

3 Quis dicitur fornicator notorius?

℞ Ille, qui est notorius per suam confessionem, vel per sententiam, vel per evidentiam facti, ut cum quis publicè habet concubinam, vel publicè est fornicator. *c. vestra, de cohabitatione Clericorum, & mul. Abb. ibi n. 3. c. fin. nu. 4. eod. tit.*

4 Iudex, quando procedit ex præsumptionibus, quam sententiam debet ferre?

℞ Debet sententiare moderatè plurimum, & rarò, debet pænam ordinariam imponere. *Abb. c. si quisquam de cohabitatione, nu. 4.*

5 Ex solis indicijs potestne quis facere sententiam?

℞ Si indicia sint adeò urgentia, & in tanto numero, arbitrio iudicis sufficiunt ad dandam sententiam in criminalibus, *l. indicia. C. de rei vendicatione. Abb. c. vestra, de cohabitatione Clericorum, nu. 13. c. afferte, de præsumptionibus.*

6 Episcopus debetne compellere Clericum, ut iuret se dimissurū concubinā intra tantum tēpus?

℞ Non, quia nemini parandus est laqueus, ut si revertatur ad concubinam, sit cōcubinarius, & periurus, sed per sententiam suspensionis, & interdicti debet procedere, & crescente contumacia, augenda est pæna. *c. Clericos, de cohabitatione Clericorum.*

7 Si quis Clericus moneatur, ut evitet conversationem, & familiaritatem mulierum, qua pœna punitur, si non fecerit?

℞ Præmissa trina monitione excommunicatur. *c. si quisquam, de cohab.*

8 Clerici possuntne habitare cum suis sororibus, & Consangvineis?

℞ Possunt, cum naturale fœdus excludat omnem suspicionem delicti, & mali. *c. à nobis, de cohabitatione. Abb. ibi nu 1.*

9 Episcopus potestne habere matrem, sororem, vel aliquam fæminam non suspectam in domo?

℞ Poterit. *Abb. c. 1. de cohabitatione nu 1. & 2.*

10 Clericus in minoribus poteritnè Matrimonium contrahere?

℞ Poterit licitè absq; pæna. *Abb. c. si autem, de cohabitatione, num. 2.*

11 Debetne quis audire Missam à Clerico notorio fornicatore, vel concubinario?

℞ Non, sed abstinere, non ideò, quòd sacramēta ab eo confecta non sint sacramenta, sed in pænam delicti illius Clerici, ut emendetur. *c. vestra, de cohabitat.*

## CAPUT XII.

### De Clerico concubinario, vel fornicatore.

1 Quis dicitur notorius concubinarius?

℞ Quando delictum est notum per confessionē factam in iudicio, aut per sententiam, aut per facti evidentiam, quæ tergiversatione aliqua celari non potest; verbi gratia, si Clericus retinet concubinam ut uxorem, & talis dicitur notorius cōcubinarius, *c. quæsitum, de cohabitat. Cler. & mulierum. Abb. in c. vestra, num. 6. de cohabitatione Clericor. & mulier.*

2 Quis dicitur publicus fornicator?

℞ Ille, qui publicè vagatur abutēs hac, vel illa. *Diaz in praxi criminali. c. 73. & Navarr. in summ. Cap. 25. num. 77.*

3 Clericus concubinarius, vel fornicator notorius celebrans, vel exercens actum Ordinis ante absolutionem à suspensione, quam pœnam incurrit?

℞ Irregularitatis. *Sylvester. verb. irregularitas, in fine nu. 15. Abb. in c. quia circa. nu. 5. de bigamis.*

4 Quis potest absolvere ab hac irregularitate?

℞ Sunt variæ opiniones, sed. *Covar. in Clem. si furiosus. 1. p. §. 2. nu. 5.* dicit esse communem opinionem, quòd solus Papa potest dispensare, iuxta *Abb. in Cap.* vestra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, sed si sit occulta, poterit Episcopus absolvere sine dubio.

5 Quis potest dispensare in suspensione cum Clerico notorio concubinario, & fornicatore?

℞ Episcopus sine aliquo dubio. *Sylvester verb. irregularitas. in fine, & Abb. in c. quia circa. num. 5. de bigamis, Conc. Trid. Sess. 25. c. 14.*

6 Notorietas ista concubinarij, & Clerici fornicatoris, quomodo cognoscitur, & probatur, ut Clericus se esse suspensum, & alij sciant illū esse evitandum?

℞ Ex tribus capitibus cognoscenda est ista notorietas. *1mò*, si talis Clericus coram iudice cōfessus est se esse notorium concubinarium, vel fornicatorem. *2dò*, quando Judex per sententiam definitivam judicavit, Petrum esse notorium concubinarium, vel fornicatorem, *3tiò.* quando facti evidentia ita est, ut talis Clericus non audeat negare se non esse notorium concubinarium, *c. cum tua, de cohabitatione Clericorum, & mulierum.*

7 In supradictis notorietatibus requirriturnè aliqua citatio, vel declaratoria?

℞ Non de iure, sed de consvetudine, quæ servāda est, requiritur citatio, & declaratoria, & sine his quis nō est habendus pro suspēso. *Covar. 1. par. relect.*

8 Si quis sit constitutus in minoribus Ordinibus, & sit concubinarius notorius, erit nè suspensus?

℞ Pæna suspensionis imponitur omnibus tam in maioribus, quam in minoribus Ordinibus constitutis. *Can præter. dist. 32. Sylu. verb. concubin. §. 4.*

9 Clericus

9 Clericus notorius fornicator quã pœnã incurrit?
℞ Est suspensus ipso Jure. *Navar in summ. Cap. 25. numer. 76.*

10 Clericus notorius concubinarius quam pœnam incurrit?
℞ Est ipso Jure suspensus. *c. quæsitum, de cohab. Clericorum, & mulierum.. Conc. Trid. Seß. 25. c. 14. de Ref.*

11 Hæc suspensio est ne solum ab officio?
℞ Est ab officio, & beneficio, & à perceptione fructuum. *Abb. in c. vestra, de cohab. Clericorum, & mulierum, nu. 7. Conc. Trid. Seß. 25. c. 14.*

12 Ad condemnandum aliquem in pęna suspensionis pro concubinatu, quid requiritur?
℞ Ut priùs admoneatur solemniter secundum legem Evãgelij, & postea cõtra illũ procedatur, & habeat unam ex tribus prædictis notorietatibus & non sufficit, ut per edictum generale quis admoneatur. *DD. super C. 14. Seß. 24.*

13 Cognitio de concubinarijs ad quem Judicem pertinet, ad Ecclesiasticum, vel sæcularem?
℞ Quando Laici committunt hoc crimen, cognitio est mixti fori, scilicet judicis Ecclesiastici, & sæcularis, & est locus præventionis, si verò committat hoc delictum aliquis Clericus etiã in minoribus, vel Clericus etiam in majoribus, vel Clericus uxoratus, cognitio in solidum pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, & potest procedere summariè sine scriptura Judicis. *Conc. Trid. Seß. 24. c. 8.*

14 Poteſtne Iudex Ecclesiasticus cognoscere ex officio, vel ad instantiam fisci de crimine concubinariatus in mulieribus uxoratis?
℞ Non poterit procedere ex officio, neq; ad instantiã fisci, propter periculum mortis mulieris sed solùm poterit procedere ad petitionẽ mariti, & magna cum cautela, sed aliquando cũ crimen est scandalosum, poterit detecto nomine mulieris, Clericũ de incontinentia punire. *tenet Bern. Diaz in prax. c. 65.*

15 In quibus casibus poterit Iudex Ecclesiasticus in causa adulterij, cõcubinatus, fornicationis procedere contra mulieres uxoratas sine petitione mariti?
℞ Poterit procedere, quando adulterium est publicum, & maritus persona vilis, & non timetur de morte mulieris. 2do, quando maritus consentit in adulterium, & tunc ipse maritus prius est incarcerandus, quã ipsa mulier. *Bernard. Diaz in praxi, c. 65.*

16 Quis dicitur propriè cõcubinarius, & unde dicitur?
℞ Concubinarius derivatur à concubina, & propriè dicitur ille, qui cum aliqua muliere, sive uxorata, sive libera, tam familiariter cohabitat per aliquod tempus, sicut vir cum sua uxore, licèt non vivant in una domo, neque unus alatur sumptibus alterius; hæc enim sunt inditia, & præsumptiones violentæ, quæ cum alijs adminiculis, vel uno teste faciunt probationem plenam. *DD. super c. 14. Seß. 25.*

17 Crimina concubinatus in qua differentia sunt?
℞ In duplici differentia; nam aliquis est concubinarius notorius, aliquis concubinarius occultus *Abb. in c. vestra, de cohabitatione Clericorum, & mulierum*

18 Quis dicitur occultus concubinarius?
℞ Ille, qui habet concubinam, vel in domo cum sua sorore, vel matre, vel extra domum, sed tã occultè, & cautè, ut hoc delictũ á nullis, vel à paucis sciatur, & iste mitiùs est puniendus, cum non det scandalum.

19 Quis dicitur notoriè concubinarius?
℞ Quando delictum est notũ, & publicũ, aut per sententiam judicis, aut per confessionem factam in judicio à parte, aut per facti evidentiam, & publicam famam, verbi gratia, si Clericus retineat concubinam in sua domo, ut uxorem, & hoc sit tam publicum, quòd tergiversatione aliqua occultari, cælari non possit, præcipuè si ipse extra Judicialiter de hoc coram amicis suis laudetur.

20 Quis dicitur publicus, & notorius fornicator?
℞ Ille Clericus, qui publice vagatur, abutens hac, vel illa muliere, & iste talis non punitur pœnis positis à Concilio concubinarijs sed alijs pœnis à Jure expressis. *Bernard. Diaz in praxi crimin. c. 73. & Nau. in Sum. c. 25. n. 77.*

21 Qualis debet esse sententia, quæ faciat notorium concubinarium?
℞ Illa sententia, quæ transit in rem judicatam à qua non fuit appellatum, non pendente appellatione, talis sẽtẽtia potest revocari à superiore

22 Quæ confessio partis facit notorium concubinarium, & fornicatorem?
℞ Confessio facta iuridicè coram Iudice, & testibus, non confessio extorta vi, vel metu, neq; confessio extraiudicialis; nã cum simus in pęna gravissima, dari non debet, nisi per confessionẽ iuridicam.

23 Quæ notorietas facti sufficit ad probationem cõcubinatus, vel fornicationis?
℞ Quando facti evidentia crimen ita est publicum notorium, & famosum, ut talis clericus nõ audeat negare, se esse notorium concubinarium *c. tua de cohabit. Cleric. & mulier.*

24 Fama publica, ut faciat notorietatem delicti in concubinario fornicatore, vel alio delicto, quas qualitates debet habere, ut sit sufficiens probatio?
℞ Fama ista publica debet esse talis, quòd à toto populo, vel maiore parte populi in iudico, & extra iudiciũ affirmetur, Petrum, v. g. commisisse tale delictum cum tali persona, absque aliqua varietate, & hoc esse publicum notorium, & famam publicã, & licet nullus dicat se vidisse, hæc contestatio totius populi, vel maioris patris populi facit tale delictum famosum, & notorium per famam.

25 Si quis Clericus sit concubinarius, vel fornicarius per murmur publicum, debentne contra illũ recipi testes ad eum condemnandum?
℞ Si tale murmur non transit in famam publicam, debent fieri processus, & recipi testes ad condẽnandum tale crimen, quia murmur non facit probationem, imo sępe est mendatium, & falsum *c. tua nos, de cohabit. Cleric. & mulier.*

26 Si sint plurimi hõines, qui extraiudicialiter dicant, Petrum esse cõcubinariũ notorium notorietate facti, & nolint in iudicio iuramento affirmare Judex

mare, Iudex debetne condemnare talem Clericum pœna concubinarij ?

℞ Non, quia ad condemnandum aliquẽ plus requiritur iuramẽtum, quã loquela extraiudicialis, cum agatur de damano alterius, ſolum põt monere teſtes, ut dicant veritatem, & proteſtari eis, quòd in conſcientia teſtis reſtat tale delictum, & debet charitatiuè monere talẽ Clericum, ut tollat occaſſionẽ illius rumoris, & famæ, & cum hoc talis Judex reſtat ſecurus in cõſcientia, quia ipſe non poteſt aliquem condemnare ſine probationibus, & teſtibus legitime receptis. tenet *Abb. in c. tua nos, de cohab. Cleric. & mul.*

27 Crimen notorium concubinatus quam probationem requirit, ut non indigeat alijs teſtibus ?

℞ Si ſit notorium notorietate ſententiæ, vel facti, vel famæ, ita ut de crimine dubitari non poſſit, ut dictum eſt, non indiget aliquo teſte, neque accuſatore ad eius punitionem, ſed raró contigit tenet. *Abb. in c. tua nos, de cohab. Cler. & mul.*

28 Ex ſolis inditijs, & pręſumptionibus poteſtne quis condemnare concubinarios pęna poſita à Concilio ?

℞ Si pręſumptiones, & inditia ſint adeo vrgẽtia & violẽta, & in tãto numero, quod arbitrio Judicis ſufficiat poterit aliqua pęna extraordinaria, & omnino tollere occaſionẽ illius mulieris, ſed non poterit eum condẽnare pena ordiñria, quę graviſſima eſt: ratio eſt, quia delictum cõcubinarij nõ eſt ita occultum ſicut alia delicta, imo de eo plurimi, ut ſunt vicini, & famuli debent habere notitiam, cum ad veram rationem requiratur, ut talis homo vtatur tali muliere ea ſecuritate, & familiaritate, qua utitur maritus cum ſua vxore, & in delictis, in quibus poſſunt haberi teſtes, inditia, & præſumptiones adiuvant, ſed non cõdemnant. *tenent Abb. in c. veſtra, & in c. ſi quiſquam nu. 4. de cohab. Clericorum, & mulierum, & c. afferte mihi gladium, de præſumptionibus.*

29 Quando clericus eſt in famatus de crimine concubinatus, Judex quid debet agere ?

℞ Si teſtes non deponant crimen, ſed ſolùm deponãt infamiam, & ſcandalum de auditu, tunc Judex debet conſtringere clericum ad purgationem canonicam, & ſi in ea defecerit, poterit eũ punire pęna extraordinaria. *tenet. Abb. in c. tua nos, de cohabit. cleric. & mulierum, nu. 5.*

30 Si crimen concubinarij, vel fornicarij non ſit notorium aliqua notorietate ex ſupradictis, quã probationem debet facere Judex ad pœnam ordinariam ?

℞ Probationem iuridicam per teſtes, vel per confeſſionem partis, ſicut in alijs delictis.

31 Quam pœnam poſuit Conc, Trid. clericis concubinarijs ?

℞ Si Clericus à ſuperiore admonitus non dimiſerit concubinam, quam intra domum habet, vel extra domum, pro primavice privatur ipſo facto tertia parte fructũm, obuentionum, & prouetuũ omnium beneficiorum ſuorum, & penſione, quæ pęna fabricæ Eccleſiæ applicatur, vel alio pio loco arbitrio Epiſcopi; ſi vero cum eadem, vel alia fęmina perſeuerauerit, & ſecundæ monitioni non paruerit, fructus omnes, & proventus ipſo facto amittit, & ſuſpenditur ab adminiſtratione ſuorũ beneficiorum per tantum tempus, quantum ſuo ordinario placuerit, & ſi pro tertiavice ſuſpenſus perſeuerauerit, tunc beneficijs, Officijs, dignitatibus perpetuò priuatur, donec reſipiſcat, & aluis ſuperioribus habilitetur, & proquartavice ſi perſeuerauerit excommunicatur, & extra Eccleſiam eicitur. *Conc. Trid. Seſſ. 25. de Ref. c. 14.*

32 Iſta pęna poniturne à Concilio concubinarijs, & fornicatoribus notorijs, & publicis, vel etiam occultis, qui abſque ſcandalo, & notorietate habẽt concubinas ?

℞ Hæc pęna æqualiter ponitur à concilio clericis habentibus concubinas publicas, quia in iſto. *c.* non punitur ſcandalum, ſed delictum, licet mitius agendum ſit cum Clericis habentibus concubinas occultas, quia non dant tantum ſcandalum. *DD. in d. c. 14. ſeſſione 25.*

33 Si Clerici non habeant beneficià, qua pæna puniuntur ?

℞ Carcere, ſuſpenſione ab ordine, reclusione perpetua, inhabilitate ad beneficia obtinenda & alijs pænis iuxta grauitatem delicti. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 14.*

34 Requiriturne neceſſario, ad crimen concubinatus ut Clericus continuato tempore cum una muliere cohabitet. vel ſufficit diuerſis temporibus cum diuerſis mulieribus cohabitet inhoneſte ?

℞ Vtroque modo eſt proprius concubinarius, ſi utatur dictis mulieribus tanquam concubinis; ratio eſt, quia crimen iteratum, & crimen continuatum idem ſunt, quoad pęnam, præcipuè cum concilium dicat expreſse cum eadem, vel alia fæmina perſeuerauerit; ratio eſt, quia diuerſitas perſonarum non diuerſificat delictum, neque tollit pęnam, cum ſit in eodem, genere. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 14.*

35 Si Epiſcopus tale delictum committat, quod ab ſit qua pęna punitur per Conc. Trid.

℞ Cum Epiſcopo alius ordo eſt ſeruandus propter eius dignitatem, quia raró poteſt contingere, & ita ſi Epiſcopus, qui hoc crimen commiſit, admonitus á ſynodo Prouinciali non ſe emendaverit, ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi perſeuerauerit? ſynodus Summum Põt. certiorem faciat, ut eum, animaduertat. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 14. de Ref.*

36 Si quis privatus ſit fructibus ſui beneficij pro delicto concubinatus, & illud reſignet, illa privatio tranſitnè in ſucceſſorem ?

℞ Non, quia pœna impoſita eſt tali perſonæ, & non tali beneficio ?

37 Quando concilium Trid. in c. 14. Seſſ. 25. imponit pœnam concubinario, qui admonitus non dimittit concubinam, de qua monitione loquitur ?

℞ De monitione ſolemni ſecundum legem Euangelij, ſcilicet quod 1mo debet eſſe admonitio priuata inter Epiſcopum, & Clericum. 2do coram duobus, vel tribus teſtibus viris religioſis 3tio coram alijs teſtibus viris probis, & religioſis referendo ſemper reliquas monitiones charitativè hortãdo, & non ſufficit, vt hæc monitio ſit per edictum, ſed de perſona ad perſonam; ratio eſt,

quia

quia ad tam magnā pœnā requiritur magna contumacia,ut tenent. *DD. super c.* 14. *Seſſ.* 27.

38 Iſtæ tres monitiones debentne fieri, prima vice, quando quis privatur tertia parte fructum,& ſecunda vice, quando privatur omnibus fructibus & tertia, quando privatur beneficijs?

℞ In qualibet vice debent fieri iſtæ tres monitiones, quia in qualibet viceeſt diverſum judicum, & diverſa pæna, verum quod poteſt mederi oleo, non debet ſanari ferro. tenent. *DD. ſuper c.* 14. *Seſſ.* 25.

39 Quod tempus debet intercedere inter primam, ſecundam, & tertiam monitionem?

℞ Arbitrio Epiſcopi reliquiritur, ut neceſſitas poſtulauerit, quia à iure non eſt ſtabilitum.

40 Si Judex voluerit condemnare concubinarium, vel fornicatorem in pecunia, exilio, recluſione, vel alijs pænis à Jure ſtabilitis debentnè præcedere neceſſariò iſtæ tres monitiones?

℞ Tunc ſufficit monitio, quæ ſit per edictum ab Epiſcopis in principio cuiuslibet anni, quia iſta trina, & ſolemnis monitio ſolùm requiritur quādo dēt privari beneficijs,& dari pæna poſſita à*Conc. Seſſ* 25. *c.* 14.

41 Quando Conc. Trid. poſuit pęnas concubinario & fornicario in dᶜ c. 14. Seſſ. 25. ſubſtulitne pęnas à Jure poſitas contra fornicarios, & adulteros concubinarios?

℞ Non ſubſtulit pęnas à Jure poſitas, neq; pęnas poſitas à capitulis Eccleſiarum, vel poſitas à concilijs Provincialibus, & ſynodalibus, imo illas auxit,ut á tanto crimine Clerici deterreatur.*Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 14.

42 Clericvs concubinarius, vel fornicator notorius, de Jure qua pęna punitur?

℞ Eſt ſvſpenſus, & ſi celebret ante abſolvtionem. efficitur irregularis; tenet. *Sylu. verb. irregul.* §. 15. *notabili.* 27. *Abb. l. c. q a circ.n.*3. *de bigamis, Nav. in ſum. c.* 25. *n,* 27.

43 Quis poteſt diſpenſare in ſuſpenſione poſita à Jure,Clerico notorio concubinario,& fornicatore?

℞ Epiſcopus in aliquo dubio, & ſi privatus ſit exercitio ordinis, & adminiſtratione beneficij, Epiſcopus poteſt eum rehabilitare, poſtquam reſipiſcat. tenet. *Sylveſter, & Navar. ubi ſup.*

44 Si aliquis Clericus ſit fornicator, vel habeat unam, vel duas concubinas,& non ſit notorius modo dicto, imò illas habet cum magna cautela, taliter, quòd hoc delictum ſcitur & ſuſpicitur à paucis perſonis, talis eritnè ſuſpenſus,vel irregularis, ſi celebret?

℞ Iſte talis Clericus non eſt ſuſpenſus,quia iſta pæna poſita eſt ſolùm notorijs concubunarijs, & fornicatoribus, qui habent aliquam notorietatem ex tribus ſupradictis. *Tol. Lib.* 1. c. 15. *de ſuſpenſione, & concubinario notorio.*

45 Clericus concubinarius notorius nototorietate facti, ſed ſub aliquo dubio,& velamine, qui habet concubinam in conſortium ſororis, vel matris, eſt nè ſuſpenſus, & abijciendus ab Eccleſia?

℞ Talis Clericus,quo ad ſe,& ſuam conſcientiam, eſt ſuſpenſus, & non debet celebrare, ſicut ille, qui exiſtit in peccato mortali,quia eſt in ſtatu damnatiōis,cum Paulus dicat,quòd talis judicium ſibi manducat,& bibit non dijudicans Corpus Domini,tamen talis Clericus in foro exteriori nō eſt ſuſpenſus,nec debet ab Eccleſia judicari; ratio eſt,quia delictum eſt ſub dubio, & non eſt ſententiatum àJudice,& quod poteſt ad bonā partem interpretari, non debet in reprobam partem judicari. tenet *Abb. in c. veſtra, de cohabit. Clericorum, & mulierum, nu.* 1.

46 Quæ differentia eſt inter Clericū concubinarium, & fornicatorem?

℞ Maxima, & à judicibus multum advertenda, quia delictum,& pæna eſt diſtincta,quia fornicator dicitur homo libidinoſus,qui cum incertis,& pluribus mulieribus habet rem,& actum carnalē, & huic non imponitur pæna concubinarij, ſed mitior, cum hoc delictum procedat ex fragilitate hominis, & non habeat illam perſeverantiā, & duritiam, quam habet concubinarius, tenet. *Abb. in c.veſtra,de cohabitatione Clericorum,& mulierum.*

47 Quæ differentia eſt inter concubinarium notorium notorietate ſententiæ, vel ſuæ propriæ cōfeſſionis vel inter notorium notorietate facti,qui habet domi concubinam, ſed nondum eſt ſententiatus?

℞ Maxima differentia eſt: nam notorius notorietate ſententiæ, ſi celebrat, ſit irregularis, quia eſt ſuſpenſus, ſed notorius notorietate facti, ſolum quo ad ſe eſt ſuſpenſus, ſicut qui eſt in peccato mortali, & non remanet irregularis; ratio eſt,quia ad iſtam irregularitatem requiritur monitio, & ſententia ſuſpenſionis,& hoc tenet Joannes Andreas in *c. tua nos,& c.veſtra,de cohabitatione Clericorum,& mulierum ſed.* Abbas tenet dicto loco,quòd ſi iſte talis ſit ita notorius notorietate facti,quòd habeat concubinā in domo abſq; velamine, & taliter quod iſte talis ſit ſuſpenſus ante ſententiam,& ex conſequenti ſit irregularis, ſi celebret,& Abbas tenet hanc opinionem,quia notorietatem facti indubitatam ponit loco probationis,& ſententiæ,ſed cum in *Conc. Trid. Seſſ.*25.*c.* 14. ponatur ordo in infligendis pænis, hæc dubitatio eſt ſublata, quia neceſſario debent præcedere monitiones, & ſententiæ, ut deveniatur ad ultimam pænam, quæ eſt graviſſima. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *Cap.* 14.

48 Donatio facta à Clerico ſuæ cōcubinæ valet nè?

℞ Non, quia donatio facta à milite ſuæ concubinæ nō valet,& Clericus eſt miles cæleſtis. *c.*2. *de donationibus inter virum,& uxorem,& Abb. c.* 1. *de Clerico ægrotante, nu.* 4.

## CAPUT XIII.
## De Clerico libidinoſo.

1 Clericus fornicarius quam pænam incurrit?

℞ Secundum canonem Apoſtolorum *diſtin.* 81. *c. Presbyter,* decem annis debet agere pænitentiam ſed hodie propter fragilitatem naturæ, mitius punitur per Judicem Eccleſiaſticum, videlicet carcere,& alia pœna pecuniaria ſecundum,ſtatuta cujuſcunq; Diœceſis,& ſecundum ſynodum diæceſanam.

2 Clericus adulter qua pœna punitur?

℞ Per totam vitam in monaſterio recludi debet,& privatur Officio,& beñficio,*c.ſi quis Clericus diſt.*81.

3 Clericus contra naturā peccans qualiter punitur?

℞ Perpetuò in monaſterio recluditur ad agendam pænitentiam, ſed hodie degradari debet, & curiæ ſæculari tradi *c. Clerici. de exceſſibus Prælatorū.*

4 Sacerdos, qui fornicatur cum ſua filia ſpirituali, quam pęnam incurrit;

℞ In Monaſterio per totam vitam recluditur ad agendam pænitentiam, poſtquam duodecim annos peregrinaverit, ſed hodie ſi in actu confeſſionis id ſolicitaverit, per bullam particularem ab Inquiſitoribus punitur. *Bulla Gregorij XV. & dixi latè iſto Lib. 5. c. de Clerico ſolicitante in confeſſione.*

5 Clericus, qui matrimonium contrahit, qua pœna punitur?

℞ Si ſit Subdiaconus Diaconus, vel Sacerdos excommunicatur, & matrimonium non valet, & carcere, vel exterminio punitur. *Clem. unica, de conſangvinitate, & affinitate.*

## CAPUT XIV.

## De Clerico Excommunicato celebrante.

1 Sacerdos excommunicatus ſi celebrat, qua pæna punitur?

℞ Tribus annis debet ſe abſtinere à carnibus, & vino, ſecunda, quarta, & ſexta feria, *c. de illis. 11. q. 3. ſed.* hodie punitur carcere, exilio, & alijs pœnis à Judice Eccleſiaſtico, & remanet irregularis. *C. 1. eod. tit.*

2 Sacerdos interdictus, ſi celebrat, qua pæn̄ punitur?

℞ Simonitus non reſipiſcat, deponitur perpetuò *c. Clerici, de Clerico. excommun.*

3 Sacerdos ligatus minori excommunicatione, ſi celebrat, eſtnè irregularis?

℞ Si id non fecerit in contemptum Eccleſiæ, vel ſuperioris, non eſt irregularis, ſi autem fecerit, eſt excommunicandus, & peccat mortaliter. *c. ſi. celebrat, de Clerico excommunicato.*

4 Sacerdos degradatus, ſi celebrat, quà pæna punitur?

℞ Per totam vitam ſuam debet agere pænitentiam, & in die obitus ſui viaticum illi debet dari. *c. accedens diſtinct. 50.*

## CAPUT XV.

## De Clerico Blaſphemo, & Periuro.

1 Clerici debent ne iurare?

℞ Raro ex grauiſſima cauſa, ponendo manus ſupra pectus, & coram Judice Eccleſiaſtico, & ſi iurent ante Judicem laicum debent id facere cum licentia ſui Epiſcopi, & non aliter. *c. ſi quis Præsbyter 2. quæſt. 4.*

2 Clericus periurus quâ pœna punitur?

℞ Ab officio, & beneficio ſuſpenditur. *c. querelam de iuriur.*

3 Clericus blaſphemus quâ pœna punitur?

℞ Pro primavice priuatur per annum fructibus beneficiorum, pro ſecundavice priuatur vno beneficio, & ſi plura beneficia habeat, ordinarius, eligat, quod beneficium debet amittere, protertiavice priuatur omnibus beneficijs. *c. ſi quis per capillum, 22. quæſt. 1. Conc. Lateranenſe ſub Leone X, de Reformatione Curiæ.*

## CAPUT XVI.

## De Clerico revelante Confeſſiones.

1 Poteſtnè quilibet Sacerdos, poſtquam accepit ordinem Presbyteratus, audire confeſſiones?

℞ Non. ſed ſolùm illi, qui habent parochiale beneficium, vel licentiam Epiſcopi, poſtquam fuerint approbati examine, quæ licentia gratis dari debet; ſolum in articulo mortis ſimplex Sacerdos propter neceſſitatem poterit audire confeſſionem *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 15. clem. dudum. de ſepulturis.*

2 Sacerdos, qui reuelat peccata ſibi confeſſa, quam pœnam incurrit?

℞ Deponitur, & in monaſterio perpetuò recluditur *c. omnis vtriuſque ſexus, de penit. & remiſſionibus.*

3 Sacerdos quando poteſt aperire peccatum ſib confeſſum?

℞ Nunquam, niſi ex vrgenti cauſa habeat licentiam ab ipſo pęnitente conceſſam. *c. omnis, de pænitentijs, & remiſſionibus. Abb. in c. ſignificaſti, de adulterijs, num. 5.*

## CAPUT XVII.

## De Clerico ſolicitante in Confeſſione.

1 Quod eſt delictum Clerici ſolicitantis in confeſſione?

℞ Eſt delictum patratum à Cōfeſſore inducente mulierem pænitentem ad actus libidinoſos. *Param. Lib. 3. directorij Inquiſitorum, q. 10. nu. 118. titulo de ſolicitante ad libidinem in actu confeſſionis.*

2 Delictum ſolicitantis in quo genere peccatorum reputatur?

℞ Computatur inter peccata ſacrilegij, quia hoc delictum eſt enorme, & adducit ſecum maximam deformitatem, & ſolicitans eſt vehementer ſuſpectus de fide. *c. infames. 3. q. 7 Ledeſma in additionibus ad tertiam partem, q. 10. art. 2. cons. 1 Paramus Lib. 3. Directorij 2. p. q. 10. num. 122. Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana. c. 79. nu. 2. Pegna in directorio Inquiſit. p. 1. q. 55.*

3 Quibus modis committitur hoc delictum ſolicitationis?

℞ Tribus modis, verbis, ſignis, & tactu. *Param loco alleg. Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana, titul. de confeſſore reuelante confeſſionem. Gregorius XV. in conſtitutione edita 31. Auguſti anno 1622.*

4 Quomodo committitur delictum ſolicitationis verbis?

℞ Dicendo mulieri pænitenti in Confeſſionario, vel in loco conſtituto ad confeſſionem, verba libidinoſa, & illicitos ſermones, qui ducunt ad actum libidinoſum, aliciendo mulierem ad ſuum amorem Pegna in directorio inquiſitorum 2. *parte p. 55. Paramus loco citato, conſtitutio Greg. XV. ſup. cit.*

5 Quomodo committitur delictum ſolicitationis ſignis?

℞ Riſu, vultu, ore, manu, capite, facie, occulis, pede, faciendo cum his membris aliquod ſignum amoris, beneuolentiæ, ſummiſſionis, ita vt mulier illo ſigno cognoſcat illum talem confeſſorem eſſe ſuum amātem; ſicut faciunt homines ſæculares, aſpiciendo oculis attentis, & hilaribus mulieres

quas

quas amant, osculando manus, &c. sed in his signis cum magna cautela procedendum est: nã raro contingit, quòd quis solis signis solicitet, nisi prius dixerit verba, & scripserit literas, vel mandauerit Nuntium, & sic dicta signa magis seruiunt ad circumstantiam, suspicionem, & adminicula quam ad integrã probationem. *Param. p. 2. loc. cit. Practica Archiepiscopalis loc. citat. quendam con-confessorem solicitasse quandam mulierem signis, & aliam tactu.*

6 Quomodo committitur delictum solicitationis tactu?

℞ Si confessor tangat manum mulieris, & opprimat illam, vel tangat pectus, vel faciem, vel aliud simile, vel osculetur illam in ore, facie, vel fronte. *Praxis Archiepiscopalis Neapolitana c. 6. nu. 2. Paramus loco citato.*

7 Requiritur ne ad consumandum delictum solicitationis in confessione, ut concurrant tria hæc, nempe verba, signa & tactus solicitantis?

℞ Non, sed sufficit unum quodlibet ex dictis, vel similibus ad incurrendam pœnam solicitationis ut expresse declaratur in *Bulla, Gregorij XV. & in Bulla Pij IV. edita anno* 1561. *sui Pontificatus anno 2. qua Bulla per constitutionem Greg. XV. suprà citatam confirmatur.*

8 In quo loco committitur delictum solicitationis in confessione?

℞ Primò in actu confessionis, Secundo ante inceptam confessionem. Tertiò post eam finitam. Quartò in loco confessionarij, in quocumque loco Ecclesiæ, vel domus, ubi sub prætextu confessionis tales solicitationes fiant, constitutio. *Greg. XV. supra citata hoc expresse declarans.*

9 Si tales solicitationes fiant à confessore, & confessio non fiat, nec absolutio sequatur, sed solùm interfint amoris verba, eritnè delictum solicitationis, & infligeturne pœna solicitanti?

℞ Si tales solicitationes fiant occasione, prætextu, pallio, vel simulatione confessionis, eandem pœnã incurrit solicitans, ac si in ipsa confessione solicitaret; quia abutitur sacramento, & illud sumit ad sui delicti occultationem ut exprefsè declarat: *Sanctissimus D. N. Greg. XV. constitutione allegata.*

10 In toto Jure canonico inveniturnè pœna contra solicitantes in confessione stabilita?

℞ Non quia licet in *c. omnes, & c. non decet Episcopis, & c. si quis. 30. q. 1.* imponatur pœna contra confessores, qui habent rem cum filiabus confessionis, ibi non solicitatio punitur, sed incontinentiæ delictum cum filiabus spiritualibus, ut videtur, *in d. c. omnes. 30. quæst. 1.*

11 Quare in toto Jure non invenitur expressa pœna solicitantibus in confessione?

℞ Quia forsan tempore *Greg. XV.* quando decretales collectæ fuerunt, tam magnum scelus, & flagitium non erat inventum, & perpetratum à confessoribus, & Ecclesia medicinam, quando infirmitas oritur, applicat, & sic dico, quod tempore Pij IV. anno Domini 1561. hoc delictum incæperit, quia ipse Pius dicto anno pœnam degradationis huic delicto imposuit, quam postea Clemens VIII. per constitutionem editam anno Domini 1592. & etiam Greg. XV. eam confirmavit anno Domini 1622. addendo pœnas, declarando probationes, & locum solicitationis, ita ut in nihilo possit deinceps dubitari.

12 Solicitans in confessione qua pœna punitur de Jure novo?

℞ Pluribus. 1mò, suspensione ab executione ordinum, & confessionis. 2dò, privatione beneficij, dignitatis, & Officij. 3tiò, recluditur in carcere perpetuo, vel in monasterio. 4to, mittitur ad triremes 5to, mittitur in exilium 6to, degradatur, & traditur Curiæ sæculari interficiendus. 7mo, si fuerit regularis, privatur perpetuo voto activo, & passivo, & hæ pœnæ absq; venia infliguntur, ut expresse traditur *in constitutione Greg. XV. supra allegata, in Bulla Pij IV.* quæ directa est ad Archiepiscopum Hyspalensem Inquisitorem Generalem in Regnis Hispaniæ; *Pegna in Directorio Inquisitorum, p. 2 q. 55 Paramum Lib. 3. directorij, titulo de solicitatione quæst.* 10.

13 Quid debent Judices considerare in condemnando confessores solicitantes in dictis pœnis?

℞ 1mo gravitatem personæ solicitatæ, & personæ solicitantis. 2do, dignitatem, vel affectum solicitantis. 3tio, numerum solicitationum. 4to, tẽpus, & annos, vel menses, in quibus usus est delicto solicitationis 5to, damnum, quod fecit solicitando. 6to, scandalum, quod dedit solicitando, ut de Jure pœna sit proportionata delicto perpetuo, dum in dicta *Bulla Greg. XV.* expressa facultas iudicibus detur, ut pro criminum gravitate, & circunstantijs hoc delictum puniant, & sic non in qualibet solicitatione istæ pœnæ gravissimæ sunt imponendæ.

14 Si quis semel solicitet mulierem ordinariam, qua pœna debet puniri?

℞ Sufficit, ut privetur officio confessarij, ut tenet *Praxis Archiepiscopalis Neapolitana nu. 2. c. 66.*

15 Si quis diversis temporibus duas mulieres solicitet, qua pœna puniretur?

℞ Tunc poterit privari officio confessoris, & suspendi ab executione ordinis, & perpetuò in monasterio recludi, præcipuè si scandalum fuit ortũ *dicta praxis Neapolitana loco citato.*

16 Quando debet imponi pœna degradationis, vel triremis Clerico solicitanti in confessione?

℞ Quando esset solicitata monialis, vel filia, seu uxor alicujus Ducis, vel magni viri, vel quando solicitans commisit hoc delictum cum pluribus mulieribus, & denique quando scandalum esset magnum in populo, & crimen publicum, & notorium; tunc enim gravioribus pœnis est utendum; quia hoc relinquitur arbitrio iudicis *in d. Bulla Greg. XV. & glos. in c. non debet. 30. q. 1.*

17 Si confessarius in confessione solicitet aliquam mulierem vetulam, ut ipsa extra confessionem solicitet aliquam mulierem formosam, mandet literas, delegationes, puniturnè talis confessarius pœna solicitantis in confessione?

℞ Licèt hoc non sit expressum in dicta constitutione Greg. XV. tamen est peccatum ejusdem generis tendens ad finem libidinosum, & sacrilegum, & sic Judex, qui eum privaret facultate audiendi confessiones, benè judicaret & secundum mentem constitutionis, quia non faceret extensionem pœnæ, vel declarationem, ut tenet. *gl. in c. 1. de*

*c. 1. de temporibus ordinationum, in 6. Steph. Quaranta super declarationem Bullæ Pij IV editam anno 1561. Paramus 2. p. Directorij. q. 10. titulo de solicitante.*

18 Confessarius solicitãs in confessione mulierem, vel pænitenté ad alia peccata, veluti ad furtum homicidium, punireturnè pæna solicitantis in confessione?

℞ Licet puniretur pæna gravissima, quia abutitur sacramento ad rem illicitam, tamen non punitur pæna solicitantis posita in constitutione *Gregorij. XV.* ratio est quia pæna extenditur ad aliud genus peccati, de quo non loquitur constitutio, & in pænis non debet fieri extensio. *c. 1. de pænitentia. c. in pænis de reg. iur. Lib. 6. Dec. l. factum. § in pænalibus, ff. de reg. juris.*

19 Clericus solicitans puerum in confessione ad sodomiam qua pæna punitur?

℞ Eadem pæna, qua punitur Clericus solicitans mulierem. Primò, quia hic non fit extensio pænæ sed declaratio. Secundò quia eadem ratio est fortior, cum sit in eodem genere delicti, in quo valet argumentum de minori ad majus, quia in dicta constitutione *Gregor. XV.* non punitur directè libido, sed locus, & circumstantia confessionis, quia sacramento ad libidinem utuntur. *3tio*, quia peccatum contra naturam est de delictis, in quibus optimo Iure sępè punitur affectus, licét non sequatur effectus. Quarto, quia forsan dicta Bulla hoc delictum silentio involuit propter enormitatem. *5to*, quia si quis Judex iudicaret delictum solicitationis in puerum, sicut de delicto solicitationis in mulierem motus exemplo dictæ constit. *Greg. XV.* benè, & prudenter judicaret; tenent. *Stephanus Quaranta verbo confessor. §. fin* super declarationem. *Bullæ Pij IV. editam anno Domini 1561. die 16. Aprilis, & tenet Paramus 2. part. directorij. q. 10. titulo, de solicitante. gloss. in c. 1. de temporibus ordinationum, in 6 verbo Italiæ*, ubi docetur inclusionem, & declarationem pœnæ posse fieri.

20 Mulier solicitata quam pænã incurrit, si non denuntiat solicitationem judici, ut puniatur?

℞ Est excommunicata ratione generalis edicti, quod omnibus annis publicatur ab ordinarijs in suis Ecclesiis, & ab Inquisitoribus includens hunc casum tenet. *Paramus Lib. 3 directorij q. 10. num. 127.*

21 Si quis confessor non dicat suis pænitentibus teneri manifestare delictum solicitationis, vel interrogatus dicat, non teneri mulierem solicitatam manifestare solicitationem ab ipso factam, vel ab alio confessore, qua pæna punitur?

℞ Graviter debet puniri ab ordinarijs locorum, quæ pœna relinquitur in arbitrio ordinariorum judicum per *d. Bullam Gregor. XV. & tenet Param. loco supr. cit.*

22 Si quis confessor extra confessionem solicitet, & habeat rem cum muliere sua pænitente, incurrit nè pœnam positam solicitanti Clerico in cõfessiõe?

℞ Non; quia non fit extensio in pænis, sed privatur officio, & debet exterminari per duodecim annos, & postea degere vitam in monasterio, & si fuerit Episcopus quindecim annos pœnitentiam agere, *c. non debet Episcopus. 30. q. 2.*

23 Mulier, quæ habet rem cum patre spirituali, cui confitetur peccata, quam pœnam incurrit?

℞ Debet dare omnia bona sua pauperibus, & perpetuò in monasterio recludi, ubi non erit monacha, sed ibi sicut in carcere manebit. *Gloss. in c. si quis Sacerdos. 30. q. 1.*

24 Talis cognatio spiritualis orta inter confessorem, & pænitentem impedietnè matrimonium contrahendum inter filios, & filias confessoris, & pænitentis?

℞ Minimè, quia Conc. Trid. expresè declarat oriri dictum impedimentum solum in baptismate, & confirmatione, sed talis cognatio spiritualis inter confessorem, & pænitentem est quoddam vinculum aggravans delictum, & augens pœnam. *Gloss. in c. si quis Sacerdos 30. q. 1. Conc. Trid. Sess. 24. c. 2. de Ref.*

25 Quod est majus peccatum in Sacerdote, adulterium committere, vel cognoscere carnaliter filiam spiritualem?

℞ Filiam spiritualem cognoscere, quia inter confessorem, & pænitentem oritur quædam cognatio spiritualis, quia dicitur. *in c. omnes, & in c. si quis.* 30 *q.* 1. omnes, quos in pœnitentia accepimus, ita filij nostri sunt, ut in baptismate suscepti.

26 Sacerdos Græcus poteritne audire confessiones, & peccata suæ propriæ uxoris?

℞ Non licet, ut hoc faciat, quia ipsa non liberè confiteretur, præcipuè si commisit adulterium, vel aliud peccatum in damnum, & honorem mariti.

27 Mulier de Jure poteritne esse testis?

℞ Licèt. *glos. c. 2. de judicijs Lib. 6.* de Jure prohibeantur, teneat, quòd mulieres non sunt testes idonei, tamen certum est, quod in criminalibus in defectu probationum, possunt esse testes, & magis certum est, quod in crimine solicitationis mulier est testis instrumentalis idonea, & necessaria, quia, si ipsa neget se esse solicitatam, nullum est crimen, & quod in criminalibus mulier possit esse testis tenet *Joan. Andr. in additionibus ad speculum. titulo, de testibus. Iason in l. fin. C. d his, quibus ut indignis, num. 7. Dec. in l. fœmina, de reg. iur. Paramus p. 2. directorij, Lib. 3. q. 10. num. 137. titulo de solicitante.*

28 Quibus testibus probatur crimen solicitationis?

℞ Testibus singularibus concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, ut in dicta constitutione *Greg. XV.* habetur

29 Singularitas testium quotuplex est?

℞ Triplex obstativa, diversificativa, cumulativa. *Baldus c. licet causam, de probationibus, num. 11. & Pegna ubi supra.*

30 Qualis est singularitas obstativa?

℞ Quando ex dictis duorum testium nascitur repugnantia, videlicet quando quod unus affirmat alter negat. *Anchar. cons. 64. Bald. in l. de quibus ff. de legibus. num. 39 Pegna in 3. par. directorij.*

31 Qualis est singularitas diversificativa?

℞ Quando ex dictis duorum testium nascitur diversitas rei in aliqua circumstantia substantiali, ut quando unus testis asserit aliquod delictũ commissum esse in civitate, alius testis asserit commissum esse in agro. *Pegna in 3. p. directorij comment. 121. Rojas tract. de hæreticis. 2. p. num 122.*

32 Qualis est singularitas cumulativa?

℞ Quando

℞ quando dictū unius testis coadjuvat dictū alterius, vel in genere, vel in specie, vel in substantia, vel in modo, ut si unus dicat Franciscus cōfessor solicitavit me his verbis die Dominica, alter dicat idem confessor solicitavit me die veneris in confessionario tertio in tali Ecclesia; alter dicat idem confessor solicitavit me die sabbati in eadem Ecclesia tangendo pectus meum, singularitas horum testium est cumulativa, & adjuvat probationem. *Pegna 3. part. directorij Inquisitorum commentario* 121. *Alexand. in consil.* 21. & *alij Doctor.*

33 Quæ singularitas testium in casu solicitationis facit probationem plenam?

℞ Singularitas cumulativa admittitur, quia coadjuvat veritatem, & probationem delicti, ut in dicta constitutione *Greg. XV.* videtur.

34 Quare non requiruntur in probatione delicti solicitationis nisi testes singulares cum indicijs, & circumstantiji, cum Jure in alijs delictis gravioribus requirantur ad minus duo, vel tres testes, in quorum ore ex Evangelio stat omne verbum?

℞ Quia hoc delictum habet difficiliorem probationem, quam omnia alia delicta, cum ea, quæ in confessione tractantur, non possunt sciri, nisi à confessore, & pænitente, propter sigillum confessionis, & ideò in dicta constitutione *Gregor. XV.* datur facultas Judicibus, ut cum testibus singularibus, & alijs adminiculis possint proferre sententiam. *l. si quis, ff. de quæstionibus. Praxis Neapol. sup. alleg. Cap.* 79.

35 Si Confessor solicitet mulierem, & mulier consentiat solicitationi, & taceat, admittiturne confessor in testem contra mulierem, quæ non revelavit delictum?

℞ Licèt de Jure socius criminis non admittatur in testem, tamen in hoc casu tanquam in re gravissima, & occulta admittitur ad testificandum contra mulierem tacentem solicitationem tenet. *Paramus. in directorio 2. p. q.* 10. *titulo de solicitatione. glos. l. fin. C. de testib, Salyc. col. 2. c. accusatione. glos. c. vlt.* 15. *q.* 3. *Bald. Lib.* 1. *cons.* 95.

36 Quis dicitur socius criminis?

℞ Qui simul cum alio committit idem crimen, sicuti dicitur socius mercantiæ, qui simul cum alio exercet mercaturam in communem utilitatem, & damnum, etiam dicitur socius criminis qui occultat, vel consensit crimini. *l. comparantem, C. ad l. Fabiam, de plagiarijs. l. quoniam liberi. C. de testib. Paramus in directorio* 5. *allegat.*

37 Testis unus sufficitnè in hoc casu ad torturam, reo negante?

℞ Si sit omni exceptione major, sufficit sine alijs adminiculis. *Capic. decis.* 126. *n* 1. *Zerola practic. crimin verbo testis. dicta praxis Archiepisc. Neap. tit. de revelante confessionem*

38 Si verò aliqua mulier petulans solicitet in actu confessionis confessorem ad suum amorem lascivum, poteritnè admitti confessor ad deponendum contra eam, ut puniatur?

℞ Admittitur, quia talis mulier videtur suspecta de fide, cum ad suam libidinem accipiat sacramentum pro velamine, & pallio tenet. *Paramus* 2. *par. Directorij. c.* 10. *tit. de solicitante, Mascard. de probationibus, Lib.* 1. *conc.* 26. *n.* 11.

39 Talis mulier punireturnè eadem pæna, qua punitur confessor solicitans mulierem?

℞ Licèt de Jure debeat puniri gravissima pœna, nempe fustibus, vel perpetua reclusione secundùm qualitatem personæ, tamen non debet puniri pœna posita in constitutione *Greg. XV.* 1*mo*, quia illa pœna non est imposita pœnitenti, & esset extensio pænæ, si extenderetur ad distinctam personā 2*do*, quia confessor in actū illo est Judex, & habet majorem culpam, & pœnam. *c. odia restringi, c. in pænis, de reg jur. in* 6.

40 In crimine solicitationis crediturnè uni testi sine alijs coniecturis?

℞ In casibus difficilis probationis, sicuti in crimine solicitationis, creditur stante constitutione *Greg. XV.* quæ dicit ad probationem sufficere testes singulares cum alijs adminiculis, videtur, quod unus testis omni exceptione major sufficit solum ad imponendum aliquod remedium, vel medicinam. *latè Mascard. l. si quis ff. de quæstionibus.*

41 Si quis accusatus de crimine solicitationis habeat contra se solùm dictum mulieris solicitatæ, & nullum habeat indicium, sufficietne hoc ad integram probationem?

℞ Non sufficit, licèt talis mulier sit bonæ, & iustæ famæ; ratio est, quia dicta constitutio *Greg. XV.* expresè dicit, ut probatio fiat testibus singularibus concurrentibus alijs adminiculis, indicijs & præsumptionibus, & illud verbum concurrentibus est copulativum, & non disiunctivum; unde sequitur, quòd testis singularis, & indicia copulativa, & non unus sine altero faciunt plenam probationem, licèt, ut dixi, sufficeret unus testis ad imponendum aliquod remedium, & medicinam ad abjiciendum damnum, & scandalum, sicuti quando proceditur ex solis indicijs, rarò debet pœnam imponere. *Abb. c. si quisquam, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, n.* 4.

42 Solis indicijs, & præsumptionibus potest Clericus solicitans in confessione condemnari?

℞ Si indicia sint plura urgentia, & evidentia, sufficiunt in hoc crimine, & in alijs criminibus ad condemnandum reum. *l. indicia. C. de rei vendicatione l. sciant cuncti. c. de probationibus. c. afferte mihi gladium. de probationibus. Abb. c. vestra, de cohabit Cleric. & mulier. n.* 13.

43 Si aliquis accusatus de crimine solicitationis habeat contra se duos, aut tres testes mulieres, quæ dicant esse solicitatas in confessione ante, vel postea diversis temporibus à tali confessore, & nullum sit indicium, hæc eritnè sufficiens probatio contra talem delinquentem?

℞ Si illæ duæ, vel tres mulieres nullam patiantur exceptionem, facient eandem fidem, ac si contestes deponerēt de uno, eodemque actu, & convenirent de loco, de casu, & tempore; ratio est, quia dicta constitutio *Greg. XV.* hoc expresè præcipit. *Dec. l. fœmina, num.* 36 *Paramus, Lib* 3. *quæst.* 10. *num.* 136. *Dec. c. at si Clerici, de judicijs. gl. in c. præsul.* 2. *q.* 4.

44 Si istæ duæ, vel tres mulieres testificantes, forsan patiantur aliquos defectus in Jure, ex quibus de Jure non admittuntur ad testificandum, veluti si sunt meretrices, libidinosæ, periuræ, ebriæ, infames,

fames, Judex debetne dare illis integram fidem virtute dictæ Constitutionis *Greg. XV.* ?

℞ Dicta constitutio non supplet defectus testium nec habilitat testem inhabilem,sed hoc relinquitur in Jure communi.*l.fin.C de probation.*

45 Si unus testis, præstito iuramento, asseveret se aliter dixisse testimonium,quam á Tabellione scriptũ est,crediturne magis Tabellioni, an testi?

℞ Distingvendo,vel est causa civilis,vel criminalis; si est criminalis, iterum distingvitur, vel agitur de pœna contra reum, vel de pœna contra testem vacillantem;si agatur de pæna contra reum,magis standum est ultimo dicto testis, quam scripturæ tabellionis; ratio est, quia ille testis est, qui condemnat,vel salvat reum, non verò tabellionis scriptura tenet. *Covarr. variar. resol.Lib. 2. c. 13. § verum. Panormitanus c. ad audientiam, de præscriptionibus, n. 7. argumento legis ultimæ. c. de probat. Felyn. Speculator, in tit. de testib.*

46 Si agatur de pæna imponenda testi vacillanti, vel contrarium dicenti in causa criminali , cui creditur magis, testi, an Tabellioni ?

℞ Si Tabellio scripsit depositionem coram testibus instrumentalibus, seu coram Iudice,& postea legit suum dictum testi ante subscriptionem , & testis dicit bene est,in hoc casu magis creditur Tabellioni , quam testi; nam pro Tabellione præsumitur. *l Si quis decurio, C. de falsis. c.ad audientiam. de præscriptionib. Covar.l.2.var.resol.cap.13.§. Verum.*

47 Quæ sunt præsumptiones , indicia,& adminicula, quæ debet Iudex inquirere,& ponderare , quando est unus testis singularis ad condemnandum confessorem solicitantem ?

℞ Plura, 1mo, si Confessor alias est libidinosus. 2do, si in occulto extra confessionem cum ea sit locutus amorosè, occultando se, ut non videretur ab alijs. 3tio, si dedit dictæ mulieri victum,& vestitum , pecunias,seù domum. 4to, si mittat Nuntios ad eam visitandam,vel solicitandam.5to, si scribat dictæ mulieri literas, cantilenas , vel versus. 6to, si dicta mulier amorosè,& peculiariter cum eo loquatur, & ipse eam graviter non repellat. 7mo. scandalum, & murmur vicinorum, vel civitatis ; aliqua indicia ex his simul cum depositione mulieris plenam in hoc casu faciunt probationem, ut colligitur,*ex dicta constit.Greg.XV.*

48 Quæ indicia, & præsumptiones sunt considerandæ in favorem Confessoris accusati ?

℞ Primò vita, fama, gravitas, sanctitas, dignitas, officium, ætas dicti confessoris, 2do religio, quam profitetur. 3tio honestas, vel pudicitia, & qualitas mulieris deponentis. 4to an talis confessor habeat inimicum, & talis mulier ab eo seducta sit promissionibus, pecunia, donis, amore, odio, vel alia de causa, 5to si talis mulier facilè cōsvevit alios accusare etiam in iudicio sęculari. *Paramus ubi sup*

49 Si mulier talis seducta ab alio sit, qua pœna punitur ?

℞ Licet non pœna talionis, tamen gravissima pęna, videlicet fustibus, exilio debet ipsa puniri, & seducens, ut *in toto titulo de calumniatoribus. & Doctores ibi.*

50 Quis est Judex competens in delicto solicitationis?

℞ In Hispania punitio huius delicti pertinet privativè ad inquisitores hæreticæ pravitatis, per Bullam Pij IV. editam anno 1561. directam ad Archiepiscopum Hispalensem, tunc Generalem Inquisitorem,*& tenet Paramus,& Pegna in directorio loco citato*; hodie vero in Regnis Siciliæ, & Italiæ pertinet jurisdictio ad Archiepiscopos, & Episcopos, & Inquisitores ad singulos privativè in suis Diæcesibus, qui strictè procedunt in hac causa, tanquam Sedis Apostolicæ delegati , virtute. *d. Constit. Greg. XV.*

51 Dicti Iudices quomodo debent procedere in causa solicitationis contra reum ?

℞ Tanquam in causa fidei. 1mo, interrogando , an talis sit Christianus,Baptizatus,Confirmatus,& ritè Ordinatus. 2do,ubi sit natus,qui fuerunt ejus parentes, nomen patris, & matris, Officium, & qualitatem,cujus diœcesis sit, cui Archepiscopo, vel Episcopo subdatur. 3tio, unde sit educatus, quas literas didicerit,&an sit in eis graduatus.4to, quam religionem sit professus, quæ officia,vel beneficia habuerit in vita sua. 5to, quid sentiat de fide, de sacramentis Ecclesiæ, de sacramento confessionis, à quo habuit licentiam confitendi, per quos annos exercuit officium confessoris, & in quibus locis, & partibus. 6to, an cognoscat talem mulierem; quo tempore inceperit cum eo confiteri, & quoties in anno, vel mense, qua in Ecclesia, quo in loco, vel confessionario. 7mo, an sciat ejus domum, an cognoscat eius parentes, an locutus fuerit extra confessionem cum dicta muliere, & quo loco, quoties, & quando. 8vo, an dictæ mulieri dederit aliquando pecunias, vestes, dona, panem, vinum,vel carnem, in qua quantitate, quoties, cum quibus servis, & nuntijs eam miserit, 9no, an promiserit dictæ mulieri aliqua dona, vel se eam adiuvaturum in suis necessitatibus. 10mo, an miserit aliquando dictæ mulieri epistolas, versus, vel cantilenas; & quid continebant, & cum quibus nuntijs. 11mo, an tali die, mense, & anno in tali Ecclesia. in tali confessionario,vel loco, ubi solitus sit audire confessiones, locutus fuerit cum dicta muliere talia verba, vel fecerit talia signa vel osculatus fuerit eam, vel palpaverit, & tetigerit eius pectus, manus, & similia, animo alliciendi eam ad suum amorem. 12mo, si antea, vel postea habuit cum ea rem quoties, & in quo loco. 13tio, qui homines, vel mulieres sciant, & noverint hoc delictum, quod scandalum fuerit ortum; constitutio Greg. XV. præcipit implicitè hæc omnia interrogari , quando dicit, ut cum reo procedatur, tanquam in casu fidei interrogando, quid de fide sentiat.

52 Archiepiscopi, Episcopi, & Inquisitores contra quas personas solicitantes in confessione possunt procedere ?

℞ Contra omnes confessarios suæ diœcesis, & iurisdictionis quilibet potest procedere, sive sint Clerici sæculares, sive monachi, sive fratres regulares, sive religiosi cuiuscunq; ordinis,& instituti exempti, & non exempti, subditi immediatè Summo Pont. sive suis Provincialibus, & Generalibus,

sive

sive degant vitam intra claustra monasterij, sive extra, *c. constit. Gregor. XV.* omnes specifice comprehendit.

53 Dicti regulares, & religiosi possuntne se defendere, & subtrahere à jurisdictione Episcoporum, & Judicum virtute privilegij religiosorū, vel gratiarum, etiam maris magni, vel virtute consvetudinis, etiam immemorabilis, vel virtute alicujus exemptionis?

℞ Non: quia hæc sunt derogata, & annullata quasi de his privilegijs fuisset facta expressa mentio per constitutionem Greg. XV. & nisi ostendant aliquam derogationem expressam factam de dicta constitutione, & datam post 31. die Augusti anno Domini 1622. Judex debet procedere contra eos, & in articulo declarante jurisdictionem, non debet eos audire.

54 Judex, qui cognoscit de aliquo religioso regulari, poteritnè eum extra suum monasterium incarcerare, & alios compellere regulares, ut in hac causa testificentur?

℞ Poterit eum incarcere in monasterio, vel extra monasterium, ut magis judicaverit convenire, & contra eum procedere ad torturam, & ad omnes actus judiciales, usq; ad executionem sententiæ definitivæ inclusivæ, & poterit compellere reliquos religiosos pœnis, censuris, carcere, & omni remedio juris, ut in hoc casu testificentur, si necessarium fuerit; ratio est, quia cui conceditur jurisdictio, conceduntur omnia necessaria ad talem jurisdictionem exercendam. *l. ff. de jurisdictione omnium judicum, & ibi Doctores.*

55 Si aliquis religiosus sit alicujus diœcesis, & in aliena diæcesi committat delictum solicitationis, à quo Episcopo debet puniri?

℞ Ab Episcopo, in cujus diœcesi commisit delictum. *1mo*, quia is consequitur forum ratione delicti. *2do*, quia Episcopus illius diœcesis, in qua est commissum delictum meliùs potest facere probationes, & substantiare causas cum suis proprijs subditis, quàm Episcopus alienæ diœcesis, cùm ipse habeat majorem cognitionem personarum. *3tio*, ne mulier solicitata, & testes extrahantur extra suam propriam diœcesim. *Abb. c. sane, & Cap. fin. de foro compet. num. 6.*

56 In crimine solicitationis si probatio fuerit dubia pro quo judicandum est, pro reo, ne vel contra reum?

℞ Judicandum est in favorem rei *1mo*, quia delictum non præsumitur, ubi possibile est, quod sine crimine aliquid fieri possit. *2do.* ratione dignitatis, & officij confessoris. *3tio*, ratione loci sacri ideo in favorem confessoris est judicandum tenet. *Cald. in c. de Ecclesia S. Mariæ, de consvetudinib.*

57 Quando dicitur probatio dubia in crimine solicitationis?

℞ Quando sunt tot indicia, vel testes æquales in qualitatibus de affirmativa in favorem rei, quot sunt contra reum, vel quando mulier accusans esset malæ vitæ, famæ vel pateretur aliqūd defectum expressum in Jure, ex quo titubaret ejus fides, & reus esset bonæ famæ, & existeret negativus.

58 Quis debet judicare probationem in crimine solicitationis esse dubiam, vel quando unico teste & alijs adminiculis est procedendum ad condemnationem?

℞ Iudices, qui de crimine cognoscunt, quibus in dicta constitutione Gregorij XV. hoc expressè commissum est.

## CAPUT XVIII.
## De Clerico lusore.

1 Quam incurrit pænam Clericus ludens chartis?

℞ Pœna arbitraria debet puniri, à Judice Ecclesiastico.

2 Quam pœnam incurrit Clericus ludens aleis?

℞ Excommunicationis. *c. Episcopus. dist. 35. authent. de Episcop. & Clericis. §. interdicimus, collatione 9. c. Clerici officia, de vita, & honestate Clericor.*

3 Quam pœnam incurrit Clericus, qui in domo sua habet ludum publicum, vel secretum?

℞ Punitur pœna graviori, quàm illi, qui ludunt, præcipuè si ludi sint prohibiti per leges Regni, tunc si admonitus perseveraverit, poterit in exilium mitti. *dicta authentica, & DD. ibi.*

## CAPUT XIX.
## De Clerico ebrio.

1 Clerici edendi, vel bibendi causa possuntne ingredi tabernas?

℞ Non, nisi peregrinationis, vel itineris causa. *c. Cleric. dist. 44.*

2 Quam pænam habent Clerici ebrij?

℞ Ab officio, & beneficio suspenduntur, & si non se emendaverint, omnibus honorum gradibus perpetuò privantur, vel supplicio corporali puniuntur, arbitrio judicis. *Cap. a crapulæ de vita, & honestate Clericor.*

3 Quam pænā incurrit Clericus cantans in epulis?

℞ Excommunicatur, & acerrimè corripitur arbitrio judicis. *Con. Carthaginense 4. actione 62.*

4 Quam pænam incurrit Clericus, qui per suam ebrietatem evomit Eucharistiam?

℞ Debet pænitere septuaginta diebus, si fuerit Episcopus nonaginta diebus, sed si id fecerit propter infirmitatem, septem diebus. *c. si quis per ebrietatem. dist. 2. de consecrat.*

## CAPUT XX.
## De Clerico qui assistit publicis spectaculis.

1 Clericus, qui assistit spectaculis, qua pæna punitur?

℞ Tribus annis ab officio suspenditur. *authent. interdicimus. c. de sanctissimis Episcopis.*

2 Clericus assistens agitationibus taurorum quam pænam incurrit?

℞ Excommunicationis. *Bulla Pij V. edita anno 1567. & Bulla Gregorij XIII.* edita anno 1575. & hoc intelligitur in illis Provincijs, ubi dictæ Bullæ sunt quo ad pænam excommunicationis.

## CAPUT XXI.
## De Clerico nogotiatore.

1 Quid est negotiatio?

℞ Est frequens contractio pecuniæ, vel alicujus rei lucri gratia facta.

2 Quotuplex est negotiatio?

℞ Duplex, licita,& illicita: rursus illicita est duplex, alia illicita per se, ut simonia, alia illicita per accidens, videlicet ratione finis, vel personæ, *per totum titulum, de Clerico negotiatore.*

3 Clericus negotiator gaudetne privilegio fori?

℞ In bonis patrimonialibus gaudet. *Abb. in c. recolentes, de statu monachorum. Cap. fin. de vita, & honestate Clericorum.*

4 Licetne Clerico negotiari?

℞ Non, imo à Clerico negotiatore tanquam à peste fugiendum est. *Cap. fornicari, dist.* 88.

5 Clericus potestne negotiari fructus sui beneficij, vel patrimonij absq; pæna?

℞ Poterit, videlicet vendere,& ferre de loco in locum, vinum, oleum, frumentum, linum,& his similia. *Innocentius.c.quod quibusdam.de fideiuss.*

6 Clerici possuntne per alias personas negotiari?

℞ Prohibitum est Clericis negotiari per alios,& per se, sed Clericus, qui negotiatur per alium, non incurrit pænas positas contra Clericum negotiantem per se, nisi post monitionem, & sententiam prohibentem negotiari per alium. *Ugolin de offic. & potestat. Episcopi* §. 18. *fol* 88.

7 Clerici possuntne emere lanam,& linum,& eam laborare,& postea vendere pannum, linteum, & alia similia?

℞ Possunt, & suis manibus ea facere, nam Apostoli suis manibus sustentabantur,& plurimi Sancti *Cap.* 20. *de actu Apost.*

8 Clerici possuntne per se ipsos exercere aliqua officia mechanica, & vendere opera ab eis facta, & sic se sustentare, vel se ditare?

℞ Officia mechanica sunt in duplici differentia, aliqua officia sunt, quæ secum afferunt indecentiam, & fæditatem, ut sunt curare pelles, facere muros, tondere barbam, & his similia; alia officia sunt munda, & honestiora, ut est argentarius, pictor, sutor, faber,& scultor, librarius, vel facere capsulas, pallia& ornamenta Ecclesiæ, & his similia; officia primi generis Clerici non debet exercere, quia portant secũ indecẽtiã, officia vero secũdi gen̄ris licite poterunt exercere tã ad se sustẽtandũ,& alendũ, quàm ad se adjuvandũ, vel ut tollat otium peccati causativũ, quia hoc nõ solum nõ est prohibitum Clericis, sed multis in locis cõsultum à sanctis patribus, qui in eremo vitam degebant ut legitur in vitis patrum.

## CAPUT XXII.
## De Clerico, qui comparet ante Judicem sæcularem.

1 Clericus potestne provocari, vel trahi ante Judicem sæcularem?

℞ Non, sine licentia sui Episcopi. *Conc. Calcedonense actione.*15.*c.* 9. *Conc. Carthag.* 3. *c.*9.

2 Quam pęnam incurrit Clericus comparens ante Judicem sæcularem absq; licentia Episcopi?

℞ A Judice Ecclesiastico punitur graviter, carcere, vel pęna pecuniaria, *c. quod vero.*11. *q.* 2.

3 Clericus potestne deponere coram Judice sæculari?

℞ Non, sine licentia Judicis Ecclesiastici,& indefectu aliorum testium. *Archidiaconus, in Cap. testimonium.* 11. *q.* 1.

4 In quibus casibus potest clericus esse testis coram Judice sæculari sine pœna?

℞ 1mo, de licentia sui Episcopi. 2do, ad defensionem. 3tio, quando de pœna sanguinis non agitur. 4to, extra Judicium, ut in contractibus, & ultimis voluntatibus, in reliquis rebus semper requiritur licentia Prælati. *cap. super prudentia.* §. *potest etiam, & ibi glos.* 14. *q.*2.

5 Quæ forma debet observari à Judice Ecclesiastico, ut det licentiam Clerico ad deponendum coram Judice sæculari in defectu aliorum testium?

℞ Judex Ecclesiasticus debet videre articulos, circa quos Clericus debet deponere, & eos designare propria manu, advertendo, ut non deponat quidquam circa articulos continentes criminalitatem, vel infamiam. Vgol. *de offic. & potestat, Episcop.* §. *de testibus.*

6 Quam pœnam incurrit Judex laicus, qui aliquem Clericum nominat in tutorem vel curatorem?

℞ Pro eo non oratur in Ecclesia; & si moriatur, non offertur sacrificium pro anima eius; quia ab altari ministros Deivoluit avocare. *l. generaliter, il secundo. C. de Episcopis, & Clericis. c. Ciprianus.* 21 *q.* 3. *c. generaliter.* 16.*q.*1.

## CAPUT XXIII.
## De Clerico Advocato, tabellione, vel procuratore.

1 Clericus potestne esse Advocatus?

℞ Etiam si sit in minoribus ordinibus, non in negotijs sæcularibus coram Judice sæculari, nisi in negotijs propriæ Ecclesiæ vel miserabilium personarum, & sic Clerici debent petere licentiam à Summo Pontifice, si volunt esse advocati in judicio sæculari, quæ solet illis concedi à Summo *Pont. ex cã paupertatis, in negotijs civilib. & non in criminalib. Concil. Lateranense de postulando. c.* 2. & 3. & *c. te, q.* 1.

2 Quam pænam incurrit Clericus, qui est Advocatus in judicio sæculari sine licentia?

℞ Privationis beneficij. *c. denique Sacerdos.* 14. *q* 1. *c. finali, de postul.*

3 In quibus casibus Clericus in sacris potest esse Advocatus sine pœna?

℞ Pro causa propria defendendo se, & agendo servata forma *c. pen. de homicidio. Lib.*6. 2do, pro personis sibi conjunctis, & pro suis seruis, cum necessitas adsit 3tio, in causa suæ Ecclesiæ. 4to, defendendo viduas,& miserabiles personas. 5to, in foro Ecclesiastico. 6to, quando causa Ecclesiastica vertitur coram Judice sæculari. 7mo, quando Clericus non comparet personaliter in judicio coram Judice sæculari, sed verbo, vel scripto faciendo informationem in Jure adjuvat aliquem suis litteris. *Abb. in rubr. de postul.*

4 Clericus potestne ex domo sua adjuvare aliquem in sua lite,& facere informationes in Iure, & petitiones in Iure,& facto, & pro suo labore accipere pecunias, sicut alij Advocati, absq; dispensatione Summi Pont?

℞ Si negotia, in quibus scribit, sint civilia,& nõ criminalia, poterit adjuvare ex domo sua,& scribere in

bere in Jure absq; aliqua dispensatione,& accipere pecunias,vel munus ratione sui laboris: ratio est, quia hoc nullo Jure est prohibitum, & sicut potest legere Cathedram pro suo stipendio, & scribere,& imprimere consilia,sic potest verbo descripto in civilib. adjuvare suum clientulum, tenet. *Abb. ubi sup.*

5 Clericus potestne esse fidejussor?

℞ Non in foro sæculari, neque in negotijs sæcularib. se intromittere, *c.te quid m.* 11 *q* 1.

6 Clericus Sacerdos potestne locare possessiones, vel accipere gabellas Regias, vel eas colligere?

℞ Non, quia hoc non decet ad honestatem Clericorum,& est negotium mere sæculare, sed bene poterit laborare,& locare possessiones suæ Ecclesiæ,vel capituli, si sit Canonicus, quia hoc est locare suas proprias possessiones,& non laicorum neq; alienas. *c. pervenit dist. 86.c. fin. de vit. & honestat Clericorum.*

7 Clericus potestne proferre sententiam sangvinis,vel esse testis,vel assistere,ubi profertur?

℞ Non potest illam proferre,neque stare, ubi sententia profertur, sed si interfuit, non ideò est irregularis, quia irregularitas solùm contrahitur, quando Judex profert sententiam sangvinis, & post quam mandata fuerit executioni, ideo Judices Ecclesiastici non proferunt sententiam mortis sed remittunt Clericos ad brachium sæculare, & precantur, ut cum eis se habeant non immites, *c. sententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

8 Clericus Sacerdos potestne esse curator vel tutor?

℞ Non, nisi miserabilium personarum. *c. pervenit dist. 86. c. fin. de vita,& honest. Clericor.*

9 Clericus potestne esse tabellio?

℞ Non, & si id fecerit, privatur beneficio. *c. sicut ne Clerici, vel Monac.*

10 Clericus potestne esse publicus tabellio, si sit in minoribus ordinibus?

℞ Non, etiamsi sit in minoribus ordinibus & habeat beneficium propter honestatem, *c. sicut accepimus, ne Clerici, vel monachi.*

11 Clericus potestne esse Notarius?

℞ Potest, etiam si sit in sacris, quia hæc est jurisdictio Ecclesiastica.

12 In quibus casibus Clericus in sacris potest esse scriba,vel tabellio sine aliqua pœna?

℞ 1*mo*, in causa hæresis, in favorem fidei 2*do*, coram Papa ipso conscio. 3*tio*, si esset pauper, & non haberet aliunde,unde sustentaretur,& tunc debet esse in Curia Ecclesiastica. 4*to*, si esset in minoribus,& non haberet beneficium. 5*to*, si ante Clericatum forsan fuit tabellio,instrumenta ante facta poterit transumptare, 6*to*, si esset Notarius, & tabellio simul,& faciat instrumentum in causa spirituali, puta matrimonio. 7*mo*, si faceret instrumenta in favorem suæ Ecclesiæ. *c. ut officium, de hæreticis. Lib. 6. & glos. ibi.*

13 Si Clericus tabellio de facto faceret aliquod instrumentũ profanum,valeretne,& faceret fidem?

℞ Faceret,quia per Clericatum non amittit fidem necessariam tabellioni, imò crescit fides tanquã de persona magis honorata,sed solum prohibetur exercere tale officium propter decentiam. *Abb. in c.sicut in littera,ne Clerici,vel monachi. num.9.*

14 Clericus potestne esse œconomus, minister, vel procurator Laicorum,aut exercere bona alicujus?

℞ Non,quia dignitas Clericorum est maxima *c. sacerdotibus. ne Clerici, vel monachi.c. placuit.* 12.*q*.3. *c. fin.de vita,& honestate Clericorum.*

15 Clericus potestne dare operam medicinæ, vel chirurgiæ?

℞ Non, propter periculum occidendi aliquem cum sua imperitia,vel medicina,& cum dispensatione Apostolica curare, & exercere officium debet. *Cap. super specula,ne Clerici, vel monachi.*

16 Clericus potestne studere, audire lectiones, & dare operam Juri Canonico, & civili?

℞ Ius Canonicum est proprium Clericorum,cum sint decisiones Summorum Pont.& Conciliorum, poterit licitè se graduari in Jure Canonico, & audire lectiones Juris civilis,& dare operam Juri civili, quia adjuvat plurimum Ius Canonicum, dummodo id faciat intentione proficiendi, & nõ intentione faciendi officium judicis sæcularis,neque ad effundendum sangvinem, cum sententiat sæculares. tenent. *DD in c. super specula,ne Clerici, vel monachi,* & in Ecclesia Dei fuit copia Summorum Pont. Doctissimorum Jure civili, qui cum magno fructu gubernaverunt Ecclesiam Dei,sicut Sanctissimus Dominus N. Urbanus VIII. qui hodie præ est universali Ecclesiæ, & est doctissimus in jure civili,& Canonico.

17 Clerici possuntne esse procuratores, œconomi, vel factores bonorum alicujus Principis sæcularis, vel exercere jurisdictionem sæcularem?

℞ Non, imo puniuntur graviter. *c. sed nec procurationes ne Clerici, vel monachi.*

## CAPUT XXIV.
## De Clerico aruspice.

1 Clericus consulens aruspices qua pœna punitur?

℞ Recluditur in monasterio, & privatur beneficio, & honore, & si illis credat, excommunicatur. *Concil. Tolet. 26. q. 1.c. si quis Episcopus. 26. q. cap. si quis Clericus.*

2 Clericus furta requirens per inspectionem Astrolabij qua pœna punitur?

℞ Per annum suspenditur. *c. 2. de sortileg.*

## CAPUT XXV.
## De Clerico venatore.

1 Clericus habens canes ad venandum, aut aves accipitres qua pœna punitur?

℞ Si fuerit Presbyter per duos menses suspenditur, si Diaconus ab omni officio suspenditur. *cap. Episcopum. distinct.* 34.

2 Clericus potestne venari?

℞ Si venatio sit honesta,ut accipere lepores,& cuniculos,vel perdices,vel aves volatiles cum instrumentis honestis, ita ut suam vitam non ponat in periculo,neque consumat sua bona, licitè poterit venari recreationis,& salutis causa; si verò venatio sit periculosa,sicut venatio leonum, ferarum, non est licitum Clerico facere has venationes, tam propter periculum, quàm propter decentiam,

## CAPUT XXVI.
### De Clerico vagante vel peregrinante.

2 Clericus vagans sine licentia sui Episcopi, qua pæna punitur?

℞ Deponitur. *c. non oportet. 7. q. 1. c. quoniam. distinct.* 21.

3 Episcopus admittens Clericum alienum sine licentia sui proprij Episcopi, qua pæna punitur?

℞ Tam Episcopus, quam Clericus excommunicantur. *c. Clericos dist.* 71.

## CAPUT XXVII.
### De Clerico nō recitāte Horas Canonicas.

1 Qui tenentur recitare Horas Canonicas?

℞ De præcepto ordine sacro initiati; regulares professi; si sint recepti ad chorum, habentes beneficium Ecclesiasticum, etiam si non sint initiati ordine sacro, hi omnes tenentur sub pœna peccati mortalis. *c. Presbyter. dist.* 91. *Navar. cap.* 7. *de horis Canonicis.*

2 Exhis, qui excusantur à recitatione horarum?

℞ Infirmi, nescientes eas recitare, dummodo operam dent, ut sciant, qui non habent Breviarium, nec facultatem ad eum emendū, vel sunt in terra, ubi non sunt, qui legitima oblivione aliquam horam dimiserunt, qui habent dispensationem à Summo Pont. qui sunt cęci. *Navar. in commentario. de horis Canonicis. cap.* 11.

3 Qui non recitat horas Canonicas impeditus aliqua necessitate, vel est cęcus, tenebitur ne eas audire ab alio recitante?

℞ Non quia præceptum non est de audiendo, sed de ore proprio recitando. *Paludan. lib.* 4. *dist.* 5. *Navar. c.* 11. *num.* 6.

4 Qui uno die non recitat horas Canonicas, & in eodem die lucratur omnes fructus suæ præbendæ puta vestuarium, vel massam grossam, perdidit nè totam massam, vel totum vestuarium, quod lucratus est?

℞ Non, sed solum partem illam, quę tali die competit, ratio est, quia illa massa datur pro totius anni sustentatione; & sic respective debet amittere, licet uno die, vel una hora totum, lucretur. *Pius V. in bulla, quæ incipit, ex proximo; data Romæ anno.* 1571.

5 Sacerdos omittens officium divinum qua pœna punitur?

℞ Si obtento beneficio post sex menses non dixerit, amitit fructus beneficij pro rata, sed si admonitus perseveraverit non recitandi, privatur beneficio. *Soto lib.* 10. *q.* 5. *art.* 6. *de iustit. & jur.*

6 Quanto tempore debet perseverare non recitando, ut amittat beneficia?

℞ Secundum communem DD. opinionem si in spatio quindecim dierum bis non recitaverit, & monitus fuit, privatur beneficijs. *Sot. de iustit, & iure lib.* 10. *quæst.* 5 *art.* 6. *col.* 1.

## CAPUT XXVIII.
### De Clerico frangente carcerem.

1 Quam pænam incurrit Clericus tentans frangere carcerem?

℞ Arbitrio judicis, quando fuga non fuit sequuta. *Albert. leg. in eos. ff. de custodia reorum.*

## CAPUT XXIX.
### De Clerici domicilio.

1 Clericus per quod tempus acquirit domiciliū?

℞ Momento temporis, si declaret suam voluntatem esse in tali loco, si non, per decennium *juxta legem. cives, & incolæ, C. de appell.*

2 Domicilium Clerici ubi proprie dicitur?

℞ Si habeat beneficium in loco sui beneficij, si verò non habeat beneficium, in loco, ubi habitat cum sua propria domo, & de eo dixi latè lib. 1.

## CAPUT XXX.
### De Clerico custodiente Eucharistiam Crisma, & Vestes Sacras.

1 Clericus non custodiens benè Eucharistiam, & Crisma qua pœna punitur?

℞ Si non habeat Claves, & portas bene custoditas, tribus mensibus ab officio suspenditur *Conc. Lateranense. de Eucharistia, c.* 20.

2 Clericus curam Ecclesiæ habens, si non habet bene custoditam Eucharistiam, & quia dirupta est porta sacrarij, mus, vel aliquod animal illam comederit, qua pęna punitur?

℞ Quadraginta diebus debet pœnitere. *c. qui bene, de consecrat. dist.* 2.

3 Sacerdos, cujus negligentia aliquid de sangvine Christi distillat in terra, qua pęna punitur?

℞ Quadraginta diebus pæniteat, & si super altari distillaverit, tribus diebus pœniteat, si super linteum, quatuor diebus, si usq; ad quartum, viginti diebus, & omnia laventur, radantur, & cremētur & cinis in baptisterium mittatur. *c. si p. negligentiam dist.* 2.

4 Quibus vestibus indutus Sacerdos debet Missā celebrare?

℞ Vestibus sacris, & mundissimis, in quibus maxima cura ponenda est, ne extra Ecclesiam vestibus sacris indutus exeat. *Burcardus. lib.* 2. *c.* 50.

5 Corporalia debentnè esse de panno serico?

℞ Non, sed de lino in terra procreato, quia Corpus Domini N. Jesu Christi in sindone linea, & munda positum fuit *c. consulto, de consecrat, dist.* 1. *S. Tho. opusculo de offic. Sacerdotis c.* 1.

6 Pallæ sordidæ, & vela sanctuarij quomodo sunt abluenda?

℞ Intra sanctuarium à Diaconis, & aqua debet in Baptisterium mitti. *c. nemo per ignorantiam. de Consecr. dist.* 1.

7 Vasa. calices, & vestimenta sacra debent ne dari pignori?

℞ Non sine gravissima Ecclesiæ necessitate, & licentia superioris, & non debēt profanari. *c. vestimenta. de consecrat. dist.* 1.

8 Mortui possunt nè involui vestimentis Altaris?

℞ Non. & si Diaconus hoc fecerit, per sex menses ab Altari arceatur, & excommunicatione feriatur. *cap. nemo, de consecrat. dist* 1.

## CAPUT XXXI.
### De Clerico vagante, vel peregrinante, vel fugitivo.

1 Quis dicitur Clericus vagans?

℞ Illi, qui

℞ Ille, qui extra suam propriam patriam, vel diœcesim absq; licentia sui Episcopi vagatur per diversas partes mundi absq; aliquo negotio, vel fine. *c.non oportet.7.q.1.&c.quoniam dist.21.*

2 Quis dicitur Clericus peregrinans?

℞ Ille, qui cum licentia sui Episcopi ob aliquod negotium, vel devotionem peregrinatur extra suam diœcesim, vel civitatem. & Clericus, qui vadit ad visitanda limina Apostolorum, vel S. Iacobum, vel S. Mariam de Laureto, vel aliam devotam Imaginem.

3 Quis dicitur Clericus fugitivus?

℞ Ille, qui ob aliquod delictum, vel metu incarcerationis fugit à suo Prælato,& vagatur per diversas Regiones, vel loca.

4 Clericus fugiens, vel vagans sine licentia sui Episcopi qua pœna punitur?

℞ Vocatus per edictum,& non comparens talis Clericus excommunicatur, privatur beneficijs, & deponitur. *c. non oportet.7.q.1.c.quoniam dist.21.*

5 Episcopus,vel Vicarius admittens Clericum alienum in sua diœcesi sine licentia sui proprij Episcopi qua pæna punitur?

℞ Sive Clericus sit vagans,sive fugiens, tàm Clericus,quam Episcopus excommunicantur,& Clericus alienæ diœcesis non debet admitti ad celebrandum sine dimissorijs sui Episcopi, imò talis debet incarcerari,& remitti ad suum Episcopum. *c Clericos, dist 71. Conc. Trid. Sess. 22. de ritibus observandis in celebratione Missæ.*

6 Clericus, qui causa peregrinationis, vel alicujus negotij vult iter facere extra suam diœcesim,quid debet agere?

℞ Debet se præsentare ante suum Episcopum,vel ejus Vicarium,& debet petere literas dimissoriales cum expressione causæ, & civitatis, ad quā vadit, & cum expressione ordinis, & licentia, ut possit ministrare,& celebrare extra diœcesim,declarando talem Clericum non esse suspensum,neque excommunicatum. *Bernardus Diaz. in praxi.*

7 Judex Ecclesiasticus quid debet considerare ad dandas tales dimissorias?

℞ 1mò debet illi cōstare de causa per testes,& scripto & non se debet movère solū ex dicto talis Clerici. 2do, debet considerare, an causa sit iusta,vel non. 3tio,an possit fieri per procuratorem, an necessaria sit præsentia talis Clerici. 4to,tempus, in quo dat dictam licentiam,& non sit tempore Quadragesimæ,neque Adventus,si talis Clericus administret sacramenta. 5to, difficultatem itineris, & pericula, quæ possunt accidere. 6to, longitudinem illius civitatis,& delationem negotiorum. 7mo,personam Clerici, virtutem,& literas & secundum has considerationes dare, vel negare tales dimissorias.

8 Istæ dimissoriæ,vel literæ testimoniales debentne esse in perpetuum, vel pro tempore limitato?

℞ Necessariò debent esse pro tempore limitato, nisi talis Clericus provisus fuerit de aliquo officio,vel beneficio in aliena diœcesi,& ita ut nunquam revertatur. *Bernardus Diaz, in praxi.*

9 Clericus peregrinans pro aliquo negotio,vel devotione quid debet facere,cum primum pervenerit in alienam diœcesim?

℞ Præsentare se ante Vicarium Episcopi, & demonstrare illi suas dimissorias, & petere ab eo licentiam celebrandi,vel audiendi confessiones,& vivere in illa civitate cum modestia, & bono exemplo, & subiectus Episcopo illius diœcesis tanquam si esset proprius Episcopus.

10 Clericus cum revertitur à sua peregrinatione quid debet agere?

℞ Ex urbanitate præsentare se ante suum Episcopum, vel Vicarium, & reddere rationem suæ peregrinationis, vel negotij.

## CAPUT XXXII.
## De Clericis Græcis.

1 Græci suntne subjecti Episcopo Latino?

℞ Sunt, tam Laici quam Clerici subiecti Episcopo illius diœcesis, in qua situm est oppidum. *Bulla Pij IV. quæ incipit Romanus Pontifex. 97.* in ordine, & in omnibus sunt subiecti, in quibus Latini. *c. quod translationem, de temporibus ordinandorum.*

2 Sacerdos Græcus poteritne habere Ecclesiam inter Latinos?

℞ Poterit, si dimittat uxorem,& vivat more Latinorum, quia legitimè ordinatus est. *Abb.in cap cum olim de Clericis conjug. num.2.*

3 Quid sumunt prius Clerici Græci ordines, an uxorem?

℞ Prius quatuor ordines minores, & postea uxorem, & ipsa mortua, transeunt ad secundas nuptias, & post ordines sacros. *Abb. ubi sup.*

4 Filius Sacerdotis Græci poteritne promoveri more Latinorum absque dispensatione?

℞ Poterit, si vivat mòre Latinorum. *c. cum olim. de Cler. conjug.*

5 Græci ad ordines debentnè accipere dimissorias Episcopi Latini?

℞ Debent, & ordinari cum Episcopo Græco habente communionem Apostolicam, alias sunt suspensi. *c.quod translationem de temporibus ordin.*

6 In hac suspensione poteſtne Episcopus Latinus dispensare cum Græcis?

℞ Non, sed Summus Pont. *Bulla Clement. VIII. verbo græcorum ritus.*

7 Græci in matrimonio tenenturne servare ritus Latinos?

℞ Tenentur servare. *Quaranta. in verbo græcorum ritus, ex bulla Clementis VIII.*

8 Si Latinus ducat Græcā,quem ritū debet servare?

℞ Si fieri potest Latinum,& si non, quilibet potest sancte vivere in suo ritu. *c.fin. de baptismo.*

9 Proles quem ritum debet servare?

℞ Ritum patris Latini; sed si mater est Latina, & prævalet, debet servare ritum matris, quia semper debet prævalere ritus Latinus.

10 Qualis Presbyter Græcis præesse debet?

℞ Sciens lingvam Græcam, ut possit sacramēta ministrare,& idem dicitur, si sint in aliqua diœcesi aliqui homines alterius linguæ.

## CAPUT XXXIII.
## De Clericis coniugatis.

1 Clericus poteſtne contrahere matrimonium?

℞ Si sit in sacris non potest contrahere, & si de facto contraxit, debet eam dimittere, si vero sit in minoribus, tenet matrimonium, sed de facto, & ipso jure vacant beneficia ab eo obtenta. *c. 1. de Clericis conjugatis.*

2 Si Clericus contrahat per verba de futuro, perditne ipso facto beneficium?

℞ Non, sed solum quando contrahit per verba de præsenti, quia per verba de futuro, non fit verum matrimonium, sed vera obligatio contrahendi, & pœna imposita est Clerico contrahenti per verba de præsenti, & pœna extendi non debet. *Abb. capit. 1. de Clericis coniugatis. num. 5.*

3 Quis potest dispensare cum Clerico in sacris, qui de facto contraxit matrimonium?

℞ Facta pœnitentia, si uxor erat virgo, Episcopus dispensat ad ordines, & ad beneficia, si verò uxor erat vidua, vel corrupta Summus Pont. dispensat propter bigamiam *c. 2. de Cleri is conjugatis.*

4 Si Clericus in sacris occultè contrahat cum virgine, indigetne dispensatione?

℞ Facta pænitentia, & confitens suum peccatum quod est occultum, non indiget dispensatione. *Abb. c. sane de Clericis conjugatis, num. 1.*

5 Quid est majus peccatum in Clerico in sacris, cōtrahere matrimonium, vel comittere adulterium?

℞ Contrahere matrimonium, quia videtur non bene sentire de sacramento matrimonij, vel de ordine. *Abb. c. sane de Clericis conjug. num. 4.*

6 Clericus non incedens in habitu, & tonsura, perditnè privilegium Clericorum ipso Jure?

℞ Non, sed post trinam monitionem. *Abb. c. Joannes de Clericis conjugatis, num. 4.*

7 Papa potestne dispensare, ut Clerici latini habeant uxores, sicut Græci?

℞ Poterit, nisi tales Clerici emiserint tacitè, vel expresse votum castitatis, & in dictis votis raró dispensat Summus Pontifex. *Abb. c. cum olim, n. 5. de Clericis conjugatis.*

8 Clericus conjugatus in primis ordinibus constitutus poteritne obtinere beneficium?

℞ Non, sed est incapax, nisi de consensu uxoris voveat prius castitatem, vel ambo ingrediantur religionem, & tunc cum dispensatione Papæ, *Abb. in Cap. Joannes, de Clericis conjugatis, n. 7.*

9 Si Clericus in minoribus de facto contrahat matrimonium, & dedit aliquod donum Ecclesiæ, vel de suis bonis instituit beneficium, debetne portare suum donum, quod dedit Ecclesiæ, vel beneficium?

℞ Non, quia qui recipit ab Ecclesia sine crimine, vel cum judicis authoritate, iste portat secum, quod dedit Ecclesiæ; secus verò, qui sine licentia committens delictum, recedit ab Ecclesia, tunc perdit, quod dedit Ecclesiæ, *c. quod à te, de Clericis conjugatis, n. 11.*

10 Clerici conjugati in primis ordinibus, debentne cogi ad portandum tonsurā, & habitum Clericalē?

℞ Si non habeant beneficium, non debent cogi, ne detur occasio mulieribus eorum, ut eos non ament, vel odio habeant. *Cap. Joannes de Clericis conjugatis, n. 1.*

11 Quis potest dispensare cum Clerico conjugato, ut habeat beneficium Ecclesiasticum?

℞ Solus Summus Pontifex, *Joan. Andr. in c. ex literis de transactionibus. Cap. 2. de institutionibus. c. statutum, de rescriptis.*

12 Clerici uxorati debentne admitti ad Ecclesiasticas dignitates?

℞ Non, imò si habeant, debent dimittere propter Ecclesiæ decorem, & ornatum. *Cap. cum decorem, de Clericis conjugatis.*

13 Clerici conjugati, si portant tonsuram, & habitum, gaudentnè privilegio Clericorum

℞ Non, quia privilegium non perditur ratione habitus, sed ratione uxoris, & tonsura non est de substantia Clericatus, sed est signum Clericale. *c. Joannes de Clericis conjugatis. Abb. ibi n. 4.*

14 Si Clericus conjugatus gaudet privil. Clericali ex aliquo privilegio, in quibus casib. gaudet tali privil.?

℞ Solum in duobus casibus, 1*mo*, in omnibus causis criminalibus. 2*do*, in casu Capituli, si quis suadente diabolo, scilicet, quòd si quis eum percutiat, cadit in dictum canonem, in omnibus alijs civilibus judicatur à Judice Laico. *Abb. c. Joannes de Clericis conjugatis, n. 3.*

15 Si Clericus in minoribus militet, estnè cogendus ad deferendum habitum, vel tonsuram?

℞ Non, quia habitus non est aptus ad tale exercitium. *Cap. fine. de Clericis conjugatis. & Abb. ibi n. 1.*

## CAPUT XXXIV.

## De Clerico, qui gaudet Beneficio c. Odoardus, de solutionibus.

1 Quid requiritur, ut quis gaudeat privilegio cap. Odoardus, & faciat cessionem bonorum?

℞ 1*mo*, quòd confiteatur debitum. 2*do*, ut executio fiat in bonis ejus. 3*tio*, ut sit carceratus. 4*to*, ut det veram relationem suorum bonorum, & debitorum, quia faciens fraudem in bonis non gaudet tali privilegio, cum fraus, & dolus nemini patrocinentur. *Abb. in c. olim vobis, de restitutione spoliator. n. 7.*

2 Clericus in minoribus gaudetnè beneficio. Capit. Odoardus?

℞ Gaudet, quia in favorabilibus lex est amplianda. *Covar. Lib. 2. variar. resolut. Cap. 1.*

3 Qui Clerici non gaudent beneficio. c. Odoardus

℞ 1*mò*, qui non confitentur debitum. 2*do*, dolosi, qui falsò asserunt se habere idoneas facultates, quando acceperunt debitum. 3*tio*, qui in fraudem creditorum consumpserunt bona. *l. penult. de Jure dotium. l. si quis dolo. ff. de re judic.*

4 In delictis, & pœna posita pro delictis gaudetne Clericus beneficio c. Odoardus?

℞ Non. imò, si non habet in bonis, debet luere in corpore, carcere, vel exilio. *l. fin. ff. de in jus vocando.*

5 Clericus, qui consumpsit bona gaudendo, vel luxuriosè vivēdo, gaudebitnè beneficio c. Odoardus?

℞ Non. *Bald. in l. 1. C. qui bonis cedere possunt.*

6 Clericus exercens illicitam negotiationem gaudebitnè dicto beneficio c. Odoardus?

℞ Non, imo talis privatur privilegio Clericali. *Joan. Andr. in c. 1. de obligatis ad ratiocinia.*

7 Laicus factus Clericus post debitum contractum fraude

fraude creditorum gaudebitne dicto beneficio capit. Odoardus?

℞ Non, quia malitia, & dolus nemini patrocinantur. *Joan. Andr. in Cap. 1. de obligatis ad ratiocinia.*

8 Clericus convictus actione reali, poteftne gaudere dicto beneficio c. Odoardus?

℞ Non, ut maritus. *Bart. in l. maritum. ff. de soluto matrimon.*

9 Clericus, qui renuntiavit beneficio c. Odoardus, poteritne gaudere hoc privilegio?

℞ Affirmativè; quia cum privilegium fit commune, à particulari renuntiari non poteft, quia hoc eft renuntiare fuam libertatem, & homo non eft dominus membrorum fuorum, nec fuæ libertatis. *Covar. Lib. 2. variarum c. 2. Hoftienfis in dicto c. Odoardus, & Abb. c. lator de pignoribus, & alijs cautionib. n. 2.*

10 Qui condemnatus fuit à Rota, vel per tres fententias, vel qui in fcriptura renuntiavit beneficio Cap. Odoardus, his non obftantibus, poteritnè gaudere tali privilegio?

℞ Affirmativè; quia cum privilegium fit commune á particulari renuntiari non poteft. *Covar. var. refolut. Cap. 1. Hoftienfis in dicto c. Odoardus.*

11 Qui non coguntur cedere bonis, & gaudent benefic. Cap. Odoardus?

℞ Prælatus, eques, nobilis, miles, Doctor, quia eft res infamis, & diminuens authoritatem, & ifti funt exempti ab hac infamia, & in eorum perfonam non poteft fieri executio, neq; poffunt incarcerari pro debito civili, licet in fcriptum renuntient hoc privilegium; eodem privilegio gaudent mulieres, quæ pro debito civili non poffunt incarcerari, neque renuntiare hoc privilegium, & fi renuntient, renuntiatio eft nulla & tabellio habet magnam pœnam privationis officij per leges tauri. Nobiles Hifpani, quos vulgo vocant (Hidalgos) & eqvites religionum militarium, non folum habent hoc privilegium, verum etiam cum fit executio in eorum bonis, debet illis relinqui intactus lectus, in quo dormiunt, arma fuæ perfonæ, equus in quo equitant per dictas leges tauri.

12 Officiales mechanici quod privilegium habent quando fit executio in eorum bonis propter debitum civile?

℞ Non poffunt illis auferri inftrumenta fuæ artis, cum quibus laborant; ratio eft, quia tollendo illis ifta inftrumenta, inhabiles, & deterioris conditionis fiunt ad folvendum tale debitum, & ad fe fubftentandos, & fic creditor contra fe facit tollendo illis inftrumenta fuæ artis. Hoc intellige de illis inftrumentis, fine quib. laborare non poffunt, non de inftrumentis fuperfluis tenent. *D D. in dicto c. Odoardus.*

# LIBER SEXTVS
## *DE POTESTATE EPISCOPI*
## *In Laicos, Monachos, Moniales, & Seminarium*

### CAPUT I.
### De Laicis.



1 Quam jurifdictionem habet Epifcopus in laicos?

℞ Poteft eos excommunicare, & incarcerare; & de eis cognofcere in cafu matrimoniali, ufurario, facrilego, periuro, & hæretico, & in alijs mixti fori. *Abb. in capit. 1. de emptione, & vendit. n. 5. & 9.*

2 Laici poffuntne habere beneficium Ecclefiafticum, vel penfionem Ecclefiafticam?

℞ Non in titulum, quia funt incapaces: fed cum difpenfatione Apoftolica poterunt habere penfionem, vel refervationem fructus alicujus beneficij & hæc difpenfatio femper datur à Sede Apoftolica cum graviffima caufa. *Abb. in c. Joannes de Clericis coniugatis, num. 7.*

3 Laici habentes penfionem, vel fructum alicujus beneficij cum difpenfatione Apoftolica, teneturne recitare officium magnum, quod Clerici recitant?

℞ Licèt non teneantur recitare officium magnum, tamen ferè femper tenentur recitare officium B. M. vel Rofarium, vel quid fimile; quia, qui de altari vivit, etiam debet fervire altari, & in Bulla Apoftolica femper hoc ponitur, ut Laicus in confcientia fruatur penfione, & fciat illud, quod debeat facere.

4 Laici quærentes eleemofynam fine licentia, vel neceffitate, à quo puniuntur?

℞ A Judice Ecclefiaftico propter peccatum mortale, quod committitur, & à Judice fæculari propter jurifdictionem fæcularem, quam habet in laicos. *Conc. Trid. Seff. 21. c. 9 de Reform.*

5 Vagabundi, & peregrini, quem Parochum habent?

℞ Si vagentur fine licentia proprij Epifcopi, & Parochi, habent Parochum illius oppidi, in quo habitant. Si verò ambulent cum licentia proprij Epifcopi, judicantur ut itinerantes, & habent fuum proprium Parochum. *Barth. Ugol. f. 109.*

6 Peregrinos, & pravos quæftores eleemofynarum Laicos, quis poteft punire?

℞ Epifcopus tam Laicos, quam Ecclefiafticos. *Con. Trid. c. 9. Seff. 21. cit. c. cum ex eo, de pænitent.*

7 Peregrini, & quæftores eleemofynarum, quid prohibentur facere fine licentia Epifcopi?

℞ Dare imagines, feu migdalias, neque deferre figna

gna, aut publicare indulgentias, neq; dare reliquias seu terram sanctam loco hospicij, seu eleemosynæ, ratio est, quia in his rebus sunt plurima inconvenientia, & plurimæ falsitates, & cum sit res tanti momenti, requiritur authoritas Episcopi. *Conc. Trid. Sess. 21. c. 9. c. cum ex eo, de pænit.*

8 Studentes in Universitate quem Parochum habent, dum dant operam literis?

℞ Parochum illius domus, in qua habitant, quia licet habeant animum revertendi, tamen tempore studij habent illam domum quasi domicilium. *Navarr. c. placuit, de pænit. n. 85.*

9 Quis potest imponere pænitentias publicas Laicis & in quibus casibus?

℞ Episcopus, & non simplex Sacerdos, & hoc cum magna consideratione, quia cùm non sint in usu, ex his possunt oriri maxima scandala, & sic si aliquando imponuntur, debent esse pro crimine publico, & scandaloso, sed non pro crimine occulto, & in foro conscientiæ. *Abb. in c. lit. de præsump. Navar. in man. c. 8. notab. 2. Trid. Conc. Sess. 24. c. 8. de Reform.*

10 Mulieres vetulæ, quæ ex officio occultant, vel vendunt mulieres virgines, vel exercent incantationes, aut magicas artes, vel committunt crimen lenocinij, & puniũtur à Iudice Ecclesiastico ad portas Ecclesiæ, ista estne pænitentia publica, de qua loquitur. *Conc. Trid. Sess. 14. c. 8. de Reform.*?

℞ Ista est pœna delicti & causata sententia exforo exteriori, & non est pęnitentia secreta, de qua loquitur Concilium in d. c ubi propriè loquitur de foro interiori & pęnitentiali ob sui magnam humiliationem vult detegere, & confiteri publicè sua peccata, & facere publicam pænitentiam, sicut faciebant antiqui Patres, qui habitabant in eremo.

11 Laici quid tenentur servare?

℞ Præcepta Decalogi, & præcepta Ecclesiæ sub pæna peccati mortalis. *Conc. Trid. Sess. 25. de delectu ciborum, dist. 76. per totam.*

12 Quis debet monere, compellere, & castigare sæculares qui trasgrediuntur præceptaDecalogi?

℞ In foro interiori Parochus, & Confessores debẽt monere sęculares, at verò in exteriori in delictis manifestis Judices Ecclesiastici debẽt compellere, & castigare transgressores secundum leges Ecclesiasticas.

13 In quibus diebus tenentur Laici audire Missã?

℞ Diebus festivis, Dominicis. *c. Missas. dist. 1. de consecr.*

14 Laici tenenturnè necessariò audire Missam majorem dieb. festivis, & Dominicis, vel audire necessariò concionem, & super hoc puniri, vel mulctari à parocho?

℞ Laici satisfaciunt præcepto Ecclesiæ audiendò unam Missam, sive cantatam, sive recitatam, & à Parochis sunt monendi, & non compellendi, ut audiant Missam majorem & concionem, verum si in aliquibus diœcesibus, & terris est consvetudo, ut omnes audiant Missam majorem, & hæc consvetudo tanquã bona suaviter cõservanda est.

15 Potestne Episcopus dare facultatem laicis, ut diebus festivis laborent?

℞ Potest, post auditam Missam, urgente necessitate, ut dixi. *Lib. 3. Cap. 1.*

16 Si Laici aliquam celebrent festivitatem in honorem alicujus sancti, post Missam possuntnè fieri convivia?

℞ In hoc nihil est innovandum dummodo fiant extra Ecclesiam, vel in atrio Ecclesiæ. *Conc. Trid. Sess. 25. de delectu cib.*

17 Judex Ecclesiasticus potestne compellere Laicos ad deponendum coram se?

℞ Potest tam in causa civili, quàm in criminali. *c. super, de testibus cogend.*

18 Quando possunt Laici testes excommunicari, & torqueri coram Judice Ecclesiastico?

℞ Quando deponunt falsum, vel utuntur fraude in sua depositione, vel sunt socij criminum, quia concessa jurisdictione, conceduntur omnia necessaria ad talem jurisdictionem adimplendam. *l. 2. C. de jurisdictione omnium judicum l. nullum. C. de testibus.*

19 Laici offendentes cursores Ecclesiasticos faciẽtes suum officium à quo debent puniri?

℞ A Judice Ecclesiastico. *Abb. in c. conquestus de foro compet nu. 1.*

20 Laici fideiussores Clericorum coram quo Judice debent comparere?

℞ Coram Judice Ecclesiastico sine licentia judicis sæcularis. *l. si quis. C. de Episcopali audientia.*

21 Laici possuntne renuntiare suum forum, & subijcere se Judici Ecclesiastico sine aliqua pœna?

℞ Possunt. *l. Episcopale. C. de Episcopal. audientia.*

22 Quare Laici possunt renuntiare suum forum, & Clerici non?

℞ Quia Laici constituerunt sibi Reges, & se ipsos illis subiecerunt, sic possunt renuntiare jurisdictioni, quam ipsi supra se Regibus dederunt; jurisdictio verò Ecclesiastica, & exemptio data fuit Clericis á Deo, & sic illam non possunt renuntiare, quia non est sua.

23 Laici communicãtes in Paschate Resurrectionis, si non confiteantur, quam pœnã incurrunt?

℞ Episcopus potest eos excommunicare, & de consvetudine condemnantur in aliqua pæna pecuniaria. *glos in c hi qui, de consecrat. dist. 2. Cap. omnis. utriusque sexus, de pœnitent. & remiss.*

24 Potestne Episcopus reservare sibi absolutionem eorum, qui non confitentur in Paschate?

℞ Non expedit, ut hoc faciat, ne à confessione imperata terreantur.

25 Episcopi possuntne imponere Laicis excommunicationem, ut diebus festivis, & Dominicis audiant conciones, & doctrinam Christianam, & Catechismum, vel Missas cantatas?

℞ Non, sed solum possunt eos monere; benè tamen poterit aliquando Episcopus imponere pœnam excommunicationis, ut omnes concurrant ad aliquam concionem, quando in ea debet publicari aliquod edictum.

## CAPUT II.
## De Confraternitatibus.

1 Quid sunt confraternitates piæ?

℞ Sunt communitates à Christianis institutæ.

2 Quis potest eligere confraternitates?

℞ Episcopus, & earum constitutiones approbare. *Bulla*

re. *Bulla Pij V. in ordine* 156. *&. Greg. XIII.*

3 Quis debet earum curam habere?

℞ Episcopus, qui ex Conc. Trid. habet curam omnium piarum operarum. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 8.*&* 9.*de Ref.Clem.quia contingit,de religiosis domibus.*

4 Quis debet eas approbare?

℞ Episcopus, vel Summus Pont. *Tusc. in tract. de visitatione Lib.* 2.

5 Quis debet eas visitare, etiam si sint institutæ à Laicis,& omnes fratres sint laici?

℞ Episcopus, & potest eos corrigere, carcerare,& pænis compellere, ut adimpleant instituta dictæ confraternitatis,& petere ab eis computa,& rationes,& statuere, quæ necessaria fuerint ad cultum divinum,& eas reformare,quia sunt opera pia,quæ exercentur per subditos, & oves Episcopi. *Tusc. de visitatione. Lib.* 2. *c.* 14. *n.* 5. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 8. *&* 9. *de Ref.*

6 Si confraternitates Laicorum habeant capellas in claustris,vel Ecclesijs monachorum, vel religiosorum,ubi viget regularis observantia, quomodo debet Episcopus visitare has confraternitates?

℞ Tunc Episcopus debet visitare personas,statuta, bona, vivendi modum; non autem altaria, neq; capellas eorum,quia sunt intra clausuram religiosorum;& sicut non potest visitare Ecclesias religiosorum,qui vivunt in observantia, sic neq; capellas sitas intra claustra,vel Ecclesias;quia accessorium sequitur naturam principalioris. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 8. *de Ref.*

7 Quid debet attedere Episcopus in tali visitatione?

℞ 1*mò*, quas preces recitent,ne sint superstitiosæ. 2*do*, an die, vel nocte congregentur, nam nocte non facilè permitti debet propter scandalum. 3*tio*, in processionibus quo habitu utantur. 4*to*, quæ bona, & eleemosinas habeant, & in quibus rebus ea cosumant. 5*to*, singulis annis ab æconomo rationes recipiat. 6*to*, examinare debet statuta,& ea addere,vel minuere,si ad earum servitium expedit. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 8. *Navarr. cons.* 3. *de foro competenti.*

8 Potestne Episcopus compellere dictas confraternitates,ut veniant ad processiones publicas?

℞ Si ex suo statuto non sint obligatæ ire ad processiones, compelli non debent; si autem ex suo statuto debeant ire,& sit competentia super præcedentia inter eos,Episcopus debet eam finire. *Steph. Quaranta in suo bullario verb. præcedentia.*

## CAPUT III.
## De Hospitalibus.

1 Quis debet exercere hospitalitatem?

℞ De Consilio omnes Regulares, & Sæculares obtinentes loca pia,quæ fundata sunt ad necessitatem informorum & peregrinorum *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 8. *de Reform.*

2 Potestne Episcopus concedere possessionem Ecclesiæ pro hospitalibus?

℞ Affirmativè, quia est magnum servitium DEI. *Abc. in c. olim. nu.* 2. *de rest. spol.*

3 Quis debet cogere obtinentes talia bona,& domos ut hospitalitatem exerceant?

℞ Episcopus. *Conc. Trid.ut supra,& ses.*7.*c.*15.*de Ref.*

4 Si in illis locis non sunt infirmi, nec peregrini, quis poterit talia bona applicare in aliud pium opus hospitalitati simile?

℞ Episcopus cum duobus de Capitulo ab eo eligendis. *Conc. Trid. Sess.*25.*c.*8. *ut sup.*

5 Hospitalia possuntne habere conservatores?

℞ Possunt, & per *c.*5.*Sess.*14.*a Conc. Trid.* hospitalibus actu hospitalitatem exercentibus, conservatores non sunt derogati, sed includuntur in *Bulla Greg. XIII. ut in c. de conservatoribus dicemus.*

6 Famulus infirmus à quo debet sustentari?

℞ A Domino suo,si est dives, quia in suo servitio incidit in infirmitatem. *Abb. in.c.*1. *de Clerico ægrotante. num.* 8.

7 Per quod tempus administratores Hospitalium debent durare?

℞ Ultra triennium non debent exercere officium, quia expressè est illis prohibitum *Conc. Trid. Sess.* 25.*c.*8. *nisi forte in fundatione aliter cautum sit.*

8 Quis debet visitare hospitalia?

℞ Episcopus, & petere rationem redditu um, & coputorum. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.*8. *de Ref.*

9 Si hospitalia sint sub protectione alicujus religionis militaris,vel sæcularis, poteritnè Episcopus ea visitare?

℞ Si talis religio sit in regulari observantia, ut Ordo S. Iacobi, & cæteræ, Episcopus non debet se intromittere, quia habent suos proprios superiores. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 8. *ut sup.*

10 Quis potest administrare sacramenta existentibus in hospitalibus?

℞ De jure Parochus,in cujus Parochia xenodochiū existit; sed si est consvetudo quadraginta annorum,ut Presbyter inserviens hospitali administret sacramenta,servanda est talis consvetudo. *Clem. quia contigit, de religiosis domibus.*

11 In hospitalibus gaudetnè quis immunitate Ecclesiæ?

℞ Si sit campana, & celebretur Missa, gaudet, quia præsumitur Ecclesia authoritate Episcopi constructa. *Abb. in c. patentibus, de privileg. & excessibus privil. n.* 1.

12 Qui habent hospitalia,possuntnè illa dare religiosis administranda?

℞ Affirmativè,quia regulares habent modum vivendi approbatum à sede Apostolica, & magis strictum,quàm sæculares.& sic præsumitur, quòd cum majori charitate curent infirmos, quàm sæculares. *c. inter dilectos, de donationibus.*

## CAPUT IV.
## De Capellis Monachorum.

1 Quæ est capella Monachorum?

℞ Sumitur in isto titulo pro eorum Ecclesia,quæ distinguatur ab Ecclesijs Cathedralibus, & parochialibus.

2 Monachi debentnè habere curam animarum?

℞ Non, quia ad eos de Jure non pertinet, sed ad Episcopum, & Parochos sæculares. *c.* 1. *de capellis Monachorum.*

3 Si forsan monasterium habeat Ecclesiam unitā cum cura animarum,qui debent administrare sacramenta, sæculares, an regulares?

℞ Presbyteri sæculares; tales enim subiacent Episcopo, & non Monachi, qui administrant sacramenta subditis Episcopi. *Abb. c. 1. de capellis monachorum n. 1.*

4 Quibus in casibus Monachi possunt administrare sacramenta sæcularibus, si habeant in sua propria Ecclesia parochiam, & Monasterium?

℞ In casu, in quo Ecclesia Monasterij est parochia, & in casu necessitatis, vel consvetudinis immemorabilis poterunt Monachi exercere curam animarum per se ipsos, & tunc sunt approbandi, & instituendi ab Episcopo loci & in concernentibus administrationem sacramentorum subiacent Episcopo, in reliquis subiacent suo Abbati, vel Priori, & si semel constitutus ad hoc officium mutetur, non debet alius ingredi sine nova Episcopi approbatione, & institutione. *Abb. in c. quod Dei, de statu Monach. & Cap. 1. de capellis Monachorum.*

5 Si aliquis Monachus assumitur ad regendam Ecclesiam sæcularem, eximiturnè ab obedientia Abbatis, & suæ religionis?

℞ Eximitur, & subiacet Episcopo loci in concernentibus administrationem. *Abb. c. fin. de capellis Monach. n. 2.*

6 Monachus solus debetne commorari in prioratibus vel vineis Monachorum?

℞ Non, & si ad hoc habeat privilegium, debet tale priuilegium facere mentionem de Conc. Lateranensi prohibente hoc, alias censetur subreptitium. *c. ex p. de capellis Monach.*

7 Quis debet compellere Abbates, aut Priores, ne Monachos solos per vias dimittant, vel ne sinant eos solos in prioribus, & in Ecclesijs commorari?

℞ Episcopus diœcesanus. *c. fin. de capellis Monachorum*, & in hoc per. *Conc. Trid. utitur* potestate sedis Apostolicæ delegata.

8 In defectu Abbati, quis poterit Monachos corrigere?

℞ Episcopus tanquā Sedis Apostolicæ delegatus. *Abb. capit. final. de capellis, n. 1. & Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 14.*

## CAPUT V.

## De statu Monachorum, & Canonicorū Regularium, & de Capitulis eorum.

1 Unde dicitur Monachus?

℞ A verbo græco, monos, quod est unum, & acos, qui est custos, quasi dicatur Monachus unius animæ custos. *glos. in. l. decernimus. C. de Episcopis, & Cler. auth. de Monachis. Bertach.* & in mundo mortuus Deo vivens, & extra claustrum in vita spirituali non potest vivere, sicut neq; pisces extra aquam. *Cap. placuit 16. q. 1.*

2 Monachorum appellatione veniuntnè Canonici regulares?

℞ In odiosis non, sed de illis debet fieri expressa mentio. *Abb. c. quod Dei, n. 2. de statu mon. ch.*

3 Quis dicitur canonicus regularis, & sub qua regula vivit?

℞ Dicitur ille, qui vivit in claustro, & obedientia sub regula S. Augustini, & habitu Clericali procedit cum cotta, seu superpelliceo candido.

4 Essētia religionis, vel status Monachorū quid est?

℞ Professio trium votorum, castitatis, paupertatis, obedientiæ. *Abb. c. cum ad monasterium, de statu monach. n. 7.*

5 Quis dicitur Apostata?

℞ Qui deserit habitum, vel monasterium habitu retento, vel ille, qui non obedit superiori. *Abb. c. cum ad monasterium, de statu monach. n. 8.*

6 Si monachus fugiat à monasterio, & sua industria acquirat plura bona, cui debent adjudicari post ejus mortem, monasterio, vel parentibus, vel hæredibus in testamento relictis;

℞ Sive mortuus, sive vivus ipse cum suis bonis adjudicandus est monasterio, & ejus superior poterit sibi eum, & bona vendicare, quia quidquid acquirit servus, vel monachus, non sibi, sed domino, vel monasterio acquirit. *c. quod à te, de Clericis conjug. Abb. ibi n. 6.*

7 Pro monachatu debetne dari aliquid?

℞ Non, quia est usura, & sic receptus non promovetur ad sacros ordines, neque in susceptis ministrabit, & recipiens ab officio suspenditur. *c. monachi, da statu monachor.*

8 Quam pænam incurrit, qui dat pecuniam pro acquirendo aliquo officio in monasterio?

℞ Dans, & recipiens deponuntur. *c. monachi, de statu monachor.*

9 Monachi Cistercienses quam regulam debent observare?

℞ Suam primam regulam secundum eorum institutionem. *c. recolentes, de statu mon.*

10 Monasteria, quæ aggregantur monachis Cisterciensibus, quam regulam debent observare?

℞ Regulam Cisterciensium, quia qui similem vitam ducunt, simili privilegio gaudent, & quod alteri aggregatur, ejus naturam in omnibus debet imitari, *c. recolentes, de statu mon.*

11 Monachi, & regulares, quando debent facere sua capitula, vel concilia Provincialia?

℞ Ad minus singulis triennijs, ut eorum religio meliùs observetur. *c. in singulis, de statu monach.*

12 Quid debet in capitulis tractari?

℞ De electione visitatoris, & visitatorum, si sit tempus, de Reformatione ordinis, de religione, ut crescat, & floreat ad majorem Dei laudem, & Ecclesiæ Sanctæ utilitatem. *c. in singulis, de statu monach.*

13 Quando dicitur concorditer convenire in aliqua electione facta in aliquo capit.?

℞ Quando electio fit nemine discrepante. *Abb. c. in singulis, de statu monach. n. 4.*

14 Qui debent cōvenire ad capitulū Provinciale?

℞ Prior, & unus pro monasterio, sed in hoc quælibet religio habet suum statutum, & consvetudinem, quœ servanda est. *c. in singulis, de statu monachorum.*

15 Quanto tempore debet durare capitulum?

℞ Tempus est prefixum in qualibet religione, & debet esse breve. *c. in singulis, de statu monach.*

16 Quis debet solvere expensas factas in capitulo?

℞ Omnes communiter secundum possibilitatem monasteriorum. *c. in singulis, de statu monachorum.*

17 Monasteria subveniuntne Episcopis?

℞ Non, quia exempta sunt à lege diæcesana præterquam in causa correptionis, in casibus à Conc. Trid. si-

Trid. sibi commissis, sed Archiepiscopus Montis Regalis habet omnimodam iurisdictionem in monachos S. Benedicti, qui assistunt in Metropolitana Ecclesia in omnibus delictis commissis in claustro, & extra; exceptis in concernentibus eorum monasticam regulam, per sententias rotales, & Bullas Apostolicas. *c. 1. de statu monach.*

18 Si monachus præfertur alicui Ecclesiæ parochiali adadministranda sacramenta, subijcitur ne Episcopo?

℞ Talis subijcitur Episcopo, & non habet amplius aliquam communionem cum suo monasterio, licet teneatur observare suam regulam. *Abb. c. 2. de statu monach. n.* 3.

19 Monachus dispensatus ad obtinendum canonicatum, vel beneficium curatum, est ne sub obedientia superioris sui monasterij?

℞ Non, imò eximitur ab obedientia superiorum sui ordinis, nisi fortè talis Ecclesia parochialis sit unita tali ordini, & per fratres illius ordinis administrari consvevit. *Abb. c. quod Dei, de statu monachorum. numero* 9.

20 Monachus debetne constitui in Parochum ad administranda sacramenta?

℞ Non, quia tale officium si fieri potest, debet exerceri per Clericos sæculares. *c. 2. de statu monach.*

21 Si aliquis recedit à monasterio, vel eijcitur à monasterio, vel collegio, debetnè resumere, quod ipse portavit ad monasterium, vel ad collegium?

℞ Debet resumere, quod portavit in monasteriū, licèt fecerit donationem monasterio, vel collegio; ratio est, quia licèt non exprimatur, intelligitur fecisse talem donationem intuitu suæ ingressionis, & sicut donationes factæ intuitu religionis non sequuta professione annullantur á sacro Conc. Trid sic istæ donationes annullantur à Jure. Secundò ut habeat talis, unde vivat, & substentetur. *Abb. c. recolentes, de statu monach n.* 3.

22 Si fratres minores habeant legatum alicujus rei, quam secundum regulam non possunt possidere, quid debent agere?

℞ Renuntiare hæredibus, vel vendere, dare eleemosinam, vel mutare in aliam rem, cujus usufructu possunt uti. *Abb. Cap. recolentes, de statu monachor. n.* 4.

23 Quæ non potest monachus facere?

℞ Non potest habere proprium, & si habeat, in morte sepelitur in sterquillinio. *c. 2. c. cum ad monasterium, de statu monach.* 2*do.* non potest esse advocatus. 3*tio*, non potest esse procurator nisi in utilitatem monasterij. *c. 1. de postulan.* 4*to*, non potest deserere prioratum, vel administrationem sine licentia. *Abbatis. c. porrecta, de confirm util. vel inut.* 5*to.* non potest transferri ad regulam strictiorem sine licentia, licèt possit petita, & non obtenta. sed ad largiorem regulam requiritur licentia Summi Pont. ad æqualem saltem licentia sui superioris. *c. licèt. c. non est, de regularibus. l. qui sub prætextu C. de Sacrosanct. Eccles.*

24 Monachus potestne habitare solus?

℞ Non, neq; ambulare per vias, ut per socium tollatur omnis suspicio malæ conversationis. *c. 2. de statu monach. & glos. ibi. Conc. Trid. Sess.* 26. *c.* 1.

25 Monachus, vel religiosus unius ordinis, potestne eligi in Abbatem, vel Superiorem alterius ordinis?

℞ Non, nisi dispensatione Summi Pont. & mutatione habitus, & nova professione in illo ordine. *Abb. in c. quod Dei, de statu monach. n.* 6.

26 Abbas potestne dispensare, ut monachus proprium habeat?

℞ Non, quia abdicatio proprietatis, & custodia castitatis, ista sunt annexa regulæ monachali, ut sint de intrinseca ejus ratione. *c. cum ad monasterium de statu monach.*

27 Monachus poteritne uti lineis indumentis, vel subuculis?

℞ Non, quia illis secundum ejus statum prohibitum est uti tunica linea. *c. cum ad monasterium, de statu monach.*

28 Monachus acquiritne sibi relicta, vel legata, & hæreditatem suorum majorum?

℞ Non, sed acquirit suo monasterio. *Abb. c. cum ad monasterium, n.* 2. *de statu monach.*

29 Si monachus administret agrum religionis, vel expendat aliquid in suum usum, & utilitatem, vel expendat in studio, diciturnè talis habere propriū?

℞ Non, sed solum usum, & hunc cum licentia sui superioris. *Abb. c. cum ad monasterium, de statu monach. n.* 9.

30 Abbas poteritne concedere licentiam monacho comedendi carnes?

℞ Poterit ex causa præcipuè sanitatis, tàm ad recuperandam sanitatem, quàm ad præservandam salutem *Abb. c. cum, de statu mon. n.* 16

31 Si in aliquo monasterio habeant consvetudinē comedēdi carnes, indigentnè dispēsatione aliqua?

℞ Non; nam præsumitur per longam consvetudinem habuisse legitimam dispensationem. *Abb. capit. cum ad monasterium, de statu monachorum n.* 18.

32 Summus Pont. poteritnè dispensare contra votum religionis?

℞ Poterit ex magna causa. *Abb. c. eodem de statu monach. n.* 20.

33 Monialis professa poteritnè contrahere matrimonium?

℞ Poterit ex Summi Pont. dispensatione, si ex hoc expectetur magna utilitas Reipub. Christianæ, ut sit in Regibus, Principibus, & Proceribus quandò eorum status carent successione. *Abb. c. cum ad monast. n.* 21. *de statu monachorum.*

34 Quibus causis potest deponi Prior, vel Abbas?

℞ Si sit dilapidator, si vivat incontinenter, si sit negligens. *c.* 2 *de statu monach. Abb. ibi n.* 5.

35 Quæ negligentia requiritur ad depositionem Abbatis, vel Superioris?

℞ Non ordinaria, sed magna, quod relinquitur arbitrio visitatoris, qui debet ponderare honorem Abbatis, & damnum monasterij. *Abb. c. fin. de statu monach. n.* 3.

36 Correctio monachi ad quem spectat generaliter?

℞ 1*mò*, ad Abbatem, & in ejus negligentiam, vel defectum, ad Episcopum *Abb. c. fin. eod. tit. n.* 1. *& Conc. Trid. c.* 14. *Sess.* 25 *de regularib. & monialib.*

37 Pœna monachorum qualis esse debet?

℞ Proportionata delicto, & talis, ut alij arceantur à simili crimine. *c. fin. de statu monach.*

38 Clerici sæculares debetnè habere præbendam in monasterio regularium?

 ℞ Non,

℞ Non, neque contra; sed quilibet habere suam portionem in suis proprijs Ecclesijs; & sic regularia beneficia regularibus danda sunt, sæcularia sæcularibus sic disponit *Conc. Trid. Sess.14.c.11.de Refor.c.fin. de statu monach.*

39 Si Provincialis delinquat, quis debet eum corrigere ?

℞ Generalis, vel Visitatores generales, *c. fin. de statu monach.*

40 Si aliqua religio habeat in suis constitutionibus certas pœnas positas pro certis delictis,& inter eas, ut superior deponatur,qui hoc, vel illud fecerit,tunc visitator debet habere arbitrium ad moderandas istas pœnas ?

℞ Tunc. Visitator solùm habet arbitrium ad judicandum factum,& informationes; sed non Jus, & pænas, quæ legales sunt,& ipse solus est executor ipsarum, ut habetur in *c. fin isto tit.*

41 In criminibus regularium debetne dari parti processus,& copia testium ?

℞ Debet,& juridicè procedi ad alias sententias, & si aliter procedatur, res erit nulla, cum ibi agatur de honore alterius. *Abb. Cap. final. de statu monach. n.* 13.

42 Dispositum,& præceptum monachis videturnè dispositum,& præceptum monialibus ?

℞ Si sint ejusdem regulæ affirmativè, quidqnid est dispositum monachis, est monialibus, sed non è contra. *Abb. c. fin. eod. tit. n.* 5.

53 Canonicus regularis poteſtne habere proprium?

℞ Non, imò si illud non resignabit,non datur ei sepultura Ecclesiastica, imò ex ea exhumatur;supra, de statu monach.

44 Canonicus regularis potestne constitui ad regendam Ecclesiam parochialem ?

℞ Poterit, & ibi administrate sacramenta, siue Ecclesia parochialis sit sui ordinis, sive sit sæcularis ordinis S. Petri, tamen si fieri potest, habeat socium sui Ordinis,*c.quod Dei de statu monach.*

45 Canonicus regularis,& religiosus,vel monachus possūtne promoveri in Episcopos,vel in Parochos?

℞ Possunt cum licentia, dispensatione Summi Pont. & causa principalis promotionis debet esse, ut faciat officium prædicandi Evangelium Dei. *Abb. c. quod Dei, de statu mon. n.* 5.

46 Monachus potestne promoveri in Episcopum sine licentia sui Abbatis ?

℞ Non.& Abbas tenetur dare licentiam justè petitam,aliàs cogetur à superiore; & superior dabit repugnante Abbate. *Abb. c. quod Dei , de statu mon. nu.* 12.

47 Monachus factus Episcopus poteritne comedere carnes ?

℞ Poterit. *Abb. c. cum ad monast. de statu monach. n.* 3. *citans c.* 3. 16. *q.* 1.

48 Qui Canonicus,vel Dignitas,vel Parochus, vel Prælatus poterit sine licentia intrare religionem, & dimittere suum beneficium :

℞ Poterit quilibet istorum dimittere prælaturam & intrare religionem sine licentia alicujus, sed solùm Episcopus id non potest facere sine licentia Summi Pontificis, cum habeat statum perfectiorem, & regulam arctiorem. *Abb. c. quod Dei, de statu monach. n.* 11.

# CAPUT VI.

## De Regularibus.

1 Fratres tertij Ordinis Minorum, tám viri, quàm mulieres,qui portant habitum, & vivunt suis in domibus, quibus Judicibus subditi sunt ?

℞ Ecclesiasticis,& sæcularibus, tam in causis criminalibus,quàm civilibus,& debent recipere sacramenta à prorio Parocho, sicut cæteri sæculares Bulla Leonis X. quæ est in ordine,decimaseptima, & in ea datum est privilegium, ut possintrecipere sacramenta,& confiteri in die Paschatis à suis fratribus; cætera verò sacramenta, scilicet extremam unctionem,& matrimonium debent recipere à Parocho, qui in domum illorum debet portare viaticum.

2 Quid significat eremita ?

℞ Est nomen grœcum ; & significat solitarium

3 Quæ genera eremitarum inveniuntur ?

℞ Sunt in duplici differentia. Primi,qui habent regulam approbatam a Summo Pont. ut sunt eremitæ S. Augustini,& S. Hieronymi,& hi subditi sunt suis superioribus. Alij sunt, qui vivunt pro sua devotione incapellis eremiticis sine regula approbata, & hi in spiritualibus subijciuntur Judici Ecclesiastico,in sæcularibus Judici Sæculari, *Zabarell. q.* 2. *clemen.* 1. *de præbend.*

4 Regulares tàm viri, quàm mulieres, quam regulam debent profiteri ?

℞ Suæ primevæ institutionis, & servare ad ungvem tria vota, obedientiæ scilicet castitatis, & religionis. *Conc. Trid. Sess.*25.*c.*1. *de regul. & monin*

5 Qui transfertur ex una religione ad aliam, ad quid tenetur ?

℞ Ad vivendum sub obedientia Prœlati illius reilgionis, & vacant officia, & beneficia, quœ in prima religione habebat. *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 11. *de reform.*

6 Religiosi dimittentes habitum ad quid compelluntur ?

℞ Si dimiserunt post emissam professionem compelluntur ad illum reassumendum, & puniuntur pœnis statutis in suo ordine. *Abb. in c.tua fraternitati,nu.*4.*&c. à nobis, de Apostatis.*

7 Si aliquis religiosus absq; licentia ingrediatur religionem laxiorem, punitur nè pœna Apostasiæ ?

℞ Non, quia non relinquit tria vota substantialia, inquibus consistit religio,& pœna Apostasiæ in Iure non est imposita istis, &cum sit gravissima, non est extendenda. *Abb. c. fin. de Apostatis, nu.*4.

8 Potestnè aliquis regularis professus transferried religionem laxiorem ?

℞ Non, benè tamen ad strictiorem. *Conc. Trid. Sess.* 25. c.19. *de reg. & monial.*

9 Potestne aliquis superior dare licentiam alicui religioso,ut occultè feratt habitū suæ religionis?

℞ Non, *Conc. Trid.Sess* 25.c.19.*sup. cit.*

10 Regulares,qui transeunt ad Cartusianum ordinem, possuntne in eo obtinere aliqua beneficia?

℞ Possunt esse Priores, & Procuratores, quia eis non est prohibitum,per *Conc. Trid. Sess.* 14. c.11.

11 Regulares possuntnè servire alicui Principi, Prælato,vel universitati ?

℞ Non sine licentia sui superioris in scriptis,etiā prætextu

prætextu lectionis, vel piæ operæ, alias ab ordinario puniuntur tanquam desertores sui instituti non pæna excommunicationis, sed aliis pænis. *Conc. Trid. Sess.* 25. *de reg. monial.* c. 4. & *Rodriquez. q.* 2. &. 63.

12 Generalis, vel superior religionis, poteſtne concedere licentiam alicui religioso, ut transeat ad religionem laxiorem?

℞ Ex justa causa poterit, cum mens, & intentio *Conc. Trid.* c. 19 *Sess.* 25. non fuerit tollere juridicas facultates. *Io: de la Cruz. de statu religios. Lib.* 1. c. 7. *dub.* 3. *Styrus dic.* 55. *de regul.*

13 Si aliquis monachus professus ingrediatur strictiorem religionem, vel laxiorem: & ante emissam professionem revertatur ad suam, debetnè iterum facere professionem, vel amittere locum primæ antiquitatis?

℞ Non, & revertitur prout primum erat, quia de licentia sui superioris licitè hoc tentavit, & est decisio Rotæ. 33. *p.* 1.

14 Aliqua mulier fundatrix alicujus monasterij, poteſtne ingredi monasterium regularium?

℞ Nō, imò indiget expressa Summi Pont. licētia.

15 Quando possunt mulieres ingredi prima claustra monasterij?

℞ Solùm in publicis processionibus, & in claustris, ubi celebrantur divina officia, ita tamen ut reputentur tanquam Ecclesiæ publicæ. *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 5. *de reg.* & *mon.*

16 Quo jure prohibitum est regularibus, ut non possint alloqui cum monialibus, neque mulieribus, quæ assistunt in monasterio educationis causa?

℞ Prohibitum est à Sacra Congregatione regul. sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, sed non sub pæna excommunicationis, quod observatur in Italia, sed non in Hispania, ubi hoc decretum adhuc non est receptum. *Quaranta in summa Bulla. verbo Monasteria Monialium, f.* 348.

17 Quibus in casibus possunt Regulares loqui Comonialibus sine pœna?

℞ 1mo, Superior, qui habet curam monasterij. 2do, Visitator 3tio, Confessarius extraordinarius, vel ordinarius. 4to, qui habet expressam licentiam à Sacra Congregatione. *Joann. Baptista in summa privilegiorum ordin. Mendic. tit.* 20. *Cap.* 8.

## CAPUT VII.
## De electione Superiorum.

1 Superiores Regularium quomodo debent eligi?

℞ Per secreta suffragia, & non sunt supplenda vota absentium. *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 6. *de regul.*

2 Si in aliqua religione sit permissum, ut aliquis superior impeditus mittat ad electionem substitutum, hoc est ne ei derogatum per dictum c. 6. d. *Conc. Trident.*

℞ Non. sed solùm data est forma, quomodo debeat procedere in electionibus.

3 Provinciales, & Abbates possuntne sibi reservare casus sicut Episcopi?

℞ Possunt ex legitima causa, sed debent servare *Bullam Clem. VIII. super hoc editam.*

## CAPUT VIII.
## De jurisdictione Episcopi in Regulares.

1 Privilegia Regularium edita ante Concilii quomodo sunt intelligenda?

℞ Omnia quæ sunt contraria Conc. Trid. debent ad ejus terminos reduci, ut sunt redacta per *Pium IV. in Bulla edita anno* 6. *sui Pontificatus, quæ incipit. in Principis Apostolorum.*

2 Regulares in civilibus coram quo convenire debent?

℞ Si degant intra claustrum, coram suo conservatore, si extra claustra, coram Episcopo. *Conc. Trid. Sess.* 7. c. 4. & *Bulla Greg. XIII. de Conservatoribus, data Religiosis Italia.*

3 Regularis, qui intra claustra monasterij degit, si publice deliquit, à quo debet puniri?

℞ A suo Superiore, sed Episcopus debet præfigere tempus tali superiori, ut eum certiorem faciat de tali punitione, & correptione, & si id non adimpleverit, Episcopus potest punire errantem, & Superior privatur officio. *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 14. *de Regularibus, & Monialibus.*

4 Si aliquis Religiosus comprehendatur à ministris Episcopi in aliquo delicto, vel in domo alicujus mulieris suspectæ, quid agendum?

℞ Episcopus debet eum incarcerare in suo carcere, donec informationes capiantur, & postea debet remittere ad suum Superiorem cum processu.

5 Regularis incorrigibilis poteſtne emitti è monasterio?

℞ Non, & si in aliqua religione hoc privilegium sit, non potest emitti habitu retento. *Caram. in Clem* 1. § *quia vero, q.* 1. *de statu Monach.*

6 Si aliquis Regularis propter aliquod delictum se conferat ad curiam Romanam, quid debet agere?

℞ Adire suum superiorem, & dare ei memoriale suæ causæ. *Rodrig. de Regular. tom.* 2. q. 2, & 63.

7 Si aliquis Religiosus ad fabricam monasterij deputatus monasterium relinquat, à quo debet puniri?

℞ Si monasterium sit regularis observantiæ, à Superiore suo; gaudet enim privilegio dato *à Conc. Trid.* c. 14 *Sess.* 25. *de Regul. & Monial.*

8 Si aliquis Regularis, qui degit intra claustra monasterij, vagatur sine licentia sui Superioris, à quo debet puniri?

℞ Ab Episcopo. Bulla Clem. VI. quæ incipit (Suscepti muneris) & *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 4. *de Regul. & Monial.*

9 Religiosi, qui ad Vniversitatem studiorum causa mittuntur, ubi debent habitare?

℞ In suis monasterijs, alias per Ordinarium contra eos proceditur, & ab eo puniuntur. *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 4. *ubi supra.*

10 Si quis Regularis vadat in itinere, & vagetur, & non portet licentiam sui superioris inscriptis & committant aliquod delictum, à quo debet puniri?

℞ Ab Episcopo debet de delicto, & si non committat delictum, & non portet licentiam, debet incarceratus ad suum Superiorem remitti. *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 4. *sup. cit.*

11 Regulares poſſunt ne puniri ab Inquiſitoribus, & Judicibus Cruciatæ ?

℞ Non, niſi in cauſis fidei.

12 Monaſteria, quæ in ſe ipſa habent iuriſdictione, & alicui Congregationi non ſunt ſubjecta, intra quod tempus debent ingredi aliquam congregationem, & habere Provincialem, & Viſitatores generales ?

℞ Infra annum à publicatione Concilij, aliàs Metropolitanus, & eo negligente, Epiſcopus antiquior debet eos cogere cenſuris, ut ingrediantur dictam Congregationem, & de hoc tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 8. de Regul. & Monial.*

13 Regulares poſſuntne cogi ad ſervandos dies feſtos, quos Epiſcopus iubet obſervari ?

℞ Tenentur ſervare, & etiam cenſuras, & interdicta à Sede Apoſtolica, & Epiſcopis probata, etiamſi dicti Regulares ſint exempti. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 12 de Regul. & Monial.*

14 Si Regulares, qui non dicunt officium Romanum. concinent in Eccleſijs ſæcularium, quæ Evangelia, & Epiſtolas debent declarare ?

℞ Cogi debent, ut declarent Evangelia, quæ leguntur in Eccleſijs, in quibusconcinunt. *Conc. Trid. Seſſ 25. cap. 12 cit.*

15 Excommunicationes, & interdicta ab Epiſcopo data, contra aliquem particularem, tenentur nè regulares in ſuis Eccleſijs illa publicare ?

℞ Tenentur non ſolùm interdicta generalia, ſed particularia. *Conc. Trid. Seſſ. 25 c. 12. de reg. & mon.*

16 Regulares poſſuntne publicare Bullas, indulgentias, vel facere proceſſiones extra ſua clauſtra?

℞ Non abſq; expreſſa licentia Epiſcopi. *Conc. Trid. Seſſ. 25 c. 12. cit.*

17 Regulares poſſuntne dicere Miſſas majores tãgere campanas ad horas antequam tangantur in Cathedrali ?

℞ Poſſunt, & non tenentur in ijs expectare Eccleſiam Cathedralem, quia nullibi eſt prohibitum, excepto in die Sabbati Sãcti, quia per particulare breve, & Bullam eſt eis hoc prohibitum.

18 Poteſtne Epiſcopus prohibere regularibus, ne in ſuis Eccleſijs recipiant Sacerdotes ſæculares ad celebrandas Miſſas, niſi viſis ſuis litteris comẽdatitis ?

℞ Poteſt, & debet, & regulares tenentur obedire.

19 In monaſterijs regularium debetnè eſſe lectio ſacræ ſcripturæ ?

℞ Epiſcopus debet curare, ut ſi monaſterium habeat facultatem, habeat talem lectionem. *Conc. Trid. Seſſ. 5. c. 1. vers. in monaſterijs, de Ref.*

## CAPUT IX.

## De prædicatoribus, & Confeſſoribus Regularibus.

1 Regulares volentes prædicare in ſuis Eccleſijs, à quo debent approbari ?

℞ A ſuis ſuperioribus debent examinari, & approbari, & cum dicta approbatione in ſcriptis coram Epiſcopo ſe perſonaliter debent præſentare, demõſtrare ei dictã, licentiã & abeo benedictionẽ petere. *Conc. Trid. Seſſ. 5. c. 2. §. regulares verò, de Ref.*

2 Epiſcopo contradicente poteritne aliquis regularis in Eccleſia ſui ordinis cum licentia ſui ſuperioris prædicare ?

℞ Non, neq; Epiſcopus tenetur reddere cauſam, ſeu rationem ſuæ contradictionis; ſufficit enim, quod oves, ad quas fit ſermo, ſint propriæ Epiſcoporum, & non ſunt ſubditæ dictis regularibus, & ſic Epiſcopus debet eas paſcere modo ſuo. *Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 4. & Seſſ. 5. c. 2. de Ref.* ſuperquibus ita declaratum eſt ab Illuſtriſſimis Cardinalibus.

3 Regulares volentes prædicare extra ſuas Eccleſias à quo debent examinari ?

℞ Ab Epiſcopo, & etiam approbari, licentiamq; habere in ſcriptis. ratio eſt, quia *Conc. Trid. c. 2. Seſſ 5. in §.* in Eccleſijs verò ultra licentiam, & approbationem ſuorum ſuperiorum ſpecialiter petit licentiam ab Epiſcopo in ſcriptis, quæ licẽtia ſine prævio examine dari non poteſt. *Stephan. Quaranta, verb. prædicator. fol. 398. & affert Bullam Leonis X. quæ incipit ( ſupernæ, & infra ) quæ expeſsè præcipit dictum examen.*

4 Quæ differentia eſt inter dare benedictionem, & concedere licentiam ?

℞ Dare benedictionem eſt ſolùm dare conſenſum, & aſſenſum approbationi factæ à ſuperioribus regularium; dare verò licentiam, eſt illum ex certa ſcientia approbare, & eum ſuo in loco deputare, ut prædicet ſuis ovibus, & in ſua Eccleſia, & ideò non ſine magno Concilio ſacra Trid. ſyn. ad prædicandum in ſuis Eccleſijs, dicit, ut ſufficiat regularibus habere benedictionem ſolam ab Epiſcopo, & ad prædicandum in Eccleſijs, quæ ſui ordinis non ſunt, dicit eſſe neceſſariam expreſſam Epiſcopi licentiam in ſcriptis.

5 Poteritne Epiſcopus abſque examine dare licẽtiam alicui religioſo docto Cathedratico, vel Provinciali, de quo, Epiſcopo conſtat eſſe doctum, & ſufficientem ad prædicandum, vel doctori ſæculari legenti publicè, vel notoriè docto ?

℞ Licèt diverſæ ſint opiniones, dato caſu, quod Epiſcopus concedat talem licentiam, mihi videtur non benefacere. *1mo*, quia non obſervat formam Concilij, neq; declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium præcipientes dictum examen *2do*, quia non imitatur Summum Pont. qui licet quotidie eligat in Epiſcopos viros doctos, Auditores Rotæ, Magiſtros ſacri Palatij, tamen eos examinat ante confirmationem Epiſcopatus ſicut cæteros. *3tio*, ut non detur occaſio, ut alius, qui non ſit tàm doctus petat approbari ſine examine, & detur cauſa erroris, & ideò raro vel nunquam faciendum eſt ab Epiſcopo, ut omnia patent, ex *Conc. Trid. Seſſ 5 c. 2. & Seſſ. 24. c. 4. de Ref.*

6 Quis debet punire exemptos, qui prædicant ſinè benedictione Epiſcopi, aut ipſo contradicente in ſuis proprijs Eccleſijs, vel dicunt, quòd ſufficit eam petere, etiam ſi eam non obtineant, vel prædicant in alienis Eccleſijs abſq; expreſſa licentia Epiſcopi in ſcriptis ?

℞ Epiſcopus habet plenariam facultatem circa dictas perſonas, & poteſt in eas liberè omnem exercere juriſdictionem, Sicuti ſi eſſent Clerici ſæculares, ut habetur in *Bulla Gregor XV. edita 9. Februarij, anno 1623, & Seſſ 5. c. 2. Conc. Trid. de Ref.*

7 Quis debet corrigere Prædicatores, etiã ſi ſint regulares ?

℞ Cum

℞ Cum distinctione, si error non sit contra fidem, Episcopus, quia est error contra suas oves; si verò sit contra fidem, Inquisitores hæreticæ pravitatis per particularia privilegia, simul cum ordinario illius diœcesis; etiam si delinquens fuerit religiosus cujuscunque religionis etiam exemptæ. *Conc. Trid Seß. 5.c.2. de Ref.*

8 Prædicatores possuntne petere temporalia pro sua sustentatione ?

℞ Possunt cum moderatione, quia dignus est operarius mercede sua,& de Jure nemo cogitur gratis servire, etiam si habeat, unde aliunde vivere possit. *Abb. in c. cum ex officij,de præscriptionibus n. 7.*

9 Si in aliqua civitate sit consvetudo,ut in Ecclesia regularium populus audiat prædicationes, poteritne Episcopus cogere tales regulares,ut admijttant alium Prædicatorem sæcularem, vel alterius ordinis ?

℞ Poterit, sed in æqualitate præferendus erit prædicator sui ordinis,vide capitulum de prædicatoribus, ubi dictum est,quibus in casibus potest hoc contingere.

10 Regulares ad audiendas cunfessiones, à quo debent examinari ?

℞ Ab Episcopo, & debent habere licentiam in scriptis,quæ gratis dari debet, sed si talisReligiosus habeat beneficium curatum,tunc non indiget alio examine,quia ad dictum beneficium jam fuit examinatus & approbatus. *Tr.syn.seß.23.c.15.de Ref.*

11 Episcopus poteritne sine examine dare licentiam alicui regulari,ut audiat confessiones sæcularium?

℞ Poterit, si sibi aliàs sit cognitus,& experientia certò sciat talem esse idoneum, sed rarò debet id facere, ne detur alijs occasio petendi similia, qui non habent tantam scientiam.

12 Poteritne Episcopus tollere licentiam confitendi alicui regulari, etiam si fuerit approbatus à suo antecessore, vel ab ipso ?

℞ Poterit, & non tenetur alicui reddere causam, cum oves sint ipsius proprij Episcopi,& non regularium, & notanda sunt verba Conc. *seß.23.c.15.* ubi dicit,quod talis licentia detur ab Episcopis per examen,si illis videbitur esse necessarium,ubi non imponit Episcopo necessitatem talem licentiandi,sed relinquit libertatem dandi , vel non dandi, & in ijs, quæ sunt meræ libertatis,nullus tenetur, & sic censuit congregatio Illustrissimorum Cardinalium.

13 Ad audiendas confessiones suorum regularium à quo debent examinari ?

℞ Sufficit,ut examinentur à suis Superioribus,sed non possunt audire confessiones famulorum sæcularium, qui serviunt monasterijs pro sua mercede, quia illi sunt de foro Episcopi,nisi aliunde privilegium habeant ?

14 Episcopus debetne examinare, & approbare confessores monialium, quæ sibi non sunt subditæ, sed regularibus ?

℞ Sufficit, ut à suis Superioribus approbentur. *Trid. syn. seß. 25. c. 10. de Regu.*

15 Regularis semel approbatus ab examinatoribus Episcopi debetnè iterum ab eodem Episcopo examinari ?

℞ Non, nisi adveniente nova causa, vel veniente novo Episcopo,

16 Regulares possuntne absolvere à casibus reservatis Episcopo ratione privilegiornm concessorum ante Conc. Trid. ?

℞ Non,sed si privilegia confirmata post Concilium sunt.erunt valida. *Tr.syn.seß.14.c.7.de casuum reserv.*

17 Regulares possuntne absolvere à casib. Episcopo reservatis ?

℞ Solùm suos regulares, monachos, & moniales, super quibus habent jurisdictionem.

18 In quibus casibus potest contingere, ut populus audire possit concionem in aliqua Ecclesia regularium, & non in sua Parochia?

℞ In duobus casibus. *1mo*, si populus sit numerosus, & parochia non sit ædificata, vel stricta, & ideò eligat aliquam Ecclesiam capacem regularium, in qua Prædicator, qui debebat prædicare in sua propria parochia,faciat concionem, *2do*, si dicti regulares habeant Ecclesiam parochialem pro sua propria Ecclesia, & ibi cantent horas, & officia divina,vel habeant beneficium curatum,& per se ipsos curam animarum exerceant; verùm hæc omnia intelligenda sunt extra privilegium

## CAPUT X.

### De modo ædificandi Ecclesias à Regularibus.

1 Cum qua licentia debent erigi in aliqua civitate, vel diœcesi monasteria de novo ?

℞ Cum licentia Episcopi illius diœcesis,& nullo modo sine illa, *Conc. Trid.Seß.25.c.3.circa si de Reg.*

2 Episcopus potestne concedere, & donare Ecclesias eremiticas,& sāctuaria regularibus,&religiosis?

℞ Potest sine præjudicio possidentis,non solumin sua diœcesi, sed etiam in locis exemptis, dummodo sint intra ambitum suæ diœcesis. *Abb. in c. Apostolicæ, de donat. n. 3. & in c. cum venissent n. 2. de rest. spol.*

3 Episcopus potestne concedere has Ecclesias religiosis sine consensu sui capituli ?

℞ Non, etiam si Ecclesiæ sint in locis diœcesis, & Capitulum in civitate,quia sapit speciem alienationis. *Abb. in c. pastoralis, de donat.n.5.*

4 Si Episcopus concessit Ecclesias regularib. & habeat aliquos fructus in ea. & de ejus non faciat mentionem in concessione, poteritne postea Episcopus recipere ipsos fructus,sicut antea ?

℞ Non,quia videtur eos unisse, & donasse; ratio est, quia Ecclesia, & fructus pro eadem re reputantur, & accessorium sequitur naturam principalioris ; ideò dictæ concessiones, & scipturæ debent fieri ab Episcopis magna cum cautela, reservando semper sibi,& successoribus visitationē fructus, jurisdictionem, & alia, quæ servari possunt. *Abb. in c. past. de don. n. 8 & 1.*

5 Si Episcopus concedat regularibus Ecclesiā juris patronatus, cum consensu patroni, vel ad ejus petitionem, & non fiat mentio; neq; conditio in scriptura de jure patronatus, poterit ne amplius vendicare sibi jus patronatus patronus ?

℞ Non, quia videtur donasse tale jus patronatus per suum consensum dictis religiosis, quæ in causa juris nimis favorabilis est, *tex. in c. pastoralis, de donat. & ibi Abb. n. 2.*

6 Quid debet Episcopus observare ad dandam licentiam

centiam, ut monasterium, vel Ecclesia de novo ædificetur in sua diæcesi?

℟ Post petitionem religiosorum volentium intrare in scriptis mandatam, vel fundatoris volentis ædificare tale monasterium, Episcopus debet vocare, & citare per publica edicta Priores, & Procuratores monasteriorum, quæ antea sunt fundata, Parochum, Archipresbyterum, & Clerum, Prætores, Gubernatores, Juratos, Laicos gubernantes civitatem, ubi talis fundatio est facienda, & omnes alios sæculares, & Ecclesiasticos tàm dicti loci, quàm circumvicinorum locorum, quorum interest, vel interesse poterit, & cum omnibus ijs habere unum, vel plura concilia, & ante eos legere petitionem religiosorum de novo intrantium, vel fundatoris. *Bulla Clementis VIII. edita vigesimatertia Junij 1603. quæ incipit, quoniam.*

7 Quid debet tractare Episcopus in dicto concilio cum dictis vocatis, qui comparuerint?

℟ *1mo,* si dicti fratres sint docti, sancti, & bonæ ædificationis. *2do,* si in dicta civitate est penuria, vel paucitas Religiosorum secundùm ejus amplitudinem. *3tio,* fructum, & utilitatem, quam dicti Regulares de novo intrantes possunt facere in suis prædicationibus, & confessionibus. *4to,* si dicti Regulares possunt commodè sustentari sine aliorum detrimento, eleemosynis, vel redditibus datis à fundatore. *5to,* an fundator habeat facultatem ad ædificandum tale monasterium, & ad id postea reparandum, & gubernandum. *6to,* an ornamenta, & subjugalia Ecclesiæ dentur de præsenti à fundatore, vel de futuro. *7mo,* quæ cautio, & securitas datur de omnibus ijs articulis, & de singulis eorum à fundrtore, vel á dictis Regularibus de novo volentibus fundare, & ijs solenniter, & in scriptis redactis, Episcopus secundùm eorum rationes debet negotium ad finem perducere, ut habetur in dicta Bulla Clementis VIII. & Bulla Gregorij XV. edita anno 1621 Augusti die 18 ubi omnia hæc explicantur, quæ fuit recepta, & executoriata in Regno Siciliæ die 18. Februarij anno 1622. & sic inviolabiliter observari debet.

8 Episcopus facto d. Concilio teneturne necessariò sequi suffragia oīum assistentiū, vel maioris patris?

℟ Episcopus solùm tenetur redigere in scriptis ea, quæ ab unoquoq; proferuntur, & dare terminū unicuiq; ad id probandum, sed postea ipse solus poterit dare, vel negare licenetiam ædificandi absque dependentia alicujus; *d. Bulla. Clem. VIII.*

9 Quæ causæ sunt sufficientes, ut Episcopus tuta conscientia possit dare licentiam Regularibus ædificandi de novo monasterium in aliquo loco suæ diæcesis?

℟ Auditis, & pensatis omnibus incommodis, & utilitatatibus dictis, & prolatis ab ijs, qui astiterunt in Concilio, tria sunt maximè consideranda ab Episcopo, & Capitulo. *1mo,* si commodè possint sustentari, & dotatio sit sufficiens. *2do,* si in illa diæcesi, vel civitate sunt pauca, vel nulla monasteria. *3tio,* debet ponderari fructus, qui speratur ex exemplo, concionibus, & confessoribus dictorum Religiosorum. *Abb. in c. Pastoralis, de privileg. & privilegiat.*

10 Si aliquis eorum, qui astiterunt in Concilio, appellaverit pro suo damno à licentia data ab Episcopo, quid debet Episcopus agere?

℟ Suspendere executionem, & introitum Religiosorum de novo venientium, & remittere Sum. Pontif. omnia, quæ in tali Concilio dicta, & probata fuerunt & expectare, ut Sum. Pont. in eadem causa pronuntiet, ut habetur in d. Bull. Cle. VIII. ubi datur forma Episcopis, quomodo debent uti facultate sibi tradita *à Conc. Trid. in c. 3. Sess. 35. de Reg.*

11 Si d. Regulares de novo intrantes ijs non servatis imò spretis absq; licentia Episcopi per vim vel nocte ponant campanam, & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia, vel Oratorio, quid erit agendum?

℟ Episcopus invocato auxilio brachij sæcularis, si opus fuerit, debet intrepidè jubere, ut S. Sacramentum cum debita reverentia consumatur, & d. Regulares excommunicare, & incarcerare, & cum suis ministris ligatos mittere ad suos Superiores, ut illos mulctent, & corrigant, & certiorem faciant Episcopum de pænitentia, & pœna illis data. *d. Bull. Clement. VIII. dans formam in d. c. 3. Sess. 25.*

12 Episcopus quomodo potest dare licentiam, ut aliquis ædificet Ecclesiam Regularium?

℟ Episcopus non potest dare licentiam, ut quis ædificet monasterium, conventum, domum, vel societatem Religiosorum Regularium, vel aliarū personarum, nisi cum tali dotatione, & portione perpetua, cum qua commodè possint sustentari duodecim fratres, alioquin monasteria, & loca hujusmodi, quæ recipiantur ab anno 1625. in posterum, in quibus duodecim Religiosi sustentari non possint, & actu non habitaverint, sunt subjecta correctioni, visitationi, ac omnimodœ jurisdictioni Ordinarij loci illius, in quo tale monasterium situm est, per decretum editum á sanctiss. D. Papa Urbano VIII. die 21. Junij 1625. & hoc intelligitur intra fines Italiæ, & Insularū adjacentium, & non extenditur ad Hispaniam, & Germaniam, nec intra monres, ut in ipso decreto declaratur,

13 Provinciales, & Generales, quid tenentur agere ex mandato, & decreto Urbani VIII. ad reformanda Monasteria, & domus?

℟ Tenentur, assumptis sibi duobus, vel tribus Regularibus suæ Religionis; visitare omnia monasteria, & scribere fideliter numerum Religiosorū, redditus, & proventus, eleemosynas, bona mobilia, & hæc omnia portare ad suum Capitulum generale, ubi diligenter tractetur de numero Religiosorum, qui in illo conventu commodè sustentari possint, & hæc omnia mittere in scriptis ad sacram Congregationem interpretum sacri Conc. Trid. post annum à primo Capitulo generali sub pæna privationis omnium officiorū, & vocis activæ, & passivæ, & alijs pænis, ut ibi judicetur, & ordinetur, qui numerus Religiosorum debeat habitare in quolibet conventu, & disponantur omnia necessaria ad regularem disciplinam, ut in d. decreto Urbani VIII. habetur.

12 Omnia privilegia Regularium tam super ædifi

catione

catione Ecclesiarum, quam super alijs rebus edita ante Concilium, quomodo sunt intelligenda?

℞ Omnia, quæ sunt contraria Conc. Trid. ad ejus terminos reduci debent, sicut redacta sunt per *Pium IV. in Constitut. Principis Apostolorum, edita anno 6. sui Pontif.*

## CAPUT XI.

## De Beneficijs Regularibus unitis.

1 Beneficia curata, & Ecclesiæ Parochiales possunt ne uniri Regularibus, & monasterijs?

℞ Possunt, & Sacramenta administrari per dictos Regulares, qnia ex dispensatione Apostolica sunt capaces faciendi officium Parochorum, sicut alij Clerici. *Abb. de statu Monachor. per plura capita.*

2 In beneficijs curatis Regularib. unitis, si per Regulares serviatur Ecclesiæ, quid debet Episcopus facere?

℞ Debet examinare, & approbare Regularem, qui facit officium Parochi, & illo amoto, alium de novo venientem, quia talis est subditus Episcopo in ijs, quæ ad animarum curam pertinent, & facere, ut non habitet solus. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 15. de Ref. & 25. c. 11. de reg.*

3 Baptisterium potestne esse in monasterio?

℞ Non. *c. pridem.* 18. *q.* 2.

4 Si monasterium junctum sit cum aliqua Ecclesia parochiali, & in dicta Ecclesia regulares decantent officia divina, & faciant officium Parochi, possunt nè ad libitū superioris sui administrare sacramēta?

℞ Non, sed in tali casu superior monasterij deputabit Episcopo duos, vel tres regulares, & cum examine, & approbatione Episcopi, tales possunt facere officium Parochi, quia in hoc pendent à voluntate Episcopi.

5 In Ecclesijs parochialib. unitis monasterijs, Episcopus poteritne ponere Vicarium perpetuum, vel temporalem?

℞ Si unio beneficij curati facta sit cum conditione, & privilegio, ut tali beneficio serviatur per unum à regularibus, non poterit deputare Vicarium: si verò unio non habeat hanc conditionē, tunc Episcopus virtute decreti. *Conc. Trid. Sess. 7. c. 8.* poterit deputare Vicarium cum congrua assignatione, & cum examine coram synodalibus, ut habetur in Bulla Pij Quinti de Vicarijs perpetuis.

6 Si aliquis religiosus serviat alicui Ecclesiæ Parochiali, qndo tenebitur dicere Missam & cantare horas?

℞ In hoc debet conformari cum populo, in reliquis verò cum sua religione. *Vgol. de offic. & potest. Episcop. c. §. 2. nu. 4.*

7 In Ecclesijs parochialibus unitis Monasterijs, in quibus vicaria perpetua erecta est ab Episcopo, onera omnia pertinentne ad monasterium, vel ad Vicarium?

℞ Cum distinctione; onera spiritualia, ut confessiones, administratio Sacramentorum, prædicationes, doctrina Christiana ad Vicarium; onera verò temporalia, ut reædificatio Ecclesiæ, provisio paramentorum, cera, oleum, ad conventum; ratio est, quia monasterium percipit omnes fructus; Vicarius verò solùm suam congruam sustentationem, ut habetur in *Bulla Pij V. de Vicarijs perpetuis. in ordin. 46.*

8 In Ecclesijs regularium exemptis, ubi sunt Clerici sæculares administrantes Sacramenta, tales à quo debent approbari, & visitari?

℞ Ab Episcopo, quia sunt ejus subditi, & administrant Sacramenta suis ovibus, excepto monasterio Cluniacensi, & alijs videlicet ordinum militarium, in quib. Abbates, & Superiores habent jurisdictionem quasi Episcopalem, & subditos in spiritualibus sibi subiectos. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. de reg. & mon.*

9 Uniones perpetuæ beneficiorum monasterijs alterius diæcesis factæ suntnè prohibitæ?

℞ Sunt prohibitæ, & semper unio facienda erit monasterio de aliquo beneficio in propria diœcesi sed in ijs omnibus Bullæ Apostolicæ sunt. *Conc. Trid. Sess. 14. c. 9. de Ref.*

10 Beneficia regularia, quæ ante Conc. Trid. consueverunt conferri sæcularibus, ut prioratus, & alia, possuntnè post concilium eisdem sæcularibus conferri?

℞ Possunt conferri sæcularibus propter magnā beneficiorum dignitatem, & quantitatem, & propter dignitatem Regum, & Patronorum, qui præsentant d. beneficia, sed tales sæculares sic præsentati debent suscipere habitum, & emittere professionem in tali religione; quod non est in consvetudine.

## CAPUT XII.

## De sepultura mortuorum in Ecclesijs Regularium.

1 Regulares quibus modis possunt obtinere Ecclesias?

℞ Quinq; modis. *1mo,* quoad jus patronatus dumtaxat, ut si à fundatore ædificetur aliqua Ecclesia, & inter alios patronos nominetur Abbas talis monasterij, seu quoad collationem, seu institutionem tituli alicujus beneficij, vel capellani: *2do,* quoad institutionem authorizabilem, vel visitationem alicujus Ecclesiæ, vel operæ piæ similiter ab aliquo testatore sibi commissæ. *3tio,* quoad temporalia dumtaxat, ut ad recipiendos fructus in aliqua Ecclesia sæculari sibi perpetuò assignatos. *4to,* quoad regimen, ut sint parochi alicujus Ecclesiæ. *5to,* si habeant ipsi Ecclesias suas regulares, & monasterium ibi simul. *Abb. in tit. de jure patron.*

2 Potestne quilibet sibi eligere sepulturam in Ecclesia, vel sæculari, vel regulari?

℞ Potest per testamentum, vel alio modo fabricare sepulchrum, & sepulturam sibi eligere in Ecclesia, clustro, Capitulo, sacristia regularium, vel in Ecclesia sæculari. *c. 1. & c. cum quis, de sepult. Lib. 6.*

3 Quis debet sepelire mortuos, & facere officium Presbyteri in processione defuncti?

℞ Proprius parochus illius defuncti, vel alter Clericus delicentia parochi: ratio est, quia Parochus proprius, qui eum sacramentavit, habet jurisdictionem in illum defunctum usq; ad ultimam benedictionem, & responsorium, quod cantatur pro defuncto, & talis actus est jurisdictionis, & sic non potest separari à Parocho sine ejus licentia

*Clem dudum. de sepult. & c. ex parte, eod tit*

4 Quando quis jubet sepeliri in aliquo monasterio extra suam parochiam, quid debent facere religiosi illius monasterij, & parochus illius defuncti?

℞ Parochus defuncti debet dicere mortuo ultimũ responsoriũ in domo sua, & illum associare usq; ad portam Ecclesiæ talis monasterij, & facta benedictione mortuum tradere regularibus, ut intra suam Ecclesiam eum sepeliant, nam usque ad portas Ecclesiæ durat jurisdictio parochi. *c. 1. de sepult. c. licet eodem Lib. 6. & c. is, qui, eod. tit.*

5 Cum aliquis sepelitur in Ecclesia regularium, possuntne regulares ingredi parochiam alienam cum cruce, & invito parocho absq; cruce parochiæ sepelire talem mortuum?

℞ Licèt aliquando de hac re aliquæ fuerint ortæ quæstiones, tamen hodie hanc difficultatem sustulit congregatio Illustrissimorum Cardinalium interpretum Concil. Trid. ordinantium, ut dicti regulares, neque prætextu consvetudinis immemorabilis, neque privilegiorum maris magni nõ intrent parochiam alienam processionaliter cum cruce ad deferenda corpora defunctorum, nisi vocato proprio defuncti parocho, & eo præsente, & licentiam concedente. *Stefan Quaranta in sum. Bull. verb. privilegia regularium, ubi refert hoc decretum.*

6 Privilegium Bonifacij VIII. datum regularibus, scilicet quòd habeant liberam sepulturam in suis Ecclesijs, quomodo est intelligendum, & executioni mandandum?

℞ Est intelligendum taliter, quòd regulares possint cum sua cruce ire processionaliter ad domum defuncti, vel ad aliquam Ecclesiam, si defunctus ibi sit depositatus, & ibi decantare defuto officium, & eum associare, & portare usque ad suum monasterium, & Ecclesiam simul cum cruce parochiali, & Parocho defuncti, *ut expressè habetur in d. Bulla Bonifacij VIII. & in declar. Illustriss. Cardinalium supra allegata,* & in isto casu crux parochialis præcedere debet omnibus tanquam proprium defuncti vexillum, & hoc servatur in sepultura Regũ, & Principum, & ego vidi in Hispania in regali monasterio S. Laurentij processionem Philippi potentissimi Regis II. mortui, & erat præsens D. Garsias de Loaysa Archiepiscopus Toletanus, qui faciebat officium, & in ea Parochus parochiæ oppidi (de el Escurial) cum sua cruce, & processiò ambulavit per claustrum, & atrium regium dicti monasterij, usq; ad portam Ecclesiæ, ubi Parochus cum sua cruce reversus fuit, & distat Ecclesia parochialis à monasterio per duo milliaria, vel circa.

7 Si aliquis sepeliatur in aliquo monasterio, & hæredes defuncti, vel regulares monasterij dicant Parocho, ut cum sua cruce accedat ad ejus sepulturam, & ipse nolit venire, quid agendum?

℞ Tunc facta requisitione in scriptis coram Notario, vel testibus liberè possunt regulares intrare processionaliter in alienam parochiam cum cruce, & sepelire talem defunctum, ratio est, quia iam impleverunt conditionem positam in declaratione Illustriss. Cardinalium super Bulla Bonifacij VIII. & quilibet utens Jure suo nulli facit injuriam, præcipuè cum talis casus iam sit extremæ necessitatis, sed hoc raro, vel nunquam potest contingere, quia parochi semper defenduut acerrimè jurisdictionem.

8 Si regulares aliquando petant licentiam à Parocho, ut ipsi soli possint sepelire defunctum absq; cruce parochiæ solutis juribus Parochi, tunc poteruntne libere sepelire talem defunctum?

℞ In isto casu liberè possunt ingredi processionaliter, & portare defunctum ad suam Ecclesiam, quia licentia, & consensus parochi eos liberat à quacunque pœna, sed parochus id debet facere raro, & dare licentiam in scriptis pro illa vice, & pro illa causa reservando jus parochiæ illius sibi: & in dicta fieri declaratione cavetur, quod de parochi licentia id fieri possit.

9 Regulares parochi possuntne petere vel accipere aliquid pro sepeliendis mortuis?

℞ Nihil, cum sit officium charitativum, nisi sit consvetudo accipiendi aliquid pro labore, vel pro cera vel aperitione sepulturæ; tunc talis consvetudo est servanda, sed non cum pauperibus, qui semper gratis sepeliendi sunt. *Abb. inc. abolendæ, de sepult n, 6. ad Apostolicam de simonia.*

10 Quando quis eligit sepulturam in aliquò monasterio, vel in aliena parochia, quid debet percipere proprius parochus?

℞ Quartam funeralem, quæ ei de Jure debetur, quia defunctus est propria eius ovis, & ipse eum sacramentavit, & dedit extremam unctionem, & pavit à die Nativitatis usq; ad ultimum diem, ideò de Jure debetur quarta funeralis Cathedralibus, vel parochis. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 13. de refor. & clem. dudum. de sepult. §. verùm ne parochialis, & ibi Glos.*

11 Quæ est quarta funeralis, quæ dari debet parocho?

℞ Quarta pars candalarum, quæ ad pompam deferuntur. *Conc. Trid. Sess. 25 c. 13. de Ref.*

12 Si talis quarta funeralis ex consvetudine in aliqua Eccles. intelligatur esse tertia pars, vel m edietas funeralium, debetne post Conc. Trid. servari talis consvetudo?

℞ Talis consvetudo servanda est in favorem Ecclesiæ, præcipuè si fuerit immemorabilis, & executioni mandata ante concilium, vel post ut tenet. *Bal. cons. 70. quem refert, & sequitur Tusc. lit. Q. concl. 23. & 30.*

13 Si aliquod monasterium, vel hospitale habebat privilegium percipiendi talem quartam funeralium, poteritne hodie illo uti?

℞ Non, quia talia privilegia revocata fuerunt per Conc. Trid. etiam si sint contenta in mari magno ut habetur in *Conc. Trid. Sess. 25. c. 13. & sic declaraverunt sæpe sæpius Illustris: Cardinales congr. concilij.*

14 Quæ monasteria, & privilegia excipiuntur ab hac revocatione generali?

℞ Excipiuntur omnia illa monasteria, quæ per quadraginta annos ante publicationem Concilij cum privilegio Apostolico accipiebant dictam quartam funeralem.

15 Si lis oriatur hodie super dicta quarta funerali inter monasterium, & parochum cui incũbit onus probandi?

℞ Monasterium debet probare esse in possessione percipiendi dictam quartam funeralem per quadraginta

draginta annos ante publicationem concilij usq; ad diem præsentem, quia tunc tale privilegium non est revocatum per Cõnc. Trid. Parochus autē cum habebat de Jure suam intentionem fundatam, nihil tenetur probare ad percipiendam dictam quartam funeralem, quia ei debetur ad sustentationem, sicut debentur decimæ. *c. cum homines, de decimis, c. 4. ad Apostolicæ. & ibi gl. eod. tit Conc. Trid. Sess. 25. c. 13.*

16 Ad percipiendam dictam quartam funeralem, sufficit, ut aliquod monasterium probet se esse in possessione per tres, vel quatuor actus percipiendi dictam quartam funeralem?

℞ Cum simus in lege prohibitiva, & in decreto expresso *Conc. Trid. Sess 26. c. 13*, irritante tota privilegia regularium super dicta quarta funeralium, & in decreto jubente, ut detur Ecclesijs, vel parochis monasterium, necessario debet probare omnia contenta in anteriori interrogatione, alias succumbet.

## CAPUT XIII. De bonis Regularium.

1 Quæ monasteria, possunt possidere bona immobilia?

℞ Omnia, quibus non est prohibitum in sua institutione, ut fratres minores S. Francisci, & Capuccini, qui per suam institutionem nulla bona possunt possidere. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. de regularibus.*

2 Si Fratribus Capucinis, vel Minoribus S. Francisci fuerit relictum in testamento legatum aliquorum bonorum immobilium, quid debent agere?

℞ Debent renuntiare tale legatum, quia sunt incapaces, vel illud vendere, & pretium dare pauperibus. *Bulla Pii V. de Regularibus.*

3 Si in aliquo monasterio hominum, vel mulierum qui sub arctiori regula vivunt, de suo instituto non liceat habere bona stabilia, possuntnè post Conc. Trid. bona licitè habere?

℞ Non, quia tales excipiuntur in Concil. & relinquuntur in suo instituto primo. *Trid. syn. sess. 25. c. 2. & 3. de Regul.*

4 Si monachus fugiat à monasterio, & sua industria acquirat plura bona, cui debent adjudicari, suisne hæredibus in testamento relictis, an monasterio?

℞ Monasterio, quia quidquid monachus acquirit, acquirit monasterio. *c. quod à te, de Clericis coniugat. & Abb. ibi nu. 6.*

5 Bona mobilia, quæ acquirunt regulares, possuntnè ea possidere tanquam propria & alienare?

℞ Non, sed statim debent ea tradere superioribus ut conventui incorporentur. *Tr. syn, sess. 25. c. 2. de Reg.*

6 Superiores possuntne dare bona stabilia alicui religioso, ut ea possideat, & recipiat usum fructum?

℞ Non, sed solùm mobilia, & id solùm ad usum à *Trid. syn. sess. 25. c. 2. de Reg.*

7 Quam pœnam incurrit, qui contrarium facit?

℞ Biennio activa, & passiva voce privatur. *Trid. syn. sess. 25. c. 2. de Reg.*

## CAPUT XIV. De Ordine à Regularibus suscipiendo.

1 Quis dicitur proprius diœcesanus regularium?

℞ Episcopus proximior monasterio, & non diæcesi, & hoc propter utilitatem regularium, sed hoc debet intelligi in monasterijs nullius diæcesis, sed in monasterijs sitis intra diæcesim alicujus Episcopi, Episcopus diæcesanus erit ordinarius regularium talis monasterij, & illos poterit ordinare. *Bul. Clem. VIII. dat. Romæ 15. die Martij 1596.*

2 Abbates S. Benedicti habentes mitram, & baculum, & potestatem conferendi ordines minores, possuntne illos conferre regularibus alterius religionis, vel Clericis sæcularibus alterius diæcesis?

℞ Possunt, si habeant dimissorias suorum superiorum. *Vasquez 3. p. 10. 3. disp. 243. nu 33. Azor. par. 2. lib. 3. c. 48. q. 15. Quaranta verb. ordo. §. Abbatibus.*

3 Episcopus quod scrutinium tenetur facere cum regularibus, ut eos ordinet?

℞ 1mo, debet videre literas dimissoriales Prælati illorum, in quibus fiat integra fides de vita, ætate, & moribus. 2do debet eum examinare personaliter, vel cum suis examinatoribus, licèt talis regularis doctissimus sit, & lector, quia de hoc Episcopo non potest constare, nisi per examen, & hoc expressè præcipitur à Conc. Trid. *sess. 23. c. 12. in fi. de Reform.* 3tio, debet examinare literas præcedentium ordinum propter interstitia, & nequis promoveatur per saltum; reliqua requisita relinquuntur in conscientia sui superioris, cum Episcopus non possit cognoscere ejus conversationem præteritam. *Bull Sixti V.* in favorem regularium, ubi Sum. Pontifex declarat regulares posse ordinari à quocunque Antistite cum literis suorum superiorum, & *Conc. Tr. sess. 23. c. 12. de Ref.*

4 Si talis regularis sit deformis, vel sit bigamus, vel habeat defectum corporalem impedientem susceptionem ordinum, quis debet cum eo dispensare, Episcopus, vel Superior suæ religionis?

℞ Episcopus debet animadvertere defectum, & ipse, vel Sum. Pontifex (cui de Jure competit) debet dispensare, nisi talis bigamia sublata fuerit per ingressum religionis; ratio est. quia in dicta Bulla Sixti V. *& in c. 12. sess 23. Conc. Trid.* non committitur Superioribus religiosorum, nisi solùm approbatio de moribus, & vita, reliqua verò relinquntur, Episcopo prout de Iure & *Conc. Trid. Sess. 23. c. 14. de refor.*

5 Quis debet dispensare interstitia religiosis, Episcopus ordinans, vel Episcopus originis, vel ejus superior?

℞ Episcopus ordinans, & faciliùs cum religiosis, quam cum sæcularibus; ratio est, quia dictus Episcopus ordinans in dicto casu factus est ordinarius talis religiosi. Quaranta in sum. *Bullar. verbo ordo; Vasquez. 3. p. tom. 3. disp. 156, c. 6. n. 58. & hoc intelligitur,* tam in ordinibus maioribus, quā in minoribus.

6 Quæ interstitia debent in regularibus observari?

℞ In Interstitia minorum ordinum, & interstitia subdiaconus, Diaconus. & Presbyteratus, ut quilibet ascendat magis probatus, & instructus, & exercitatus ad ordinem superiorem. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 11. 13 & 14. de refor.*

7 Quæ interstitia debent ab Episcopo dispensari?

℞ Interstitijs minorum ordinum faciliùs est dispensandum, & cum leviori causa, in interstitijs sub diaconatus, & Diaconatus difficiliùs, in interstitijs verò

tijs verò Presbyteratus raro, & difficilimè, & non fine causis à concilio expressis; ratio est, quia Concilium c. 11. relinquit arbitrio Episcopi sine expressione causæ dispensationem minorum ordinum, & in c. 13. Concilium dicit, promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliter Episcopo videatur, ascendere non permittantur, & ita relinquit dispensationen arbitrio, Episcopi; & in c. 14. expresè dicit, quod ex Diaconatu non ascendat ad Presbyterarum; nisi per annum integrum in Diaconatu se exercuerit, nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem aliter Episcopo videatur, & modificent facultatem Episcopi, Episcopus non potetit dispensare in ipsis interstitijs, nisi impleta saltem una ex ipsis conditionibus.

8 Episcopus poteritne dispensare interstitia minorum ordinum Diaconatus, & Subdiaconatus absq; aliqua causa suo libito, quia concilium in d. c. 11. & 13, hoc relinquit in sua voluntate?

℞ Non poterit dispansare sine causa, & licèt dispensatio valeret, ipse malefaciet; ratio est quia dispensatio est stricti juris, contra regulam generalem, & sic non potest fieri ab Episcopo sine causa.

9 Quæ causæ requiruntur, ut Episcopus dispenset tuta conscientia ab interstitijs minorum ordinum, Diaconatus, & Subdiaconatus cum regularibus, & alijs?

℞ 1mò, necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. 2do, si aliquis regularis, vel sæcularis esset magna ætate, & inveniatur bene instructus in ordinibus præteritis 3tio, si quis esset doctus in aliqua scientia & studia fuerint iam finita 4to, si habeat parentes pauperes, & necessarium sit illos alere, 5to si per longum iter debeat venire iterum ad se ordinandum cum expensa, & periculo itineris. 6to, si timeatur, quod finito illo anno de proximo non erunt ordines, & ille talis patiatur detrimentum non se ordinando finito anno, istæ causæ omnes relinquntur arbitrio Episcopi ad movendum suum animum in dispensatione interstitiorum minorum ordinum, Subdiaconatus, & Diaconatus; sed in dispansatione, in interstitijs ad Presbyteratum, debent necessario requiri necessitas, ac utilitas Ecclesiæ, aliter non est dispensandum, ut expresè habetur in c. 14. Sess. 23. *Conc. Trid.*

10 Quæ sunt causæ in jure expresæ, ut Episcopus dispensare possit interstitia cum religiosis ad Presbyterarum?

℞ Duæ, utilitas, & necessitas Ecclesiæ, scilicet quod dictus religiosus sit doctus, sanctus, vel in musica peritus, & quòd tali in Ecclesia sit penuria ministrorum, & hoc debet constare Episcopo per literas expressas sui superioris. *Conc. Trid. Sess.* 23. c. 14 *de Reformatione.*

11 Regulares debentne facere publicationes ante suam ordinationem, sicut sæculares?

℞ Non, quia testimonium suorum superiorum supplet dictas publicationes. *Mirandula in manu Prælator. par. 1. quæst. 28. art. 7. & 8. Molfel. in sum. tomo 1. tract. 2. c. 2. nu, 58.*

12 Regulares, a quo tenentur suscipere testimoniū, & literas suorum ordinum?

℞ Sive ordinentur in maioribus, sive in minoribus ab Episcopo ordinante sigillatas suo sigillo, subscriptas sua manu, referendatas à suo secretario in papyro, sive parcæmino, & eas usque ad mortem servare. *tex. in c. legum. 2. q. 1. & omnes DD. ibi.* ratio est, quia sententia, quæ sine scriptis profertur, non meretur nomen sententiæ. & ut talis possit ad superiores ordines ascendere, & in dictis ordinibus ministrare extra suum monasterium.

13 Dimissoriæ datæ à Generalibus, Provincialibus, vel Abbatibus talem habentibus facultatem exspirant nè morte, depositione, vel finito officio dantis?

℞ Non, sed illis uti potest absq; nova licentia novi superioris, cum sint literæ gratiosæ. hoc est de Jure; de urbanitate, verò, & maiori obedientia, esset conveniens eas ostendere novo superiori, vel eum certiorem facere; licèt advertendum, quòd si talis superior denovo intrans revocet omnes gratias à suo antecesore factas, vel à sedevacante tunc illis non est utendum, quia talis puniendus esset quasi ordinatus sine dimissorijs. *Sanch. tom. 3. lib, 8. disp. 28. dispensat. Abbas c. fin. de offic. legati, nu. 9. Cardin. in* Clem *fin. nu. 9. q. 5. de elect. Iunoja ibi nu. 2.*

14 Si aliquis habeat literas ordinis Diaconatus, & non habeat literas aliorum ordinum, Subdiaconatus scilicet, vel alterius ordinis minoris, talis poteritne promoveri ad Sacerdotium?

℞ Sive sit regulatis, sive sæcularis, non poterit Episcopus secura conscientia eum ordinare, quia in ceremon. Clem. VIII. dicitur, examinentur de ordine. in quo sunt constituti, & id sine literis, vel testibus, fieri non potest & ei asserenti se ordinatum esse non creditur, quia dicit in suum favorem, imò præsumitur ordinatus per saltum. ut in toto titulo, *de Cler. per salt. promoto,* & de eo, qui furtive ordines suscepit, habetur, & *in c. 1.* clericis peregr. *& c.* primatus, & *c.* nullum, *dist. 71. c. legum. 2. q. 1. c. 1 de cler. per sal. promoto. Hostiens. in sum. de cler. peregr. nu.* 4.

15 Si aliquis religiosus amittat literas Episcopi, qui eum ordinavit de Epistola, & ejus loco habeat testimonium in scriptis sui Provincialis, quod talis fuit ordinatus de Epistola, tali die à tali Episcopo, & eam sæpè sæpius cantavit, sufficiet ne hoc, ut Episcopus tuta conscientia eum ordinet de Evangelio?

℞ Non. 1mo, quia de jure tenentur habere literas ordinis ab Episcopo ordinante tanquam in causa gravi, ut præcipitur. *in c. legum 2. q. 1.* 2do, quia iste defectus de Jure non suppletur per testimonium unius, sed per informationem aliquorum juridicam. *c. super ijs, de accusat. Bocr. dec. 171. n.* 23. 3tio, quia Episcopus ordinans tenetur attendere, ne quis per saltum promoveatur, & est cōpetens Judex istius causæ. *c. unico, de cler. per. saltum promoto,* neq; obstat, si quis dicat, quòd Bulla Sixti V. in favorem regularium dat facultatem superioribus ordinum, ut de moribus, & natalibus suos approbent subditos, & relinquit, ut Episcopus approbet religiosos de scientia. 1mo, quia in dicta Bulla non continetur hæc facultas, ut superior

ſuperior ſuppleat literas Epiſcopi ordinantis, ſicut non continetur, ut diſpenſet interſtitia, & cum hoc ſit in diminutionem juriſdictionis ordinariæ datam à Conc. Trid. non debet extendi ad rem in Bulla non contentam. *ex regul. jur.* *2do*, dicta Bulla conceſſa fuit ſuperioribus religionum ſolùm ad approbandos ſuos ſubditos in his rebus, in quibus Ordinarius non poteſt habere notitiã, ſicut ſunt mores,& vita præterita. *3tio*, ad derogandum jus,quod competit Epiſcopo ratione ſui officij,& ratione Conc.Trid. requiritur expreſſa mentio,quæ in dicta Bulla non habetur, neque militat ratio,quare debeat derogari, quia melius poſſet ſuperior religionum approbare de ſcientia ſuum ſubditum,quod poteſt illi per examen conſtare,quam dare fidem,quòd ordinatus ſit de Epiſtola,cũ ipſe præſens nõ fuerit ad ejus ordinationẽ.

16 Si quis amittat literas ordinis inferioris,vel relinquat domi, & facilè eas recuperare non poſſit, quid debet agere, ut promoveatur?

℞ Cum matura deliberatione recurrendum eſt ad remedia Iuris in caſibus,in quibus res non apparet, nempè probandum eſt per teſtes,per publicam famam facto proceſſu, quem proceſſum debet ſervare cum ſua dimiſſoria, & titulo ordinis, quem de præſenti ſuſcipit, ut ſerviat loco prædictarum literarum. *Nau. de præſumpt. conſ.4. & de ſucceſſionibus ab inteſt.conſ.5. Boer.dec.171. num. 23. in iſto caſu tenent Felyn. in c. ſuper ijs. de accuſat. nu.19. Boer.in d.deciſ Covar.pract.quæſt.c.33.nu.3. Zerola verb. Bulla ad* 3. quòd ſi talis homo ſit vir bonus,religioſus, & doctus, & publica fama ignotum non ſit, quòd ſit ordinatus, & quòd miniſtravit in tali ordine, credatur ejus juramento ſolemni facto in manu Judicis: ratio eſt,quia in ijs, in quibus non agitur de præjudicio alterius, poteſt probari per juramentum, ſed in iſto caſu adverte duo. *1mo*, quòd publica fama debet probari per teſtes Juratos in ſcriptis. *2do*, quod juramentum debet eſſe in ſcriptis,& utrumque debet ſervari loco literarum,

17 Poſſuntnè quatuor minores ordines conferri uno die religioſis in favorem religionis?

℞ Affirmativè, ſi ſit conſuetudo illius loci, quod non poteſt fieri in majoribus, licèt interſtitia diſpenſentur. *Gloſſ.in cap.cum H.lator præſentium, & c. ultimo.* de eo, qui furtivè ordinem ſuſcipit.

18 Quatuor minores ordines, & Epiſtola,poſſuntnè uno die conferri?

℞ Non,etiam regularibus,quia prohibitum eſt per ceremoniale Rom.Clem.VIII. *in rubr.de ord.* majoribus, neque hoc ab Epiſcopo poteſt diſpenſari, cum expreſſè prohibitũ ſit in dicto ceremoniali.

19 Regulares, debentne ordinari ad titulum paupertatis?

℞ Debent,& poſſunt ex eorum privilegijs.

20 Si quis regularis ad titulum paupertatis promovetur ad Subdiaconatum,& relinquat religionem juſſu ſuperiorum, debetnè ad titulum ejuſdem paupertatis promoveri ad Diaconatum, & Presbyteratum?

℞ Non, ſed ad titulum patrimonij,vel beneficij, quia jam factus eſt de foro ſæculari: ita cautũ eſt in Bulla Pij V.

21 Si aliquis regularis ante profeſſionem, vel poſt profeſſionem factam per vim,vel metum cadentem in conſtantẽ virum ſuſcipiat ordines ſacros ad titulum paupertatis,quam pænam incurrit?

℞ Eſt ſuſpenſus, & ſi exerceat ordines, efficitur irregularis *Bulla Pii V quæ incipit Romanus Pontifex publicata anno* 1568.

22 Si regularis in apoſtaſia dimiſſo habitu ſuſcipiat ordines, à quo debet diſpenſari?

℞ A ſolo Papa. *c. fin. de apoſtatis.*

23 Quare Clericus ordinatus occultè ſine patrimonio non incurrit ſuſpenſionem, ſed aliam pœnã, & regularis ordinatus ãte profeſſionẽ eſt ſuſpẽſus?

℞ Quia pœna Clerici imponitur Epiſcopo, quia illum ordinavit propter ejus negligentiam, & pœna regularis imponitur ipſi regulari, quia neceſſariò fallit ſuperiorem ſuum, & occultè id facit propter vehemens deſiderium aſcendendi ad ordines.

24 Clerici ſocietatis Ieſu poſſuntne ordinari ante profeſſionem ad titulum paupertatis?

℞ Poſſunt,quia non ſunt comprehenſi in *d. Bulla Pi. V.* imo habent privilegium *Greg. XIII.*

25 Epiſcopus poteſtne diſpenſare cum aliquo regulari in ætate,vel in eo, quòd ordinetur ſine diligenti examine de ſcientia?

℞ Non, quia primum prohibitum eſt illi à Concil. Trident.& à Concil. Nicæno,& Toletano,& *c. ſi quis. diſtinct.* 78.& ſecundum,nempè examen, expreſſè jubetur à *Trid.Conc. d.ſeſſ.* 23. *cap.* 22.ſub his verbis præceptivis (regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur,privilegijs quibuscunque, quo ad hoc penitus excluſis,) & ita in hoc pares cum ſæcularibus facti ſunt.

26 Regulares, qui volunt celebrare Miſſas in Eccleſijs Epiſcoporum, quomodo debent admitti?

℞ Si ſint itinerantes debent, demonſtrare literas dimiſſoriales ſuorum ſuperiorum in ſcriptis, & eas debent portare ſcriptas, ut tales regulares ante Judicem ordinarium conveniant, ut ille conſideratis dictis literis, & tempore,quo vagatur, poſſint dare illis,vel negare,vel incarcerare, aut mittere ad ſuum ſuperiorem, ne detur occaſio Apoſtatis: ſi verò dictæ literæ ſint fideles nõ erit neceſſarium inſpicere titulum ſuæ ordinationis;hoc enim in conſcientia ſuperioris relinquitur.

## CAPUT XV.
## De profeſſione Regularium.

1 Ad emittendam profeſſionem in regularibus,quæ ætas requiritur?

℞ Sive in viris,ſive in mulieribus decimus ſextus annus completus,& fuiſſe in novitiatu per integrum annum. *Conc. Trid. Seſſ.25.c.15. de regul.*

2 Tempus anni ad emittendam profeſſionem poteſtnè prorogari?

℞ Poteſt arbitrio ſuperioris, ſed non minus,quia prorogatio non eſt prohibita *à Conc. Trid. dict. c. 15. citato.*

3 Annus novitiatus debetne eſſe continuus, & ſi interpoletur per aliquod tempus, debetne iterũ integer reſumi?

℞ Debet eſſe continuus, nec debet interpolari, *Navar. conſ. 89. de regula. n. 1.*

4 Patres ſocietatis Ieſu comprehenduntur ne ſub decreto, ut faciant profeſſionem intra annum?

℞ Non, quia ſunt expreſsè exceptuati à Conc. Trid. & ſic alium modum obſervant juxta pium eorum inſtitutum. *Conc, Trid. Seſſ. 25. c. 16. de regul.*

5 Tacita profeſſio eſt ne ſublata à Conc. Trid.

℞ Non, neq; per. *c. 15. neque 16. Seſſ. 25.* ſi in ea concurrunt neceſſaria

6 Quæ eſt tacita profeſſio?

℞ Quando quis poſt annum,& diem novitiatus, completumq; decimum ſextum annum, ſe ingerit actibus profeſſorum, & ipſe ſe habet tanquã profeſſus,& ab alijs habetur tanquam profeſſus; tunc enim taciturnitas partium tam dantis,quam accipientis, habetur in Jure pro expreſsè profeſſo *Rodriguez. tom. 3. quæſt. 17. art. 1. Azor. inſtitutionum moral. Lib. 12. cap 4.*

7 Milites S. Iacobi, Calatravæ,& Alcantaræ,comprehenduntur nè ſub hoc decreto?

℞ Comprehenduntur, & tenentur facere profeſſionem poſtquam impletus eſt annus & dies novitiatus; forma verò novitiatus debet eſſe ſecundum eorum inſtituta. *Rodriguez. in ſum. tom. 2. c. 8. conſ. 1.*

8 Si quis non habeat decimum ſextum annum, ſed habeat decimum quartum,vel decimum quintum, & faciat novitiatum, poteritne admitti ad profeſſionem poſtea expleto decimo ſexto anno?

℞ Poterit,quia decimus ſextus annus non poſtulatur à Concilio ad novitiatum,& ſic poteſt elongari,ſed præciſè poſtulatur ad profeſſionem,licèt novitiatus fuerit per duos,vel tres annos. *Navar. conſ. 30. de regul. num. 1.*

9 Novitius de conſenſu Prælati, poteritne renuntiare annum integrum novitiatus,& facere profeſſionem?

℞ Non, quia eſt lex affirmativa poſita à Conc. Trid. tam in utilitatem Novitij,quam Religionis *Nau. conſ 30. de Regul. n. 1.*

10 In Religione S. Franciſci de Paula eſt ſtatutũ, ut nullus emittat profeſſiónem ante decimum octavum annum ſuæ ætatis, ſi quis illam emittat in 16. anno, eritnè valida?

℞ Erit, quia Concil Trid habet legem generalem poſitam in *c. 53. Seſſ. 25.* & huic legi non eſt derogatum.

11 Si quis poſt contractum matrimonium ratum ingrediatur Religionem,& poſt ſex menſes tranſeat ad aliam Religionem,& incipiat novitiatum, debetnè compelli, ut intra annum faciat profeſſionem, ut non faciat fraudem conjugi remanenti in ſæculo?

℞ Non, ſed poteſt in qualibet Religione novã profeſſionem incipere. *Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 15. de Reg.*

12 Finito anno novitiatus, quid debent facere Superiores cum Novitijs?

℞ Quos habiles inveniant, ad profeſſionem admittant, aut eos ex monaſterio ejciant; excipiuntur Religioſi Societatis IESU, qui alium modum obſervant juxta pium eorum Inſtitutum. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 16, de Regul.*

13 Tranſlatus ex Religione arctiori ad laxiorem poteſtne facere profeſſioné ante annũ novitiatus, etiam de conſenſu Superiorum Religionis?

℞ Non, ſed debet facere annum novitiatus integrum. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 15. Navar. conſ. 61. tit. de Reg.*

14 Monaſterium de bonis novitij poteſtne accipere aliquid ante profeſſionem?

℞ Nihil, ſub excommunicationis pœna tàm dantibus, quam recipientibus; exceptis victu, & veſtitu, imò exeuntibus omnia debent integrè reſtitui. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 16. de Regul.*

15 Regulares, qui inducunt aliquem ad ingrediẽdum ſuam religionem ea intentione,ut lucrentur partem ſuorum bonorũ,quam pænam incurrunt?

℞ Peccant,& malè faciunt,& donatio in illos facta nulla eſt, ut *tenet Abb. in c. præterea. de offic. Iudic. delegat. num. 5. c. cum dilectus. de ijs, quæ vi, metusve cauſa fiunt.*

16 Quis poteſt cogere Regulares,ut reſtituant Novitio omnia bona ſua,ſi non fecerit profeſſionẽ?

℞ Epiſcopus per cenſuras,etiamſi Novitius moriatur ante profeſſionem,& talia bona debent reſtitui ſuis parentibus. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 16. ſup. cit.*

17 Si quis faciat donationem ſuorum bonorum fratri ſuo, intuitu ingrediendi Religionem,& id in donatione non exprimat,ſi poſtea ex aliquo accidẽte nõ ingrediatur,talis donatio eritne valida?

℞ Non erit valida talis donatio,licèt cauſa in ea non fuerit expreſſa, dummodo per teſtes probetur, talem feciſſe, talem donationem intuitu ingrediendi religionem; ratio eſt, quia ceſſante cauſa non ſequitur effectus, & eadem militat ratio, cùm ſimus in favorabilibus, ac ſi feciſſet Novitius talem donationem, & profeſſio non fuerit ſecuta, cùm ſemper veritas inquirenda ſit. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 16.*

18 Pæna excommunicationis poſita à Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 16.* dantibus, vel recipientibus aliquid de bonis Novitij ante profeſſionem,incurritur ne ipſo jure?

℞ Non, ſed poſt ſententiam. *Rodrig. t. 1. quæſt 37. artic. 2.*

19 Si quis ante ſuſceptum habitum fecerit donationem,vel teſtamentum,valebitne talis donatio, vel teſtamentum?

℞ Valebit, ſi illam non faciat animo ingrediendi Religionem,& defraudandi diſpoſitionem hujus decreti, ſed ingreſſu Religionis non valebit, *tenet Quarant. in ſum. bullar verb. Monaſteria, pag. 330. vers, Gratiam dec. 37. n. 2.*

20 Teſtamentum factum ante ingreſſum Religionis poteſtne revocari ante profeſſionem?

℞ Poterit, etiamſi ſit ſolemne. *Molin. lib. 2. de primogen. c. 9. num. 38. Matienzo l. 1. gl. 8. n 4. lib. 5. nova recopil*

21 Ut Novitius faciat donationem validam quid debet agere?

℞ Intra duos menſes ante profeſſionem petere licentiam ab Epiſcopo, vel ejus Vicario faciendi talem donationem, quæ licentia debet dari in ſcriptis,& tunc facere ſuam donationem,& inſerere licentiam in ſcriptura donationis,alias donatio facta etiam jurata, & in favorem operæ piæ,

irrita

irrita censetur. *Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul. Ledesma lib. 2. c. 4. Rodrig. tom. 1. q. 37.*

22 Renuntiatio, & donatio facta, & jurata cum licentia Episcopi, & omnibus solemnitatibus, si professio non sequatur, valebitne?

℞ Non, quia facta est intentione professionis, & ad agendam vitam monasticam, & si effectus, non sequatur, causa corruit *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 16. citat.*

23 Si quis faciat renuntiationem sui beneficij intuitu ingrediendi Religionem, valebitne talis renuntiatio?

℞ Non, sed debet illam facere intra duos menses ante professionem, aliàs secuta professione, beneficium vacabit ad provisionem Summi Pont. *Flamin. de resignat. lib. 3. q. 13. n. 3.*

24 Si licentia obtineatur ante duos menses professionis, & professio aliqua causa dilatetur per aliquot menses, eritne necessaria nova licentia?

℞ Non. *Rodrig. tom 1. q. 37. de Regul.*

25 Duo menses, qui requiruntur ad petendam hanc licentiam renuntiandi, recipiuntne ætatem Novitij, vel tempus professionis?

℞ Tempus Professionis, & sic aliquando ante decimum sextum annum potest talis licentia peti, dummodo sit intra duos menses ante professionem?

26 Novitij tenenturne ad observationem casuum reservatorum à suis Superioribus?

℞ Non, quia non obligantur constitutionibus Regularium, donec professionem emittant. *Azor. inst. moral. 1. p. Lib. 12. c. 2. & ad. nostram de Regul.*

27 Professio facta per timorem, vim, vel metum, valetne?

℞ Non. si metus sit justus. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 19. de Regul. Aloys. Ricc. in collation. deci. p. 4. collat. 932. prope. fin.*

28 Quæ differentia est inter timorem, vim, tremorem, & metum?

℞ Licèt sæpe pro eadem significatione sumantur, tamen ex Laurentio, Bulla, & alijs DD. magnam habent inter se differentiam, nam timor propriè est de re præsenti, ut si quis alij minetur morte gladio evaginato, tremor verò est quidam stupor sensuum interiorum, & exteriorum proveniens ex visione alicujus phantasmatis, vel ex alia re horribili visa, vel imaginata, metus verò propriè est de re futura, ut cum quis timet, quòd si non facit professionem, parentes ejus tollent ab eo hæreditatem.

29 Quotuplex est metus?

℞ Triplex, metus justus, seù probabilis cadens in constantem virum, & iste annulat professionem, & matrimonium. *c. cum. dilectus, de ijs, quæ vi, metusve causa fiunt*; metus injustus cadens solùm in virum formidolosum, ut si quis timeat, quod justa ratione timere non debet; metus reverentialis,

30 Quid est metus reverentialis, & quotuplex?

℞ Metus reverentialis est ille, qui oritur ex imperio, vel precibus patris, vel matrris, Episcopi, vel superioris, & est duplex, alius, qui facit trepidare mentē ex præsentia prædictorum; alius est metus reverentialis mixtus cum aliquibus minis, verberibus, vel carcere, quæ damna timeantur probabiliter ex ira dicti Superioris. *Bart. in l. si ob turpem ff. de condit. ob turp. caus. Bal. in l. C. quod metus causa, quem cit. Corar. c. 3. 2. p. §. 4. n. 18. Pan. in Gl. in c. Abb. de his, quæ vi, metusve causa fiunt.*

31 Metus reverentialis sufficitne ad annullandam professionem?

℞ Si metus non sit solùm reverentialis, sed mixtus cum aliquibus minis, & terroribus dicti superioris, veluti si quis timeat, quòd si non faciat talem professionem pater, vel superior, qui timetur, verberabit eum, & carcerabit, vel tollet alimenta, & si probetur. quod talis superior soleat sevire in subditos, tunc iste metus reverentialis vocatur minor justo metu, & sufficiet ad annullandam professionem *Abb. & Glos. singularis in c. præsens. 20. q 3. verb. patrem. in fin. Rodriguez. c. 21. n. 50. ubi dicta Gloss.* facit distinctionem inter metum sufficientem ad annulandam professionem, & ad annullandum matrimonium, & sic intelligendi sunt omnes DD. qui tenent metum reverentialem non esse sufficientem ad annullandam professionem.

32 Ubi requiretur major matus, ad annullandā ne professionem, vel annullandum matrimonium?

℞ Maior metus requiritur ad annullandum matrimonium *1mo*, quia est Sacramentum Ecclesiæ, & vinculum indissolubile nisi per mortem. *2do* quia est status magis liber, & sponsus non habet illam clausuram, & verecundiam, quam habet Novitius vestitus, & sic ad matrimonium requiritur metus cadens in constantem virum. *juxta Gl. singular. in c. præsens. 20. q. 3.*

33 Quænam sunt consideranda in metu?

℞ *1mò*, persona, quæ habet metum, & ejus ætas; nā fœmina non est ita fortis, ut vir, puer, ut homo. *2do*, damnum si est præsens, futurum, corporale, spirituale, rei familiaris, honoris, mortis, carceris præsentis, vel futuri *3tio* minans. si est persona æqualis, uel superior, Princeps, Episcopus, Judex, pater, mater, vel latro. *4to*, locus, si est in agro, cubiculo, aperto, vel clauso, sine testibus, ubi non possit habere auxilium, & consideratis omnibus circūstantijs, Judex debet arbitrari; nam certa regula dari non potest, cum diversi sint casus, & varientur in circumstantijs. *DD. in c. cum dilectus, de ijs quæ vi, in metusve causa fiunt.*

34 Si quis emittat professionem ante dicimum sextum annum, & fecit priùs donationem suorum bonorum, donatio eritne valida?

℞ Neque professio, neque donatio erit valida, imò si postea de novo facit professionem, de novo debet facere donationem, quia prima nullos parit effectus, neque revivisicit. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. & 16. de Regul.*

## CAPUT XVI.
## De Quæstoribus elemosynarum in Regularibus.

1 Regulares quæstores eleemosynarum quid debent facere?

℞ Petere licentiam à Judice Ecclesiastico, & eleemosynam simpliciter, & recipere modeste, quod libenter offertur. *Conc. Trid. Sess. 21. c. 9. de reform.*

2 Quæstores eleemosynarum quid prohibentur facere?

℞ Concionari, portare campanelas,& reliquias, facere cōventiones,& locationes eleemosynarum, inducere fideles minis& terroribus ad eleemosynas dandas. *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 9. *cit.*

3 Qui dicuntur pravi quæstores eleemosynarum?

℞ Qui faciunt supradicta, vel convertunt eleemosynas in pravos usus,veluti ludendo,luxuriando, manducando apud cauponas. *Conc. Trid. Sess.* 21. *capit.* 9. *citat.*

4 Quid debet Episcopus facere cum istis quæstoribus?

℞ Eos in carcere tradere,& castigare,& in eorum locum nominare duos de capitulo,qui suo tēpore publicent indulgentias gratis, & eleemosynas colligant. *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 9. *cit.*

## CAPUT XVII.
## De Abbatibus exemptis.

1 Monasteria, & Abbatiæ, quæ datæ sunt in commendam, quomodo,& quando debent conferri?

℞ Cum primum vacaverint, debent provideri regularibus probatæ vitæ,& in provisione qualitas singulorum exprimenda est alias provisio erit surreptitia. *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 21. *de Regul.*

2 Si monasterium datum in commendam habeat certum numerum personarum, & novitiorum ad portiones recipiendas,ad quem pertinebit provisio earum,quando vacaverint ad Priorem,vel cōventum,vel ad commendatarium earum?

℞ Distingvendo, si tale monasterium non sit sub aliqua congregatione, pertinet ad commendatarium, si verò sit unitum alicui congregationi, pertinet ad Priorem, & conventum, & debent eam facere juridicè secundum regulam talis congregationis.

3 Abbates, Collegia, & capitula possuntne dare minores ordines non subditis suis?

℞ Non, etiam si sint exempti, & habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, nisi cum dimissorijs suorum ordinariorum. *Conc. Trid. Sess.* 23. *c.* 10. *de Refor.*

4 In Abbatia, ubi non est cura animarum, teneturne Abbas residere?

℞ Non, sicut nec beneficiatus simplex.

5 Qui obtinent beneficia in commendam, quibus in casibus non tenentur promoveri ad sacros ordines, neq; facere personalem residentiam?

℞ 1mo, si monasteria careant cura animarum. 2do, si solùm habeant jurisdictionem temporalem. 3tio, si cura animarum conventui incumbit,vel Vicario, & non personæ commendatariæ. 4to, si per ipsos non stat, quo minus eam exerceant, quia de facto prohibentur. *Mandosius, de signa. grat. tit. dispensat. de non residentib.*

6 Abbates exempti, si habeant privilegium sedis Apostolicæ conferendi sacramentum Chrismatis, possuntne illud conferre?

℞ Non, sine expressa Episcopi illius diœcesis licentia, quæ debet dari in scriptis, & non generalis,sed quoties debet actu exerceri tale officiū.

7 Abbates exempti,ad quem Episcopum tenentur accedere pro sanctis oleis?

℞ Ab Episcopum, in cujus diœcesi existunt, vel ad viciniorem.

8 Abbates benedicti,quas vestes possūt benedicere?

℞ Omnes vestes, & vasa, in quibus non intervenit Chrisma; hoc enim Episcopis tantum est reservatum, *cap.* 1. *de sacra unctione.*

## CAPUT XVIII.
## De processionibus Corporis Christi.

1 Quare institutum est festum peculiare Corporis Christi,& processio illa publica solennissima?

℞ Ob gratitudinem,& memoriam tam magni beneficij,& mysterij. *Conc. Trid. Sess.* 13. *c.* 5.

2 In die corporis Christi unde sumendum est sanctum Sacramentum?

℞ Ex Cathedrali, vel majori Ecclesia,& per vias cum magna devotione,musica, festis,& jubilo,& in eandem Ecclesiam est reportandum. *Conc. Trid. Sess.* 13. *cap.* 5.

3 In quibus Ecclesijs debent fieri processiones Corporis Christi?

℞ In omnibus, in quibus Eucharistia in sacrario servatur, sive sint Monialium,Monachorum, vel Parochorum; advertendum tamen est, quòd nō debent impedire diem, neq; horam processionis matricis Ecclesiæ; neq, cum illa concurrere; ratio est,quia Concilium generaliter loquitur cum omnibus Ecclesijs, quæ habent in sacrario Eucharistiam. *Conc. Trid. Sess.* 13. *cap.* 5.

4 Quis ordo servandus est in processionibus?

℞ Ut omnes religiosi, confraternitatesq; vadant in loco suæ antiquitatis secundum eorum institutionem, ita tamen, quòd Clerici regulares præcedant Laicos.

5 Ad processionem Corporis Christi qui debent vocari?

℞ Omnes Clerici,& regulares tam exempti,quàm non exempti, tàm beneficiati,quàm non habentes beneficium. Declaratio Cardinalium super *capit.* 5. *sessiono* 13.

6 In processione Corporis Christi ad quem pertinet nominare horam, locum,& vias, per quas debet ire processio?

℞ Ad Episcopum,& capitulū. *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 13.

7 In his processionibus. & in alijs quem locum habet Episcopus?

℞ Primum locum, primamque sedem, quam ipse voluerit; quia est caput, & repræsentat locum Summi Pontificis. *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 12.

8 Si Episcopus fuerit absens, quis debet habere hunc locum?

℞ Suus Vicarius, qui est caput, & repræsentat suam personam.

9 Qui habet authoritatem dirigendi processiones generales,vel particulares,quæ solent fieri extraordinariè pro aliqua necessitate?

℞ Episcopus cum consensu capituli. *Conc. Trid. ubi supra.*

10 Vicarius Episcopi, si Episcopus fuerit absens, poteritne dirigere processiones?

℞ Poterit cum capitulo, quia succedit in jurisdictione Episcopi.

11 Sacerdos indutus cappa,vel pluviali, vel casula, qui facit officium Presbyteri in omnibus processionibus

ſionibus Corporis Chriſti, vel in ſepeliendis mortuis, vel in alijs proceſſionibus particularibus, quem locum debet habere,& obſervare ?

℟ Debet habere locum magis honoratum, etiamſi in proceſſione ſint Epiſcopi & Cardinales; ratio eſt, quia Presbyter indutus ſacris veſtibus, repreſentat Chriſtum, & Summum Pontificem & ſummum Sacerdotem, & ſic incedit ultimus medius inter majores dignitates, licèt ipſe ſit ſimplex Sacerdos.

12 Poteſtne Epiſcopus compellere monachos, ut ad publicas proceſſiones accedant?

℟ Si vocati fuerint, poteſt compellere monachos, & Clericos. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 13. *de regular.*

13 De quibus proceſſionibus loquitur. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 13. ubi dicit, quod Epiſcopus poſſit compellere Clericos, & regulares, ut ad proceſſionem veniant ?

℟ De generalibus, non de particularibus.

14 Quæ dicuntur proceſſiones generales ?

℟ Quæ pro cauſa particulari aliquando fiunt, in quibus invitantur regulares,& Clerici; particulares verò ſunt, quæ ſtatutis diebus per Eccleſiam fiunt ?

15 Quis debet componere controverſias in proceſſionibus inter ſæculares,& regulares ?

℟ Epiſcopus omni amota appellatione, & debet exequi, quod ipſe ordinaverit, cum appellatio nō habeat effectum ſuſpenſivum, ne proceſſio pervertatur, & perturbetur, & ne ſæculares excandalizentur. *Conc. Trid. Seſſ.* 25.*c.*13 *cit.*

16 Quam pænam poteſt Epiſcopus imponere regularibus, qui vocati non veniunt ad proceſſiones, vel in controverſijs ortis ei non parent ?

℟ Excommunicationis,& alias arbitrio,& carcere, ſi opus fuerit. *Conc. Trid. ubi ſup.*

17 Quomodo debet Epiſcopus procedere in controverſijs componendis in proceſſionibus ?

℟ Summariè, ac benignè, ſine ſtrepitu judicij, amota appellatione, quia non habet effectum ſuſpenſivum, ne officium divinum, vel proceſſio retardetur,& ſufficit, ut Epiſcopus ſolo verbo proferat ſententiam, licèt finita proceſſione debeant recipi teſtes, & jurati ſcribere omne illud, quod in proceſſione, vel actu, vel officio publico actum fuit, & quis ordo datus fuit ab Epiſcopo, & quæ ſententia probata,& iterum debet partibus notificari, ut omnia fiant juridicè.

18 Poteritne Epiſcopus innovare controverſias iam finitas, in proceſſionibus inter confraternitates, & regulares, vel inter ipſos regulares, vel inter ipſas confraternitates ?

℟ Non, quia ſolùm datur ei facultas dirimendi controverſias, quæ de novo oriuntur, non ut ſuſcitet, quæ finitæ ſunt iam, ut nulli tollatur jus, neq; fiat iniuria. *Conc. Trid. Seſſ.* 25.*c.*13. *Bulla Pij V. in favorem regularium edita.*

19 In quibus proceſſionibus generalibus debet Epiſcopus cogere regulares, & omnes Clericos, ut in ijs interſint ?

℟ In proceſſione Corporis Chriſti; in litanis generalibus, in Jubilejs,& in proceſſionibus, quæ fiunt pro ſalute Regum, pro peſte, vel electione Summi Pont. vel pro alia publica neceſſitate; ratio eſt, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari;& adjuvari, & debent eſſe participes laboris, ſicut & utilitatis.

20 Quos religioſos nòn poteſt compellere Epiſcopus ut vadant ad proceſſiones ?

℟ Qui ſunt nullius diœceſis, vel ſunt diſtantes per milliaria ab Urbe, vel qui ſunt in collegijs, nec choro invigilant. nec vitæ monaſticæ, vel qui nunquam exeunt à monaſterio.

21 Poteſtne Epiſcopus cogere regulares exemptos, ut aſſiſtant in Eccleſia Cathedrali ad celebrationem quadraginta horarum ?

℟ Non, ſed ipſi eas debent celebrare ſuis in domibus.

22 Poteſtne Epiſcopus compellere confraternitates, laicorum, ut vadant ad proceſſiones ?

℟ Non, niſi in ſua conſtitutione præcipiatur, vel habeant conſvetudinem eundi ad proceſſiones; quia iſtæ confraternitates debent ſervare regulam,& modum, ſub quo inſtitutæ ſunt, & ultra illum non poteſt illis imponi onus, neq; pondus.

23 Epiſcopus poteſtne compellere Clericos, qui non habent officium, neque beneficium in ſua diœceſi, ut proceſſiones comitentur, ſed ibi ſunt cauſa itineris ?

℟ Non, quia itinerantes non habent commoditatem, & ornatum neceſſarium, ſed ſi ipſi ex ſua devotione voluerint aſſociare proceſſiones, debet Epiſcopus, & Clerus dare illis locum honoratum ſecundum eorum qualitatem,& dare illis candelas, & ea, quæ dantur cæteris Clericis, quia hoſpites maiori honore habendi ſunt. *DD. ſuper c.* 13. *Seſſ.* 25. *de regularibus.*

## CAPUT XIX.
### De Conſervatoribus.

1 Qui sunt Conſervatores ?

℟ Iudices conceſſi à ſede Apoſtolica in favorem religioſorum, hoſpitalium, ac locorum piorum ad ſolùm defendendum eos in poſſeſſione ſuorum bonorum. *Conc. Trid. Seſſ.* 14.*c.*5. *de reform.*

2 Qui gaudent privilegio conſervatoriarum literarum ?

℟ Religiones,& pia loca, quibus à Summo Pont. conceſſum eſt. *Conc. Trid. Seſſ.* 14.*c.*5, *cit.*

3 In criminalibus,&cauſis mixtis vigore literarum conſervatoriarum poſſuntne regulares excuſari, ut Epiſcopus aut ſuperiores, ad quos pertinet juriſdictio, non procedant contra eos ?

℟ Non, quia Trid. ſyn. juriſdictionem hanc expreſsè tollit à conſervatoribus, & eam dat Epiſcopis. *Conc. Trid. ſeſs.* 14. *c.* 5. *ubi ſupr.*

4 Habẽtes literas cõſervatorias poſſuntne citare aliquem, & eſſe actores ante conſervatorem ?

℟ Non, ſed debent petere ante Judicem rei. *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *cit.*

5 Per quod tempus durat beneficium conſervatoris?

℟ Ultra quinquennium à die conceſſionis non valet; debet enim confirmari à Sum. Pont. *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *cit.*

6 Judices conſervatores poſſuntne habere tribunal erectum ?

℟ Non. *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *ut ſup.*



7 In cauſ

7 In caufis mercedum, videlicet hominum fervientium monafterijs, qui petunt fuos labores, & in caufis miferabilium perfonarum, qui Judices debent procedere?

℞ Contra Monachos extra monafterium degentes quomodolibet exemptos, & contra Clericos fæculares, non confervatores, fed Judices Ecclefiaftici ordinarij debent procedere, quia hoc eft refervatum à Conc. Trid. propter utilitatem pauperum. *Conc. Trid. feff. 7. c. 14. & c. 5. feff 14. cit.*

8 Collegia, Univerfitates, fcholæ, & regularia loca, hofpitalia actu exercentia hofpitalitatem poffuntne gaudere privilegio confervatorio?

℞ Poffunt, quia eft exceptuatum in *Conc. Trid. feff. 14. cap. 5. cit.*

9 De Jure novo, quid innovatum eft in materia confervatoriarum per Greg. XV. per Bullam editam die 20. Sept. Pontific. fui anno primo?

℞ *1mo*, talis Bulla revocavit nominationes judicum confervatorum, ordinum regularium, militarium, hofpitalium, fecundum Bullam Bonifacij, quœ incipit, ftatutum, *2do*, dicta Bulla præcipit, ut deinceps, qui debent eligere confervatores, eligant aliquem ex Judicibus fynodalibus, vel Canonicis approbatis. electis in Concilio Provinciali, aut diæcefano. *3tio*, literas confervatorias novas, & confervatores nominati debent manifeftare illas, & fcribere in actis curiæ illius Epifcopi, aliàs illis non profunt. *4to*, revocavit omnes literas confervatorias, & præcepit, ut de novo expediantur.

10 Si aliquod monafterium non eligat confervatores juxta dictam Bullam Gregorij XV. in illo anno, in quo caret Judice confervatore, coram quo Judice debent caufæ determinari?

℞ Coram Judice ordinario Ecclefiaftico, videlicet Epifcopo, vel Vicario, *Conc. Trid. Seff. 7. c. 14. de Reformat.*

11 Regulares utentes literis confervatorijs antiquis quam pœnam incurrunt?

℞ Monachi, & priores carent voce activa, & paffiva, monafteria carent confervatore per annum, cæteri puniuntur arbitrio Judicis Ecclefiaftici. *Bulla Greg. XV.* fic præcipit.

12 Confervatores femel electi à regularibus poffuntne mutari?

℞ Intra quinquenium regulares non poffunt mutare confervatores, nifi ex legitima caufa ab ordinario, vel à Summo Pontifice approbanda. *dicta Bulla Greg. XV.*

13 Cardinales, Epifcopi, & Vicarij poffuntne effe confervatores?

℞ Poffunt ex dicta Bulla.

14 Confervatores fic nominati poffuntne procedere extra civitatem, & diœcefim?

℞ Non; quia hoc eft illis limitatum in dicta Bulla Greg. XV.

15 Si fuerit controverfia inter confervatores fic nominatos, & judices Ecclefiafticos quid agedum?

℞ In tali cafu non procedatur, donec per arbitros in forma juris electos controverfia decidatur, juxta *cap. 5. Seff. 14. Concil. Trident. & dicta Bulla Gregorij XV.*

16 Si aliquis regularis fuerit reus ante fuum confervatorem, & actor fæcularis habet confervatorē fufpectum, & illum recufet, quid agendum?

℞ Caufa non finita fufpenditur ftatim jurifdictio confervatoris per recufationem interpofitam à Laico, donec controverfia finiatur à Judicibus arbitris á Jure pofitis. *Conc. Trid. Seff. 14. c. 5.*

17 Confervatores, de quibus cafibus poffunt cognofcere?

℞ De ijs, in quibus regulares funt rei, fed non de ijs, in quibus regulares funt actores, ne fæculares moleftentur.

18 Si confervatores excedant terminos fuæ commiffionis præfixos in dicta Bulla, quam pœnam incurrunt?

℞ Privantur officio per unum annum, & pars procurans exceffum, incurrit excōmunicationem juxta Bullam Bonifacij VIII. quæ incipit, hac conftitutione, & Bulla citata Gregorij XV.

19 Qualis debet effe ifte exceffus, ut incurrantur iftæ pœnæ?

℞ *1mo*, fi confervator procedat extra civitatem, vel diœcefim moleftando aliquem. *2do*, fi procedat in caufis, in quibus regulares funt actores, & his fimilia.

20 Regulares poffuntne petere Judices fœculares à Principibus?

℞ Poffunt, tribus fervatis *1mo*, quod regulares fint actores. *2do*, quod perfona contra quam, fit fæcularis, de non foro Ecclefiaftico. *3tio*, fi caufa fit mere profana.

21 Hæc Bulla Gregorij XV. à quo tempore debet inviolabiliter obfervari?

℞ In Italia infra duos menfes, extra Italiam infra fex, numeratos à die 20. Septembris anno 1621.

22 In dicta Bulla eft ne derogatum privilegijs, confvetudinibus, & ftatutis editis in favorem regularium?

℞ In dicta Bulla debet à dicto tempore inviolabiliter obfervari? quia in ea derogantur confvetudines, privilegia, & ftatuta, & omnia reducuntur ad formam in dicta Bulla pofitam.

23 Si regulares habeant plures Bullas, vel fententias rotales cum judicibus executoribus admittendos eos in poffeffionem illarum rerum, dequibus fuit litigatum, & perturbentur in aliqua poffeffione, debent petere hoc à quocunque Judice ab illis electo, vel eliendo, vel ante fuum Judicem confervatorem?

℞ Dicti regulares nihil poffunt petere, neque citare, neque excommunicare aliquem, nifi ante fuum Judicem confervatorem, folum quia hoc exprefse cavetur in dicta Bulla Gregorij XV. ratio eft quia illi Judices, qui dantur in Bullis, & fententijs rotalibus, folummodo funt admittendos regulares in poffeffionem illius rei, de qua fuit litigatum; fed fi poftea poft aliquos annos velint de novo petere aliquid, fcilicet qui inquietantur in tali poffeffione, hoc debent petere ante fuum Judicem confervatorem; quia ad hoc eligitur *2do*, quia poftquam Judex virtute proceffus fulminati dat poffeffionem alicujus præeminentiæ, vel beneficij, & ipfe eft in quieta poffeffione, talis Judex functus eft officio fuo. *3tio*, quia fi poffint habere regulares

in fui

in sui favorem tot judices, quot bullas habent, non haberent unum conservatorem, sed plures contra tenorem dictæ Bullæ GregorijXV.

24 Quando regulares volunt petere aliquid contra Clericos, vel sæculares ante suum conservatorē, vel āte Judices bullarū, quid debent agere?

℞ *1mo*, debent præsentare bullas, vel electionem conservatoris cum dictis solemnitatibus factam. *2do*, probare per testes, vel scripturas, quod sint in possessione talis rei. *3tio*, probare saltem cum uno teste, quod perturbantur à tali persona in illa possessione quieta, & pacifica, quam habent, & tunc possunt petere literas citatorias contra talem personam.

25 Conservator quomodo debet procedere in tali negotio?

℞ Debet citare, dare terminum competentem, audire partes, & servare terminos juris, & formam suæ commissionis & illam non excedere, juxta bullam dictam Gregorij XV. alias suspenditur per annum à tali officio, & ordinarius, qui loco ejus succedit, revocabit omnia per ipsum facta, & condemnabit regulares in expensis, & in pœnis dictæ Bullæ.

## CAPUT XX.
## De Magnis Magistris.

1 Magni Magistri, & Priores ordinum militarium, quam jurisdictionem habent?

℞ Ecclesiasticam, & sæcularem circa bona, & personas sui ordinis, merum mixtum imperium, & omnia necessaria ad jurisdictionem exercendam absque ulla dependentia, ut patet ex bulla Pij IV. & exprivilegio, & Bulla ordinibus militaribus concessis. *l. imperium. ff. de jurisdictione, omnium judicum & ibi Bar. n.* 8. *Bald. n.* 30. *Paul. de Cast. n.* 5. *Iason n.* 8

2 Magni Magistri ordinum militarium habentne collationem commendarum vacantium per mortē?

℞ Habent, & etiam per ascensionem ad aliam commendam sine dependentia alicujus, ut planè videtur in privilegio cujuscunq; ordinis.

3 Magni Magistri, & Priores sunt ne collatores ordinarij?

℞ Sunt viri ordinarij intra limites suarum jurisdictionum, & habent jurisdictionem independentem ab aliquo Episcopo. *Bulla Pij IV. in bullario* 14. *circa. finem.*

4 Magni Magistri, & Priores possuntne facere synodum?

℞ Possunt, & eligere examinatores synodales, providere beneficia, ex dicta Bulla.

5 Si quis habens commendam, vel Prioratum assumatur ad Episcopatum, vacatne talis commenda, vel beneficium, & cui?

℞ Vacat, & debet provideri à magno magistro, quia ista beneficia sunt exceptuata, & quasi de jure patronatus ordinis. *c. cum in cunctis, de elect.*

6 Beneficia ordinum militarium caduntne sub reservationibus, devolutionibus, & affectionibus?

℞ Non, etiam si vacent in curia, nec possunt permutari ad invicem, nec cum beneficio sæculari, neq; gravari pensione sine licentia Magni Magistri. *Bulla Pij IV. super hoc edita. vers. qui in Romana Curia. Parisius, vol.* 4. *cons.* 44. & *cons.* 36. *n.* 17.

7 Hospitalia ordinum militarium comprehenduntur ne sub aliqua reservatione?

℞ Non; imò omnia ista hospitalia sunt privilegiata. *Anchar. c. fi. propter. de rescriptis, n.* 6. *Fely. in c. de quarta. de præscriptio. Clem. per literas de præbend Cardinalis. c.* 2. *de præbend.*

8 Quando vacat Ecclesia parochialis alicujus ordinis, si sit intra diœcesim alicujus Episcopatus, quid agendum?

℞ Tunc Magister, vel Prior, vel alius inferior collator tenetur personam, vel personas idoneas Episcopo præsentare, ut ab eo cum synodalibus examinentur. *Bulla Pij V. incipiens, exposcit, circa medium.*

9 Potestne Episcopus visitare Ecclesias parochiales ordinibus militaribus subiectas?

℞ Potest, si sint intra suam diœcesim, & solùm in his dumtaxat, quæ ad curam animarum, & ad administrationem sacramentorum pertinent, cum oves sint propriæ illius Episcopi. *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 8. *de Ref. Bulla Pij V. quæ incipit, exposcit, & Greg. XIII. quæ incipit, convenit.*

10 Si curam animarum in dictis Ecclesijs parochialibus exerceant religiosi ejusdem ordinis possuntne eorum personæ visitari ab Episcopis?

℞ Non, sed si exerceantur per Clericos sæculares, possunt visitari, & corrigi ab Episcopis. *Conc. Trid. Sess.* 21. *c.* 8 *de Ref. Bulla Greg. XIII. quæ incipit; circumspectæ in omnibus.*

11 Si aliquis religiosus non vivat sub obedientia, vel non sit legitimè professus, vel sit discolus extra religionem, potestne visitari ab Episcopo?

℞ Potest corrigi, & incarcerari, quia cessante causa cessat effectus, & debet remitti suo priori pro casu *c. cum cessante, de appellatione. cap. generaliter* 16. *quæst.* 1.

12 Habentes curam animarum in parochialibus subditis religioni S. Ioannis Hierosolymitani, tenenturne accedere ad congregationes, quas Episcopi faciunt ad determinandos casus conscientiæ?

℞ Tenentur, etiamsi sint professi in dicta religione.

13 Milites; & religiosi ordinum militarium possuntne facere professionem ante annum novitiatus?

℞ Non, neq; ante decimum sextum annum completum suæ ætatis, quia comprehenduntur sub decreto *Conc Trid. Sess.* 25 *c.* 15. *de regul.*

14 Dicti milites, & religiosi tenenturne observare onera posita à Conc. Trid. alijs religiosis aliarū religionum?

℞ Religiosi ordinum militarium, tàm equites, quā Clerici non obligantur servare onera aliarum religionum, sed tantum constitutiones, & statuta suorum ordinum; quia licèt sint veri religiosi, in pluribus tamen differunt à religiosis mendicantibus, & sic nō comprehēduntur sub pænis, & regulis aliorum, sic declaravit Rota die 11. Decembris anno 1570.

15 Priores ordinis S. Iacobi, & aliorum ordinum militarium, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, possuntne dare primam tonsuram, & quatuor minores ordines?

℞ Possunt in suis locis,&suis subditis tantum. *Mol. fes. in sum. tom.1 tract.2.c.2.nu.17.*

16 Priores ordinis S.Iacobi, & aliorum ordinum militarium possuntne absq; licentia Episcopi accersire aliquemEpiscopum,ut in locis sibi subditis exerceat pontificalia ?

℞ Possunt accersire Episcopum qui suis subditis conferat ordines maiores,benedicat oleum,&chrisma, confirmet pueros toties, quoties voluerit, non obstante prohibitione posita. *c.5. sess.25 Conc Trid*, quia ibi non loquitur de prælatis immediate subditis sediApostolicæ,qui habent jurisdictionemquasi Episcopalem. *Mol fes.in sum.to.2.tracta.2.c.2 nu.17.*

17 Milites S. Iacobi, Calatravæ, &Alcantaræ, qui emittunt omnia tria vota in sua professione, possunt ne obtinere beneficia sæcularia, Canonicatus,&præbendas absq;dispensationeApostolica ?

℞ Dum dicti milites non emittunt tria vota substantialia, etiam si habeant habitum sui ordinis, non sunt incapaces ad obtinenda beneficia sæcularia, curata,& alia beneficia,ut Canonicatus, pensiones, dignitates in Cathedralibus absque dispensatione.

18 Si aliquis miles habeat talia beneficia, & postea faciat professionem,poteritne retinere illa ?

℞ Non absq;dispensatione Apostolica. BullaGreg. XIII. quam refert Quaranta sum.Bullar.verb.*canonicus.regularis pag.127. Navar. cons.9.nu.1.de præbend. Conc. Trid.Sess.14.c.10.de refor.*

19 Canonici Regulares, & Religiosi Ordinum militarium,qui de mandato suorum Superiorum administrant parochiales sibi unitas, vel subditas, si delinquant, à quo debent puniri ?

℞ A suis Superioribus, sed post Constitutionem editam. *Greg. XV. annó* 1623. *nonis Febr. allegatam in c. 4. de Regul.* puniri debent ab Episcopo.

20 Si delictum sit in administratione sacramentorũ, à quo sunt puniendi ?

℞ Si parochialis sit in locis subditis Prioribus,vel Magistris, in quibus habent omnimodam jurisdictionem; à suis superioribus; si verò sit in locis, ubi Episcopus habet jurisdictionem spiritualem, tunc ab ipso Episcopo,post dictam constitutionẽ Greg.XV.semper sunt puniendi ab ipso Episcopo.

21 Si dicti milites,vel religiosi publicaverint indulgentias sine licẽtia Episcopi,à quo debent puniri ?

℞ Si sint in locis Episcopo subiectis; ordinarius debet contra eos procedere. *Conc. Trid.Sess.6. c. 5. Sess.14.c.4.Sess.24.c.11.*

22 Dicti religiosi ordinum militarium, qui actu habent beneficia, possuntne ferre suffragium in electione suorum superiorum, & Priorum ?

℞ Si habuerint possessionem,non; quia iam sunt emancipati à conventu.

23 Si aliquis religiosus habeat beneficium curatum & non resideat in eo,quam pœnam incurrit ?

℞ Debet privari beneficio,servata cum illo forma privationis,quam posui. lib.4.& de residentia parochorum. *Conc. Trid. Sess.23.c.1.de Ref. Bulla Pij V.* 64.quæ incipit, cupientes.*c.quia nonnulli.cap.relatu, de Clericis non residentibus.*

24 Si aliquis religiosus fuerit excommunicatus, quam pœnam incurrit ?

℞ Privatur fructibus beneficij,qui cum sit extra Ecclesiam,nomine Ecclesiæ nihil potest possidere *cap. pastoralis, de appellation. §. verum quia.*

# CAPUT XXI.

## De Monialibus.

1 Moniales quam regulam debent profiteri ?

℞ Sui prioris, institutionis videlicet , tria vota essentialia,videlicet castitatis, obedientiæ, & religionis. *Conc. Trid. Sess.25.c.1. de regul.*

2 Qui regunt monasteria monialium,quid debent ordinare ?

℞ Ut moniales semel in mense confiteantur, & cõmunicent, & observẽt suã regulam & clausurã.

3 Officiales. qui administrant bona temporalia, à quo possunt eligi,& quo tempore debent durare?

℞ Ab Abbatissa, & conventu,etiam si monasterium sit Episcopo subiectum,& sunt amovibiles ad nutum superiorum,& ex bulla nova Greg.XV.debẽt reddere rationem,&computum superioribus,Episcopo interveniente si vult: reliqui verò,ut capellanus, confessor,& sacrista eliguntur ab Episcopo absque interventu monialium,

4 Quis potest dispensare, & distribuere redditus monialium ?

℞ Earum superiores, sive sit Episcopus, sive regularis

5 Moniales, quæ sunt exemptæ,& sedi Apostolicæ subiectæ,in quibus subjiciuntur Episcopis ?

℞ In regimine, & in spiritualibus. *Conc. Trid. Sess. 15. c. 9. de reg.*

6 In reformatione facta à sancto Conc. Trid. includunturne omnia monasteria cujuscunq; qualitatis ?

℞ Affirmativè non obstante mari magno,nec alijs privilegijs,imò concilium præcipit Episcopis, ut omnia executioni mandent, etiam cum auxilio brachij secularis. *Conc. Trid.Sess.25.c.22.de regular.*

7 Monasteria monialium, quæ ipsamet habent jurisdictionem,& non subiecta Episcopis,nec alicui congregationi, intra quod tempus debent ingredi aliquam congregationem,vel subijci Episcopis?

℞ Intra annum à publicationeConcilij,aliàs à metropolitano coguntur, & eo absente, ab Episcopo antiquiori tanquam sedis Apostolicæ delegato. *Conc. Trid.Sess.25.c.8.de regul.*

8 Si talis sit cum Episcopo super processione visitandi moniales,quid est agendum ?

℞ Episcopus debet conservari in processione,salvo jure monialium, vel alterius partis litigantis in petitorio,quia Episcopus habet fundatam suam intentionẽ. *in c. 9. Sess. 25. Conc. Trid, de regular.*

9 Magistratus sæculares possuntne regere monasteria monialium ?

℞ In spiritualibus,non,sed solus Episcopus, vel alius superior. *Conc. Trid.Sess.25.c.9.cit.*

10 Cum qua licentia debent monasteria monialium de novo erigi ?

℞ Cum licentia Episcopi illius diœcesis. *Conc. Trid. Sess. 25c. 3. de regul.*

11 Si velint fabricare monasterium intra urbẽ, possũtne moniales per diversa dividi monasteria?

℞ Non,sed omnes simul ad monasterium sui ordinis. *Azor. instit.moral.p.1.lib.8.Navar. cons.5.nu3. de stat. monach.*

12 Quæ sunt causæ translationis monasterij ex uno loco ad alterum ?

℞ Incursus pyratarum vel latronum, aeris pestilétia, aquæ defluxus, aeris, vel terræ intemperies causans morbos, magnâ frigiditas, vel magnus calor, aliqua contagiosa infirmitas, vel si sit situm in agro, in loco nõ tuto, transferendũ est ad civitaté. *Navar. commentar. 4. de regul. n. 48. & 49. cap. statuimus. 19. quæst. 3. Azor. prima, Libro 12. captt. 14.*

13 Si monasterium monialium sit in agro, ubi debet mutari, & à quo ?

℞ Debet intra urbem transferri ab Episcopo tanquam sedis Apostolicæ delegato, licet sit exemptũ, & poni in loco tuto cum suis reditibus. honoribus, & oneribus, præcipuè si expositum sit incursibus pyratarum, & latronum. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 5. de regular.*

14 Si monasteria monialium in agro habeant murum altum, & custodiam, debentne trasferri in civitatem ?

℞ Si nullum sit inconveniens, cessat ratio translationis.

15 Quis potest recludere fenestras, & portas, & tollere omnia impedimenta, tàm in monasterijs, quã in domibus, quæ sunt propè monasteria ?

℞ Episcopus, quia licet quisq; possit levare domũ suam usq; ad cœlum, dummodo via sit in medio; tamen hæc lex non habet locum in damnum clausuræ monasteriorum monialium, cum sint Virgines Deo sacratæ. *Tusc. de visitat. Eccles. Lib. 2. c. 18. num. 5.*

16 Moniales possuntne habere Sanctum Sacramentum intra claustra monasterij ?

℞ Non, quia prohibitum est (ablato quocunque privilegio) à *Concil. Trident. Sess 25. cap. 10. de regularibus*

# CAPUT XXIII.

## De clausura Monialium

1 Episcopus quando, & quomodo debet ingredi monasterium monialium, & in quibus casibus?

℞ Rarò, & in casibus magnæ utilitatis, & necessitatis comitatus paucis personis Religiosis, & Sacerdotibus. *Bul. Greg. XIII. incipiens, Ad ibiis, quæ est in Ordine 75.*

2 Episcopus potestne ingredi monasteria monialiũ regularib9 subjectarum cõtra eorum voluntatem?

℞ Potest solùm ad videndum, si clausura servetur, vel non. *Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regular. Zerola in prax. Episc. p. 1. verbo monial.*

3 Moniales à quo debent cogi, ut clausuram servent?

℞ Ab Episcopo cum invocatione brachij sæcularis, si opus fuerit, & si Judices non dederint, sunt excommunicati. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. cit.*

4 Si in aliquo monasterio sit consvetudo, ut in die obitus alicujus monialis ad eam sepeliendam celebretur Missa cantata in claustro, choro, vel in aliqua capella dictarum monialium præsentibus monialibus, quid est agendum ?

℞ Si hoc privilegium competat alicui monasterio vel per consvetudinem immemorabilem non sublatam post publicationem concilij, vel per breve particulare; tunc talis consvetudo est servanda: ratio est, quia *Conc. Trid. Sess. 25. c. 10.* non tollit hanc consvetudinem, ut talis monacha nõ sepeliatur cum sacrificio Missæ, quod raró contigit, solùm vult, ne Sanctum Sacramentum servetur intra claustra, vel clausuram monialium, ut tollatur occasio sæpè sæpius intrandi.

5 In monasterijs, ubi non est dicta consvetudo, moniales quomodo sunt sepeliendæ, & quis numerus Clericorum, & ministrorum debet intrare ad eas sepeliendas ?

℞ Corpus defunctarum debet poni in choro, vel in capitulo, vel in capella publica, & si fuerit manè, Sacerdos in Ecclesia celebret Missam de requie, & officium defunctorum, & si fuerit Vespere, Sacerdos indutus cappa dicat in Ecclesia dicta officia defunctorum, & postea processionaliter cũ Cruce duobus luminarijs, & comitatur à sex, vel octo Clericis, & cum hominibus, qui habent officium sepeliendi mortuos intret processionaliter intra claustra monasterij, & omnes moniales processionaliter cum sua cruce eum expectant ad portam monasterij, & sic præcedentibus monialibus, & subsequentibus Sacerdotibus cum suis Clericis omnes simul accedant ad locum, ubi est corpus monialis defunctæ, eam portent ad locum sepulturæ, ubi erit altare præparatum, & facta benedictione sepulturæ incensato corpore, sparsa aqua benedicta omnibus responsorium cantantibus illa sepeliatur, & cooperto Sepulchro omnes simul processionaliter revertantur ad portam monasterij.

6 Isti Clerici quas qualitates debent habere ?

℞ Debent esse bonæ vitæ, & famæ, & ætate maturã, & electio horum Clericorum tàm in numero, quam in persona relinqvitur arbitrio Episcopi, vel superioris monasterij, quia certa regula dari non potest.

7 In quibus, & propter quas causas potest Episcopus dare licentiam, ut homines ingrediantur monasteria ?

℞ Causa infirmitatis, vel necessitatis, ut medico spirituali, & temporali ad ministranda sacramenta, & sepeliendos mortuos, chirurgo tonsori, mulieri, quæ sciat mederi, procuratoribus, & officialibus ad opus, si sit necessarium deferre aliquid in monasterio, ad quid vires mulierum non suppetunt, ut colere hortos, asportare trabes, his omnibus ad sua officia exercenda potest dari licentia, si talia officia per Monachas, vel conversas exerceri non possint; motu propio. *Greg. XIII. in Bulla 36. cit. Rodriquez. tom. 1. q. 46. art. 3. & q. 47. art. 4. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 13. c. 8. & 9 Joannes de la. Cruz. de statu. relig. lib. 1. c. 5. dub. 2.*

8 Licentia ad ingrediendum quomodo debet dari?

℞ In scriptis. Bulla supra dicta Greg. XIII. *num. 40. & 41. anno 1575.*

9 Facultas data Episcopis à Conc. Trident. ut dent licentiam ingrediendi monasteria, quomodo est in telligenda ?

℞ Concilium hoc reliquit arbitrio Episcopi, quia quotidie exurgunt tot novæ necessitates inopinatæ, ut non possit certa regula assignari, & sic plurima cõfidit de Episcopi prudentia.

10 Episcopus, qui concessit licentiam sine juxta causa, & in casibus non necessarijs ingrediendi monasteria, est ne excommunicatus ?

 ℞ Non,

℞ Non, quia nullus canon hoc dixit; ergo nec nos dicere debemus, licèt Episcopus peccet.

11 Moniales facta professione, cum qua causa possunt exire è monasterio?

℞ Magni incendij, vel infirmitatis, pestilentiæ, vel lepræ, vel hostium invasionis, in casu aquæ ductus, vel ruinæ domus, ut si corruat dormitorium, in infirmitatibus contagiosis, & nocivis communitati monialium. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. Pius V. per suam extravag. quæ incipit, circa pastoralis. Fr. Ioan. de la C[illegible] vers. an verò liceat.*

12 Si aliqua monialis habeat infirmitatem sibi soli nocivā, cui exeundo è monasterio remedium adhibetur, poteritne dari licētia à Prælato, ut exeat?

℞ Si de consilio medicorum periculum vitæ, aut gravis, & diuturna infirmitas probabiliter timeatur, poterit Episcopus tunc dare licentiam; quia vita omnibus remedijs est salvanda, *Navar. Comment. 4. de regularibus, n. 47. 48. & 49. Azor. instit moral. p. 1. c. 8. Lib. 13.*

13 Cum qua licentia potest aliqua monialis è monasterio exire, etiam cum legitima causa?

℞ Cum licentia superioris monasterij in scriptis exprimendo causam, & tempus, *Emanuel quæst. regul. tom. 1. q. 49. art. 6.*

14 Si moniales subditæ sint regularibus, sufficitne habere licentiam suorum, vel requiritur etiam licentia Episcopi?

℞ Emanuel. loco allegato tenet requiri etiam licentiam Episcopi, sed *Fr. Ioan. de la Cruz. de stat. relig. Lib. 1. c. 5. dub. 3.* tenet in Hispania non esse necessariam licentiam Episcopi, sed solùm Provincialium.

15 Qui ingrediuntur septa monasterij sine licentia, quam pœnam incurrunt?

℞ Ipso jure sunt excomonicati, & absolutio reservata est Papæ, nisi in mortis articulo. *Bull. Pij V. de regular. publicata 23. Octobris 1566. Bull. Greg. XIII. publicata die 24. Junij 1575. Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. de regul.*

16 Quam pęnam incurrunt Abbatissa, & moniales, quæ dant consilium, vel consentiunt, ut quis ingrediatur claustra monasterij

℞ Sunt excommonicatæ ipso jure, & absolutio reservata est Papæ, & privantur perpetuò officijs, & dignitatibus, & alijs pœnis bene visis suo superiori puniuntur. *Pius V. in d. bulla, & Greg. XIII. ubi sup.*

17 Puer, qui non habet usum rationis, si ingrediatur monasterium, est ne excommunicatus, vel ille, qui fecit eum ingredi?

℞ Puer non potest incurrere excommunicationē, quia non habet usum rationis, sed ille, qui fecit eum ingredi, peccat, sed non excommunicatur, quia hæc pœna, cum sit gravissima, non est imponenda, nisi exprimatur. *Navar. commen. 4. de regul n. 59. citans plura jura.*

18 Episcopus poteстne absolvere in delictis occultis in materia clausuræ tam monialem consentientem, quàm Laicos intrantes?

℞ Non, quia hæc absolutio reservata est sedi Apostolicæ in constitutione Pij V. de regul. & ibi declarata est facultas absolvendi in delictis occultis, non habet locum hoc in casu, neq; est extendenda ultra dictam constitutionem.

19 Episcopus potestne dare licentiam, ut mater, vel soror alicujus monialis ingrediatur sępta monasterij ad visitandam filiam morientem, vel emittentem professionem?

℞ Non, sed solùm Summus Pont. *Rodrig. tom. 1. q. 64. num. 11.*

20 Nobiles fœminæ fundatrices monasteriorum, cum habent licentiam ingrediendi monasteria, possuntne in eis pernoctare?

℞ Non, nisi in brevi explicetur, ut habetur in bulla Greg. XIII. quarta & quadragesima prima, ubi revocantur omnes licentiæ antea datæ.

21 Quo Jure prohibitum est regularibus alloqui monialibus, & sub qua pœna?

℞ Per congregationem Eminentiss. Cardinalium, & sub pœna privationis suffragij activi, & passivi, & habet locum in regularibus, qui mittuntur ad prædicandum, ad dicendas Missas, & confessiones audiendas. *Quaranta in summ. Bullarij, verb. monasteria, pag. 348.*

22 In Regnis Siciliæ, & Italiæ, ubi regulares non possunt colloqui cum monialibus sine licentia Summi Pont. quid innovatum est?

℞ Sanctissimus Dominus noster Urbanus Octavus Summus Pontifex per Bullam expeditam anno 1624. sui pontificatus anno 1. dedit facultatem Episcopis, & ordinarijs, ut per quatuor vices in anno possint dare licentiam, ut aliqua Monialis loquatur cum aliquo regulari cum his conditionibus, & requisitis. *1mo*, quod locutio fiat, si Episcopo videbitur expedire. *2do*, quòd Monialis, & regularis sint affines in primo, vel secundo gradu consangvinitatis. *3tio*, quod locutio non fit in die Veneris, neque Sabbati, neque in die festivo neq; in tota quadragesima, neq; Adventu Domini *4to*, quod licentia expresse detur inscriptis, & in ea assignetur dies, & hora locutionis, & registretur in officio Magistri notarij illius Curiæ *5to*, quòd censessor ordinarius illius monasterij sit præsens tempore locutionis, & teneatur conservare dictam licentiam in scriptis. *6to*, quòd auscultatrices d. monasterij sint præsentes tempore locutionis, ut expresse habetur in dicto brevi, cujus formam, & tenorem nullus Episcopus, vel Judex ordinarius poterit transgredi, cum istæ facultates sint stricti juris, & eas ampliare nō liceat; & ad istam bullam sunt reductæ cæteræ constitutiones Pij V. & Greg. XIII. & ita hæc ultima Bulla Sāctis D N. Urbani VIII. debet observari.

23 Moniales, quæ loquuntur cum regularibus, quā pœnam incurrunt, si non servent formam dictæ Bullæ?

℞ Eandem pœnam, quam regulares, & privantur voto activo, & passivo per unum annum.

24 Qui regulares excipiuntur, qui etiamsi loquantur, non incurrunt has pœnas?

℞ Superior; cui incumbit cura monasterij, visitator, confessarius, & non extraordinarius, & regulares, qui habent licentiam à sacra congregatione regularium, quæ raro conceditur. *Joan. Baptista in privilegio ord. mendic. tit. 20. n. 8*, sed hoc in Italia servator, sed non in Hispania.

25 Aliquis regularis poteritne esse cōfessor ordinarius in monasterio monialiū subiecto Episcopo?

℞ Hoc

℞ Hoc nullibi est prohibitum,& si sit vir sanctus, doctus,& prudens,poterit esse cōfessor ordinarius, & in hoc adjuvare Episcopum sicut potest esse confessor extraordinarius in tempore, in quo à Conc.Trid. permittitur, ut habeant confessorem extraordinarium.

26 Moniales tertij ordinis. S. Francisci, quæ habitant in suis domibus, debent ne compelli, ut servent clausuram ?

℞ Non, quia earum institutum non est, ut vivant simul in claustris.

27 In monasterijs, ubi non est clausura, potestnè aliqua puella suscipere habitum religionis ?

℞ Post publicationem Conc.Trid.non potest quià omnia monasteria tenentur observare claustrum. *Bulla Pij V. supra allegata.*

28 Colloquia cum monialibus,quibus personis, & quomodo debent permitti ?

℞ In hoc servanda est consvetudo conventus monialium,licèt licentia superioris semper sit necessaria. *Fr. Emanuel loco alleg.*

29 In observatione clausuræ quam potestatem habent Episcopi ?

℞ Magnam,quia tàm in monasterijs sibi subiectis, quàm non subiectis debent facere,ut observetur, & punire non observantes, & ad hoc monasteria visitare; & ingredi poterunt. *Conc Trid. Sess. 25. capit. 5. de regularibus.*

## CAPUT XXIII.
### De dote Monialium.

1 Quis debet taxare numerum Monialium , & dotem, seu alimenta ?

℞ Episcopus, consideratis reditibus, eleemosynis, qualitate Provinciæ, & sterilitate,vel abundantia terræ. *Nav.comm.4.de Regul.n.57.*

2 Dos , quæ datur, debetnè recipi ante professionem, vel post ?

℞ Potest recipi ante, vel post dummodo si moriatur Monacha ante professionem , dos restituatur suis parentibus, dempto victu, & vestitu. *Conc. Trid.de Regul sess.25.c.16.Azor.instit.moral. par.1. lib. 12. cap. 3.*

3 Si facta professione, & dote non soluta moriatur Monacha, quid agendum ?

℞ Debent solvi monasterio à parentibus?quia legitimo Jure sibi acquisivit, etiamsi in contractu sit conditio, quòd alimenta solvantur donec dos detur.*Conc. Trid.sess.25.c.16.cit. Azor.loco sup.cit.*

4 Pro dote potestne accipi mutuum,vel aliqua bona opera ?

℞ Non, sed illa pecunia, vel sustentatio,quæ datur alijs Monialibus *Conc. Trid.sess.25.c.16.*

5 Aliquæ puellæ, quæ parentibus , & facultatibus destitutæ sunt, possuntne recipi in monasterijs Monialium ex causa paupertatis ?

℞ Non debent tales recipi, ne detur occasio Abbatissæ, & Monialibus, ut onerent monasterium, nisi sit constitutio, ut sine dote recipiantur, tunc talis fundatio. ut sanctissima. servanda est. *Zerola in praxi Episcopali.*

6 Si dote soluta Monialis moriatur ante professionem quid agendum ?

℞ Restituenda parentibus,vel hæredibus ab instanta,nisi forsan in aliquâ scriptura obstet in contrarium, tunc scriptura servanda est tanquam Jus particulare. *Azor.instit.moral p.1.lib.12.c.3.*

## CAPUT XXIV.
### De resignatione bonorum Monialium.

1 Si sit aliquod monasterium Monialium,quibus de suo instituto non licebat habere bona stabilia in communi,possuntne illa habere post Conc.Trid.?

℞ Non. quia tales excipiuntur à Concilio, & relinquuntur in sua primæva institutione. *Conc. Tr. sess. 25. de Regul.*

2 Quæ monasteria Monialium possunt possidere bona immobilia ?

℞ Omnia in communi ad suam sustentationem. *Conc. Trid.sess.25.c 3.cit.*

3 Bona mobilia,quæ acquirunt Moniales,possuntne illa possidere tanquam sua ?

℞ Non, sed statim debent tradi Superioribus, ut illa incorporentur monasterio. *Conc. Trid. sess.25.c. 2. de Regul.*

4 Superiores possuntne dare bona stabilia alicui Moniali. ut ea possideat , & recipiat usum fructum ad suam necessitatem ?

℞ Non, sed solum mobilia. &ad usum tantū.*Conc. Trid.Sess.25 c.2. cit.*

5 Quam pœnam incurrit Superior , qui contrarium facit ;

℞ Biennio activa,& passiva voce privatur.

6 Quis potest dare facultatem, ut aliqua Monialis habeat bona mobilia,vel introitus ?

℞ Summus Pontifex. *Navar. in comment.2.de Regul. num. 18.& 24. Azor. institut. moral. par.1. lib.12.c. 9.quæst.2.*

7 Si alicui Moniali relinquatur; aliquod legatum, vel pecunia,vel eam acquirat suo labore,potestnè prosua necessitate liberè illam possidere ?

℞ Non, sed debet ponere in manu Abbatissæ, ut ipsa provideat necessitati illius Monialis,&si superfuerit aliquid, concedat communitati. *Navar.& Azor. supra citat. Sylvester in summ. verb. Religio, 6 nu 7. Navarr. in commentar. 2. de Regul. nu 14*

8 Licebit nè Monialibus retinere reditus, sive census certos relictos à suis parentibus, vel infirmitatibus. præcipuè si monasterium non det omnes provisiones ad vitam necessarias, vel si sit pauper, & non possit omnibus necessitatibus providere ?

℞ Non, quia hoc est contra votum paupertatis, sed in isto casu debent isti reditus Abbatissæ con signari, ut ipsa libere provideat necessitati talis Monialis, & reliqua det cummunitati. *tenet Sylvester in summ. verb.Religio.6.num 7.Navarr. comment. 2.de Regul. num. 14.*

9 Si Abbatissa noluerit ptovidere necessitati talis Monialis, cui relicti fuerunt reditus , quid debet agi ?

℞ Abbatissa malefaciet ratio est, quia non adimplet intentionem donantis illam elemosynam,sed nihilominus talis Monialis non habet aliquam actionem contra Abbatissam petendi tale legatum, quià est incapax per votum emissum paupertatis non possidendi illa bona, benetamen poterit repræsentare suam necessitatem ante Su-

prioretn monasterij,& si habuerit patientiã in hoc casu plurimum meruerit

10 Si aliqua Monialis de licentia Superioris habeat aliquos reditus, incidit ne in aliquam pænam?

℞ Non,quia Concilium loquitur de reditibus proprijs,& irrevocabilibus perPrælatos,& quæ possidentur sine eorum licentia. *Jo. de laCruz, de statu Religiosor.lib.1.c.3. dub.2.*

11 Si Moniales habeant aliquid superfluum etiam per licentiam Superiorum, excusanturne à culpa, vel à pæna?

℞ A pœna, sed non à culpa, quia tenentur dicere suo Superiori illud sibi esse superfluum.*Fr.Ioannes de laCruz, ut supra.*

12 Quis debet judicare superfluas?

℞ Superiores,habita ratione necessitatis,personæ, & temporis.*Fr.Ioan. de laCruz. ut sup.*

13 Qua pœna punitur monialis habens superflua?

℞ Si illa habeat sine licentia, privatur biennio voto activo,& passivo, non in electionibus,sed in alijs rebus.

14 Renuntiatio,& obligatio à novitijs facta, intra quod tempus debet esse;& cum qua solemnitate?

℞ Intra duos menses ante professionem, & cum licentia Episcopi & non sequitur suum effectum, etiam si sint jurati, nisi secuta professione. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 16. de regul.*

15 Si aliquis faciat renuntiationem voluntate ingrediendi religionem, & postea ex aliquo accidenti non ingrediatur,talis renuntiatio,& donatio erit ne valida,si non expressit in renuntiatione,quod faciat talem renuntiationem animo ingrediendi religionem?

℞ Talis donatio,&renuntiatio non erunt validæ, quia eadem militat ratio, sive illud exprimat in renuntiatione, sive illud probet per testes. 2*do*, quia standum est veritati,& non fictioni,neque calumniæ. 3*tio*,quia ex pluribus causis potest cõtingere non exprimere causam,& ingressum religionis,scilicet. 1*mo*, ex verecundia, quia persona erat nobilis, & negotium secretum. 2*do*, ex imperitia tabellionis, vel Notarij. 3*tio*, ex malitia illius, in cujus favorem fit renuntiatio. 4*to*, ex timore vel respectu,vel verecundia,vel ignorantia,vel inadvertentia renuntiantis,ut si sit idiota, puer,ignorans litteras;& si faciat renuntiationem in patrem, vel matrem, vel fratrem maiorem, & ideò hæc regula tenenda est ex mente concilij, & Doctorum quotiescunque causa finalis,vel impulsiva faciendi renuntiationem, fuit ingressus religionis;sive quis ingrediatur,sive ingressus non faciat professionem,& revertatur, sive hæc causa exprimatur in scriptura,sive non,semper talis renuntiatio est nulla,& annullari debet à Judicibus. *Conc. Trid. Sess. 25. cap 16. supra cit.*

16 Si in renuntiatione ista exprimantur aliæ causæ,scilicet graditudinis,beneficij recepti,vel amoris,& non exprimatur causa religionis,erit ne valida ista renuntiatio sine professione?

℞ Hæc expressio causarum facit negotium magis obscurum, sed quoties probatur per testes, quòd causa finalis talis renuntiationis fuit ingressus religionis,sive exprimantur aliæ causæ,debet talis renuntiatio declarari nulla,cũ finis renuntiationis non sequatur; ratio est,quia non debet defraudari suis bonis propter illam bonam voluntatem, & desiderium,quod habuit serviendi Deo in religione.& sicut concilium novit, ut de bonis novitii aliquid accipiat religio, nisi sequuta professione, imò illud prohibuit sub pœna excommunicationis tàm dantibus, quam recipientibus, sic noluit, ut donationes factæ intuitu religionis,sive exprimatur causa,sive non,essent validæ,& voluit,ut nullus ditaretur sub specie,& velamine ingressus religionis, nisi professione secuta. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 16. cit.*

17 Puellæ,quæ educantur in monasterijs,possuntne facere renuntiationes,& obligationes?

℞ Possunt liberè,sic quia concilium non loquitur nisi de novitijs,quæ susceperunt habitum,vel volunt suscipere, ne propter malam subiectionem, vel per malum consilium , vel timorem faciant aliquam renuntiationem contra suam voluntatem,& ita,si aliqua puella existens in monasterio educationis causa, ibi renuntiat animo nubendi, vel vivendi,in celebratione talis renuntiatio erit valida;ratio est,quia non locus, sed intentio facit irritam talem renuntiationem non secuta professione. *Conc. Trid. Sess. 25.cap. 16. cit.*

# CAPUT XXV.

## De susceptione habitus, & de professione Monialium.

1 In ingressu religionis alicujus Monialis quid debet fieri?

℞ Si sit dubium de sua voluntate, ne cogatur à parentibus, puella deducenda est ad matronas illi conjunctas,& non suspectas, vel alias nobiles de mandato Episcopi,ubi liberè possit exprimere suam voluntatem. *Conc. Trid. Sess. 25.c.17.de regul.*

2 In qua ætate potest puella suscipere habitum?

℞ In ætate duodecim annorum. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 17. cit.*

3 Finito anno novitiatus, quid debent agere Abbatissa,& Superiores?

℞ Quas habiles invenerint ad professionem admittere, alias verò à monasterio eijcere. *Conc. Trid. Sess. 26. cap. 16. de regul.*

4 In qua ætate potest Monialis facere professionem?

℞ In ætate 16. annorum. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 15. de regul.*

5 Ad emittendam professionem annus debetne esse continuus, vel interruptus?

℞ Continuus,& si interrumpatur ex aliqua causa, debet iterum de inovo incipi. *Conc. Trid. Sess.25. c. 15. Nau. cons. 32. de regul.*

6 Quid est agendum ante professionem puellæ?

℞ Ante mensem professionis præfecta, vel Abbatissa Episcopum certiorem faciat sub pæna suspensionis arbitrio Episcopi;& Episcopus, vel ejus Vicarius eam in libertate ponant, & exquirant, an coacta,vel libere sit,& si habet conditiones,videlicet,si sciat legere,& ceræmonias,& statuta juxta regulam talis monasterij. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 17. de regul.*

7 Intra quod tempus debet Episcopus examen puellæ perficere, de cujus voluntate dubitatur?

℞ Intra

℞ Intra viginti dies,& amplius in illo negotio non se debet intromittere.

8 Poteſtne Epiſcopus facere examen alicujus novitiæ ad petitionem alicujus volentis eam ducere in uxorem ?

℞ Non, ſed ſuo tempore, ad petitionem verò puellæ toties, quoties ipſa voluerit. *Pet. Sanch. in ſum. præcept. decalogi. lib.5. c.18.*

9 Ad quem ſpectat examinare libertatem puellæ in monaſterijs ſubjectis regularibus tam in ingreſſu, quam in profeſſione ?

℞ Ad Epiſcopum;& ordinarium. *Conc. Trid. Seſſ.25 cap. 17. cit.*

10 Si Epiſcopus, vel ejus Vicarius deputaverint aliquem ad faciendum tale examen, quis debet ſolvere expenſas,quas fecerit in itinere ?

℞ Epiſcopus, vel ejus Vicarius, quia ipſi tenentur facere *Conc. Trid. Seſſ.25.c.17.cit.*

11 In quo loco debet examinari libertas monialium ab ordinario ?

℞ In Cratheris. *Fr. Ion. de la Cruz.de ſtat. l. religioſor libro.2.c.8.*

12 Si dubitetur de libertate puellœ, ubi debet examinari ?

℞ Si Epiſcopo videbitur inEccleſia monaſterij,vel in alio loco honeſto coram teſtibus, & Notarijs debet interrogari, an velit eſſe monacha, vel nubere, & quæ dixerit, in ſcriptis debent redigi, & ſecundum eius voluntatem reſolutio à ſuperiore debet fieri. *Conc. Trid. Seſſ.25. c.17. Zerola in praxi Epiſc. parte 1. V. moniales pag. 232. Azor inſtit. moral. part. 1. lib. 12. c. 1.*

13 Si inhabilitas puellæ, vel novitiæ proveniat ex infirmitate, vel alia cauſa quæ tempore vinci poteſt quid agendum ?

℞ Superiores poſſunt illi prorogare novitiatum pro tempore illis benè viſo, ut talis defectus ſuppleatur tàm in viris, quàm in mulieribus. *Conc. Trid. Seſſ.27. cap. 17.*

14 Si dubitetur, an aliqua monacha profeſſa ſit baptizata, & ad cautelam iterum baptizetur, profeſſio facta eritnè valida ?

℞ Non, ſed talis poſt baptiſmum debet profiteri, ratio eſſe poteſt, quia non poteſt profiteri ſtatus perfectionis ab illo, qui nunquam ingreſſus fuit per ianuam perfectionis,quæ eſt baptiſmus. *c.cum itaque, de conſecr. diſt. 4.*

15 Si aliqua puella ſuſcipiat habitum de facto, vel faciat profeſſionem ſine examine Epiſcopi,quid agendum ?

℞ Epiſcopus in utroque caſu puniat Abbatiſſam pænis,& cenſuris,& iubeat,ne iterum fiat,& poſt ſuſceptum habitum eam examinet;poſt ſuſceptam verò profeſſionem non fiat examen;quia profeſſio tenuit *Sanch.in præcepto decalogi Lib.4.c.18.*

16 Si aliqua puella deſponſata ſuſcipiat habitum, &ſit duodecim annorum, vir tenebiturne expectare quatuor annos uſque ad tempus profeſſionis?

℞ Affirmative. *Petrus Sanchez,ubi ſupr.*

17 Si per vim poſita fuerit aliqua puella in monaſterio,quid agendum ?

℞ Epiſcopus debet punire eos, qui intulerunt vim,& facere voluntatem puellæ,etiam ſi ſit contra voluntatem eorum, qui illam ita urgerunt. *Conc. Trid. ubi ſupr.*

18 Si aliquis pater inſtituat, quòd ſi filia ejus ingrediatur religionem,dentur illi centum aurea ſcuta iſte, incurritne pænam à concilio poſitam ?

℞ Non,quia non inducit vim coactivam, ſed inductivam,& perſvaſivā,dequa nō loquitur Conc.

19 Quam pænam incurrunt homines cujuſcunque dignitatis,qui coegerint mulierem ad ingrediendum monaſterium, vel profeſſionem faciendam, vel dederint auxilium, vel conſilium his, qui faciunt talem vim ?

℞ Excommunicationis à Jure ipſo incurrendæ, præterquam in caſibus à Jure expreſſis. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 18. de reg.*

20 Qui ſunt caſus à Jure expreſſi ?

℞ Quando aliqua mulier propter recluſionem, vel ad faciendam pœnitentiam, vel ob timorem, ne occidat eam ejus maritus,vel alia perſona,contra ſuam voluntatem ingreditur monaſterium.

21 Quam pœnam incurrit, qui impedit virginem volentem ingredi religionem, vel facere profeſſionem,& votum caſtitatis emittere ?

℞ Anathematis à Jure,tamen excipiuntur mulieres, quæ vulgò converſitæ appellantur, in quibus earum conſtitutio debet ſervari. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 18. cit.*

22 Poteſtne aliqua monialis ad religionem laxiorem transferri ?

℞ Non, ſicut neque religioſus. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 19. de regul.*

23 Si aliqua monialis velit petere ſe per metum feciſſe profeſſionem,vel non habuiſſe ætatem, intra quod tempus, & coram quo debet ſuam cauſam ſequi ?

℞ Si ſit ſubiecta regularibus,coram Epiſcopo, & ſuo ſuperiori, & intra quinquennium à die profeſſionis, & ſi ante cum habitu, vel ſine habitu diſceſſerit à religione,non auditur,imò ut Apoſtata punitur. *Conc. Trid. Seſſ.25 c.19.cit.*

24 Monaſterium poteſtne aliquid accipere de bonis novitiæ ante profeſſionem ?

℞ Nihil ſub pœna excommunicationis, tám dantibus,quàm recipientibus,exceptis victu,&veſtitu, imò abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur,quod ut rectè fiat,Epiſcopus per cenſuras ſi opus fuerit, monaſterium poteſt compellere. *Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 16. de regular.*

## CAPUT XXVI.

## De Confeſſore extraordinario Monialiū.

1 Quoties in anno poteſt dari confeſſor extraordinarius monialibus,& qualis debet eſſe ?

℞ Adminus bis in anno,vir probatæ vitæ. *Conc. Tr. ſeſſ. 25. c. 10 de Regul.*

2 Si aliqua monialis petierit aliquem confeſſorē alicujus ordinis,debetnè ei dari ?

℞ Si in tali confeſſore non ſit aliquod diſconveniens,& ſit vir probatæ vitæ,debet ei dari, ut illa monacha poſſit cum libertate confiteri ſua peccata. *Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 13. c. 9. q. 2. & Conc. Trid. ſeſſ. ſupra cit.*

3 Poteſtne Epiſcopus dare confeſſorem extraordinarium monialibus ſibi non ſubiectis ?

℞ Si regulares illum non dent, poterit, quem maluerit,ſive Clericum, ſive regularem. *Zerola. in prax.*

*in prax. Episcop. par.1.verb. moniales. Conc. Trid. supra citato. cap. 10.*

4 Cum datur confessor extraordinarius, tenentur nè omnes coram eo confiteri?

℞ Non, quia cum sit privilegium, illo utuntur pro suo arbitrio. *Conc. Trid. Sess. 25. cap. 10. cit. omnia de* confessore monialium debent servari secundum ea, quæ dixi super *Lib. 6. c. 4.* de regularibus ex constitut. Gregorij XV. edita anno 1623. Nonis Februarij ibi posita, quia in ista bulla datur maior facultas Episcopis quàm ante habebant.

## CAPUT XXVII.

### De Beneficijs Monialibus unitis.

1 Si Monasteria monialium habeant beneficium curatum unitum, quis debet constituere Vicarium perpetuum, vel amovibilem?

℞ Moniales debent præsentare, Episcopus approbare. *Stephanus Quaranta in sum. bullarum, verb. Vicarius perpetuus.*

2 Quæ portio debet assignari tali Vicario?

℞ Non debet excedere centum aureos, nec minus quadraginta. *Bulla Pij V. publicata die 15. Novembris* 1567. *qua incipit, ad exequendum, Gonzalez ad reg. 8. cancellariæ. Gloss. 5. § 3 n. 79.*

3 Si beneficium non sit unitum monasterio, sed moniales habeant Ius conferendi, quid agendum?

℞ In isto casu Episcopus debet prævio concursu eligere digniorem, & moniales debent illum, & non alterum nominare. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 18. de Ref.*

4 Si beneficium sit de jure patronatus monialium, quid agendum,

℞ Moniales eligant ex examinatis digniorem, & præsentent Episcopo, & ipse eum instituat. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 18. cit. de hoc dixi Lib. 9. c. 19. de jure patronatus.*

## CAPUT XXVIII.

### De Electione Abbatissæ.

1 Abbatissa poteste nè esse perpetua?

℞ Non, sed triennalis. *Bulla Greg. XIII. publicata die 4. Ianuarij* 1583. *qua incipit, exposcit debitum.*

2 Transacto triennio, in quo non potest habere officium Abbatissa, poteste nè iterum eligi?

℞ Benè poterit, & triennium debet computari à die, quo reliquit administrationem officij. *d. Bulla Gregor. XIII.*

3 Abbatissa poteste nè confirmari?

℞ De jure poterat, sed per bullam allegatam Greg. XIII. non potest sine licentia Summi Pont.

4 Si quis elector accipit omnes cedulas, & mittat in capsulam electorum, & postea inveniat unam scissam, vel signatam, vel inveniat plures, vel minores, quid agendum?

℞ Omnes debet rumpere, & inde urere, & facere de novo aliam electionem maiori circumspectione *Nav. Fr. Emanuel locis sup cit.*

5 Abbatissa, & Priorissa quam ætatem debent habere, & quas qualitates?

℞ Ætatis quadraginta annos, religionis octo annos post professionem emissam; si non reperiantur his qualitatibus, potest eligi ex alio monasterio ejusdem ordinis, & etiam si videbitur convenire ei, qui præest electioni, potest eligi ex eodem conventu monacha habens triginta annos ætatis. & quinq; annos religionis post emissam professionè; hoc enim reliquit. Conc. Trid. in arbitrio ejus, qui præest electioni. *Conc. Trid. Sess. 25. de regul. c. 7.*

6 Si in uno conventu Abbatissa eligatur ex alio conventu ejusdem ordinis electa, cum qua licentia potest exire è suo conventu?

℞ Non est necessaria licentia Papæ, sed sufficit Episcopi, & debet venire via rectâ cum honesto comitatu *Quaranta in sum. Bullarum, verb. Abbatissa.*

7 Qui præest electioni Abbatissæ, poteste nè ingredi claustra monasterij, etiam si sit Episcopus, vel alius superior?

℞ Non, sed ante cancellorum fenestras suscipiat vota *Conc. Trid. Sess. 25. c. 7. cit.*

8 In quibus casibus, qui præest electioni, potest ingredi septa monasterij, & suscipere vota intra cancellos?

℞ Quando judicaverit dictam electionem non posse fieri canonicè ipso non intrante propter inquietudinem monialium, ob periculum rixarum inter ipsas, aut si timeatur mors, vel vulnus alicujus monachæ, vel ob alias justas causas; ratio est, quia concilium, si in alijs necessitatibus dat facultatem, ut superior ingrediatur. multo magis piè potest interpretari; quod eam concedat ad rē tanto necessariam, Præcipuè, quia bona electio sæpè ex præsentia Prælati pendet. *Fr. Io. de la Cruz. de statu religiosorum lib. 1. c. 5. dub. 1. concl. 3. notab. 3. ubi expresse hoc tenet.*

9 Si monasterium sit subditum regularibus, vel exemptum, quis debet præesse electioni Abbatissæ?

℞ Episcopus, vel alius pro eo simul cum superioribus illius ordinis; & singulis annis debet accipere rationem bonorum monialium simul cum superioribus ex constit. nova Greg. XV. edita anno 1623. Nonis Februarij posita supra. *c. 4. de regular.*

10 Una monialis poteste nè præesse duobus monasterijs?

℞ Non, imò intra sex menses tenetur renuntiare unum, alias ipso jure omnia vacant *Conc. Trid. Sess. 25. c. 7. de regul.*

11 Abbatissa quomodo debet eligi?

℞ Per vota secreta, & non sunt supplendæ voces absentium. & qui contrarium permiserit, inhabilis existit ad officia obtinenda in perpetuum *Conc. Trid. Sess. 25. c. 6. de regul.*

12 In electione Abbatissæ poteste nè Episcopus, vel superior suscipere vota ore tenus?

℞ Poterit coram duobus testibus, vel suo Vicario, & secretario, & talis electio dicetur secreta, & erit bona *Fr. Emanuel quæst. regularium. tom. 2. q 51. art. 6. & 8. Zerola in prax. Episcop. par. 1. verb. Abbatissa. § 6.*

13 Coram quibus testibus debet fieri electio Abbatissæ?

℞ Qui præest electioni eligat duas, vel tres personas, si fieri potest in dignitate constitutas, & si non, duos clericos bonæ, & probatæ vitæ. *Fr. Emanuel. q. reg. to. 2. q. 51. art. 6. & 8.*

14 Si in aliquo conventu deputentur quatuor, qui omnium

omnium vota recipiant, eritne bona electio?

℞ Erit,& secreta. *c. quapropter, de elect.*

15 Poteſtne Epiſcopus ſubdelegare electionem Abbatiſſæ?

℞ Poteſt, ſi ſit impeditus. *Quaranta in ſum. bullarum, verb. Abbatiſſa.*

16 Quid debet fieri,finita electione?

℞ Debet eam notificare monialibus, & tradere ſigillum, claues, & conſtitutiones Abbatiſſæ de novo electæ, & eam confirmare, & inſtituere in officium,& omnes Monachæ debent præſtare illi obedientiam, & canere ( Te Deum laudamus ) *Fr. Emanuel loco allegat.*

17 Nova Abbatiſſa electa,poteſtne benedici?

℞ Poteſt, ſi intra primum annum ſui officij petat ab Epiſcopo benedictionem. *Quaranta, verbo Abbatiſſa.*

## CAPUT XXIX.
## De educandis.

1 Puellæ, quœ educantur, uſq; ad quem annum ſuæ ætatis debent retineri?

℞ Uſq; ad vigeſimum quintum annum,quo completo debent ſtatum novum accipere, vel è monaſterio exire.

2 De qua ætate debent recipi educandæ?

℞ Nec minores ſeptimo, nec maiores vigeſimoquinto. *Zerol. p. 1. verb. moniales. §. 11.*

3 Quæ conditiones requiruntur,ut aliqua educanda ſit in conventu monialium?

℞ Decem. *1mò*, ſine ancillis *2dò* ſi ſemel eggrediatur ſine licentia, non amplius poteſt reverti. *3tio*, tenetur ad clauſuram, & obedientiam ſuperiorum. *4ta*, recipitur cum licentia Epiſcopi in ſcriptis. *5ta*, de conſenſu Abbatiſſæ. *6ta*, ſi exierit ad ſe curandam, & iterum revertatur, debet intervenire nova licentia Epiſcopi, & novus conſenſus Abbatiſſæ, & monialium. *7ma*, quòd utatur veſtitu honeſto virginali modeſtiæ, & pudori conveniente. *8ua*,quòd non ſit ſuper numerum præfixum educandarum. *9na*, quòd quolibet ſemeſtri ei anticipata ſolvatur porrio pro alimentis *10ma*, quòd ſit locus ſeparatus à loco, ubi degunt aliæ moniales, profeſſæ, & novitiæ pro dormitione,& laborerio, *Fr. Emanuel tom. 1. q. 46. art. 10. Zerola in praxi Epiſcop. p. 1. verb. moniales.*

4 Puellæ,quæ in monaſterio educantur, debentnè uti veſtitu monialium,vel ſæcularium?

℞ Veſtitu ſæculari decenti,& honeſto,& conveniente virginali pudori. *Zerola in prax. Epiſcopi parte 1. verb. moniales.*

5 Poteſtnè Epiſcopus dare licentiam, ut puella Illuſtris,quæ educatur in monaſterio,habeat ſecum famulam ſæcularem?

℞ Non, ſed ſolus Papa, & obtenta licentia, talis famula amplius è monaſterio non debe exire,& ſi exeat, non poteſt reverti.

6 Puellis,quæ educantur,poteſtnè dari licentia, ut exeant ad ſe curandum in domo patris ſui, vel alterius conſangvinei?

℞ Poteſt conſulto,& in ſcriptis. *Stephan. Quaranta in ſumm. bullar verb. monaſterta*

7 Si tales puellæ velint reverti in monaſterium, recuperata ſanitate, debentnè recipi?

℞ Debent cum licentia Epiſcopi, & novo conſenſu Abbatiſſæ, & monialium. *Emanuel Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 46 art. 10.*

8 Si puella,quæ educatur, ſine licentia exeat extra monaſterium,quam pœnam incurrit?

℞ Nullam,ſed non debet iterum in monaſterio recipi. *Zerola in prax. Epiſc. verb. moniales. Stephan Quaranta § de puellis. verb. monaſteria.*

9 Si puella,quæ educatur, exeat è monaſterio ſine aliqua cauſa,debetnè iterum recipi?

℞ Ad educationem non,ſed ad ſuſcipiendum habitum religionis poteſt recipi de licentia Epiſcopi,& conſenſuAbbatiſſæ,&monialium ſoluta dote *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5. de Reg.*

10 Tales puellæ quid debent obſervare?

℞ Debent ſervare clauſuram, ſicut moniales, & eſſe ſubiectæAbbatiſſæ ſicut aliæ moniales.

11 Puellæ, quæ in monaſterio educantur, quando debent reſtitui patri, vel perſonæ, quæ eam ibi miſit

℞ quandocunq; pater eam petierit. *Zerola loco allegat.*

12 Mulieres nobiles poſſuntne recipi in abſentia ſuorum coniugum in monaſterijs educationis cauſa?

℞ Poſſunt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ, & monialium, niſi in conſtitutione monaſterij contrarium ſit cautum. *Zerola in prax. Epiſc part. 1. verb. moniales. § 10. Steph. Quaranta verb. monaſteria. §. de puellis cauſa educationis.*

13 Mulier conjugata, ex qua cauſa poteſt recipi in monaſterio?

℞ Solùm ex cauſa periculi mortis, & ceſſante periculo, debet exire. *Zerola verb. Moniales.*

14 Mulier conjugata, ſi venit in ſuſpicionem adulterij,poteſtne recipi in monaſterio?

℞ Poteſt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ,ſi conſtitutiones monaſterij non repugnent; ſed advertendum eſt quod ſi laboravit probabili ſuſpicione adulterij non debet recipi. *Zerola verb. moniales in prax. Epiſcop. par. 1.*

15 Mulieres in diſcordia cum maritis, ſi timeant ſævitiam mariti propter honeſtas cauſas,debetnè recipi in monaſterio?

℞ Poterunt de licentia Epiſcopi,& con ſenſu Abbatiſſæ,& monialium recipi,& ceſſante cauſa debent exire *Zerola loco allegato.*

16 Viduæ bonæ famæ,&magnæ nobilitatis poſſuntne recipi in monaſterio educationis cauſa?

℞ Non, neq; Epiſcopus poteſt dare licentiam,ſed ſolùm Summus Pont. & ſi eam dederit, tales viduæ debent ſervare clauſuram ſicut cæteræ moniales, *Zerola verb. moniales. §. 12. & Fr. jo. de la Cruz. par. alleg. Azor. p. 1. lib. 13. c. 8.*

17 Viduæ poſſuntne recipi in monaſterio ad ſuſcipiendum habitum religionis?

℞ Poſſunt, ſicut virgines, nam de illis Paulus dixit, quòd mortuo viro mulier liberata eſt à jugo, & poteſt liberè, vel nubere, vel ingredi religionem.

18 Neophitæ, & cathechumenæ poſſuntnè recipi in monaſterio educationis cauſa?

℞ Poſſunt cum licentia Epiſcopi, & conſenſu Abba-

Abbatiffæ, & monialium. *Azor. p. 1, Lib. 13. c. 8.*

19 Puellæ, quæ ex hofpitalibus, vel alijs pijs locis funt deductæ, & vocantur expofitæ, debentnè admitti in monafterijs monialium?

℞ Poffunt ad ferviendum monafterio in communi. *Azor. inftit. moral. l. p. 1. Lib. 13. c. 8.*

20 Si fit confvetudo, ut iftæ puellæ, quorum Patres non cognofcuntur, qui eijciuntur ad portas Ecclefiæ, exeant proceffionaliter per vias civitatis, debentnè iterum recipi in monafterio?

℞ Debent fi revertantur comitatæ à pijs matronis cum proceffione, ficut exierunt. *Azor. loco alleg.*

21 Si in monafterijs monialium fit immemorabilis confvetudo, ut ancillæ fæculares in habitu fæculari ad negotia monafterij exeant, & revertantur, debentnè obfervari?

℞ Non, imò talis confvetudo immemorabilis nõ refragatur ex declaratione Illuftriff. *Cardinalium Seff. 25. c. 5.*

22 Mulieres religiofæ in communi viventes, fi nõ faciunt profeffionem, cui fubfunt?

℞ Epifcopo, etiam fi non faciant profeffionem. *Ant. Butr. c. 2. de foro compet.*

## CAPUT XXX.
### De Seminario.

1 Quis poteft inftituere in Ecclefijs feminarium?

℞ Epifcopus poteft eligere in fua diœcefi unum, vel plura, ut fibi videbitur convenire. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18. de Ref.*

2 Si ex paupertate in aliqua diœcefi Seminarium erigi non poteft; quid agendum?

℞ Ad minus eligantur Magiftri grammaticæ, & muficœ, qui gratuitu doceant, & alantur ex fructibus beneficiorum. *Conc. ubi fup.*

3 Locus, ubi ædificandum eft Seminarium, in qua parte debet effe, & à quo debet eligi, & à quibus approbari?

℞ Debet effe in commodiori loco civitatis, & debet eligi ab Epifcopo, & approbari à Prætore, Juratis, & Rectoribus Clericis, & univerfa civitate quorum intereft, in hoc omnes funt audiendi, quòd meliùs fuerit eligendum ab Epifcopo. *Conc. loco alleg.*

4 Quis poteft facere, & mutare conftitutiones Seminarij?

℞ Epifcopus cum duobus de capitulo fenioribus à fe eligendis poterunt mutare, & reformare conftitutiones, & alias novas ponere fecundum temporis conditionem, prout neceffitas dictaverit. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18. cit.*

5 Ifti duo de capitulo, & de clero ad gubernationẽ Seminarij, à quo debent eligi?

℞ Unus de capitulo ab ipfo capitulo, & alius de clero ab ipfo clero. *Conc. Trid. Seff. 25. c. 18. cit.*

6 Canonici, & Clerici femel electi ad gubernationẽ feminarij poffuntne mutari?

℞ Non quia funt perpetui. *Zerola in praxi Epifcop. p. 1. verb. feminarium.*

7 Ifti fic electi quid debent agere?

℞ Regere Seminarium, adjuvare Epifcopum, fumere rationes, & computa, & reddere rationes Epifcopo, de omnibus rebus. *Zerola, ut fup.*

8 In quibus cafibus tenetur Epifcopus deputatorum confilio uti?

℞ In unione beneficiorum, vel in affignatione fructuum pro fuftentatione feminarij, alias unio erit nulla *Conc. Trid. Seff. 22. c. 18. cit.*

9 Quid poteft facere folus Epifcopus fine deputatorum confilio?

℞ Exactionem reddituum; quæ folo Epifcopo competit. *Zerola, ut fup.*

10 In electione, & expulfione, & vifitatione fabricæ, & conftitutionibus faciendis, quomodo debet Epifcopus procedere?

℞ Adhibito confilio deputatorum poteft conftituere, quod fibi magis videbitur expedire. *Zerol. loco. alleg.*

11 Quis debet vifitare perfonas feminariorum, & eorum domos?

℞ Epifcopus frequenter & difcolos punire, & expellere, fi opus fuerit. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18. cit.*

12 Quis debet accipere rationem reddituum & facere calculos in feminario?

℞ Epifcopus fingulis annis, præfentibus quatuor deputatis. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18. cit.*

13 Quis debet finire lites & determinare, fi oriantur, fuper unionibus factis feminario, & proprietates meliores locare, & miniftrare, ponere Rectorem, & fervos?

℞ Epifcopus cum dictis deputatis, & poteft diminuere, moderare, & augere dictas affignationes, & uniones, & omnia neceffaria ad confervationem dicti feminarij ftatuere. *Zerola in praxi Epifcop. p. 1. verb. feminarium.*

14 Quis debet affignare fructus, & proventus, ut alantur pueri, & eorum Magiftri, & ad faciendũ ædificium?

℞ Epifcopus cum confilio deputatorum ex menfa Epifcopali, & capitulari, & ex fructibus beneficiorum, vel unire beneficia fimplicia, & præftimoniales portiones invitis etiam poffefforibus, & in quocunque menfe vacantia etiam fervata. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18.* fed hæ uniones debent fieri abfq; præiudicio poffidentium.

15 Ex quibus beneficijs debet unio fieri?

℞ Primùm ex beneficijs fimplicibus, vel præftimonialibus portionibus, quæ non habent onus, nec curam animarum, & fi non fint talia beneficia in illa diœcefi, vel non fint fufficientia ad fuftentationem feminarij, debent fieri contributiones ex menfa Epifcopali, & capitulari, & ex fructibus beneficiorum, rata pro quantitate. *Conc. Trid. Seff. 23. c. 18 ut fup.*

16 Quando debent fieri uniones, & cum quibus conditionibus?

℞ Abfq; præjudicio poffidentium, ita ut poffidẽtes velint renuntiare dicta beneficia, vel permutare, liberè poffint illud facere fine impedimento unionis, quia unio facta in feminario non fortitur fuum effectum, nifi quando vacat per mortem, vel ingreffum religionis, vel per delictum. *Zerola ubi fup.*

17 Quæ perfonæ ad contributionem, & fuftentationem feminarij tenentur?

℞ Cardinales, Epifcopi, Clerici, monafteria exempta, hofpi-

pta, hoſpitalia, collegia, penſionarij; & deniq; quilibet, qui poſſident beneficia etiam ſi ſint perpetuò unita. *Zerol. loc. alleg.*

18 Quam partem debent contribuere, vel in qua ſpecie, in fructibus, vel in pecunia?

℞ Non debent excedere dimidiam decimam, fructibus, & expenſis deductis, ne greventur, & contributio debet eſſe in pecunia, vel fructibus *Zer. loc. all.*

19 Quæ beneficia non poſſunt Seminario uniri?

℞ Curata, Canicatus, ſimplicia Juriſpatronatus, vel unita alicui operi pio, nec quæ data ſunt in commendam, nec beneficia, quæ neceſſario requirunt perſonalem reſidentiam. *Zerola in praxi Epiſcopali, loco alleg.*

20 Canonici tenenturne contribuere de groſſa, an de diſtributionibus quotidianis, & manualibus?

℞ De groſſa. *Zerol. loc alleg.*

21 Si tota præbenda conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, Canonici tenenturnè contribuere?

℞ Non, nec de incertis proventibus, neque de eleemoſynis, neque de bonis ſæcularibus, ſed ſolùm de groſſa *Zerol. ubi ſupra.*

22 Si beneficium habeat penſionem, quis tenebitur contribuere?

℞ Deducta penſione, & expenſa, de reliquo vero tenetur contribuere. *Zerol. loco allegat.*

23 Fabricæ Eccleſiarum tenenturne contribuere?

℞ Tenentur de fructibus certis. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 18. alleg.*

24 Si ſit aliquod beneficium unitum alicui Collegio, vel Seminario teneturne contribuere?

℞ Si actu doceant ſtudentes ad commune Eccleſiæ bonum promovendum, tunc non tenentur contribuere de ijs quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem Seminarij; de ſuperfluis vero tenentur contribuere rata pro quantitate. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 18. cit.*

25 Super hoſpitali Laicali poteſtne poni taxa pro Seminario?

℞ Si non habeat bona Eccleſiaſtica, niſi tantùm bona ſæcularia, non. *Zerola loco alleg.*

26 Si in Seminario actu non exiſtant ſcholares, nec Magiſtri, poteſtne Epiſcopus facere unionem beneficiorum?

℞ Non, quia unio requirit Seminarium erectum.

27 Si Epiſcopus uniat Seminario aliquod beneficium ante vacationem, & poſtea vacet in menſe reſervato ſortiturne talis unio ſuum effectum?

℞ Si Epiſcopus ſervavit formam Concilij, unio ſortitur ſuum effectum. *Zerol. loco all. g.*

28 Si aliqua perſona affecta Sedi Apoſtolicæ habeat beneficium affectum, poteritne Epiſcopus ante vacationem unire tale beneficium Seminario?

℞ Non, ut fraudes tollantur *Zerol. loc. alleg.*

29 Si bona alicujus Eccleſiæ ſint in una diœceſi, & Eccleſia in alia, cui ſeminario eſt facienda contributio

℞ Seminario, in cujus diœceſi Eccleſia ſita eſt. *Zerol loc. alleg.*

30 Si Collegium, hoſpitale, ſeu capella ſint in una diæceſi, & hebeant aliquod beneficium unitum in alia diœceſi, cui Seminario eſt facienda?

℞ Seminario, ubi ſitum eſt beneficium.

31 Beneficia reſervata Sedi Apoſtolicæ vacantia per obitum poteritne Epiſcopus unire Seminario?

℞ Poterit, niſi ipſe prius beneficium aliquod in menſe ſuo vacans contulerit alicui perſonæ, & non Seminario; tunc enim debet relinquere liberam proviſionem Sum. Pontif. ſicut ipſe habuit ſuam; quia non eſt licitum, ut de pane alieno det eleemoſynam, & reſervet.

32 In Seminario quis numerus puerorum debet eſſe?

℞ Solum qui commodè ali poſſint, ſecundum introitum Seminarij, ſecundnm judicium Epiſcopi & deputatorum, qui poſſunt minuere, & augere numerum pro temporum varietate. *Zerol. in praxi Epiſc. verb. Seminarium.*

33 Quas qualitates, & ætatem debent habere, qui debent recipi in Seminario?

℞ Debent attingere ad minus duodecim annos, & eſſe ex legitimo matrimonio nati, & ſcire legere, & ſcribere competenter, & debent eſſe naturales illius diæceſis, & habere bonam indolem, ita ut de eis ſperetur poſtea Eccleſiæ debere eſſe utiles, & pauperes præferuntur divitibus *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 18. cit.*

34 Duodecim anni ætatis ad recipiendum aliquem in Seminario debentne neceſſario eſſe completi?

℞ Sufficit attigiſſe, ſi judicium ſuppleat ætatem; quia eſt res favorabilis, & ponitur pro forma. *Zerol. loc. alleg.*

35 Si quis recipiatur in Seminarium, & poſtquam educatus eſt, & didicit literas, Grammaticam, Rethoricam, & artes liberales non habeat voluntatē recipiendi ordines ſacros, ſed nubendi, debetne cogi ab Epiſcopo, vel Rectore, & Deputatis Seminarij, ut neceſſario recipiat ordines ſacros?

℞ Non, ſed Epiſcopus, Rector Seminarij, & Deputati ſolum tenentur eum monere, ut recipiat dictos ordines ſacros, quia educatus fuit de bonis Eccleſiæ ea intentione, ut perpetuò ei inſerviat; ratio eſt, quia ordo ſacer cum ſit Sacramentum Eccleſiæ, requirit liberam voluntatem in ſuſcipiente, & cogi non debet, & Epiſcopus, & Deputati ſatisfaciunt muneri ſuo, ſi tempore receptionis talis pueri habuerunt ſpem, eum Eccleſiaſticis miniſterijs perpetuò inſerviturum, quia erat bonæ indolis. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 18. §. in hoc vero Collegio.*

36 Si quis, qui educatus fuit in Seminario ſumat uxorem, ex hoc facto Epiſcopus vel Rector Seminarij poteſtne petere ab eo, ut ſolvat alimenta, quæ in Seminario conſumpſit?

℞ Si talis fuit in ſeminario toto tempore, intentione inſerviendi Eccleſiæ, & poſtea tempore ordinationis ex aliquo accidente mutat voluntatem & mavult nubere, quia judicat ſtatum matrimonij ſibi eſſe magis conſentaneum ad ſalutē animæ ſuæ; ab iſto nihil poteſt peti, quia cauſa accidentalis, quæ poſt factum provenit, non vitiat præterita facta; ſi verò quis aſſiſtat in Seminario ea intentione, ut non ſit Clericus, ſed ſæcularis, tunc talis tenetur reſtituere alimenta, quæ ipſe conſumpſit in Seminario, quia ſunt contra voluntatem dantis, & præter intentionem Sancti Concilij Tridentini.

37 Cum eo, qui ingreditur Seminarium, vel cum suis parentibus, potestne Episcopus, vel Rector Seminarij facere pactiones, vel contractus, quòd necessariò teneatur se ordinare, vel servire in diœcesi duos annos, vel solvere alimenta, quæ cum eo consumuntur in dicto Seminario?

℞ Si talis non habeat ætatem, obligatio nulla erit; si verò fiat cum patre, vel parente, qui potest pacisci, poterit peti pœna temporalis, sed non poterit cogi ut talis ordinetur; ratio est, quia conditio, ut talis ordinetur, est conditio justa, & sic pæna potest exigi, & quia in ordine requiritur voluntas, non debet talis cogi ad suscipiendos ordines.

38 Si quis sit pauper, & pater ejus fecit dictam obligationem, scilicet quòd ejus filius ordinaretur suo tempore, vel ipse solveret expensas seminario, & Episcopus, vel Rector seminarij certò scit, quod talis ordinatur invitus, ne pœnam pecuniariam soluat, in isto casu quid debet Episcopus facere?

℞ In isto casu, facto examine, quòd talis ordinatur contra suam voluntatem, non debet petere pœnam pecuniariam, quia maximum damnum est, quod aliquis recipiat ordinem contra suam voluntatem. & minimum inconveniens, ut seminarium non recipiat illam pecuniam, præcipuè cum talis educatus in seminario in literis possit prodesse populo, & Ecclesiæ Dei, & Ecclesia omnes amplectitur?

39 Filij divitum excluduntur nè à seminario?

℞ Non, si suis sumptibus alantur, & trimestri anticipata solutione. *Zerola in prax. Episc. verb. seminarium. Conc. Trid. Sess. 23. c. 18. cit.*

40 Filij divitum, quem habitum debent portare, & quomodo sunt educandi?

℞ Habitum, quem maluerint sæcularem, vel Ecclesiasticum distinctum ab alumnis, & ab ijsdem magistris debent edoceri, & eadem cura gubernari in eodem triclinio manducare, in seminario pernoctare, regulam aliorum observare, sub eadē disciplina educari, sicut hodie fit in seminario Romano fundato à Greg. XIII.

41 Pueri, qui aluntur ex reditibus seminarij, quē habitum debent portare?

℞ Statim cum recepti fuerint accipiant primam tonsuram, & portent habitum Clericalem alicujus coloris in modum collegij ita, ut dignoscantur. *Zerola loco alleg.*

42 Quas scientias debent ediscere, qui sunt in Seminario?

℞ Grammaticam, Rethoricam, Philosophiam, Theologiam, SacrosCanones, cantum planum, & figuratum, computa, homilias sanctorum, casus conscientiæ, cæteras onias Ecclesiæ, quia isti, qui ex fructibus Ecclesiæ aluntur, ad servitium Ecclesiæ dedicantur; de his omnibus possunt in seminario erudiri, ad arbitrium tamen Episcopi, prout commoditas magistrorum sese obtulerit. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 18. citat. & Zerola loco alleg.*

43 Qui educantur in seminario, in quibus ministerijs debent servire Ecclesiæ?

℞ In omnibus, in quibus possunt Ecclesiam adjuvare, secundum uniuscujusq; sufficientiam, itaut, qui scit canere, cantet cum cantoribus, qui est de Epistola, cantet Epistolam, qui est in minoribus ordinibus portet candelabra, ceroferarium, ita ut omnia ministeria Ordinum majorum, & minorum ab eis observentur, & debent saltem dominicis diebus, & festivis assistere in choro ad Missam, & Vesperas præsente, & absente Episcopo; ratio est, quia ad hoc aluntur, & instituti sunt, ut serviāt Ecclesiæ, & ex isto habitu, & consvetudine sunt perfecti Sacerdotes, ut regant Ecclesias illius diœcesis, & dent exemplum virtutis, & literarum alteris, & adjuvent Episcopum. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 18. Zerola loco allegat.*

44 Qui sunt in seminario, quam regulam debent servare?

℞ Debent audire Missam singulis diebus, servire Ecclesijs Cathedralibus diebus dominicis, & festivis, singulis mensibus confiteri, & communicare, reliquum tempus debent consumare in studijs, ut proficiant. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 18 cit.*

45 Ex fructibus seminarij qui debent ali ultra pueros?

℞ Rector, Minister, Magistri, servi necessarij, secundum Episcopi dispositionem.

46 In his recipiendis, vel expellendis indigetne Episcopus consilio Deputatorum?

℞ Non, quia in ijs supremam habet auctoritatem.

47 Qui magistri debent quæri pro seminario?

℞ Grammatici, Musici, Philosophi, & aliarum scientiarum, & si inveniuntur ex societate IESU, omnibus alijs sunt anteponendi propter maximā charitatem, quam dicta religio habet in educādis pueris, & scientiam. *Zerola loco allegato.*

48 Potestnè Episcopus facere, ut dignitas, quæ vocatur Scholasticus, legat in seminario?

℞ Potest non solum eum cogere, sed etiam alias dignitates & Canonicos, qui habent officium legendi. ut doceant in seminario, & tales nihil debent recipere ex fructibus seminarij *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 18. citat.*

49 Si aliquis in prima tonsura sit in seminario, vel alatur solvendo mercedem, vel serviat, gaudebitnè privilegio fori?

℞ Gaudebit, quia æquiparatur quasi deserviret Ecclesiæ de Episcopi licentia. *Zerola loco allega.*

50 Convictores, qui aluntur suis sumptibus, gaudentnè privilegio fori?

℞ Si habeant primam tonsuram, gaudent sine dubio privilegio fori, quia ibi serviunt Ecclesiæ, & se instituunt in literis. & virtutibus cum cōsensu Episcopi. *Zerol. loco alleg.*

51 Quando fit concursus beneficiorum. & est aliquis, qui educatus fuit in Seminario, quid tenetur Episcopus facere?

℞ In æqualitate Episcopus debet eligere alumnum seminarij. 1mo, quia ad hoc officium fuit educatus. 2do, quia est majoris notitiæ vitæ, & virtutis illius qui ante oculos Episcopi per totos annos perseveravit in illa domo religionis, quam alterius, qui alibi fuit educatus. 3tio, ut reliqui, qui in seminario sunt, moti præmio sui socij, cum majori fervore perseverent in literis, & virtutibus. 4to, quia tunc Episcopus colligit fructum, vel pomum ex suo proprio horto.

CAPUT

# CAPUT XXXI.

## De Reliquijs, veneratione, & Canonizatione Sanctorum.

1 Quid est canonizatio?

℞ Est publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, & gloria alicujus defuncti, ut in cathalogo Sanctorum adscribatur; & à Fidelibus veneretur, & annuatim officium ejus fiat secundū gradum suum, & qualitatem de Virgine, Martyre, vel Confessore. *Bellarmin. Lib. 1. tit. 2. de Beatitudine, & Canonizatione Sanctorum c. 7.*

2 Per canonizationem qui honores dantur, & decernuntur Sancto de novo canonizato?

℞ Septem. *1mo*, inscribitur in numero, & cathalogo Sanctorum, ut dicatur ab omnibus sanctus. *2do*, invocatur in publicis Ecclesiæ precibus. *3tio*, dicantur Deo templa, & aræ in honorem illius Sancti. *4to*, recitatur officium de tali Sancto, & offertur Missa in ejus honorem *5to*, dies festivitatis in ejus memoriam celebratur, vacando ab operibus servilibus. *6to*, pinguntur imagines aliquo lumine addito in signum gloriæ, qua fruitur in cælis. *7mo*, eorum reliquias pretioso auro, & argento recludere, & publicè honorare licitum est. *Bellar. Lib. 1. t. 2. de Beatitud. c. 7. 8.*

3 Quis dicitur canonizatus pro Sancto?

℞ Solùm ille, qui est à Papa solemniter declaratus pro tali *Ioan Andreas, & Abbas c. 1. de reliquijs, & venerat. Sanctorum.*

4 Licetne porrigere preces viro non canonizato?

℞ Si credimus eum esse cum Christo, & fuisse virum bonum in particulari, licet porrigere preces, quia Deus respicit fidem orantis; sed non licet Missas dicere, preces solemnes facere, eum cum corona pingere, cùm hoc iubere, & declarare sit solùm Romani Pontificis. *Innoc. in canone, audivimus de reliq & vener. Sanctor. Sylvest. in sum. eod. tit. n. 1.*

5 Potestne aliquis Beatus dici in hac vita?

℞ Non; ratio est, quia potest in hac vita peccare, mereri, & demereri, & beatitudo est revelatione magni Dei. *c. ieiunium, de consecrat. dist. 5. S. Thom. 1. p. quæst. 22. art. 1 & 2.*

6 Qualis dies debet celebrari in Sanctis, dies nativitatis, mortis, vel canonizationis?

℞ Dies mortis, quia in illo finiunt navigationem, sunt in portu, & nascuntur in gloria. *glos. fin. l. cum quidam, ff de annuis legatis, canone non licet. 33 q. 4. gl. fin. in ver. natalis. instit. de ingenuis, & manumissis. Abb. canone licet, not. 2. de ferijs.*

7 Reliquiæ Sanctorum debentne vendi?

℞ Non, quia sunt res sacræ, & est magna simonia imò homines vagantes, in specie eremitica, & vendunt reliquias, coronas benedictas, vel agnus Dei, vel eas dant in pretium hospitij; ab Ordinarijs graviter puniendi sunt. *Hostiens. in sum. de reliquijs, & vener. Sanctor. n. 1.*

8 Corpora Sanctorum suntne transferenda de loco ad locum?

℞ Non, sine licentia Papæ, & tunc ut ibi decentiùs colantur, vel magis venerentur. *Hostiens. in sum. de reliquijs, & uener. Sanctor. n 2.*

9 Ecclesia Catholica quam potestatem habet in Canonizatione Sanctorum?

℞ Supremam; quia quem ipsa approbat, approbadus est, & quam reprobat, reprobandus est. *c. hæc. est fides. c. quoniam vetus. 24. q. 1.*

10 Quis potest canonizare Sanctos?

℞ Solus Sum. Pontif. licèt dicat Thom. Ubaldensis, quòd antiquitùs Episcopi canonizabant Sanctos, & Cyprianus lib. 6. Epistol. 6. affirmat idem, sed hodie solus Sum. Pont. potest canonizare, ut *c. 1. & 2. de reliquijs, & vener. Sanctor. Abb. & Innoc. c. 1. de reliquijs, &c.*

11 Potestne Sum. Pontif. errare in canonizatione Sanctorum?

℞ Licèt pendeat à principijs fallibilibus, nempe ab informationibus factis, errare non potest, neque id Deus permitteret, & contrarium asserere esset erroneum, temerarium, & dignum magna punitione. *Bellar. t. 2. Lib. 1. de Beatit. c. 9. D. Th. libro nono, quem citat Sylu. verb. canonizatio, q 3.*

12 Quare pertinet ad Sum. Pontif. canonizare Sanctos, & non ad alium?

℞ Quia canonizatio est unâ de majoribus causis, quæ inter Christianos proponi potest. *Gl. verb. sedis Apostolicæ de reliq. & vener. Sanctor Lib. 6.*

13 Papa potestne canonizare Sanctos sine consensu Cardinalium?

℞ Licèt Papa res arduas faciat de consensu Cardinalium, & tanquam in re ardua, & gravissimā semper requirat consilium Cardinalium, tamen cum Papa sit supra Concilium, & habeat supremā potestatem, si voluerit, poterit sine consensu Cardinalium canonizare Sanctum de rigore juris. *Bald in suo peculio. Ioan. And. & Dominicus c. super eo, de hæreticis.*

14 Papa potestne canonizare plures Sanctos simul una die, & una Missa?

℞ Potest, sed debet proferre singulorum sententias, declarando quemlibet illorum esse Sanctum ordine, quo ipse eos canonizare decrevit, ita quòd prolata sententia primi Sancti proferatur sententia in secundo Sancto, & in tertio, sicut fecit Greg. XV. Pontif. Max. Romæ in Ecclesia S. Petri, anno 1622. quando magnifico apparatu, summa pompa, magna totius Ecclesiæ lætitia, & devotione canonizavit primo loco S. Isidorum Hispanum agricolam natum in oppido de Madrid, ubi est ejus corpus in Ecclesia S. Andreæ: in secundo loco canonizavit S. Ignatium de Loyola Hispanum ex familia nobilissima natum in oppido de Loyola, fundatorem religionis Societatis Iesu cujus corpus est Romæ in Domo professa ejusdem Ordinis. Tertio loco canonizavit S. Franciscum Xavier Hispanum ex nobilissima familia, socium S. Ignatij, & Apostolum Indiarum, ubi ejus corpus colitur magna devotione. Quarto loco canonizavit S. Philippum Nerium Florentinum fundatorem Patrum Clericorum, quos vocant Dell' Oratorio. Quinto loco canonizavit S. Theresiam natione Hispanam natam in civitate Abulensi, fundatricem Fratrum, & Sororum Carmelitarum Discalceatarum, cujus corpus veneratur in oppido de Alva de Tormes, in diæcesi Salmaticensi in monasterio, quod ipsa vivens ædificavit; ratio est, quia qui habet potestatem canonizandi unum solum; habet potestatem canonizandi

plures ſimul, cum ſingularitas, vel pluralitas non ſint de eſſentia canonizationis, ſicut plures Martyres una die, & una hora paſſi ſunt.

15 Quis fuit canonizatus primus ſolemniter?

℞ Aliqui dicunt Apollionem Eremitam, natione Græcum, martyrizatum pro Chriſti fide à Judæis, quia prædicabat in ſpeluncis paſtoribus, Chriſtū eſſe verum Meſſiam, & Nicolaus I. eum canonizavit, ut in tract: *DD. tom. 14. de canoniz. Sanct. fol.* 103. *n.* 46. Alij dicunt quòd Leo III. ad inſtantiam Caroli Magni canonizavit S. Suibertum, *ut refert S. Ludugerus in Epiſtola de miraculis. S. Suiberti, Surius tom 2. c. 9.* ſed credo, quòd tunc non fuerunt ſervaræ omnes ſolemnitates, quæ hodie ſervantur, cum Eccleſia quotidie augeatur novis ritibus, & cæremonijs ad Dei laudem, Chriſtianorū ædificationem, & hæreticorum confuſionem.

16 Poteſtne canonizari puer, qui occidatur in odium fidei?

℞ Affirmativè, eſt enim vere martyr, ut Innocētes.

17 Quid requiritur ad canonizandum aliquem ſanctum?

℞ Bona vita cum miraculis. *Abb. in c. 1. n. 4. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, c. vide 1. q. 1. c. noli.* 23, *q. 1.* & non ſufficiunt ſolùm miracula, vel ſola bona vita, ſed ſimul. *Abb. ubi ſupr.*

18 Sufficiuntnè ad canonizationem Sanctorum ſolùm miracula, vel ſolùm bona vita?

℞ Non ſufficit ſola bona vita, ſed utrumque ſimul, & coniunctim, videlicet, bona vita cum miraculis *tenet. Abb. in c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum.*

19 Quare non ſufficiunt ad canonizationem ſanctorum ſolùm bona vita, vel ſolùm miracula disiunctivè, ſed conjunctim?

℞ Quia bona vita aliquando habetur ab hipocrita, & eo non fiunt miracula, & aliquando miracula fiunt à magis, incantatoribus, à Diabolo, & à maleficis, & iſti non habent bonam vitam, ſed quando utrunq; concurrit, ſcilicet bona vita cum miraculis, eſt evidens, & certiſſima probatio ſanctitatis illius defuncti. *Abb. in c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorm. n. 4. c. nec mirum. 26. q. 5.*

20 Quæ teſtimonia requiruntur ad canonizationem Sanctorum, & de quibus rebus debet inquiri?

℞ Si canonizandus fuerit confeſſor, vel virgo, debet diligenter requiri de oratione, vita, moribus caſtitate, ſimplicitate, humilitate, de perſecutionibus patiēter paſſis, de miraculis in vita, in morte, & poſt mortem, de ejus morte, ſi in ea contigit aliquod ſignum mirabile, de fama, de devotione fidelium. *c. miramur. diſt. 61. c. ex ſtudijs, de præſumptionibus c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Abb. & Ioannes Andreas ibi.*

21 Si Sanctus Canonizandus ſit martyr, quid inquiritur?

℞ Solùm an occiſus fuerit in odium fidei, & an ipſe voluntariè pro fide talem mortem paſſus ſit de alacritate, integritate, de animo conſtanti, de fortitudine, quæ pro fide paſſus eſt, & de alijs circumſtantijs illius martyrij. *c. catechumenum, de conſecratione. diſt. 4. c. baptiſmi vicem diſt. 4.*

22 Quare in martyre non requiritur de vita, & moribus, ſicut in confeſſore?

℞ Quia excellentia martyrij tàm magna eſt, ut ſi quis fuerit in tota vita ſua latro, & omnia crimina commiſerit, ſi paſſus eſt pro fide Dei martyrium, omnia illi condonantur, & ſi non eſt baptizatus, baptizatur in ſuo ſanguine, & datur ei palma martyris.

23 Quid eſt martyrium?

℞ Mors, quam aliquis pro fide Chriſti, & lege Evangelica voluntarie patitur in odium talis fidei ab aliquo tyranno, vel datur mors, ut ipſe neget fidem, & profiteatur alteram religionem, vel quia tenet fidem Catholicam.

24 Martyrium cujus virtutis eſt actus?

℞ Fortitudinis, & maximæ perfectionis, quia homo dat pro Deo vitam, quæ eſt primum, & ſupremum bonum hominis. *S. Th. 2. 2. q. 12. art. 2. & 3.*

25 Ad veram rationem martyrij, eſt nè neceſſarium, quòd mors ſit patrata ſtatim ferro, vel igne, vel ſufficit, quòd in multo tempore moriatur occaſione data tali morti?

℞ Sive mors ſequatur ſtatim, ſine in tempore longo, vel parvo, ex carcere, vel exilio, vel alia occaſione data à tyranno, ſemper erit iſte martyr, quia in martyrio non attenditur tempus, neque violentia ferri, vel ignis, ſed ſolum, quòd quis moriatur pro fide, & quod in odium fidei interficiatur, ſive ſit ferro, ſive exilio, ſive carcere, ſive fame, ſive inedia, dummodo talis pæna directa ſit ad mortem illius in odium fidei, & cauſetur ex tali pœna. *S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 4.*

26 Sufficitne ad veram rationem martyrij, ut qui ſolùm moriatur pro fide, vel neceſſario requiritur, ut tyrannus illum occidat in odium fidei, & non ex alia cauſa, vel delicto, & quòd martyr voluntariè pro fide martyrium patiatur?

℞ Non ſufficit unum ſine altero; neceſſariò enim requiritur, quòd tyrannus in odium fidei, & non ex alia cauſa, vel delicto eum occidat, & quod martyr voluntarie pro fide patiatur mortem, quia unum ſine alio non conſtituit veram rationem martyrij.

27 Si quis habeat voluntatem moriendi pro fide Chriſti, & animo ferendi martyrium ſe confert ad infideles, & apud ipſos moriatur ex aliqua infirmitate, iſte eritnè verè martyr?

℞ Erit martyr quoad affectum, ſed non re, & opere, ſeu realiter.

28 Si aliquis Maurus occidat Chriſtianum; quia commiſit aliquod delictum, vel exiſtimavit ab eo fieri proditionem, & ſimul, quia erat Chriſtianus, talis eritnè martyr?

℞ Si delictum, vel ſuſpicio fuit cauſa principalis occidendi taliter, quòd ſi non eſſet Chriſtianus, vel Turca etiam occideretur, talis non erit martyr, quia in hoc caſu deficit ratio martyrij.

29 Infantes non habentes uſum rationis, neque propriam voluntatem, & effundunt ſangvinem pro Chriſto, ſuntne vere Martyres?

℞ Affirmativè, quia fides parentum ſupplet propriam voluntatem, ſicut in baptiſmo parvulorum. *Caiet. in S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1.*

30 Si quis pro veritate, vel pro alia virtute occidatur, eritne martyr?

℞ Affirmative, ſicut Ioannes Baptiſta pro veritate, quam di-

quam dixit,fuit occisus,ideò fuit verè martyr, licèt non fuerit occisus in odium fidei Catholicæ, sufficit, si moriatur propter virtutum opera secũdum quòd referuntur in Deum; nam ut sic,sunt quœdam protestationes fidei,ut habet. *S. Th.2.2.q. 124. art. 5. in corpore.*

31 Christiani tenenturne se offerre martyrio,&dare occasionem tyranno ad eos martirizandos?

℞ Licèt aliqui sancti ex divina dispositione se obtulerint martyrio,ultro tamen Christiani non debent se martyrio ingerere,sufficit enim, ut sint parati. *S. Th. 2.2.q.124,art. 1.*

32 Quid est miraculum?

℞ Est Aliquod rarum, & mirum factum à Deo præter rerum ordinem per intercessionem alicucuius sancti, vel per suam divinam voluntatem.

33 Cujus est facere miraculaCreatoris,vel creaturæ?

℞ Solùm Creatoris, cum sit res contra,vel præternaturam. *inst.de iure natur.§. sed naturalia. §.minus ergo. inst. de hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur. l. ejus est velle. cuius est nolle. ff, de reg. jur.*

34 Miracula quare fiunt?

℞ Fiunt ob multas causas, prælertim, ut DEI potentia ostendatur, ut sanctitas alicujus declaretur, ut fides firmetur, *S. August. in Lib. 10. c. 8. tom. 5. de Civitate Dei.*

35 Miraculum quas qualitates debet habere, ut verè sit miraculum, & non res naturalis, vel artificialis?

℞ Quòd mirabiliter sit factum à Deo sine medio naturali, vel contra medium naturale, ut Deus sanavit luto cæcum,quo naturaliter deberet excœcari, vel quod fit factum,ubi remedia naturalia non profunt,ut cum sanitas acquiritur in desperato à medicis tactu alicujus reliquiæ,vel visa ejus Imagine,vel oratione, cum remedia naturalia nihil profuerunt. *Bellarmin.to 2.Lib.1. de Beatitudine.c.8 & 9.& c.multi.c.prophetavit.1.q.1.*

36 Quare permittit Deus, ut talis Sanctus canonizetur in tali tempore, & non illicò post ejus mortem?

℞ Hoc misterium reconditum est in abscondito divinæ sapientiæ, quia sæpè contigit, ut aliquis sanctus post ducentos, vel trecentos annos post ejus mortem faciat aliquod magnum miraculum, & tunc inquiratur de ejus sanctitate, & canonizetur,& sic sunt plurimi sancti in Ecclesia Catholica, quorum corpora iacent ignota, & occulta, & quando Sapientia Divina voluerit suscitare aliquod prodigium, ut honoretur,& canonizetur; sed aduertendum est quòd quando Deus vult manifestare sanctitatem alicujus sancti occulti, semper evenit aliquod miraculum, vel aliquod prodigium in ejus sepulchro, vel in veste, vel in cadavere, ita ut ex illo prodigio crescit devotio populi, & succedant alia plurima miracula usq; dum perveniatur ad ejus canonizationem.

37 Est nè de ratione miraculi, ut in instanti fiat, vel sufficit,quod fiat in tempore?

℞ Non est de ratione miraculi quòd fiat in instanti,nec mediato tempore, quia utrumq; fecit Dominus, aliquos sanavit in instanti, alios leprosos misit, ut lavarentur in Piscina Syloæ, sed de ratione miraculi est, ut mirabiliter fiat præter rerum ordinem. *Bellar.tom.2.Lib.1.de Beatitud.& canonizatione Sanctorum. c.7.&8.*

38 Estnè de ratione miraculi, quod nullum medium humanum applicatum ad sanitatem alicuius, vel aliud mirum faciendum sufficiat?

℞ Non,sed sufficit,ut medium, quod applicatur, velut aqua, vel medicina, non sit sufficiens ad sanandam infirmitatem, vel tam parvo tempore non possit naturaliter eam sanare. *Surius. tom. 2.*

39 Assumitnè Deus per intercessionem Sanctorum aliquando aliquod medium naturale ad faciendum miraculum, vel dandam sanitatem?

℞ Affirmativè,imò ferè semper infirmi,qui miraculosè sanantur,quiescunt, dormiunt, sudant,expellunt aposthemas,& acquirunt intra aliquas horas,vel dies sanitatem,& licèt in alijs infirmis remedia sint media naturalia ad sanitatem, in his, qui miraculosè sanantur, magis sunt effectus talis miraculi,quam remedium sanitatis,& sic euidenter ex præcedentibus apparet, quando quiescere sit effectus miraculi per intercessionem alicuius sancti,vel quando est medium medicinale.

40 Quid requiritur, ut sanitas dicatur miraculum, & sit sufficiens ad canonizandum aliquem sanctum?

℞ Quatuor conditiones.Prima,quod ex Deo,non ex arte Diaboli contingat;Secunda,quòd sit contra naturam, ut in Virga Moysi mutata in serpentem,& asino eloquente ad Balaam. *c. cum ex iniuncto de hæreticis. cap.te.vera, de consecration. dist. 2.* quòd non solum in verbo, sed ex merito illius sancti contingat miraculum ad corroborationem fidei,& miraculum habens has qualitates, est sufficiens ad canonizationem alicujus sancti. *c. unico, de reliquijs, & venerat, Sanctorum Lib. 6. Hostiens. in sum. eod. tit. c. teneamus. 1. q.1.*

41 Requiriturnè, ut probetur frequentia miraculorum per eosdem testes,vel per diversos?

℞ Pluralitas debet probari per eosdem testes;quia probant idem,& non diversa. *c. venerabili cum seq. de testib,*

42 Ad canonizationem Sanctorum sufficiuntnè fieri miracula post mortem?

℞ Securius est, ut probentur post mortem, quia in vita possunt fieri miracula ab homine,qui nõ existit in gratia Dei, propter fidem quam habet, vel propter aliud donum, & quòd iste talis condemnetur pænis inferni, sed miracula facta post mortem non habent hoc periculum, *Io. And.de reliquijs.& venerat. Sanctorum. c. 1, Lib.6. Hostiens. in sum. de reliq.& venerat.Sanctorum.*

43 Potest quis habere tantam fidem, ut faciat miracula, & transferat montes, etiam si non habeat charitatem?

℞ Licèt hoc rarò contingat, benè potest quis habere maximam fidem, & illa mediante, facere miracula, & non habere charitatem, juxta illud Pauli Apostol.si tantam fidem habeam, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. *c. multi, c prophetauit. c. teneamus. 1 q.1. Abb. in c.1. de reliquijs.& veneratione Sanctorum.n.4.c. nec mirum. 26.q. 5.*

44 Dæmones, & malefici,possuntne facere miracu-

la ut portare hominem in aere, transferre montes,& dare ſanitatem infirmis ?

℟ Solus DEUS poteſt facere miracula,juxta Prophetam,tu es DEUS,qui facis mirabilia ſolus,ſed Dæmones non poſſunt facere miracula, &quando faciunt aliquid , quod nobis videtur mirum, eſt, Deo permittente per aliquam virtutem herbarum vel per potentiam nobis incognitam. S. *Thom. par. 1. quæſt.* 110. *artic.* 4.

45 Quod dicitur præſtigium,& unde dicitur ?

℟ Dicitur quaſi præſtingat,vel mutet,vel illudat viſum, vel fallat ſenſum ad videndum aliquid, quod non eſt,vel ad videndum contrarium illius, quod eſt,ut ſi ſit homo, & mihi videatur elephas. & ſic præſtigium non eſt miraculum, imò eſt illuſio mentis,vel oculorum. S. *Thom.* 2.2.95.*art.* 3.

46 Poteſtne faciens miracula venerari pro ſancto ?

℟ Non ſine licentia Summi Pont. *Conc. Trid. Seſſ.* 25.*tit.de invocation,& veneration.& reliquijs Sanctorum.*

47 Suntne in mundo miracula quotidiana,de quibus homines non habent conſiderationem ?

℟ Affirmativè ſunt plurima aſſidua,& quotidiana opera miraculoſa, ut eſt gubernatio totius mundi, mare quod cum altius ſit ipſa terra, non tranſit terminos ſuos,creatio animæ rationabilis, & quilibet ſi conſideret ſuam vitam plurima inveniet miracula,quæ omnia,ſi non reputantur ab hominibus, ut miracula, eſt, quia aſſiduitate vileſcunt. tenet D. Auguſtin.

48 Quotuplex eſt reſurrectio ?

℟ Duplex, alia perfecta, ut Chriſtus reſurrexit, iterum non moriturus,& in noviſſima die omnes reſurgent; alia imperfecta, ut qui reſuſcitatus fuit ab Eliſeo, & Lazarus à Chriſto domino, & plurimi reſuſcitati à Sanctis. Archidiacon. *in c. nemo per ignorantiam, de conſervatione, diſt.* 1. *D. Th.* 3. *p. ſum q.* 53. *art.* 3.

49 Suſcitatus à mortuis poteritne recuperare ſua bona,videlicet ſuam dignitatem, & officium, canonicatum, divitias, rem familiarem ?

℟ Affirmativè;quia eſt idem homo, & teſtamentum ejus revocatur,& ſic acquirit omnia ſua bona : hoc intellige, ſi reſurgat iterum moriturus, ſed ſi reſurgat in corpore glorificato , non habet neceſſitatem bonorum ſuorum; iam enim eſt de altero Regno,& ſic teſtamentum ejus non revocatur *Bald. in l.* 1. *in repetitionibus.* C. *de Sacroſanctis Eccleſijs. l. ſi marito, ff. ſol. matr.*

50 Qui ordo obſervatur in canonizatione Sanctorum ?

℟ 1*mò*, fama ſanctitatis illius defuncti, & plurimæ preces Regum,Univerſitatum, Clericorum, populi, vel religionis petentis talem canonizari ob bonam vitam,& miracula. 2*dò*, quòd inſtantia ſupplicationum continuetur,& miracula durare dicantur. 3*tio*, Summus Pont. debet committere aliquibus Epiſcopis viris probis patriæ,vel convicinis illius Sancti,ut inquirant de fama in generali,& ſanctitate,& ei referant. 4*to*, Summus Pont. requiſito conſilo Cardinalium determinat,an ſint faciendæ informationes, & probationes de tali ſancto,& de ejus vita,& miraculis Summus Pont. committit in forma eiſdem Epiſcopis,vel alijs viris probis, ut in particulari faciant proceſſus,& informationes de ſanctitate,vita, & miraculis illius viri Dei, exactè, diligenter, & fideliter ſecundū articulos,& interrogatoria, quæ ſimul cum Bulla tranſmittant, & quod invenerint,remittant obſignatum ſuis ſigillis. 5*to*, Summus Pont. committit aliquibus ſacri palatij Auditoribus dictas informationes videndas, & examinandas. 6*to*, Summus Pont. examinat cum Cardinalibus dictas informationes, & ſententias illorum, quibus commiſit eas examinandas. 7*mo*, Summus Pont. in Conſiſtorio narrat Cardinalibus ea, quæ in informationibus continentur, & requirit eorum conſilium. 8*vo*, aſſignatur certus dies in certa Eccleſia ornata luminaribus accenſis,in qua conveniunt Papa,Cardinales, Clerus, & populus, & hortantur, ut omnes orent,ne Deus permittat Papam errare in illa declaratione. 9*no*, flexis genibus fit oratio, & devotè cantatur Veni Sancte Spiritus,vel alius Hymnus, ſeu Antiphona conveniens. 10*mo*, poſtea ſurgit Summus Pont. ab oratione, & definit illum ſanctum eſſe, Cathalogo ſanctorum conſcribendum , & feſtum ſuum tali die colendum. 11*mo*, poſtea cantatur Te Deum laudamus, & Papa celebrat Miſſam in honorem illius Sancti. *D. Antonius communiter ſcribentes in cap.* 1. *de reliquijs, & venerat. Sanctorum.*

51 Papa teneturne neceſſariò ſervare hanc formam canonizationis ?

℟ Non,ſed poteſt ſine hac forma canonizare ſanctum, quia ipſe eſt conditor legis,& poteſt commutare,ſervare,& non ſervare *leg. digna vox. Codic. de legibus leg.Princep,ff. de legibus,& ibi ſcribentes.*

52 Papa debetne facilè dare commiſſionem ad faciendas informationes ?

℟ Non,ſed magna cum conſideratione,tempore in termedio, ut in illo videatur, an fama, & miracula contineantur. *Abb. in c.* 1.*de n.*5.*de reliquijs, & venerat, Sanctorum.*

53 Quibus debet Summus Pont. committere inquiſitionem ſuper vitam, & ſuper miracula alicujus ſancti ?

℟ Viris doctis,& probis,quibus ipſe voluerit,ſed præcipuè committitur viris in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, ut Archiepiſcopis, & Epiſcopis,& his deficientibus,dignitatibus, & canonicis Eccleſiarum Cathedralium. *tenet. Io.Andr. ſuper c.* 1. *de reliquijs,& veneratione Sanctorum.*

54 Qui teſtes ſuper miracula debent recipi ?

℟ Familiares propinqui,parentes, pater, & mater, qui fuerunt parentes,qui maiorem cognitionem illius miraculi habent,medici, chirurgi, qui medicaverunt talem infirmum , & ſciunt remedia medicinæ non profuiſſe talibus infirmis. *capit.* 1. *de reliquijs. & veneratione Sanctorum. capitul. venerabili, de teſtibus.*

55 Quas qualitates debent teſtes habere ?

℟ Debent eſſe bonæ vitæ, & famæ, qui ſuſtententur ex ſuis redditibus,ſi fieri poſſit, timentes Deum, qui frequenter recipiunt S. Euchariſtiæ ſacramentum , & omni exceptione maiores. *Io. Andr. in c. venerabili de teſtibus.*

56 Teſtis deponens de miraculis quomodo debet examinari ?

℟ Solus,ſecretè,& ſigillatim.*c.venerabili de teſtibus.*

57 Qui

57 Qui ordo servatur in formando processu super vita,& miraculis alicujus sancti, ex commissione Summi Pontificis canonizandi ?

℞ Primò, duo commissarij,vel tres,ad quos venit commissio directa,se conveniunt in aliqua Ecclesia,vel sacristia,& præsentata commissione à Procuratore illius religionis,vel personæ, quæ instat pro canonizatione, antiquior, vel dignior eorum judicum eam aperit,obedit,& osculatur,& ponit supra suum caput, & dat conjudicibus, & hæc omnia scribuntur à Notario.

58 Probatio miraculorum,& bonæ famæ, vitæq; quomodo erit facienda ?

℞ Per legitimos testes. c.1.c.2.*de reliquijs,& veneratione Sanctorum.c.venerabili de testib.*

59 Cum teste ante excommunicationem, quid est faciendum,ut ejus testimonium sit validum ?

℞ Est citandus à cursore, & præsentandus ante Judices à Procuratore, deinde debet jurare tangendo Evangelia se dicturum veritatem,&hæc omnia debent scribi cum hora,die, mense, & anno.

60 Testis deberne dicere testimonium , & iurare eodem die ?

℞ Non, sed uno die debet iurare,& admoneri, &altero die dicere testimonium;quia res est tanti momenti ut testi detur tempus,ut suum dictum consideret.

61 Testis cum dicit, debetne iurare ?

℞ Debet, propter negotij gravitatem inprincipio depositionis.

62 Post depositionem quid est persvadendum testibus ?

℞ Ut taceant,&nemini dicant suam depositionē. c. *Venerabili. de testib.*

63 Testis in qua lingua debet dicere , & in qua lingua debet Notarius scribere ?

℞ In proprio idiomate,quo loquuntur in illa urbe vel Provincia,licèt testis sciat lingvam latinam,& inscribi debent primum ea omnia, quæ dixit verbis ipsis,quibus deposuit ?

64 De quibus rebus debent testes interrogari ?

℞ De contentis interrogatorio sigillatim per articula illa,ad quæ fuerunt à procuratore præsentati. *Abb.inc. venerabili, de testibus.*

65 Testis post depositionem debetne se subscribere?

℞ Si sciat scribere,debet,& si non sciat,debet explicare se nescire scribere,& pro eo debet Notarius se subscribere.*c.venerab.de testib.*

66 Iudices debentne se subscribere in omnibus depositionibus testium ?

℞ In omni dicto cujuscunque testis , Judices , & Notarius debent se subscribere propter majorem legalitatem, & in omnibus actibus idem debent facere.

67 Quis debet taxare expensas Notario ,Cursori scribentibus, & laborantibus ?

℞ Iudices cum moderatione secundum laborem cujuscunque.

68 Legalizatio processus coram quibus debet fieri?

℞ Coram duobus Notarijs,& omnibus Judicibus.

69 Subscriptiones Notariorum quomodo debent poni in processu ?

℞ Cum suis signis,& debent illi duo Notarij legalizari,& eorum signa à tribus Notarijs illius civitatis, vel Provinciæ , si non fuerit copia in illa Civitate ?

70 Ultimo, quid debet fieri à Judicibus ?

℞ Debent scribere literam Summo Pontifici,ubi exponant quanta fides testibus sit adhibita,& de veritate illius negotij,&transumpta sigillata tradere cursori, vel personæ certæ,& ab ea recipere cautelam , quæ tradet processum in curia Romana,& portabit fidem.

71 Originalia,ubi debent remanere ?

℞ In archivio curiæ illius diœcesis,ubi summa diligentia custodiantur.

72 Si casu perditum fuit transumptum, potestne aliud transumptari, sine nova commissione ?

℞ Potest ab eisdem judicibus sine nova commissione,quia eorum jurisdictio durat usque recipiatur in Romana Curia transumptum.

73 Finita probatione quid debet fieri ?

℞ Procurator debet dare petitionem, dicendo se non habere plures testes,& petere ut dictæ,& informationes collationentur, & transmittantur ad Romanam Curiam,& Judices debent per actum hoc pronuntiare.

74 Finitis informationibus quid est faciendum ?

℞ Judices debent simul videre collationem omnium informationum,& attentè emendare,&in fine se subscribere.

## CAPUT XXXII.

## De Dæmoniacis,& oppressis à Dæmone.

1 Diabolus unde dicitur ?

℞ A dia nomine græco , quod est duo, & bolus, quod est Morsellus,quia duo occidit,scilicet corpus, & animam : etiam dicitur Diabolus clausus ergastulo , quia non permittitur ei nocere quantum vult; sed est clausus quasi in ergastulo;etiam dicitur Diabolus,idest defluens, quia defluxit, & corruit è cælo. *Malleus maleficorum. quæst.m.4 part.1.*

2 Dæmon unde dicitur?

℞ Est nomen græcum,& dicitur dæmon, idest sapiens super sanguinem, hocest super peccata,quæ sitit,& procurat, ut homines commitant.*Malleus malefic. q.4.p.1.*

3 Diaboli suntne eiusdem speciei ?

℞ Non,sed inter se differunt specie, ita ut unus non sit speciei alterius,Sanctus Dionysius de cælesti Hierarhia , quem citat Malleus maleficor. *quæst. 4. part. 1.*

4 Dæmonium cujus naturæ est ?

℞ Est spiritualis,& angelicæ naturæ, & propter superbiam è cælo cecidit.

5 Dæmonia habent nè cognitiones scientiarum, herbarum,lapidum, animarum,&aliarum rerum.

℞ Habent scientias, quas Deus infudit illis in instanti suæ creationis,& licet sint Dæmonia ex omnibus Hierachijs, inferior habet omnes scientias.

6 Dæmones quomodo prophetizant aliquando futura ?

℞ Sæpè mentiuntur, sed quando dicunt veritatē, illam colligunt ex prophetijs,ex coniecturis,sicut nos aliquando ex re, quæ succesit divinamus finem talis rei.

7 Ubi cruciantur Dæmones ?

 ℞ Partim

℞ Partim in inferno, partim in aere, secundum divinam voluntatem.

8 Angeli, sive boni, sive mali, ubi sunt?

℞ Ubi operantur *S. Thom. 2. sententiarum dist.* 37. *quæst.* 3. *art.* 1.

9 Dæmonia, quæ deputantur ad exercitium hominum, sunt ne in inferno?

℞ Sunt in hoc aere caliginoso, non in inferno, sed in die ultimo judicij ibunt in infernum cruciandae sine fine. *Malleus malefic. q.* 4. *p.* 1.

10 Dæmones timentne abyssum?

℞ Affirmative, & sic petierunt à Christo Domino, ut non mitterentur in abyssum. *Luc.* 8. *c.*

11 Quo igne cruciantur, materiali, vel spirituali?

℞ Materiali.

12 Quomodo ignis materialis cruciat Dæmones, qui sunt spiritus?

℞ Per divinam voluntatem hoc permittentem agit ignis materialis fortissimus in naturam incorpoream, & spiritualem?

13 Licetnè Clericis exorcizantibus eorum nomen quærere?

℞ Affirmativè, & est necessarium, ut sciatur, an sit unus, vel plures, ut Christus quæsivit. Luc. c. 8. quod tibi nomen est.

14 Quomodo vocantur Dæmones in scriptura sacra?

℞ Pluribus nominibus, sed præcipuè vocantur patres mendacij, quia ipsi priùs dixerunt mendacium, & quilibet Dœmon suum habet particulare nomen.

15 Dæmon intratnè in corpus hominis verè, & realiter, ut illum cruciet?

℞ Affirmativè, quia hoc constat ex Evangelio, erat Iesus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum, & ex alijs pluribus locis.

16 Dæmon per quas partes intrat in hominem, & exit?

℞ Potest intrare per quascunque partes, sed præcipuè intrat, & exit per os, per secessum. *Tyreus, de Damoniacis. c.* 4. *&* 5.

17 Dæmon propria virtute potestne intrare in corpus; vel in aliquam partem corporis?

℞ Non, sed divina permissione, sine qua non potest lædere corpus Chriastiani, neque Mauri, neque eorum bona, neq; animalia, neque excitare tempestates, neque facere ruinas, neq; tonitrua, neq; alia damna.

18 Dæmon est nè semper in toto corpore, vel in aliqua parte corporis?

℞ Aliquando est in toto corpore, & aliquando in aliqua parte, sed adhoc, ut affligat totum corpus, non est necessarium, ut sit in toto corpore per præsentiam, satis est enim, ut aliqua parte corporis secundum substantiam, & sit præsens per operationem; major est enim sphera activitatis Dæmonum, quàm præsentia substantialis. *Tyreus de Dæmoniacis. cap.* 4. *&* 10.

19 In qua parte corporis existit Dæmon?

℞ Præcipuè in corde, quod est principium operationis in homine. *Tyreus, de Dæmoniacis. c.* 10.

20 Dæmon potestnè aliquid facere supra humanam voluntatem?

℞ Non, neq; in eam habet potestatem. *Abulens. super c.* 8. *Matth. q.* 101.

21 Quare Dæmones appetunt intrare in homine?

℞ Quia illum odio mortali habent; ratio est, quia cum sit inferioris naturæ intrat in beatitudinem ad occupandas ipsorum sedes. *Abulens. super. c.* 13. *Genesis.*

22 Dæmones in quorum corpora volunt magis intrare, in corpora iustorum, vel in corpora malorū?

℞ In corpora justorum, quos magis persequuntur; quia malos jam habent in sua potestate, cum peccator sit sub potestate diaboli.

23 Quot sunt modi, quibus dæmon intrat in corpus hominum, ut eos affligat, & qui vocantur dæmoniaci?

℞ Multi. 1mo, aliquando Dæmon ambulat in circuitu hominum eos terrendo. 2do, intrat in vestes illorum hominum, quibus induti sunt 3tio, intrat intra carnem, & cutem. 4to, intrat, & residet in aliquo membro particulari hominis 5to, incorporatur in toto ejus corpore. *Malleus malesicor. Lib.* 1.

24 Quando homo habens Dæmonium loquitur in lingva, quam non audivit, vel disputat in scientia, quam non didicit, vel loquitur blasphemias, vel elevatur in altum, vel extinguit aliquam lucernā, quomodo hæc fiunt ab illo corpore?

℞ Dæmon tunc habet potestatem super quinque potentias exteriores corpori alligatas, & super quatuor potentias interiores, scilicet sensum cōmunem, phantasiam, sive imaginativam, æstimativam, & memorativam, & mediantibus illis potentijs aliquando exterioribus, aliquando interioribus operatur illa opera mira extraordinaria. *Malleus malefic. Lib.* 1.

25 Dæmon potestnè esse intra animam hominis?

℞ Non potest esse intra animam, quia esse intra aliquem, est esse intra terminos ejus; anima enim nullas habet dimensiones, nec terminos, cum sit indivisibilis, solum corpus habet dimensiones ratione quantitatis, qua informatur, & extenditur; quapropter non potest dæmon claudi intra terminos animæ; potest tamen intra terminos corporis. *Abulens. q.* 113. *super c.* 8. *Matthæi.*

26 Quomodo affligitur anima illius hominis, qui habet dæmonium, si in anima nullam habet potestatem?

℞ Quia ex corporis cruciatu, & afflictione anima valdè retardatur in sua operatione, ne ita liberè, & fervidè spiritualibus vacet, & sic affligitur, sicut infirmus gravitate morbi non operatur anima tanto fervore, sicut si esset sanus. *Sanchez. Lib.* 2. *c.* 42. *de dæmoniacis, in decalogo. Tyreus. c.* 2. *de dæmoniacis.*

27 Dæmones intra corpus animalium intrant ne?

℞ Aliquando intrant, ut intraverunt in porcos ad nocendum hominibusin bonis. *Matth. c.* 8. *q.* 101.

28 Dæmon terret ne in somnis aliquem, & quomodo fiunt, & excitantur istæ visiones, & phantasia?

℞ Species, quœ repositœ sunt in conservatorijs potentijs, excitantur à dæmone commutatione sāgvinis, & humorum, unde principia sensitiva, idest interiores potentiæ animæ ferè semper commoventur ex his, quæ vigilantes viderunt, audierunt meditati sunt, vel locuti sunt, & inde proveniunt tales phantasiæ, vel visiones nocturnœ tam vehementes, ut homines faciant sudare, contre-

misceré,

miscere, quæ semper sunt majores, vel minores secundum complexiones, vel qualitates hominis. *Malleus malefic. p* 1. *q.* 7.

29 Dæmonia intrantnè in bestias agri, in segetes, & fructus terræ?

℞ Facilius, quàm in hominibus, ut ipsis noceant destruendo animalia, & fruges præparatas ad sustentationem generis humani, & ad servitium hominis. *Malleus malefic. p.* 2. *q.* 2. *c.* 1.

30 Quibus remedijs fugantur dæmones à bestijs, & frugibus, nec non etiam locustæ?

℞ Signo crucis, exorcismis ab Ecclesia institutis, reliquijs, & intercessione Sanctorum, orationibus piorum; & locustæ excommunicantur, & prodest sæpè ad earum extirpationem, sed hæc omnia agenda sunt cum fide in Deum, & bona constantia sacerdotis. *Malleus malefic. p.* 2. *q.* 2. *c.* 1. etiam palmæ, & olivæ benedictæ in dominica azymorum positæ supra arbores in modum crucis fugant dæmones, & tempestates, & servant fructus illæsos per virtutem datam benedictionibus; *Malleus malefic. p.* 2. *q.* 2. *c.* 7.

31 Quot sunt causæ, quare homines à dæmonibus occupantur, & quare Deus hoc permittit?

℞ 1*mo*, ad ostentationem divinæ potestatis. 2*do*, ad ostentationem fidei, quia aliqui negantes esse dæmones, negant esse infernum. 3*tio*, ut homines timeant illos nominare. 4*to*, ad ostendendam Dei virtutem, qui eos expellit. 5*to*, ad ostendenda merita sanctorum, ad quorum præsentiam expelluntur. 6*to*, propter peccatum proprium aliquando grave 7*mo*, pro peccato solum parentum, velmajorum. *Abulens. q.* 122. *super c.* 8. *Matthæi Malleus malefic. c.* 10. *p.* 2. *q.*

32 Quæ peccata sunt ista, propter quæ Deus permittit ut dœmon intret in corpus humanum?

℞ Plurima, & diversa, sed præcipuè quatuor 1*mo*, cum quis est dubius in fide. 2*do*, cum quis assvetus est dicere plurima mendacia, & illa affirmare cum juramento, præcipuè in damnum aliorum, cum dœmon sit pater mendacij, justè intrat in suos filios. 3*tio*, cum quis multum iurat. & blasphemat de Deo. 4*to*, cum quis sive pater sive mater se, vel filios maledicit, & commendat dæmonibus & sæpè sæpius nominat dæmonia, justè ab ejs possidetur. *Malleus, maleficor. ubi supra.*

33 In hominem justum, qui est sine peccato mortali, & est in gratia, & est habitaculum Spiritus sancti, potestne dæmon intrare?

℞ Potest permittente Deo in ejus corpus ad maius ejus meritum, licèt hoc raro contingat, sed anima illius justi semper salua erit, sicut in libro Iob legitur, esse in manu tua, idest in potestate tua est Iob, verumtamen animam ejus illæsam serva: quā Deus sibi servavit.

34 Quibus modis cognoscitur, quod dæmon intravit in corpus alicujus hominis, vel mulieris?

℞ Hoc potius est scientiæ divinæ, quam humanæ: sed consideratis vita, statu, vitijs, conditionibus, exercitijs talis hominis, poterit à posteriori colligi, vel induci talis causa, ut si est religiosus novitius deditus vitæ spirituali, vel est miles, vel blasphemus, ex his conjecturis poterit causa adumbrari?

35 Dœmon assistitne semper in illo corpore, in quod intravit, vel illud aliquando deserit?

℞ Aliquando intrat per unam vel duas horas & postea exit, & in alio loco moratur, aliquando assistit in aliquo membro illius hominis, & illud deserit per tempus, ut operetur sensibus suis, sicut si nō haberet dœmonium.

36 Si quis erat in peccato mortali, cum dæmon ejus corpus occupavit, & fuit strepitus, & ad tempus eius sensus deseruit, poteritne iste homo confiteri, & acquirere gratiam dœmone stante intra ejus corpus?

℞ Poterit in illo tempore pænitere, habere contritionem, sumere Eucharistiam, & acquirere gratiam; quia ille homo in illo tempore habet liberum arbitrium.

37 Quibus oppressis à dæmone sacramentum Eucharistiæ non est dandum?

℞ In hoc casu habenda est ratio, sicut de amentibus, si oppressi privati sunt suo sensu, non est dādum; si vero non sint privati, quia ad tempus Diabolus deseruit eos, & habent contritionem; & petunt sacramentum, tunc dandum est ejs; quia est remedium efficacissimum; in furia verò non est dandum propter periculum, etiam si habeant aliquem sensum, sed semper est advertendum quod quando datur sacramentum Eucharistiæ, sint in toto suo sensu, sicut alij homines, qui non habent dæmonium *Malleus Maleficor. part.* 2. *quæst.* 2. *cap.* 5.

38 Obsessi à dæmonibus manentne semper in civitatibus?

℞ Non, quia aliquando manent in montibus; & agro, & in monumentis incitati à dæmone. *Abulens q.* 98. *super cap.* 8. *Matth.*

39 Quare dæmoniaci solent esse adeo fortes, & sævi, ut nullus possit eos ligare, cum aliàs sint personæ delicatæ, vel virgines teneræ?

℞ Propter magnitudinem virium quia existentibus dæmonibus in eis, sunt magnæ vires, & faciunt plurima, quæ suis viribus facere non possunt. *Abulens. q.* 100. *super Matth. c.* 8.

40 Dæmoniacus quare aliquando adorat crucem, imaginem Virginis, & reliquias, cum sit superbus, & inimicus crucis?

℞ Quia cogitur hoc facere virtute Dei, & B. Virginis, mediantibus exorcismis, & etiam solent id facere ex timore; quia torquetur nimis, & timet, ne magis torqueatur à clerico exorcizante *Abulens. q.* 104. *super. c.* 8. *Matth.*

41 Quando dæmon relinquit hominem, & non recordatur postea homo, quid fecerit, anima illius quomodo erat, dum hæc fiebant?

℞ Ille homo erat sicut dormiens, & sic postea nihil recordatur, neq; refert, quid facit, cum ejus potentiæ essent à Diabolo occupatæ, & læsæ per illud spatium temporis, & sic exit quasi mortuus. *Malleus maleficor, ubi sup.*

42 Si sint plures dœmones in corpore, debentne omnes simul exire?

℞ Bene potest exire unus, & alij remanere, & possūt ōnes simul exire. *Tyreus, de dæmoniacis cap.* 4. & 5.

43 Quomodo existit dœmon in homine demoniaco qui ab eo vexatur?

℞ Duplici modo. *1mo*, per præstigiosam illusionē, quæ interdum fit super sensus exteriores, interdum super interiores usq; ad sensum exteriorē, quæ fit absq; eo, quod dœmones intrent in potentias interiores illas occupando, sed solùm exterius illudendo. *2do*. cum dœmon occupat caput, & potentias talis hominis, & intrat in eum. *Malleus maleficor. c.9.p.2.q.1.*

44 Dæmones quando arripiunt homines, suntne intra corpus, vel extra?

℞ Aliquando sunt extra corpus, aliquando in vestibus hominis, & aliquando intra corpus hominis, vel mulieris. *Abulens. q* 113. *super c.*8 *Matth.*

45 Quando sunt extra corpus hominis quando operantur, & faciunt, ut tales homines faciant diversas res?

℞ *1mo*, tunc dæmones operantur per solam applicationem virtutis motivæ ad impellendum hominem, & sic faciunt, ut incidat in ignem, & se laceret, & alia, licèt hæc multoties fiant, cum est dæmon intra corpus, quia melius potest cogere talem hominem ad movendum se, quam si extra manserit. *Abulens. q.* 113. *c.*8. *Matth.*

46 Quomodo cognoscitur, an dœmon sit intra corpus, vel extra?

℞ Quando loquitur diversa lingva, vel res difficiles, quas non audivit, est necesse, ut sit intra corpus, quia locutio fit per motus organorum interiorum, quæ à dœmone immediatè movetur, & non potest illa movere, nisi intra corpus, & in ventre, & in pulmone, qua pulmon sua motione est principale instrumentum locutionis. *Abulens. quæst.* 113. *super c.*8. *Matthæi.*

47 Quomodo dæmon, & anima rationalis sunt simul in eodem corpore, cum uterque sint spiritus?

℞ Diverso modo, quia anima non est in corpore sicut in loco, sed sicut forma in materia; dœmon verò est in corpore, ut in loco, veluti est motor in mobilis quia dœmon, & Angelus sunt in loco, ubi operantur per operationem *Abulens. quæst.* 113. *super c.*8. *Matth.*

48 Dæmon potestne mutare sensus hominis, & potentias exteriores, in quo intrat, ita ut illi videatur se videre montes, serpentem, prodigia, & alia quæ ibi non sunt?

℞ Potest, quia dæmon operatur in illo corpore, & facit, ut illi appareat, quod moventur parietes imò in ebrijs vinum facit, ut appareat illis, moveri cubiculum, noctē esse, quia lœdit eius potentias itaq; fortius dœmon potest operari. *Abulens. quæst.* 115 *super c.* 8. *Matth.*

49 Dæmon potest ne mutare potentias interiores sensitivas, scilicet sensum comunem, phantasiam, sive imaginativam, & memorativam?

℞ Affirmativè, quia sensus interiores non differunt ab exterioribus, & ideo eandem vim habent ad immutandas, interiores *Abulens. quæst.* 116. *super c.*8. *Matth.*

50 Dæmon potestne immutare intellectum, & operari circa illum?

℞ Non potest, quia non habet potentiam super animam, cujus dominium perfectum soliusDei est præter ipsum intelligentem, ut ait S. Tho. 1. p. & ratio est, quia si non potest cognoscere dæmon operationes liberas voluntatis, nec poterit cognoscere operationes intellectus, quia in hoc radicatur libertas.

51 Dæmon potestne mutare voluntatē hominis?

℞ In quantum est voluntas, non potest directè, neq; indirectè illam mutare, quia non potest agere in animam, neque in potentias animæ spiritualis, & voluntas non dependet à corpore quantum ad actum, licet enim parte requirat anima species, & obiectum internum, ipsa tantum est sola domina suarum operationum, nempè intellectus, & voluntatis; unde sicut quo ad esse ipsa sola anima inter causas creatas est sola domina, ita quo ad cognosci, & quo ad immutationem est sola domina; colligitur ex *D. Th.* 1. *p. q.* 56. *art.* 4. *Abulens. q.* 118. *super. c.* 8. *Matthæi.*

52 Dæmon imprimitne in voluntate, quod vult?

℞ Non; sed solus Deus. Proverbiorum 12. cor Regis in manu Dei est, idest voluntas. *lege S. Th. ubi sup.*

53 Quomodo multi dæmones possūt esse in homine?

℞ Quia non habent quantitatem, & sic possunt esse plurimi in quolibet homine. *Abulens. q.* 13. 6. *super. c.* 8. *Matthæi.*

54 Dæmones vel Magi possuntne facere, ut homines transmutentur in bestias, ut in equum, vel capram, vel asinum, vel bovem?

℞ Vere transmutationes, & reales non possunt fieri à dæmonibus, sed si aliquando appareant, apparent ex præstigiosa apparentia, & sic imaginatio videntis illuditur, *Albert. in lib. de animal.*

55 Dæmon potestne sumere formam sacerdotis?

℞ Potest, & etiam monachi; & contigit, ut dæmon prœdicans populo in forma sacerdotali agnosceretur à sancto viro. *Malleus maleficor. q.* 1. *p.* 2 *c.* 9.

56 Quomodo Dæmon loquitur diversis linguis per lingnam hominis, vel mulieris, in quibus potestatem habet, & disputat de difficultatibus scientiæ, quam non scivit, neque didicit?

℞ Tribus modis. *1mo*, loquitur etiam si non habeat organa ad loquentum, ut quando dæmon, vel Angelus format sibi corpus ex aere, & vapore terrestri, & loquitur intra illud, & format aliquas voces artificialiter, quæ videntur esse voces atticulatæ, & tamen non sunt. *2do*, modo loquitur, cum intrat in aliqua animalia, ut in porcum, quod animal habet organa locutionis non ita formata, sicut homo, & per se non potest tale animal loqui, tamen dæmon accipit illa organa, & cum eis loquitur, & aves sicut Psittacus, Turdus, aliquando formant aliquam vocem, sed male, & sic dæmon locutus est Evæ per serpentem, Genesis. 3. & Numerorum. 22. & Angelus locutus est per Asinam Balaam. 3. ut voluit; non nulli loquitur per homines, & mulieres habentes organa, loquendo, & movendo eorum lingvas, & format voces sicut ipse homo, cum non erat oppressus. *Abulens. q.* 114. *super c.* 8. *Matth.*

57 In quibus cognoscitur, quod dæmon est intra corpus hominis, & loquitur ipse, & non homo?

℞ *1mo*, quando loquitur talis homo de rebus altissimis lingua, quam non didicit. *2do*, quando scientia vtitur in proprio idiomate, quam ipse non audivit neque didicit. *3tio*, quando fit sanæ mentis, &

mentis,& nescit respondere de ijs,de quibus primò disputabat. 4to,quando cognoscit res occultas, vel prophetizat,sicut Saul, quando arreptus prophetabat occulta,& puella,quæ habebat spiritum Phytonem act. Apostolorum.c. 16. 5to,contremiscere ad sacra, vel ante imaginem habere torsiones, furores,horrere divina,dolere ad præsentiam imaginis,vel reliquiæ, 6to,inflatio repentina membri, vel corporis. 7mo,habere vires supra ætatem, vel naturam : hæc sunt signa, quod aliquis dæmon est in illo corpore.

58 Quando dæmon loquitur per hominem, in quem intrauit, est ne in potestate illius hominis tacere, vel loqui ?

℞ Non, neq; potest ipse homo tacere,nec loqui, quæ vult,sed ea,quæ diabolus, vel Angelus vult ; quia homo tunc est oppressus,& ligatus à dæmone,& quasi dormiens,& Deo permittente, dæmon utitur suis organis,format voces, quas vult,ut patet in Balaam 7. num,24 qui volebat maledicere Judæos,& conabatur hoc facere, tamen Angelus movebat,& vertebat lingvam ejus,& impellebat, ut benediceret. *Abulens.q. 114. su e c. 8. Matthæi.*

59 Dæmones possuntne suadere dæmoniacos ad peccandum ?

℞ Possunt,sed sicut suadent alios homines ad peccandum. *Aublens. q. 119 super c. 8. Matth.*

60 Ea,quæ arreptitij , seu demoniaci faciunt , ut quando dicunt blasphemias,dum à dæmone occupantur, sunt peccata,vel non ?

℞ Si faciunt per violentiam, non est peccatum. etiam si occidant hominem , propter defectum libertatis in tali casu; nam coacti faciunt talem occisionem, & dicunt talem blasphemiam, sicut cum aliquis violenter sumit manū alterius,& facit,ut faciat occisionem alicujus ; si verò sunt sui juris,& dæmon solùm suadeat malum, vel imprimat malam suggestionem, tunc peccant quia habent propriam voluntatem. *Abulens. q. 119. super c. 8. Matth.*

61 Dœmon quomodo torquet homines ?

℞ Per motum localem eijciendo eos in ignem in aquam,in terram, alterando eorum humores, ex quorum alteratione dolor capitis,aut alterius partis corporis insurgat; potest eos occidere,si Deus permittat, & plurimos de facto occiderunt, videlicet septem viros Sarræ, Iob 3. & in Ægypto occiderunt omnia primogenita hominum, & pecoris. *Exodi. 12. Abul.q. 120. super c. 8 Matth.*

62 Quod corpus sumit dæmon , cum videtur à maleficiatis,quæ vulgo vocantur bruxas ?

℞ Aereum corpus,quod aliquo modo est terrestre, in quantum habet terræ proprietatem per condensationem, & vapores crassos formatum. *Malleus. malef. p. 2. q. 1. c. 4.*

63 Angeli boni quomodo apparent hominibus, an in visibili forma,vel in visibili ?

℞ Visibili forma, imò sancti apparent aliquando bonis hominibus , ut eos confortent , aliquando malis, ut eos puniant, vel à suis vitijs emendent. *Malleus malefic. c. 4. p. 2 q. 1.*

64 Potestne dæmon infrigidare aliquas personas, ut non possint generare.seù concurrere activè, vel passivè ad actum generationis ?

℞ Affirmativè, & id faciunt mediantibus maleficijs,seù artibus magicis. *Malleus m lef. c 6.*

65 Dæmones , & Angeli aliquando ab hominibus possuntne videri oculis corporis ?

℞ Videntur,licèt sint spiritus cum ipsi,permittente Deo,assumant corpus aereum,vel aliud,ut apparet in historia Loth quando tres Angelos vidit pulcherrimos,& unum adoravit, & in libro Tobiæ Angelus , qui comitatus est filium ejus,visus fuit àfilio Tobiæ,& ab ipso Tobia,& ab uxore ejus.

66 Aliquando Angeli videntur ne in præstigijs , seù secundum visionem imaginariam ?

℞ Quando sensus , seù petentiæ imaginariæ ita sunt vehementes per humorem malenchonicum videtur illis videre,quod ad extra verè non est, Aristoteles dixit: imaginatio vehementissima casum facit.

67 Quando Deus dedit potestatem Sathanæ super corpus Iob;intelligiturne. quòd dæmon intravit intra ejus corpus, ita ut Iob esset dæmoniacus ?

℞ Certius est, quod Sathanas non intravit in corpus ejus,neq;turbavit sensum ejus, ut aliquid contra Deum loqueretur; sed quod hæc potestas fuit exterior affligendo carnem ejus vulnere pessimo,doloribus corporalibus; nam dicit scriptura in omnibus his non peccavit Iob, neque aliquid stultè contra Deum est locutus.

68 Cum dixit Paulus datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ,qui me colaphizet:& propter quod ter dominum rogavi , intelligitur ne,quod dæmon intravit in corpus ejus,& quod esset dæmoniacus ?

℞ Non,sed exterius illum affligebat carnis libidine,& tentatione: sicut legitur,quod D Hieronymus fuit flagellatus à dæmonibus,& D. Antonius varijs visionibus tentatus;quia D. Paulus erat confirmatus in gratia, Apostolus à Deo electus, Sacerdos summi Dei, & non decebat, ut dæmon neque per unum instans corpus ejus possideret.

69 Hoc verbum,abjurare; quibus modis sumitur ?

℞ Dupliciter. 1mo modo abjuro te, idest rogo,& obsecro te,& sic Matth. 8. Dæmon dixit, etiam per Deum abjuramus te, ne torqueas nos , idest rogamus te. 2do, sumitur imperando: Abjuro te, ut exeas ex hoc corpore, idest jubeo,& præcipio tibi potestate mihi tradita,ut exeas ex hoc corpore, & isto secundo modo sumitur in exorcismis Ecclesiæ. *Abulens supra Matth. cap. 8 quæst. 113.*

70 Quas cautelas debent habere exorcistæ,& quomodò se debent gerere ?

℞ 1mo, non debent confidere in suis viribus,sed in Deo fiduciam habere. 2do, jocum non debent intermiscere,neque curiosa interrogare. 3tio, exorcismum dicere omni devotione. 4to, admonere præsentes ut habeant fidem,& orent pro illo vexato. *Mall. malef. p. 2. q. 2. c. 5.*

71 Exorcista absque licentia Episcopi potestne exorcizare,aut alijs exorcismis,nisi ab Ecclesia cōstitutis uti ?

℞ Si sit Parochus, & Episcopus absens,& contingat aliquem obsideri à Dæmone,poterit facultate interpretativa exorcizare,sed deinde suum Episcopum certiorem facere debet aut prius ab eo licentiam petere; nam circa hoc extat mandatum

Sixti V. Pontificis Maximi, neque uti debet alijs exorcismis, nisi prius à suo Episcopo approbatis. *Navar. cons. 6. de offic. Ordinarij.*

72 Quam dispositione debet habere Sacerdos exorcista?

℞ Ipse prius, sua peccata tenetur confiteri, vel contritionem habere, & si fieri poterit celebret Missam ante actum exorcizandi, oret, accedat cum magna humilitate, & fide ad exorcizandum.

73 Quis potest exorcizare, & in quo ordine datur potestas super dœmones?

℞ Hæc potestas datur in ordine exorcistarum; ratio est, quia cùm dœmones sint contemptibiles; & viles, sancta Ecclesia dat hanc potestatem incipientibus intrare in Ecclesiam, licèt exerceatur à Sacerdotibus frequenter propter majorem scientiam, & potestatem?

74 Quis instituit exorcismos?

℞ Divus Gregorius Summus Pontifex, quia suo tempore plures erant dæmoniaci in remedium eorum, & futurorum.

75 Quæ, & quot remedia posuit Deus contra impugnationes diaboli exteriores, & ad fugiendos dœmones?

℞ Octo. 1*mo*, aquam benedictam, qua debent frequenter Christiani uti in cubiculis, & Ecclesijs, 2*do*, exorcismos positos ab Ecclesia Catholica, quibus dæmones per modum imperij possunt expelli. 3*tio*, orationes Christianorum. 4*to*, imagines Sanctorum, & B. Mariæ Virginis. 5*to*, reliquias Sanctorum, & corpora, sepulchraque eorum. 6*to*, Crucem Christi Domini nostri crucifixi. 7*mo*, vestes sacras Sacerdotis, calicem, patenam, stolam, casulā, quæ sunt benedictœ, B. Gregorius super Ezechiel. 8*vo*, orationem, & jejunium, & sic dicit Iesus: hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi oratione, & iejunio.

76 Istœ orationes, & iejunia, à quo debent fieri?

℞ A Clerico exorcista, à parentibus personœ obsessœ, à viris religiosis, qui pro illo homine rogāt, ab amicis, & Fidelibus, & tandem ab ipso homine, vel muliere, quæ patitur dœmonium, cum eum deserit, quia tunc est tempus merendi, & petendi humiliter, & cum fide à Deo, ut liberet eum à tali vexatione.

77 Si Ecclesia posuit exorcismum ad fugandos dęmones, quœ est causa, quare aliquando dœmones statim in exorcismis nō eggrediantur, & relinquāt corpus Christiani liberum, cùm Clericus habeat potestatem eos expellendi; & exorcismus, & orationes habeant virtutem ad dœmones expellendos, & fugandos?

℞ Ex causis sequentibus. 1*mo*, propter parvitatem fidei circumstantium, aut parentum ipsum obsessum offerentium ante Clericum exorcistam. 2*do*, propter peccata ipsius Dæmoniaci. 3*tio*, propter hoc, quòd non habent commoda remedia constituta ab Ecclesia, vel illa negligunt. 4*to*, propter defectum fidei in exorcista. 5*to*, quando est alius sacerdos virtuosior, qui exorcismum faciat, vel cui Deus in hoc casu majorem communicavit gratiam, propter reverentiam illius non fugatur dœmon. 6*to*, quia ille dœmoniacus non est satis punitus à culpa, propter quam diabolus est ingressus. 7*mo*, quando est tempus constitutum à Deo, ut diabolus in illo corpore permaneat, & tempus non est finitum.

78 Cum fiunt exorcismi, debetne accendi candela benedicta?

℞ Debet, cum habeat per benedictionem virtutē contra dœmonia, incantationes, & tonitrua & sic debet accendi, cum pluvia, tempestatesq; exorcizantur, & cum eijciuntur dœmonia. *Mall. malefic. p. 2. quæst. 1.*

79 Dœmon torqueturne exorcismis, & orationibus sanctorum?

℞ Affirmativé, & cum exorcista ejus figuram cremat, & cruciat, & imponitur stola super caput, vel aliqua, & effunditur etiam aqua benedicta. *Mal. malefic. p. 1. q. 18.*

80 Quæ orationes majorem vim habent contra diabolum?

℞ Evangelia quatuor Evangelistarum, Evangeliū missus est Angelus; passio Domini, Evangelium, In principio erat verbum; reliquiæ sanctorum, & cilicia sanctorum magnam habent vim. *Malleus maleficor. q. 2. p. 2. c. 4.*

81 Exorcista poteritne abhibere petras, vel herbas, ad expellendos dæmones, præcipuè herbam, quæ vocatur fuga dæmonis?

℞ Poterit absq; periculo superstitionis, si herbas, vel petra benedictæ sint, ut palma, & oliva: si verò non sunt benedictæ, poterit etiam illas adhibere, dummodo sacerdos non credat tales herbas directè; & de sua natura posse compellere dæmones, sed ex virtute Dei. *Angel. verbo superstitio. §. 6. Nava. sum. c. 11. numero 38.*

82 Quomodo dæmones alliciuntur carminibus, musica, & herbis?

℞ Quia honoris sunt cupidi, & cum hæc in eorū honorem, & reverentiam fiunt, ita alliciuntur, & recreantur. *D. August. Lib. 36. de civitate Dei.*

83 In herbis, lapidibus, & musica, est ne virtus aliqua ad excludendam vexationem diaboli?

℞ Herbæ, & harmonia sua naturali virtute non possunt excludere vexationem diaboli, sed permittente Deo, & Angelo bono possunt eum mitigare; sed hoc non fit agendo in dæmonē, cum corporale non possit agere in spiritualia, sed agendo in corpore hominis dœmonium habentis. *Malleus maleficor. p. 1. quæst. 5.*

84 Animæ cum exeunt è corporibus per mortem naturalem, vel violentiam, quò vadunt?

℞ Præsentantur coram Tribunali Dei, ut recipiāt prœmium, seu supplicium, & collocantur in cœlo, vel in inferno, vel in purgatorio secundum eorum merita.

85 Animæ defunctorum postquam sunt in cælo, purgatorio, vel inferno, exeuntne realiter aliquādo ab illo loco, ut hominibus appareant, & cum hominibus loquantur?

℞ Divus August. Lib 10 de cura pro mortuis tenet, quòd animæ, quæ sunt in cælo, aliquando apparent hominibus ad eos deridendos & animæ quæ sunt in inferno, aliquando apparent ad eos terrendos, & ostendendam Dei justitiam, & animœ quæ sunt in purgatrio, aliquando apparent ad petenda suffragia viventium, vel ad faciendam aliquam satisfactionem, & idem tenet Divus Gregorius Lib 4. dialogorum.

86 Anima alicujus mortui intratne in corpus hominis vivi, ut eum vexet sicut dæmon?

℞ Negativè. *ita Abulens. in cap. 8. Matthæi.*

87 Qui dicuntur familiares dæmones, & quare sic nominantur?

℞ Sunt aliqui dæmones, quos homines habent alligatos in uno ânulo, vel alibi, & eis utũtur ad varia negotia, præcipuè ad sciendum res occultas, vel quæ longè sunt, & nominantur familiares, quia serviunt tali homini familiariter, veluti servi ejus *Tyreus. p.2.c.23.nu.12.*

88 Quomodo homines habent tales familiares?

℞ Faciendo aliquod illicitum pactum cum dæmone, vel promittendo illi suas animas, vel faciendo rem illicitam, ut non dicendo veritatem, nec audiendo Missam. *Tyreus p. 2. c. 23. n. 12. de dæmoniacis.*

89 Potestne quis habere familiarem sine pacto cum dœmone, & habere illud ad bonum finem, & uti illo ad gubernationem bonam alicujus Regni, vel ad sciendum quid faciant, & machinentur inimici Fidei?

℞ Non potest habere sine pacto explicito, vel implicito, & ad bonum finem nullus christianus potest illo uti; quia non est medium ordinatum à Deo, neque licitum est homini habere talem familiaritatem: melius est ut qui gubernat aliquã Prouinicam, sit bonus Christianus, & habeat fiduciam in Deo, ut illi omnia prospere succedant.

90 Dicunturne dæmoniaci habentes familiarem?

℞ Non, quia nullus dicitur dæmoniacus, nisi qui intra suum corpus dæmonium habet; neque dicuntur dæmoniaci, qui extra vexantur à dæmonio, sed solùm, qui habent illum intra corpus suum. *Tyreus p. 2. c. 23. num. 12.*

91 Habentes familiarem vexanturne ab ipso?

℞ Non, imò tali homini quasi ejus famulus inservit; non enim est ibi constitutus ad ejus vexationem, sed ad ejus deceptionem, ut decipiat tali pacto, & conversatione animam illius hominis.

92 Habere familiarem, quod peccatum est, & quis de eo cognoscit?

℞ Magnum peccatum, & talis absolvi non debet, nisi eum dimittat, sicut qui habet concubinam, & cognoscit de hoc delicto Tribunal S. Inquisitionis per Bullas Apostolicas, tanquam de suspectis in fide, quia habent pactum cum dœmone

93 Quando aliquis homo divinat res absentes, & occultas, quomodo cognoscetur, an talis homo sit dœmoniacus: vel habeat familiarem?

℞ Duplici signo. 1mo, interrogando talem hominem an habuerit aliquod pactum cum dæmone; si enim non habuit, habet intra se dæmonium, & non familiarem. 2do, animadvertendo, an talis homo habuerit cruciatus exteriores, loquatur linguis varijs, quas nõ didicit; tunc habet intra se dœmonium, & non familiarem. *Tyreus par.2. cap. 22.num.12.*

94 Potestne quis habere familiarem, & non amittere fidem Catholicam?

℞ Potest habere familiarem propter curiositatẽ, & committere hoc delictum, sicut alia delicta, & retinere fidem integram, & uti isto familiari ad curiositatem, vel ad sciendum, quid faciunt inimici fidei Catholicæ; sed ex hoc nõ evadit iste talis pœnam S. Inquisitionis, quia hoc prohibitum est ab Ecclesia, & magnum, & periculosum prœdictum est.

95 Quare Tribunal S. Inquisitionis cognoscit de habentibus familiarem, & non cgnoscit de dœmoniacis?

℞ Multiplici ratione 1mo, quia habens familiarem cõsẽsit inillo peccato, & familiaritate, & ideo est suspectus in fide, & ex sua voluntate facit rem illicitam, & prohibitam à fide Catholica. 2do, quia dæmoniacus aliquando vexatur à dæmone ad ejus meritum. 3tio, quia semper habet dœmonium contra suam voluntatem, & sic magis est adiuvandus orationibus, quam puniendus.

96 Potestne quis habere familiarẽ, & illo uti, & esse in gratia Dei?

℞ Non quia est in manifesto peccato, sicut qui confitetur, & concubinam retinet; benè tamen potest esse dœmoniacus in gratia, & habere intra se dœmonem, sicut supra dictum fuit.

97 Quomodo divinat dœmon futura?

℞ Sæpè loquitur mendacium, sed si aliquando dicat verũ 1mo, quia viget subtilitate naturali quoad operationem intellectus 2do, quia propter experientiam temporum, & scientiarum, quas habuerunt plura sciunt, quam nos. 3tio, propter celeritatem motus; nam ex oriente ad occidentem mira celeritate percurrunt. 4to, quia sicut ex voluntate Dei possunt inducere morbos, aërem inficere, excitare tempestates, ita possunt illa prædicere 5to, quia per signa subtiliùs, & certius possunt prædicere mortẽ, & sanitatem, quàm medicus videndo urinam, & pulsum. 6to, quia ex signis, quæ procedunt ab animo hominis potiori modo coniecturant plura, quam ex ijs vir prudens soleat conjecturam facere. 7mo, quia sciunt, & intelligunt acta prophetarum, & ex illis multa dependent. *D. August. in libro de natura Dæmonum.*

## CAPUT XXXIII.
## De Maleficis, Sortilegis, & incantationibus.

1 Quis fuit primus inventor artis magicæ?

℞ Zoroastres, qui fuit filius Can, iste Can fuit filius Noe, & risit videndo pudenda patris, & didicit opera Diaboli, id est maleficia, & incantationes ad nocendum hominibus; iste Zoroastres qui magicam artem primum reperijt; fuit Rex Bactrianorum in Perside, & fuit 800 annos ante Trojana tempora, & á dæmonibus didicit hanc pestiferam artem; ita tenet *S. Augustinus de civitate DEI, Vincentius in speculo historiarum, ubi plures allegat. Polydorus Virgilius lib. 1. c. 22. Plinius lib. 30. Eusebius de temp. & præparat. Evang. lib. 10*

2 Suntne maleficia nocentia hominibus, & mulieribus. & quomodo fiunt?

℞ Sunt, & fiunt ex varijs virtutibus herbarum, verborum, & incantationum, & verè nocent hominibus, & mulieribus, & reddunt eos infirmos, & aliquando ex his maleficijs, ita debilitatur natura, ut homines moriantur absq; eo, quòd medicinæ applicatę à medicis illis prosint, quę me-

dicinæ suaderent illud corpus infirmum, nisi esset occupatum illis incantationibus, & maleficijs. ita Authores citati.

3 Astrologia, quâ Mathematici predicunt futura, ut tempestates, pluvias, casus futuros, nullo tamen modo pertinentes ad libertatem; estne scientia reprobata?

℞ Astrologia, quę nullum habet pactum cum diabolo, sed solum colligitur ex stellis, & ex constellatione cœli, ex stellis, & signis, non est scientia reprobata, sed permissa ab Ecclesia, & hæc scientia habet principia, & fundamenta vera, sicut aliæ scientiæ; astrologia vero, quæ habet pactum cum diabolo explicitum, vel implicitum, & ex isto pacto adiuta prœdicit futura, vel occulta, est reprobata ab Ecclesia, quia non est vera scientia *tenet Malleus malefic. p.1.q.3.*

4 Qui sunt astrologi, & mathematici, & quare sic dicuntur?

℞ Sunt isti, qui pollent scientia circa stellas motus cœlorum, cometas, & Polos cœli, *Isidorus lib 8. & ethimologiæ. c. 9.*

5 Maleficus, quid significat?

℞ Multitudinem facinorum. scilicet, quia efficit maiora mala, quam alij malefactores. *Mall. maleficor. quæst. 2. p. 1.*

6 Ars maleficandi, & incantandi quando habuit principium?

℞ Hæc ars habuit principium post Noe, quia ante Noe non fuerunt malefici; ratio est quia ex recēti recordatione creationis hoc peccatum neq; fuit inventum, neq; commissum, sed post Noe crevit malitia hominum, & diabolus introduxit hoc genus peccati in mundum. *Malleus maleficor. p. 2. quæst. 1, c. 4.*

7 Qui dicuntur incantatores?

℞ Qui artem, vel rem aliquam verbis peragunt, ut cum quis incidit nudis pedibus super prunas sine læsione. *Isidorus Lib 8. ethimologiæ.*

8 Incantatores quando se, vel alios equis portant in longinquas vias, quomodo faciunt?

℞ Duobus modis. 1*mo*, lædendo potentias ipsorum hominum fingendo in phantasia, quòd illi homines equitant, & vident tales Provincias, tàm vehementi apprehensione, & cum tanta rerum, & locorum circunstantia, ut evigilati postea intelligentibus dicant se vidisse mare Constantinopolitanum, & alia loca. 2*do*, diabolus verè, & realiter fingit corpus equi nigri, & monet itinerantem, ut se non signet signo Crucis, nec nominet Iesum, aut Mariam, nec dicat Angelicam salutationem, & tunc fert illud corpus per diversas mundi partes, de quo plura sunt exempla à Divo Greg. & gravissimis scriptoribus narrata. *Mall. maleficor. p. 2. q. 1. cap. 3. S. Th. 2. 2. q. 6. art. 5. tit. de superstitionibus, & 1. p. q 8 tit. de miraculis, & q. 16. art. 5. & 6. tit. de dæmonialibus. S. Bonaventura, 3. sent, dist. 19. q. 3.*

9 Tales sunt ne verè equi?

℞ Non, nec habent veram substantiam illius, sed diabolus se fingit in figuram Equi, licèt verè non sit equus. *Malleus malefic. p. 2. q. 1. c. 3.*

10 Unde dicitur succubus, & quis est?

℞ Dæmon ille, qui se habet in generatione, ut patiens: corpus illud formatur ex aere. *Malleus maleficor. p. 2. c. 4. quæst. 1.*

11 Phitones Dæmones, qui dicuntur?

℞ Illi, qui futura prophetizant, & sic mulieres divinantes Phitonissæ appellantur.

12 Quis dicitur incubus, & unde formatur?

℞ Dæmon ille, qui se habet in coitu, ut agens, & formatur ex aere crasso. *Malleus malefic. p. 2. q. 1. c. 4.*

13 Incubi possuntne generare?

℞ Non, quia non habet semen, nec membra virilia, & sic sunt in capaces generationis. *Mall. malefic. c. 4.*

14 Incubi aliquando videntur generare, quomodo faciunt?

℞ Sumunt semen alicujus hominis, quod dictus dæmon herbis, & arte potest servare calefactum, & temperatum & immittit in vas mulieris tempore, quo ipsa seminat, & conjunguntur semina ad modum agentis, & recipientis, scilicet activè, & passivè, & sic mulier concipit. *Mall. malefic. c. 4.*

15 Filius incubi, cujus filius dicetur?

℞ Cum incubus non habeat semen, erit filius hominis, cujus diabolus semen arripuit, licèt incubus visibiliter, & quasi corporaliter rem cum muliere habeat. *Malleus maleficior. p. 1. q. 3.*

16 Si ignoretur homo ille, à quo ablatum fuit semen, natus infans cujus filius dicetur?

℞ Filius matris suæ, & ejus bona hæreditabit.

17 Qua de causa diaboli se transformant in incubos, vel succubos, est ne causa libidinis?

℞ Non ex causa libidinis, neq; delectationis ex parte sua, quia spiritus carnem, & ossa non habet, & ex consequenti, neq; delectationem carnalem; sed causa est, ut homines, & mulieres decipiant in vitio appetibili secundum eorum naturam. *Malleus maleficor. part. 1. quæst. 4.*

18 Dæmones coeunt ne vitiosè cum hominibus, & mulieribus contra eorum voluntatem?

℞ Isti homines, & mulieres sunt in triplici differentia. 1*mo*, qui ex sua voluntate se dæmonibus subijciunt, & eos acceptant sicut mulier maritum. 2*do*, sunt homines, & mulieres, qui vexantur ab incubis, & cum eis coeunt. 3*tio*, sunt aliquæ Virgines, quæ incubis contra earum voluntatem mediantibus maleficijs molestantur. *Mall malefic. p. 2. q. 2. c. 1.* & dicit, quòd quœdam puella in habitu monachali in mente sua perdidit per consensum virginitatem, postea ipsa nolente pluries ab incubo cognita fuit, postea orationibus, confessione, Sancti Sacramenti sumptione post longum tempus liberata fuit ab hac diaboli oppressione.

19 Malefici ad faciendum sua maleficia, habentne pactum cum dæmone?

℞ Habent implicitum, vel explicitum. *Mall. maleficor, p. 1. per tot.*

20 Quare dæmones cum vocantur ab incantatoribus, certiùs veniunt in una constellatione, vel certo die, quàm in die veneris?

℞ 1*mo*, ut facilius decipiant eos homines, & faciant magis superstitiosos existimantes esse illā virtutem in his diebus. 2*do*, quia considerant aliquas constellationes esse magis dispositas ad materiam corporis, pro quo fiunt tales incitationes; *Mall. malef. q. 5. p. 1.*

21 Ungventum,quo utuntur malefici, ut per aëra elabantur, ex quo fit?
℞ Ut eorum confessionibus sæpè apparuit, fit ex carnibus, & membris puerorum interemptorum ab eis ante baptismum,cum quo aliquod lignum ungunt secundum instructionem dæmonis, & hoc uncti feruntur, sive noctu, sive die per aera; sed non intelligas,quod hoc ungventum in se habet hanc naturalem virtutem, sed quòd feruntur potestate dæmonis,& activitate ejus, permittente sibi Deo. S. *Th.p.1.q.90.per totum 3.part.& 3. sententiarum distin.*19, de potestate dæmonis super effectus corporales.
22 Quot sunt genera maleficiorum?
℞ Duo. 1*m*,qui sanant,vel lædunt. 2*dm*,qui tantummodo sanare videntur,idest læsiones amovere. *Mall.maleficor p.1.q 9.*
23 Dæmones quare macerant pueros,infirmant,& faciunt ut non crescant, & aliquando occidunt?
℞ Est genus dæmoniorum, quod se conjungit nutricibus, ut hæc omnia damna operentur in pueros,& hoc permittit Deus. 1*mo*, quia parentes pueros inordinatè sæpè diligunt 2*do*,quia matres, vel nutrices aliquando sunt superstitiosæ,& seducuntur falsis cæremonijs,& sicDominus punit eos in eo,in quo peccant. *Mal.malefic.p.2.q.2.c.7.*
24 Quod sunt maleficia,quibus utitur dæmon contra viros,& mulieres in actibus venereis?
℞ Septem. 1*mo*, movent mentes hominum ad illicitum amorem. 2*do*,impediunt herbis,&maleficijs vim generativam 3*tio*, auferunt membra virilia hominis,vel concludunt vas mulieris. 4*to*, mutat homines arte magica in bestias, licèt non immutent eorum naturam,& substantiam 5*to*, destruunt vim generativam quo ad gemellas. 6*to*, procurant abortum. 7*mo*, offerunt dæmonibus infantes, & eos lædunt, & occidunt. *Malleus malefic. p. 1. q. 6.*
25 Quibus modis nocent malefici?
℞ Magister sententiarum ponit septem modos, quibus nocent Deo permittente. 1*m*, ponunt amorem inordinatum in virum ad mulierem, vel è contra. 2*do*, seminant odium, vel invidiam inter aliquos. 3*tio*,tollunt vim generativam,in viro, vel in muliere. 4*to*,membrum hominis ægrotare faciunt. 5*to*,dictis privant homines 6*to*, usu rationis. 7*mo*, lædunt animalia hominis, vel fruges cum effectu. *Mall.malefic.t.3.de maleficis fol.* 487.
26 Dæmones incubi,& succubi, quas figuras accipiunt?
℞ Sæpè assumunt,& assumpserunt figuras Sylvani, & fauni,& in eis cum mulieribus rem habuerunt, ut major esset culpa,& horribilior. *Malleus malefic. part 1. q. 3.*
27 Succubi assumuntne aliquando formam mulieris?
℞ Scriptum est succubum in forma pulcherrimæ mulieris interfuisse cum pluribus meretricibus in in concilio Constantiensi,& viro itineranti,interrogantique mulierem, qualis esses,& unde veniret, respondisse dicitur,sum succubus,&venio,exConc. Constantiensi, & porto in crumena mea has pecunias meo corpore acquisitas. *Malleus malefic. 9. fol.* 516.
28 Tempestates à maleficis quomodo concitantur?
℞ Primo,implorando in campo Principem dæmoniorum,ut mittat,qui concitet tempestates.Secundò,immolant pullum nigrum eum in altum eijciendo,& ille dæmon,qui missus fuit,concitat tempestates,movendo aerem,& nubes;hæc omnia cōfessus fuit quidam maleficus reus ante judicem. *Malleus malefic. c.4. fol.* 487
29 Quo remedio sedantur istæ tempestates?
℞ Abjuratione, & exorcismis ab Ecclesia sanctâ institutis,signo crucis,aqua benedicta. Agnus Dei, reliquijs sanctorum,fide,orationibus fidelium, & fide in exorcizante, ostensione sanctissimi. *Mall. ubi sup.*
30 Quæ remedia sunt ad sanandum maleficum posita ab Ecclesia?
℞ Exorcismi ab Ecclesia instituti,sunt etiam orationes,& carmina, quæ nihil habent superstitionis,& solent prodesse, & aliquando maleficium efficitur perpetuum,quia remedium ignoratur,& tunc solus Deus, qui eorum noscit abscondita, potest sanare tale maleficium. *S. Thom.2.2.q* 95. *& super c. u t. Marci in illis verbis*, dæmonia eijciunt tantum.
31 Ad fugandum incubum estne bonum remediū transferre puellam in aliam partem?
℞ Malleus maleficorum. *p.2.q.2. c.* 1.narrat,quòd quædam puella ab incubo oppressa translata fuit à suo patre qui erat Clericus in longinquam civitatem, & incubus amplius eam non est prosecutus, sed dictum patrem ita prosequutus fuit, ut intra tres dies è vita discederet.
32 Quæ sunt remedia contra maleficiatos amorevel odio concitatos?
℞ Avicenna ponit septem remedia lib 3. 1*mo*, est, quòd talis maleficiatus sumat uxorem,& per licitum coitum evitet illicitum. 2*do*, si incorrigibilis existat,castigetur fustibus. 3*tio*,hortetur, ut cognoscat talis amoris insaniam,ac miseriam. 4*to*, occupetur in rebus arduis,& in officijs exerceatur. 5*to*, medicetur medicinis, si organa læsa fuerint. 6*to*, nunquam relinquatur solus,sed semper comitatus, ne imaginatione ad istos illicitos motus excitetur. 7*mo*, repræsentetur illi,quod amittet sanitatem corporis,salutem animæ,honorem,& famam.
33 Quæ sunt remedia Ecclesiæ ad expellendos incubos,& succubos à personis, quæ contra suam voluntatem ab eis vexantur?
℞ Quinque. 1*mo*.per confessionem.2*do*,crucis consignatione, Angelica salutatione. 3*tio*, per exorcismorum applicationem. 4*to*,per vocis mutationem 5*to*, per excommunicationem,seu maledictionem maledicendo dæmonem,ne tractet cum tali muliere,sicut fecit Beatus Bernardus,qui excommunicavit incubum, & sic eum expulit. *Niderus in suo fornicario citatus à Maleo malefic.p 2 quæst.2.c.* 1.
34 Si facta hæc, & alia remedia non prosint quid est judicandum?
℞ Si talis persona fuerit.confessa.& contrita,&ista remedia fuerint applicata,debet judicari,quod illa mala incubi patitur loco tentationis. *Mall. malefic. ubi supr.*
35 Quæ genera hominum sunt tuta, & præservata ab istis maleficijs?

℞ Tria genera hominum. *1mo*, Principes, & Episcopi, Inquisitores, & Sacerdotes, qui supra diabolū, & in maleficos habent potestatem; ratio est, quia potestas à Deo est ordinata, & non permittit Judices subjici illis, qui sibi sunt subjecti. *2do*, quia tales ratione dignitatis duplices habent Angelos. Secundum genus, quod liberatur è maleficijs, est illorum hominum, qui rectâ fide se defendunt orationibus, ramis palmarum, candelis benedictis, Agno Dei, ligno sanctæ Crucis. Tertium genus liberum ab hac miseria, est illorum hominum, qui sunt boni Christiani, & timent Deum, & nō sunt libidinosi cum meretricibus, & servantur à bonis Angelis secundum divinam providentiam *DD. in 2. sentent. & Malleus maleficorum, ubi sup.*

36 Crimen maleficiorum cujus fori est?

℞ Partim Ecclesiastici in quantum declarat talem esse maleficum, partim Laici, in quantum exequitur pœnam à jure statutam maleficis, *c. ad abolendam, de hæreticis. in 6.*

37 Qua pœna punitur Clericus maleficus?

℞ Deponendus, & in monasterium detrudendus. *Malleus maleficorum q. 1. p. 1.*

38 Magi possuntne convertere hominem in animal, ut in equum, & capram?

℞ Verè & realiter non; & si aliquando id appareat hominibus, eorum phantasia est læsa, & videntur videre, quod realiter ad extra non est, sicut ebrius, mente captus, & furiosus, vel dæmones assumunt corpus illorum animalium, & in illud intrant, sicut intraverunt in porcos, cum Christus Dominus illos ejecit è corpore hominis. *Malleus maleficorum quæst. 10.*

## CAPUT XXXIV.

## De pœna imponenda Magis Sortilegis, Chiromanticis, Nicromanticis, Superstitiosis, per Judices Ecclesiasticos.

1 Ars magica quid est?

℞ Est ars, qua dæmonium utitur utendo certis incantationibus, & varijs apparitionibus, ut hominum oculos præstringat, & eos fallat patefaciendo illis occulta. *S. Th. 2. 2. q. 95. art. 3.*

2 Magus propriè qui dicitur?

℞ Ille, qui arte dæmonis turbat sensus internos, vel externos hominum, & elementa concutit, excitat tempestates, & aliquando cantu, vel virtute carminis homines interficit, & alia plurima horrenda facit; & si actu id non fiat, facit, ut oculis hominum appareant quasi actu fierent. *Isidor. Lib. 8 orig. c. 9*

3 Maga, quæ vulgo dicitur (Magara) & in lingva Hispana (Echizara,) quæ dicitur?

℞ Propriè dicitur mulier illa, quæ sumptis aliquibus rebus animatis, vel inanimatis, vel factis figuris ex cera dicendo, vel non dicendo aliqua verba applicat tales res ad amorem, vel odium alicujus hominis, vel ad sanitatem, vel infirmitatem alicujus hominis, vel mulieris & his artibus facit homines infirmari, vel violenter amare aliquam mulierem. *Isid. loc. cit.*

4 Quot sunt genera magiarum?

℞ Plurima, & infinita, & ferè semper Judicibus occulta; nam aliquando istæ mulieres, quæ magæ appellantur, solent accipere morsum panis alicujus hominis, vel partem vestis; quæ tetigit ejus carnes, & illum miscere cum aliquibus herbis, dicendo vel non dicendo aliqua verba; & sic componunt dictam magiam, aliquando faciunt figurā ex cera, vel ex alia materia, quæ repræsentat talē hominem, & dicendo aliqua verba, & jungedo oleum vel herbas, vel lac, vel alicujus mortui carnem, vel ossa, sæpè verberant illam figuram pungendo ense, cultro, acu, vel alio instrumento, & sic causant in homine dolorem, aliquādo ex rebus liquidis, ut ex aqua paludis obscura, vel ex urina virginis, viduæ, vel talis hominis, ex oleo in lampade Ecclesiæ accenso, aliquando scribunt orationes in charta, & cum aliquibus signis insusitatis, jubent, ut homines gestent illas in collo, sicut reliquias, aliquando dant dentem alicujus suspensi, vel morsum carnis alicujus animalis, vel aliquam herbam lectam nocte S. Joannis, vel alia nocte particulari, ut quis non occidatur, ut latè *tenet Suar. to. 1. de relig. Lib. 2. de superstitione. c. 14. Martin. del Rio in tra. de inquisitione magar. per. tot.*

5 Istæ mulieres magæ ad quem finem faciunt, & applicant dictas magias vel confessiones

℞ *1mo.* ut aliquis homo amet aliqam mulierem. *2do*, ut aliqua mulier odio habeat aliquem virum. *3tio*, in odium alicujus hominis, ut applicata dicta magia talis homo infirmetur, vel moriatur. *4to*, ut aliquis vir portans dicta nomina dives efficiatur, vel non moriatur gladio, vel vincat inimicum, vel similia, *ut latè tenet Martin. del Rio, ubi sup.*

6 Quando quis portat in collo aliquas orationes, Evangelia, vel aliqua carmina ad effectum aliquē temporalem, videlicet, ut nō moriatur ense quomodo poterit cognosci talem esse magum, vel uti magia sibi data à mago, præcipuè cum orationes sint sanctæ?

℞ Quotiescumq; in tali scripto inveniantur aliqua ex quinq; conditionibus hic pōsitis talis homo est magus, vel utitur magia sibi data, videlicet, *1mo*, quando ibi reperiantur scripta aliqua nomina ignota, Dei, Angelorum, vel alicujus sancti. *2do*, quando in tali scripto sunt interpositi aliqui characteres, vel figuræ ignotæ, sive in serie literarū, sive extra literam. *3tio*, si aliqua verba, vel propositiones incertæ, vel apochriphæ ibi inferantur *4to*, si efficacia talis orationis, vel evangelij, vel talis verbi posita sit in eo, quod tali die, vel tali hora, vel cum tali positione corporis, vel tali atramento, vel sangvine debet scribi. *5to*, si in tali oratione dicantur, quod portantes tales orationes nō morientur gladio, vel non infirmabuntur, vel consequentur gratiam alicujus Principis, vel quid simile. *Suarez, & Martin. del Rio, ubi sup.*

7 Quando aliquis portat in collo tanquam reliquias dentem, ossa, vel carnem alicujus animalis, vel aliquam herbam lectam nocte S. Ioannis, vel die Veneris sancti, etiam herbam, quæ vocatur verbena ad aliquem finem temporalem, scilicet, ut sit fortunatus etiam, quod crimen committit?

℞ Talis debet puniri à judice Ecclesiastico, tanquam magus pœnis infra ponendis.

8 Tales magi habentne pactum implicitum, vel explicitum cum dæmone?

℞ Isti magi sunt in duplici differentia, *In Prima* sunt qui habent pactum explicitum cum dæmone, & ab eo didicerunt tales magias. *In Secunda* sunt alij magi, qui non habuerunt pactum explicitum cum diabolo, sed ab alijs mulieribus magis acceperunt artem,& eis credunt,& isti non excusantur, quòd habeant pactum implicitum cum dæmone, *ut latè patet per Pegnam 2. p. directorij q. 42. n. 2.*

9 Quomodo poterit cognosci quando dicti habeat pactum explicitum,vel implicitum cum dæmone?

℞ Quotiescunq; in suis magijs miscent res sacras cum prophanis,vel faciunt aliquid directè contra nostram fidem, veluti si ante magiam baptizant imaginem,vel baptizant puerum, vel exhumant caput defuncti,vel habent membrum, vel dentē alicujus defuncti,vel dicunt aliqua verba contra fidem nostram,vel obscura, quæ non habent sensum bonum, sed obscurum,vel faciunt aliqua signa inusitate,vel ungunt manus oleo,vel miscent aquam benedictam; istæ omnes præsumptiones sunt vehementissimæ, & faciunt probationem, quod talis magus habeat pactum explicitum,vel implicitum cum dæmone *latè Pegna ubi supr.*

10 Quæ est causa,quare aliqui homines maleficantur à mulieribus?

℞ Sæpè provenit ex eo,quod quis habet illicitam conversationem cum aliqua muliere, vel concubinatum.&illam deserit,vel magis amat aliam,& ex isto zelo talis mulier amore inordinato quærit aliquam magiam, ex supradictis, & applicat illam tali homini.

11 Quando quis est maleficiatus ab aliqua muliere, unde provenit, quod habeat febrē: vel doleat illi caput,vel cor,& aliquando moriatur ex tali infirmitate præcipuè?

℞ Ratio huius infirmitatis est,quia herbis.vel maleficijs humores illius hominis sunt in tali dispositione, ut incendant interdum, & operentur in illo corpore illā febrem,vel dolorem capitis, vel corporis, *Mall. malefic. par. 2. q. 1. c. 1.*

12 Malefica suis maleficijs consequiturne semper suam intentionem?

℞ Non;imò raro contigit,ut illa maleficia operentur finem,ad quem data sunt imò sæpè contigit, ut dentur ad incendendum juvenem ad amorem alicujus mulieris, & quod talis juvenis infirmetur, & perdat judicium; ratio est, quia herba. & res, quœ applicantur, non habent virtutem naturalem ad talem amorem incēdendum,& corpus non est in dispositione requisita, ut introducatur ille effectus. *tenet Malleus.maleficior.loco alleg.*

13 Quomodo cognoscitur,quodquis habeat dolorē, vel febrem ex maleficio, & non ex infirmitate naturali?

℞ Hoc evidenter cognoscitur. 1*mo*:quando medicinæ,& remedia applicata à medicis nihil prosunt, neq;,juvant infirmo. 2*do*,qñ talis homo habuit conversationem carnalē cum aliqua muliere,vel concubinatum,sive illā deseruerit,vel non deseruerit; quod ipse infirmus debet declarare. 3*tio*,quādo infirmitas est longa nimis.&habet infirmus cruciatus,&dolores intensos,&extraordinarios,*tenet Mall. malef.loco alleg.*

14 Contingitne aliquando ut in uno, & eodem corpore sint maleficia operantia dolorem, & infirmitatem, & simul sint aliquæ infirmitates naturales?

℞ Sæpissimè, imò semper contigit, quod in corpore maleficato sint infirmitates, & dolores provenientes ex maleficijs, & sint etiam simul aliquæ infirmitates naturales; ratio est, quia maleficia alterant qualitates, & humores, ex quibus homines sunt compositi, & inde proveniunt infirmitates naturales, & simul sunt cum infirmitatibus, & doloribus provenientibus ex maleficijs; & difficiliùs expelluntur, imò quotidie crescunt usq;ad interitum hominis.*tenet Mall. malef. parte allegata.*

15 Contigit ne aliquando, ut aliquis homo, qui est castus, & nullam habet conversationem, carnalem, neq; illicitam, sit maleficatus ab aliqua muliere?

℞ Sæpè contigit,quod aliqua mulier incensa solo visu,amore alicujusviri illum maleficet, ut illam amet, & ideo cum magna cautela iuvenes debēt ambulare.

16 Suntne aliqui homines vel mulieres, quæ solo visu infirmant pueros,vel bestias pulchras?

℞ Affirmativè, quia hoc experientia patet, sed advertendum est, quod isti homines, & mulieres quæ habent visum venenosum semper aspiciunt tales pueros cum aliqua magna cupiditate, vel intentione particulari: tunc enim operatur venenum visus, & faciunt puerum macrescere, & quod alimenta illi non prosint, & sic paulatim infirmatur *Mall. malef. loco alleg.*

17 Ad sanandum aliquem maleficatum; quæ remedia naturalia sunt quærenda, ne talis homo moriatur,vel sine iudicio,vel cum desperatione.ut solet &ne patiatur tam immensos cruciatus?

℞ Remedium magis efficax est quærere dictam mulierem,quæ talem hominem maleficavit,& prece, vel vi, vel metu petere, ut illa tollat maleficia quæ fecit, & si noluerit, tradere illam iudicibus Ecclesiasticis, vel sæcularibus, ut illam torqueant. & si talis homo moriatur, sententient illam ream mortis.

18 Suntne aliqui homines,vel mulieres,quæ curant dictam hanc infirmitatem,etiamsi ipsi non fecerint maleficia?

℞ Sunt aliqui homines, vel mulieres,quœ herbis cōtrarijs,vel orationib.sanctis, vel medicinis simplicibus,vel compositis,vel virtute sibi data halitu oris,curant homines,&animalia;ratio est,quia cōtraria contrarijs curantur,& sic herbis,vel lapidibus salutiferispotest tolli talis infirmitas.*tenet Mall. malef. loco alleg.*

19 Isti homines,vel mulieres,quæ curant de ista infirmitate,debentne à iudicibus Ecclesiasticis incarcerari,&puniri?

℞ Licet tales homines, qui curant, sint multum suspecti à iudicibus,quia, qui scit curare,videtur etiam scire operari,tamen hæc regula infallibilis est observanda,videlicet si isti homines,vel mulieres

liceres, quæ curant maleficatos, nullum habeant pactum implicitum,neq;explicitum cum diabolo, & non utantur orationibus Ecclesiæ in reprobum sensum,sed solum curent herbis compositis,&simplicibus,& solùm dicant orationes ab Ecclesia approbatas,non sunt molestandi,imò sunt conservandi,& permittendi.quia de istis infirmitatibus provenientibus ex maleficijs,medici non curant,cum Galenus de his nihil scripserit præcipuè, cum habeamus dictum Apostoli Iacobi dicentis (si quis infirmatur introducat Presbyteros in domum suam,& oret,&ungant eum oleo,& alleviabitur infirmus ) unde clarè patet orationes,& oleum habere maximam virtutem contra infirmitates, & tenet *Mall. malefic. loco alleg.*

20 Quando canes ex siti, vel ex alio accidenti habent rabiem,& mordent alios canes,vel homines, & ex illo veneno alius etiam rabiem contrahit, qua medicina curantur?

℞ In Hispania sunt aliquœ imagines,quæ habent virtutem sanandi homines,& bestias ex hac infirmitate, ut in Episcopatu Conquensi est monasterium Ordinis S.Bernardi,quod vocatur(demonsalud)&ibi omnes isti,qui intra novem dies à principio infirmitatis adorant imagines Virginis Mariæ,& unguntur oleo ex ejus lampade, sanantur ab hac rabie,& infirmitate,& etiam sunt homines inHispania,qui vocantur salutatores,&anhelitu, oratione,& benedictione sanant homines,& omnia alia animalia ab istis infirmitatibus , virtute occulta illis à Deo concessa,&isti permittuntur,& ducuntur de loco in locum,ubi necessitas postulat.

21 Punitio hujus criminis,&aliorum criminum similium ad quem judicem pertinet?

℞ Cum distinctione, si tales magi habeant pactum explicitum,vel implicitum cum dœmone, pertinet eorum punitio adInquisitores hœreticæ pravitatis,quia puniendi sunt more hæreticorum tāquam suspecti de fide; si vero non habeant pactum cum dæmone,quia illas magias didicerunt ab alijs vel mulieribus punitio hujus delicti pertinet ad Iudices ordinarios Ecclesiasticos,*ut Pegna tenet. 2. p. directo. q. 92. n. 2*

22 Probatio criminis magiæ qualis debet esse?

℞ Cum tale crimen sit de criminibus occultis, debet probari per propriam confessionem,&per legitimos testes,per facti evidentiam,vel si inveniant in ejus collo,vel veste maleficiorum signa suspensa tanquam reliquias, vel inveniantur vasa,& instrumenta in domo dictœ mulieris, vel si talis homo infirmetur ex infirmitate non naturali, nec cognita medicis, vel per famam publicam, vel per indicia vehementissima, *ut habetur in c.accusatus.de hæreticis in6.& tenet Pegna loco cit.*

23 Quæ pœna imponitur dictis magis?

℞ Hæc debet esse secundum quantitatem,&qualitatem delicti, consideratis circumstantijs, & damno, quod fecit cum dicta magia, ut si aliquem interfecit puerum, vel hominem, debet suspendi per motum proprium editum à Greg. XV. si verò neminem interfecit,& talis magus sit Clericus,verbaliter degradetur, vel suspendatur, & in monasteriū detrudatur,ut *Abb.cap.admoneant 26.q. 7.& Concil.Lateran.sub Leone X. sess. 9.* si sit Laicus vel mulier fustigatur publice, & deducitur per vias publicas cum mitra,vel ponitur in scala prope Ecclesiam,cum mitra,& cum pennis mille junctis. *Bern. Diaz in pract. crim. Canon. cap. 108. in fine mutationis,& Abb. in c. 1. de sortilegijs,& tex. in c. Episcopi 26. q. 5.*

24 In ponenda pæna quid debet Judex cōsiderare?

℞ 1mò,qualitatem personæ. 2do,quantitatem delicti. 3tio,tempus,& numerum delictorum. 4to,animum delinquentis 5to,damnum,quod fecit, si aliquem occidit,6to,personas, quas decepit suis sortilegijs.7mo,si vendebat pecunia dictas magias, & quibus personis.8vo,si docuit alias personas,ut uterentur dictis magijs,his pensatis debet ferre sententiā,quia certa regula dari non potest, cum jus plurimum confidat de prudentia judicis. *Abb.cap. 2 de sortileg in Gloss. 1.*

25 Astrologia quid est,& in quas species dividitur?

℞ Est scientia,quæ versatur circa motus cæli,stellarum,ortus,& occasus solis,& dividitur in naturalem,& judiciariam. *Isidor.Lib,2. de differentia Astronomiæ. & Astrologiæ.*

26 Astrologia naturalis,quid est,& an sit licita?

℞ Est scientia,quæ ex planetarum ortu,occasu,oppositione, conjunctione futuram serenitatem,vel pluvias coniecturat,vel alia,quæ naturaliter contingunt,& hæc licita est, ut *Mart. del Rio Lib. de ijs, qui m g.c.3.q.1. Sanch. in sum Lib.2.c.38.*

27 Astrologia judicialis,quid est,& an sit licita?

℞ Astrologia judiciaria, quæ à pluribus interrogatoria nuncupatur est illa,quæ ex astrorum , & stellarum oppositione,& nativitate hominis prophetizat futuros hominis eventus,&declarat præterita, præsentia,& futura,& hæc si ei credatur, nunquam est licita, nec caret superstitione,quia dicti eventus pendent à libero hominis arbitrio, & non à necessitate stellarum,& sic de hoc delicto Judices Ecclesiastici cognoscunt. *Bull. Sixti V. contra Astrolog.S Th.2.2.q.95 art 5.Castro lib.1.de justa hæreticorum punit. c.3 c. igitur 26.q.1. l. 2.5. & 7. C de maleficis, & mathem. Odoard. in cap. 2. de sortilegijs.*

28 Chiromantia quid est,& an sit licita?

℞ Est ars divinatoria per lineas manuum,ex quibus futura prædicimus,quæ pendent ex libero arbitrio,& non licita, neq; caret superstitione, & à judicibus spiritualibus punitur,sicut cæteri supra positi. *S. Th. 2.2. q. 95. art. 3. Castro de justa hæret. punit. Lib. 5. n. 3.*

29 Quænam sunt sortes?

℞ Contingentia, præsentia, vel futura,quæ naturaliter non possunt cognosci, sortes sunt propriè ex Divo Th cum aliquid fit ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat, & tunc periculosæ sunt.&ut plurimum peccatum involvunt, quando tamen liceat, quando non , lege *D. Tho.2.2.q. 85. art 8.in corpore* , qui circa hanc materiam multa eruditè distingvit.

30 Superstitio divinativa quotuplex est, & an sit licita?

℞ Est triplex.1mò,quando Deo non revelante homines dicunt futura,ex eo quòd dæmones eorum oculis ponant præstigium,& faciunt, ut homines aliquid existiment se aliquid videre futuram. 2do, cum somn

cum somniant præterita,vel futura,& illa,ut certa proferunt. 3*tio*, per mortuorum allocutionem, quæ dicitur Nicromantia à nocros,quod est mortuus,& mantia,quod est divinatio.4*to*,per homines vexatos à dæmone 5*to*,quando dæmones prædicunt futura per figuras, aut signa, quæ apparent in rebus inanimatis,& istæ non sunt licitæ,puniuntur. *l. nullus. l. culpa.* C. *de maledicis. Host. in sum verb. superstitio. c. non oportet. c. si quis Episcopus. 26. quæst.* 5.

31 Quando aliquis divinat pluviam, serenitatem, fructus bonos terræ, sanitatem, vel infirmitatem alicujus,considerando causas naturales, divinatio est ne prohibita?

℞ Non; quia innititur rationi naturali. S. *Tho.2. 2. q. 95. artic.* 3.

32 Augurium quid est,& an sit licitum?

℞ Est,quando ex animalium vocibus,vel cantu, vel ex aliqua accidentali re, videlicet quando casu sal decidit in mensa,vel vinum effunditur, nobis annunciamus aliquod bonum, vel malum, & hoc est illicitum,& peccatum mortale,cum hoc non sit signum naturale boni,vel mali, sed quædam imaginatio, quam homines habent in corde suo sine aliquo veritatis fundamento,& est illusio dæmonum. S. *Th. 2.2,q.95. art.5.*

33 Ariolus, quis dicitur?

℞ Propriè est ille,qui funesta sacrificia offert,& preces nefarias emittit,ut responsa dæmonum accipit,sicut Sacerdotes antiqui faciebant. *Isi or.lib. 8.Orig. c.9 & isti condemnatur à Judic. Ecclesiastico.*

34 Augures qui proprie dicuntur?

℞ Illi,qui ex volatu avium,motu animalium, vel ex intestinis dictorum animalium futura prophetizant,& isti damnantur àJudicibus Ecclesiasticis. S. *Th.2.2 q.95 art 3 Isidor. lib 8.Orig c.9.*

35 Nigromanticus quis est?

℞ Ille,qui arte dæmonum adhibitis sangvine, & certis carminibus facit mortuos resurgere,loqui,& videre, & alia inusitata, de quibus in c. de maleficijs,& isti omnes condemnantur à Judicibus Ecclesiasticis. *Isidor. lib.8.orig. c 9. Sanch. in sum lib.2.*

# LIBER SEPTIMUS
## *CONTINENS OMNES TITULOS LIBRI PRIMI DECRETALIUM,*
### De quibus hactenus exceptis materijs & titulis aliquibus ex illis desumptis & supra positis nulla fuit facta mentio.

## CAPUT I.
### De Decretalibus, Summa Trinitate, & Fide Catholica.



1 Quis compilavit librum Decretaliũ?

℞ Magister Raymundus, jussu, & authoritate Gregorij IX ut habetur in prologo Decretalium.

2 Quis tenetur observare decreta & Constit. Decretalium?

℞ Omnes studentes, & Doctores tam in consulendo, quam in iudicando; quia licet in pro logo liber Decretalium dirigatur ad studentes in Universitate Bononiæ;tamen cum ibi sit studium generale, & ad id concurrant ex omnibus mundi partibus, dicendo Dilectis filijs Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus, loquitur generaliter cum omnibus alijs, ut habetur in prooemio Decretal.prope medium.

3 Ad quem finem Decretales sunt compilatæ?

℞ Ad sedandas lites,& administrandam iustitiam, ut habetur in eodem prooemio.

4 Quæ est principalis causa litium, & dissentionum?

℞ Inordinata cupiditas, quæ est radix omnium malorum. *ut habetur in Epistola D. Pauli ad Timoth. 1. cap. 6.*

5 Quibus nominibus vocatur Epistola Decretalis in Jure?

℞ Aliquando vocatur Epistola Decretalis aliquan do Sanctio,Dogma. Mandatum, &interdictum,& semper fit ad consultationem, & responsionem alicujus *gl.in c.1.dist* 3.

6 Quibus nominibus appellatur Constitutio in Jure?

℞ Aliquando dicitur Constitutio,aliquando Canon,aliquando Decretum; &semper fit ex mente Principis præcipiendo,vel vetando aliquod necessarium ad bonum commune.*gl.in c.1.3.dist.*

7 Quot,&quæ sunt præcepta naturalia?

℞ Tria; honestè vivere, alterum non lœdere, jus suum unicuique tribuere.*ut habetur in proœmio Decretal.inst.de just.& iure,§.iuris præcepta.*

8 Quid tenetur quilibet Christianus credere?

℞ Trinitatem in personis; nempe Patrem, Filium, & Spiritum sanctum,& unitatem in essentia articulos Fidei, septem Sacramenta, & ea omnia quæ tenet Ecclesia Cathol. Rom. & omnia contenta in symbolo Fidei. *c. 1. de Sum. Trinit. & Fide Cathol.*

9 Si quis ea non credat,qua pœna punitur?

℞ Vt hœreticus(si non resipiscat) comburitur.*c. 2. de sum. Trin.c.ad abolendam. de hæret.*

## CAPUT II.
## De Constitutionibus, & Legibus.

1 Leges,& Canones quomodo se habent interse,& quomodo debent Judices Ecclesiastici uti legibus &Judices sæculares uti sacris canonibus ?

℟ Leges non dedignantur imitari sacros Canones & è converso sacri Canones non dedignantur imitari leges,præcipuè in casibus, in quibus non habent specialem dispositionem; ratio est, quia tam sacri Canones, quam leges ad eundem finem inventæ sunt, scilicet ad bonam gubernationem Reipublicæ, ut habetur *in c. 1. de nov. operis nunt.& ibi glos.*

2 In quibus casibus sæculares Judices debent servare Jus Canonicum,& è contra ?

℟ Iudices sæculares in duobus casibus tenentur servare Jus canonicum *1mo*,quando Jus civile est contra libertatem Ecclesiæ,vel contra Jus canonicum.*2do*,quando Jus civile non determinat aliquā difficultatem,&eam determinat Jus canonicum; & Judices Ecclesiastici tenentur servare Jus civile,quotiescunq; aliquod negotium non fuerit definitum per Jus Canonicum;ratio est,quia utrūq; Ius secundum rationem conditum fuit,& Judices tenentur sententiare justitiam,& inquirere veritatem ex utroq; Jure, ut *Abb. in c. 1. de novi operis nuntiat. n. 3. & 9.*

3 Clerici possuntne audire leges civiles in scholis publicis,sicut alij Scholastici ?

℟ Cum distinctione; si Clerici non sint Presbyteri,sed de Epistola,vel de Evangelio,neq; habeat beneficium curatum, sed solùm beneficium simplex, dum non sunt presbyteri, possunt publicè audire leges,& in illis se graduare,& similiter possunt audire physicam,vel medicinam; si verò sint presbyteri, vel habeant beneficium curatum, vel capellam, in qua instituitur Vicarius perpetuus, non possunt audire leges,neq;medicinam,per caput super specula, *c. non magno opere, ne Clerici, vel monachi*; ratio est, ut studium theologiæ amplietur, & ut monachi, & Archidiaconi, Decani, & dignitates habentes personatus, præsideant in suis Ecclesijs,& ut presbyteri insæcularibus negotijs, de quibus leges tractant, non se intromittant, *cap. 1. ne Clerici,vel monachi. in 6. & tenet Enricus Bovie in d. cap.super specula n. 7. & Abb.in dicto c.n. 10. Tolet.lib. 2. c. 7 Sylu.verbo excommunicatio. 9. n 22.*

4 Qua pœna puniuntur presbyteri,vel Clerici nō presbyteri, qui habent beneficium curatum, vel habent dignitatem, & personatum in aliqua Ecclesia,de quibus loquitur propriè, & expressè dictum c.super specula,ne Clerici,vel monachi ?

℟ Nisi desistant ante duos menses,à tempore constitutionis Bonifacij VIII. incurrunt excommunicationem, quæ potest absolvi, & dispensari ab Episcopo. *glos. in d.c. super specula*, & isti duo menses computantur à die,quo cæperunt studere legibus.

5 In quibus casibus presbyteri, & Clerici habentes beneficia curata, & personatus habentes dignitates perpetuas in Ecclesia possunt audire leges absq; pœna ?

℟ *1mo*, si isti audiant leges quatenus conducunt ad maiorem cognitionem Canonum, & non animo judicandi causas criminales, sed ut meliùs, & cum majori intellectu judicent causas civiles, & Ecclesiasticas. *2do*,si audiant leges causa honorandi Doctorem,vel amicum suum,& nō causa principaliter discendi leges, isti tales non incurrunt sententiam excommunicationis, & possunt absq; metu eas audire,sed non in eas doctorari. *Abb. c. fine Clerici,vel monachi, num. 14. & 16.& Tolet. & Bovie. supra citati.*

6 Quid debet agere presbyter,vel Clericus habens beneficium perpetuum curatum,ut possit audire leges absq; metu aliquo excommunicationis exterioris positæ *in cap. super specula*, ne Clerici, vel monachi ?

℟ Debet comparere ante suum Episcopum,& petere ab eo licentiam audiendi leges, declarando, quod ipse vult eas audire, ut meliùs intelligat sacros Canones,& fiat doctior in utroq; Iure ad defendendam fidem Catholicam,&ut meliùs possit judicare negotia Ecclesiastica,& non ea intentione,ut judicet negotia criminalia,neq;se intromittat negotijs sæcularibus,& obtenta dicta licētia in scriptis licitè poterit audire leges inscholis, & de eis disputare sustinere conclusiones,& facere omnia necessaria, ad hoc ut sit doctissimus in Jure civili; ratio est *1mo*, quia excommunicatio posita in *d.c.* super specula non imponitur actui exteriori audiendi leges,sed imponitur presbytero, qui audivit leges cum intentione judicandi causas criminales,& sæculares,ut patet *ex c. 1. ne Cleri ci. vel monachi in 6. 2do*, quia leges Codicis Justiniani sunt sanctissimæ, & favent plurimum Ecclesijs,& earum cognitio est valdè necessaria Episcopis,& Judicib. Ecclesiasticis,& nemo ex bono opere debet excommunicari. *3tio*, quia leges multò sunt necessariæ ad gubernationem Reipub.Ecclesiasticæ,Quartò,quia jus Canonicum perfectè intelligi non potest, nisi quis sit doctus; in Jure civili, *Ultimo*, quia innumeri Pontifices, Episcopi,Cardinales &DD.sunt,& fuerunt doctissimi in Jure civili,& super Jus civile scripserunt in magnam Ecclesiæ Dei utilitatem,& sic dicta excommunicatio debet intelligi supra animum depravatum,qui audit leges malo fine, sed non supra actum audiendi leges bono fine,& in Ecclesiæ Dei utilitatem. ut *DD.supra citati.*

7 Presbyteri,qui audiunt leges bono fine, possunt ne in eis doctorari ?

℟ Non,quia gradus ad scientiam,& intelligentiā nihil addit,sed solùm dat approbationē,&testimonium,quòd talis persona est sufficiēs in tali sciētia.

8 Doctor in legibus poteritne ad sacros ordines promoveri ?

℟ Benè poterit,& cum magno honore; quia hoc nullibi est prohibitum.

9 Presbyter, vel monachus potestne audire medicinam ?

℟ Licèt hæc quæstio difficilior sit, quàm præterita,quia medicina non est necessaria, nisi solùm ad curandum,tamen respondendum,quòd si illam audiat nō intentione curandi,sed cum intentione discendi res naturales,& virtutes herbarum,cum licentia sui superioris possunt physicam,&medicinam audire;ratio est,quia instruere quisque suū intellectum

intellectum scietijs licitis nullibi est prohibitum. Sed certum est, quòd absque licentia Summi Pōt. neque Clerici, neq; Presbiteri, neq; monachi possunt exercere officium medici, neq; medici, qui cæperunt curare, ascendere ad sacros ordines.

10 Quid est lex?

℞ Constitutio populi, qua maiores natusimul cum plebe aliquid faciunt; vel est commune præceptum virorum prudentum, & punitio delictorum. *Isidor. Lib. 5. dist. 1. l. leg is. ff. de legib.*

11 Canones Pontificum quam vim habent?

℞ Vim legum. *c. 1. de juram. calumn.*

12 Qui habuerunt potestatem condendi leges?

℞ Populi cum senioribus, usque ad tempus, quo constituerunt sibi Reges, qui eos defenderent, & gubernarent. §. *sed, & quod Principi. Instit. de jure natu. gen. & civit.*

13 Leges quid imitantur?

℞ Sacros Canones, & è contra. *c. 1. de juram. calum. c. de nov. oper. nunt. Gloss. in c. 1. eod, tit,*

14 Si sint aliquæ graves quæstiones, & non sint decisæ, quid agendum?

℞ Recurrendum ad Papam, Imperatorem, vel Regem, ut eas determinet. *c. 1. de juram calumn.*

15 Qui possunt leges, & statuta limitare?

℞ Summus Pontifex, Imperator & Reges, qui eas condere possunt. *c. translato, de const.*

16 Quotuplex est lex?

℞ Duplex: alia divina, alia humana.

17 Quotuplex est lex humana;

℞ Triplex: naturæ, gentium, & civilis. *Inst. de jure nat. gent. & civ. §. Ius autem civile.*

18 Quæ est lex municipalis?

℞ Illa, quam aliqua civitas sibi constituit, *Institut. ubi supra.*

19 Quæ est lex canonica?

℞ Illa, quæ fit á Summis Pontificibus, vel concilijs. *c. nimis, de jurejurando. c. 1. de juramento calumn. l. leges. C. de leg.*

20 quæ est civilis?

℞ Lex humana à Regibus statuta. §. *jus autem civile, Inst. de jur natur.*

21 Lex, & Cōstitutio respiciuntne præterita, an futura?

℞ Futura, nisi de præteritis caveatur. *c. fin. de const.*

22 Quid debet continere lex, ut sit justa, & observetur?

℞ Debet esse honesta, justa, possibilis, secundum naturam, conveniens loco, & tempori necessaria, utilis, & manifesta. *c. erit 4. dist.*

23 Si occurrat casus, in quo non sit lex facta, quid agendum?

℞ Ad Principem recurritur, ut consilio sapientum faciat legem. *l. manum. C. de legib.*

24 Mandatum Principis quando debet observari?

℞ Quando est in scriptis, si aliter probari non possit ejus mandatum. *l. si quis. C. de mandatis Principum.*

25 Si quis facit testamentum contra legem, erit ne validum?

℞ Non. *l. non dubium, C. de legib.*

26 Privilegia faciunt ne legem, aut jus generale?

℞ Non, sed intra suos terminos sunt servanda. *l. 2. C. de legibus.*

27 Quomodo cognoscitur, quando lex est generalis?

℞ Quando habet aliquod ex quinque signis. *1mo,* quando mittitur ab Imperatore ad communitatē. *2do,* quando in edicto, generali vocabulo, noncupatur *3tio,* quando difficultas (supra quam fit lex) postulat generalitatem. *4to,* quando jubetur divulgari in omni Regno. *5to,* quando jubetur ab omnibus servari. *l. leges, ut generales. C. de legibus.*

28 Ignorātia Juris excusatnè à pœna, vel à peccato?

℞ Non excusat à pœna, sed benè à peccato, si nō sit crassa, sed ignorantia facti excusat ab utroque. *l. leges sacratissimæ. C. de legib.*

29 Principes subijciuntur nè legibus?

℞ Affirmativè, quoad vim directivam; non autem quoad coercivam *l. digna C. de legib.*

30 Qui fuerunt primi Auctores legum?

℞ Judæis Moyses; Græcis Moroneus Rex; Ægyptijs Mercurius Trimegistrius; Athieniensibus Solōn; Lacedemonijs Licurgus; Romanis Numa Pōpilius. *c. Moyses. c. fuerunt dist. 7.*

31 Quæ sunt leges duodecim tabularum?

℞ Origo totius juris civilis *Institut. de jur. natur.* §. *ex non scripto. & ibi. glos. vers. origo. l. 2. ff. de orig. juris* §. *1.*

32 Quare dicuntur leges duodecim tabularum?

℞ Quia à decem viris peritissimis Lacedemoniorum fuerunt factæ, & aliæ duæ tabulæ, quia ab ipsis fuerunt compositæ ad declarationem aliarum decem tabularum. *glos. vers. decem viros* §. *deinde in capit. Moyses. dist. 7.*

33 Lex Aquilia à quo dicta fuit?

℞ Ab Aquilio ejus fundatore *inst. de leg. Aquilia. l. 1. ff. ad legem Aquiliam.*

34 Lex Cornelia à quo facta fuit, & quid præcipit?

℞ A Cornelio, & punit delicta malitiosè facta, ut in *tit. ff. ad legem Corneliam de Sicarijs, glos. in* §. *sed, & sex. inst. de iniurijs.*

35 Lex Cornelia de falsarijs quid præcipit?

℞ Pænam irrogat falsarijs, qui testimonium aliquod falsum dixerunt, vel fecerunt instrumentum falsum, *Inst. de publicis judicijs.* §. *item lex Cornelia, de falsarijs.*

36 Quare dicitur lex Cornelia de siccarijs, & quid præcipit?

℞ Quia sicca est cultellus, & secans, & puniens eos, qui dolo malo aliquem interficiunt. §. *item lex inst de publicis iudicijs.*

37 Lex Falcidia, à quo dicitur, & quid prohibet?

℞ A Falcidio Tribuno Romanorum auctore, & prohibet, ne quis in testamento totam suam hæreditatem extraneis det, sicut solebant facere Romani: sed necessariò priùs debet quartam partem suis hæredibus relinquere, sed hodie secund. II. Hispaniæ tertiam partem, & quintam potest quis in suo testamento dare, scilicet qvintam pro funerali, & pro anima, tertiam alicui ex suis hæredibus necessarijs, ut filijs. *dist. 2. c. quadam, ff. ad falcidam tit. 6. lib. 5. l. 1. nova recopilationis in ling. Hispa.*

38 Lex Julia de adulterijs, & stupro, à quo dicta fuit, & quid prohibet?

℞ A Julio ejus auctore, & punit adulteros, & eos, qui violant virgines, & viduas cum earum voluntate; *Instit. de publicis iudicijs,* §. *fin autem.*

39 Lex Julia de ambitu quos punit?

℞ Eos,qui munera dant ad honores, & officia consequenda, *Instit. de publicis §. sunt praeterea gl.& l. ff. leg. Iuliam de ambitu.*

40 Lex Julia læsæ maiestatis,quos punit?

℞ Punit pœna capitali, & usq;ad quartam generationem privat bonis,& honoribus eorum successores,qui in remp. vel Principem aliquid machinantur, C. *ad leg. Iuliam læsæ maiestatis. l. quisquis, instit. de public. judic. §. publica autem.*

41 Lex Julia repetundarum quos punit?

℞ Judices accipientes bona, vel pecunias, ut aliquid judicent,vel non judicent,vel compellentes potestate aliquos vendere aliquid minori pretio, quam valet, *ff. ad l.Iuliam repetundarum. l.1.3.& 4.*

42 Lex Julia de residuis quos punit?

℞ Eos, qui bona Reip. administrant, & retinent pecunias apud se quas debent in ærario reponere,& eos, qui retinent pecunias sibi creditas, & eas non tradunt suis proprijs Dominis. *ff. ad Iuliam peculatus l. 2.&4.& §.1.*

43 Lex Julia de vi publica quos punit?

℞ Eos,qui vim cum armis fecerunt,& jubet eos, deportari, institut. de publicis judicijs. §. *item lex Julia.*

44 Lex Julia de vi privata quos punit?

℞ Punit in tertia parte bonorum eos, qui sine armis vim inferunt,& eos,qui virginem,viduam, vel monialem rapiunt, pœna capitali condemnat. *Institut.de publicis judicijs §.item lex iulia de vi publica.*

45 Lex Julia norbona quid præcipit?

℞ Loquitur de libertis, & in sua libertate dat formam, *Inst. de libertinis.§.libertinorum autem.*

46 Lex Julia de Annona quos punit?

℞ Eos,qui faciunt in Republica annonam,hoc est, ut frumentum, vinum, vel carnes sint cariores; quia in hoc delicto plurimum. *resp. læditur, l. 2. ff ad l. Juliam de annonis.*

47 Lex Julia peculatus quos punit?

℞ Eos, qui rem sacram, vel pecuniam publicam furantur, *Inst. de publ. jud.§ l x Julia.*

48 Lex Julia viscelia, aliàs vistelia,quid præcipit?

℞ Ut hæres non teneatur solvere legatum mulieri viduæ,si nupserit, quoties tale legatum relictũ fuit sub conditione, ut non nubat. *authentica, cui relictum.C. de in dicta viduitate tollenda.*

49 Lex Hortensia, à quo sumpsit nomen,& quid præcipit?

℞ Ab Hortensio ejus conditore, & præcipit, ut plebiscita valeant tantum, quantum lex populi, *Inst. de jur. nat. gent. & civil. §. sed, & plebiscita.*

50 Lex Papia, à quo dicta fuit, & quid præcipit?

℞ A Papio ejus auctore, & præmia dat eis, qui suscipiunt liberos,& eos alunt. *ut habetur in c.quadam2. distinctione.*

51 Lex Pompeia quid præcipit?

℞ Punit eos,qui matrem cum patre,sive utrumque,sive alterutrum, aut alios consangvineos occidunt, & jubet eos includi corio simul cum vipera,simia,cane,& gallo gallinaceo,;& sic eijciantur in mare, vel flumina, *Instit. de publicis judicijs, §. alia deinde*

52 Lex Rhodia de iactu à quo dicta fuit, & quid præcipit?

℞ Ab insula Rhodo, in qua plures erant mercatores & favet eis, qui causa mortis, & evitandi commune periculum merces in mare mittunt. *leg.1. ff. ad leg.Rhod. de iactu. de hac l. loquitur. c. quadam dist.2.*

53 Lex Satira à quo dicta est?

℞ A saturitate, quia loquitur de pluribus rebus. *cap. satira dist.*

54 Lex Attilia quid præcipit?

℞ Loquitur de commissione tutelæ. *Inst. de Atiliano. tut. per totum.*

55 Lex Vitellia quid præcipit?

℞ Loquitur de libertis appetentibus, vel petentibus officia, quæ sibi non competunt, sed ingenuis,& liberis. *ff. de statu hominum, per tot.*

# CAPUT III.

## De rescriptis.

1 Qvid est rescriptum?

℞ Illud, quod à Papa, vel à Principe rescribitur ad consultationem Prælatorum, seu intimationem alterius,vel ad alicujus indulgentiam. *Hostiens. in sum, tit. de rescriptis. Abb. rubr. de rescriptis.*

2 Quot sunt species rescriptorum?

℞ Plures: generale,particulare,gratiæ,justitiæ in forma communi,in forma dignum,in forma pauperum, si neutri,si alteri, etiam valere, per inde valere,ad lites,ad beneficia vacantia,& vacatura, nobilitatis,revalidationis, odiosum, gratiosum secundum jus, præter jus, & contra jus, *Mandos. tit de rescript. per totum.*

3 Quod est rescriptum generale?

℞ Quando est clausula generalis, videlicet, sin judices talis, & alij omnes talis qualitatis. *Mando ubi sup.*

4 Quod est rescriptum particulare?

℞ Quando loquitur de particulari persona. *Mandos. ubi sup.*

5 Quod est rescriptum gratiæ?

℞ Quando largitur aliquod beneficium, vel remittitur pœna,vel conceditur privilegium. *Mandos. ubi sup & non spirat mortem mandantis.*

6 Quod est rescriptum Justitiæ?

℞ Quando tendit ad justitiæ administrationem, & spirat morte mandatis. *c. relatum c. licet, de offic. jud. deleg. & ibi Abb. nu. 2.*

7 Quod est rescriptum mixtum?

℞ Litera in forma pauperis,in forma dignum,in forma communi,in forma speciali,& tale rescriptum continet aliquid de justitia,aliquid de gratia. *Mandos. ubi supra.*

8 Quod est rescriptum si neutri?

℞ Quando duo litigant,& non habent jus in re litigiosa,&Papa dat rescriptum tertiæ personæ vel uni ex illis dicens,si nutri competit jus, competat tibi,& idem est,quando ponitur clausula,si alteri, vel si nulli, *Mandos. ubi sup.*

9 Quod est rescriptum, etiam valere?

℞ Quando Pontifex approbat beneficium obtentum subreptitiè, vel obreptitiè, sub hac clausula, per inde valere,ac si benè esset obtentum.

10 Quod est rescriptum ad lites?

℞ Quando Papa delegat causam ad aliquam, litem, & hoc rescriptum non extenditur ad futuram litem. *Abb. inc. non injuste nu. 2. de procuratorib.*

11 Quod

11 Quod est rescriptum ad beneficia?
℞ Quando Papa approbat aliquem ad beneficia obtinenda.
12 Quod est rescriptum nobilitatis
℞ Quando ignobilis beneficio Principis declararur nobilis.
13 Quod est rescriptum rehabilitationis?
℞ Quando aliquis est inhabilis propter aliquod crimen, & gratia Principis fit habilis.
14 Quod est rescriptum legitimationis?
℞ Quando illegitimus gratia Principis legitimatur.
15 Quod est rescriptum odiosum?
℞ Quando Papa facit rescriptum in pœnalibus ut degradationis.
16 Quod est rescriptum secundum jus?
℞ Quando Papa committit causam secundum juris dispositionem, vel dicit quod aliquis provideatur, si sit idoneus.
17 Quod est rescriptum prœter Ius?
℞ Quando Papa mandat provideri cum diminutione, vel pensione præbendæ, vel mandat, vt laicus habeat beneficium, quod est præter jus.
18 Quod est rescriptum contra Jus?
℞ Quando Papa mandat, ut aliquis habeat duas parochiales simul, quod est contra jus, & hoc rescriptum non est exequutioni mandandum, nisi in eo dicatur, non obstante tali jure. *Abb. c. pastoralis, de fide instrumentorum. nu. 5.*
19 Quod est rescriptum obreptitium?
℞ Quando per obscuritatem verborum callidè loquendo fuit impetratum. *Innoc. & Abb. in c. cum dilecta, de rescriptis, nu. 7.*
20 Rescriptum subreptitium in omnibus est ne ipso jure nullum?
℞ Cum distinctione; ad beneficia est ipso jure nullum: ad lites ope exceptionis. *Abb. in c. cum nostris, de concessione præbendæ.*
21 Quod est rescriptum subreptitium?
℞ Quando falso expresso, vel veritate suppressa rescriptum fuit impetratum.
22 Subreptio vitiatne ipso jure literas gratiosas, an vero ope exceptionis?
℞ Ipso jure.
23 Rescriptum speciale derogat ne legi, vel mandato generali?
℞ Derogat. *c. 1. de rescriptis.*
24 Rescriptum missum capitulo sede vacante, adveniente novo Episcopo, quis debet illud adimplere?
℞ Episcopus de novo veniens. *Abb. in c. eam te. eod. tit. num. 1.*
25 Rescriptum, quod mandatur universo capitulo in communi, comprehendit ne particulares personas capituli?
℞ Affirmativè, sicut si cuilibet personæ in particulari mandatum fuisset, & sic quilibet pro se tenetur ad obedientiam talis rescripti. *Abb. ubi sup. num. 12.*
26 Rescriptum impetratum contra possidentem beneficium comprehendit ne successorem?
℞ Affirmativè, si primum fuit legitimè citatus. *Abb. in cap. significavit nobis de rescript. nu. 1. & c. quia de judiciis num. 1.*
27 Masculinum in rescriptis comprehendit ne femininum?
℞ Comprehendit *Abb. ubi sup. nu. 2.*
28 Literæ gratiosæ concessæ motu proprio vitiantur ne per subreptionem?
℞ Vitiantur.
29 Literæ concessæ motu proprio tolluntne defectus concernentes personas veluti irregularitatē?
℞ Non, nisi de eis expressa mentio fiat.
30 Rescriptum motu proprio de providendo aliquem de aliquo beneficio, vitiatur ne per taciturnitatem beneficij, prius obtenti?
℞ Non. *c. si motu proprio de prebend. in 6.*
31 Si per rescriptum fuerit provisum alicui aliquod beneficium in aliqua Ecclesia, ubi plura beneficia vacant, de quo beneficio est intelligendum, de maiori an de minori?
℞ Si rescriptum motu proprio necessum sit intelligendum est de beneficio maioris valoris *c. quia de cleric. non residentibus.*
32 Rescriptum super decisionem causæ, intelligitur ne super cognitione?
℞ Intelligitur, quia commissio continet omnem iurisdictionem necessariam ad determinandam causam secundum ius. *Abb. c. venerabilis, de judiciis. num. 2.*
33 Episcopus potestne cognoscere dispensationes à sede Apostolica concessas?
℞ Potest *Conc. Trid. Sess. 22. c. 5. de refor.*
34 Qui per falsas literas gravat adversarium, quam pœnam incurrit?
℞ Condemnatur in expensis, *c. 2. de rescriptis.*
35 Si quis impetrat diversa rescripta commissa diversis iudicibus contra unam, eamdemque personam, qua pæna punitur?
℞ Si dictis rescriptis utatur, omnibus privatur, quia in eo, in quo quis peccat, punitur. *c. ex tenore eodem titulo.*
36 Clericus falsificans literas Apostolicas qua pœna punitur?
℞ Traditur curiæ sæculari. *Abb. in c. olim ex literis, nu. 2. de rescriptis.*
37 Si quis in rescripto per malitiam tacet veritatē, vel exprimit falsitatem, qua pæna punitur?
℞ Caret commoditate rescripti. *c. super literis. eod. titulo.*
38 Rescriptum posterius si non faciat mentionem de priori, veletne?
℞ Non, etiam si primum impetratum sit de consensu partium, necessario secundum rescriptum debet habere mentionem de tali consensu. quia literæ generales non revocant speciales. nisi faciant mentionem de toto processu. *cœterum de rescriptis. c. ex literis. de dolo. & contumacia. Abb. ibi. nu. 2. & c. inter monasterium de sent. & re judicata num. 4.*
39 Quod tempus attenditur in rescriptis; tempus datæ, aut tempus præsentionis?
℞ In litibus tempus datæ. *Abb. in c. cœterum, de rescriptis. nu. 1.*
40 Si rescriptum Principis videtur ab honestate deviare. est ne adimplendum?
℞ Non. sed Judex inferior debet reddere causam Principi, & rationem de damno, & inconvenienti, & expectare secundum mandatum, quia nunquam præsumitur, quod Princeps velit facere aliquod

aliquod præiudicium contra iustitiam. *Abb. c. si quando, de rescriptis. num. 1.*

41 Rescriptum impetratum contra privilegium alicujus, ut exequutioni mandetur, quas qualitates debet habere ?

℞ Debet facere expressam mentionem de privilegio, alias non est exequutioni mandandum. *Abb in c cum ordinem de rescriptis. nu. 3,*

42 Quando valet secundum rescriptum non faciendo mentionem de primo ?

℞ Quando primum impœtrans dolo, vel negligentia non fuit usus tali rescripto. *c. ex parte. eod tit. Abb. ibi.& c. plerumque eod. tit. nu. 1.*

43 Rescriptum subreptitium estne nullum ipso iure?

℞ Non, sed per sententiam, quia si esset nullum non convalesceret per negligentiam primi impetrantis. *Abb. c. si autem, de rescript. nu. 2.*

44 Rescriptum, in quo incerti judices dantur, vel ad futura negotia impetratur, valet nè ?

℞ Non quia alias tolleretur iurisdictio ordinaria, *c. ad hæc de rescriptis.*

45 Si rescriptum committatur pluribus iudicibus, & inter se discordent de validitate rescripti, quid agendum ?

℞ Recurrendum ad iudices arbitros. *c. pastorali de rescriptis.*

46 Processus factus contra jus, quam validitatem habet ?

℞ Est nullus. *Abb in c causamque de rescript. nu2.*

47 Si sit dubium in aliqua parte rescripti, quomodo est iudicandum ?

℞ Reducendum est ad jus commune, à quo nunquam est recedendum, nisi constet Papam illud expressè derogare voluisse. *c. causamque, de rescriptis.*

48 Quando potest processus, ut nullus, parte non citata, pronunciari ?

℞ Quando judici notoriè constat partem nullam habere justitiam, vel quando nullitas surgit ex interpretatione ipsius rescripti. *Abb. in d.c. causamque, de rescript. nu. 3.*

49 Rescriptum impetratum ab excommunicato, valet nè ?

℞ Non, nisi absolvatur. *c. dilectus, il 1. de rescriptis*

50 Quando Judex non servat formam rescripti, quam validitatem habet processus ?

℞ Est ipso jure nullus,& non indiget alia declaratione, vel sententia. *Abb. in c. cum dilecta, de rescriptis. nu. 4.*

51 Rescriptum impetratum ad obtinendam aliquam præbendam in Ecclesia,ubi est certus numerus Canonicorum,valet ne ?

℞ Non, si non faciat expressam mentionem de numero canonicorum. *c. constitutus, de rescriptis.*

52 Si quis per ignorantiam tacet veritatem, vel dicit falsitatem,tale rescriptum valet nè?

℞ Distingvendo;si veritas illa,vel falsitas est talis conditionis,quòd si exprimeretur Papæ,non concederet rescriptum,tunc tale rescriptum non valet;si verò sit talis conditionis, quòd etiam si exprimeretur Papæ, nihilominus concederet rescriptum,tunc Judex poterit uti rescripto, sed debet judicare secundum jus commune. *c. super literis, de rescriptis.*

53 Si plures impetrant canonicatum in eadem Ecclesia,cui debet conferri ?

℞ Tunc statur, & admittitur primus impetrans. *c. capitulum Sanctæ Crucis, de rescriptis.*

54 Impetrans beneficium debetnè facere mentionem de pensione annua,quā habet tale beneficiū?

℞ Debet. alias rescriptum non valet. *c. ad audientiam, il. 2. de rescriptis.*

55 Appellatione diœcesis comprehenditur ne civitas ?

℞ Non;quia est quid majus,& ita rescriptum impetratum contra homines diœcesis non cōprehēdit homines civitatis. *cap. Rodulphus, de rescriptis.*

56 Si quis receptus sit in Canonicum super numerum alicujus Ecclesiæ, & non est assequutus præbendam,& impetrat alium canonicatum, tenetur ne facere mentionem de priori canonicatu ?

℞ Tenetur;quia per solam receptionem reputatur,ut canonicus. *c. in nostra, de rescriptis.*

57 Quæ sunt delicta, propter quæ aliquis privatur commoditate rescripti ?

℞ Sex. 1mo, si quis suo nomine impetrat literas, & tradit alij ejusdem nominis. 2do, quando vigore rescripti citat aliquem,contra quem non habet quæstionem. 3tio,quando utitur rescripto ad negotia,quæ non erant orta tempore impetrati rescripti. 4to, quando quis super negotio suo trahit adversarium ad diversos judices, 5to, quando quis trahit reum super pluribus personalibus actionibus coram diversis judicibus, quæ sub uno commodiùs tractarentur. 6to, quando quis trahit actorem ad diversa loca ejusdem nominis indeterminatè *c. si. de rescriptis.*

58 Si in rescripto provideri mandetur aliquem de quocumque beneficio, intelligitur ne etiam de curato ?

℞ Non, cum requirat qualitates exquisitas; & ita necesse est, ut de curato expressa fiat mentio. *c. ultimo, de præbend. in 6*

59 Impetrans aliquod beneficium de quibus rebus tenetur facere mentionem ?

℞ De dignitate, & beneficijs, quæ obtinet, alias rescriptum non valet. *Abb. in c. ad aures. de rescriptis n. 1. c. cum adeo, eod tit n. 1.*

60 Si quis appellavit,& postea impetrat rescriptum, debetne facere mentionem suæ appellationis ?

℞ Debet,sicut appellationis patris contrariæ. *c. ex parte, il primo, de rescriptis.*

61 Qui appellat, & non sequitur appellationem, quam pœnam incurrit?

℞ Condemnatur ad expensas. *c. ex parte, ut supr.*

62 Si quis habet Vicariatum, & impetravit beneficium sive expressione Vicarius,valebitne tale rescriptum ?

℞ Si Vicariatus est perpetuus, non valebit; quia reputatur, ut beneficium *c. postulasti, de rescriptis.*

63 Quid debet continere citatio peremptoria ?

℞ Quòd quis citatur usq;ad sententiam deffinitivam inclusivè, & quòd talis citatio habeat vim primæ,secundæ,& tertiæ citationis. *l. tres denuntiationes, C. quomodo,& quando Judex. & l. contumacia. ff. de re judicata.*

64 Si Papa dedit facultatem alicui Episcopo, vel Cardinali de providendo aliqua beneficia, & ipse Papa apponit manus antequam ordinarius, cui data fuit facultas, quæ provisio valebit ?

℞ Provi

℞ Provisio Papæ; quia nemo tantam facultatem dat alteri, quin majorem apud se retineat. *c. quamvis, de præbend. in 6.*

65 Qui habet litem cum monasterio, debetne citare Abbatem, an monachos?

℞ Si bona monasterij sint communia Abbatis, & monachorum, sufficit citare Abbatem; si verò sint distincta, ita quòd Abbas habet distincta sua bona tunc debet citare illum, cujus interest. *c. edoceri. de rescriptis.*

66 Si clausula, quæ solet poni in rescriptis (si preces veritatē nitantur) si forsan non apponatur, quid debet Judex judicare?

℞ Debet judicare secundum illam propositam. *Abb. in c. 2. de rescriptis.*

67 Si duo Delegati in eadem causa mandant ordinario aliquid exequendum, quid debet facere ordinarius?

℞ Petere copiam rescriptorum, non ut ipse judicet controversiam inter Delegatos, sed ut ipse possit videre, quod rescriptum fuit ultimum, & quod mandatum debet exequi, ut non erret, *c. cum contingat. de rescriptis.*

68 Si delegatus mandat aliquod ordinario, quid debet facere ordinarius?

℞ Tale mandatum exequi *c. cum contingat. de rescriptis.*

69 Quis debet judicare, an veritas suppressa, vel falsitas expressa sit talis generis, quòd Papa concederet, vel non concederet rescriptum?

℞ Judex, ad quem mittitur rescriptum, judicando secundum jus commune. *Abb. in c. super literis, de rescriptis.*

70 Si sit unum rescriptum impetratum in causa principali, & aliud in causa appellationis, qui Judex debet prius cognoscere?

℞ Judex appellationis: quia si appellatio fuit legitima, judicum in causa principali cessat coram illo judice: semper enim de appellatione cognoscit Judex superior. *c. dilectus. il 2. de rescriptis.*

71 Si quis appellavit præsente parte, & pars non contradicit, nec loquitur verbum, erit nè valida appellatio?

℞ Erit, sicut si ipsa pars appellasset. *Abb, in c. ex parte, il 2. de rescriptis. nu. 9.*

72 In causis litigiosis, & criminalibus si committatur alijs præter quàm Judicibus deputatis, erit ne subreptitium rescriptum?

℞ Erit, & consulendus est Sum. Pontifex. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. de refor.*

73 Delegatus potestne recipere expēsas à partibus?

℞ Potest ad justum, moderatum, & sponte datum; si verò iter faciat negotij causa, poterit petere à partibus sumptus, quos ipse fecit in itinere; & si partes pauperes sint, nihil debet accipere, quia bona Ecclesiastica data sunt ad justitiam servandam. *c. statutum de rescriptis in 6. §. insuper.*

74 Delegatus potestne assumere assessorem?

℞ Si sit doctus, non: si verò sit indoctus, debet eum assumere cum moderata expensa à partibus solvenda. *§. assessorem, c. statutum, de rescript. in 6.*

75 Sententia, in qua quis pronunciat se esse Judicem, est ne diffinitiva, vel interloqutoria?

℞ Interlocutoria, etiam ab ea potest appellari, quià damnum est irreparabile per diffinitivam. *Abb. in c. ex parte il 2. n. 6 de rescriptis.*

76 Quis debet taxare expensas notariorum?

℞ Delegatus, & cum eis non debet participare. *statutum, de rescriptis in 6. §. notarium.*

77 Quis debet soluere expensas testibus, & quas?

℞ Producens eos, & secundum qualitatem personarum taxa debet fieri à Judice. *c. statutum. de rescriptis in 6. §. proferendo.*

78 Quis potest cognoscere de dubijs rescriptorum, & privilegiorum emanantium à Sede Apostolica vel à Rota?

℞ Papa, vel Rota; & non Judices inferiores: quia ejus est interpretari, cujus est concedere. *c. cum venissent, de judicijs, & Abb. ibi n. 1.*

79 Mandatū Superioris debetne semper adimpleri?

℞ Aliquando non, *c. si quando de rescriptis,*

80 Si aliquid mandetur à Papa tempore Sedis vacantis, per quem debet adimpleri?

℞ Per Episcopum de novo venientem, nisi in rescripto loquatur expresse cum Capitulo Sedis vacantis.

81 Si Judex ordinarius habeat duo mandata contraria à duobus Delegatis, quid debet agere?

℞ Supersedere ab exequutione, & consultare literas Summo Pontifici. *c. cum contingat, de rescriptis.*

82 Judex Delegatus potestne cognoscere causas extra diœcesim?

℞ Nisi forte rescriptum dicat, Archiepiscopo Montis Regalis commorantis Romæ, vel Panormi; tunc enim committitur causa tali personæ Romæ, vel Panormi; si verò rescriptum dicat, Archiepiscopo Montis Regalis; tunc enim intelligitur, talem causam commissam esse tali Archiepiscopo in sua diæcesi, & non extra eam, *Abb. c. nonnulli, de rescriptis. num. 4.*

83 Per rescriptum potestne quis extrahi ultra duas dietas ad litigandum?

℞ Non, nisi in rescripto specialiter caveatur, vel impetratum sit de consensu partium; quia nulli est facienda injuria in suo jure. *capit. nonnulli de rescriptis.*

84 Dietæ computanturne à domicilio litigantis, vel à limite diœcesis?

℞ A limite diœcesis. *Abb. c. nonnulli, de rescriptis; num. 2.*

85 Cùm actor, & reus sunt ejusdem diœcesis, potest ne impetrari rescriptum ultra illam diæcesim?

℞ Non, nisi sit contra Episcopum, Capitulum, vel Vicarium, & tunc ultra unam dietam eos extrahere non potest. *c. statum. §. vero de rescriptis. in 6,*

86 Actor in qua diœcesi poterit impetrare delegatum, in sua, vel in diœcesi rei?

℞ In diœcesi rei, quia jus favet reo. *c. ut sup.*

87 In exequutione rescripti quid est faciendum?

℞ Fines mandati custodiendi sunt ad ungvem, *c. eam ca, de rescriptis, & ibi Abb. n. 4.*

88 Si rescriptum provideat aliquem de præbenda primò vacatura, poteritne conferri ei præbenda sacerdotalis, si ætatem non habeat?

℞ Non debet, sed ætatem expectare, nisi in rescripto hoc caveatur. *c. eum cui, de præbend. in 6.*

89 Rescriptum contra Jus quando est servandum?

 ℞ Quando

℟ Quando in eo specificè ponitur (non obstante tali Jure) quia cujus est condere, est & revocare, dispensare, vel limitare. *gl. c. 1. de constitut. Lib. 6. Io. Anar. c. 1. de except.*

90 Privilegium quomodo est interpretandum?

℟ Largo modo, & non stricto, sicut rescriptum, quia est res favorabilis, & favor est ampliandus. *c. olim de verb. signific. Bart. in l. fin. ff. de Constitut. Principum.*

91 Si aliquis Auditor Rotæ committat rescriptum alicui Judici in partibus, & antequam tale rescriptum præsentetur, talis Auditor moriatur, vel fiat Cardinalis, ille Judex in partibus poteritne procedere in causa?

℟ Si tale rescriptum præsentatum fuit ante Judicem, antequàm Auditor Rotæ moreretur, tunc poterit procedere, quia rescripta Justitiæ per præsentationem, & citationem acquirunt vires, & radicatur jurisdictio; si verò tempore præsentationis mortuus erat Auditor Rotæ, tunc non poterit procedere neque est Judex.

92 Gratiæ, & licentiæ concessæ à Principibus sæcularibus, vel Ecclesiasticis, vel Regularibus, exspirant ne morte, depositione, vel finito anno, & officio mandatis?

℟ Si tales gratiæ concessæ sint absolutè, & non ad limitatum tempus, sunt perpetuæ, donec in speciali à concedente, vel à Superiore, vel successore revocantur; quia sunt gratiæ factæ ab habente potestatem, & receptæ gratiæ non exspirant morte mandantis, etiamsi non sequutæ sint suum effectum, sicut exspirant rescripta justitiæ re integra. *Abb. c. literis de rescriptis, nu. 4. & Sanchez. de matrim. to. 3. lib. 18. de dispensat. disput. 28.*

93 Causa simpliciter commissa in rescripto, intelligiturne de possessorio, an de proprietate?

℟ De utroque, sed est in electione actoris agere primum de possessione, & postea de proprietate. *Abb. c. 1. de sequestratione poss. & fruct. nu. 6.*

94 Si duo rescripta emanent à Rota super aliqua lite directa diversis Judicibus, quis debet judicare de validitate horum rescriptorum?

℟ Postquam dicta rescripta fuerint præsentata coram aliquo ex duobus Judicibus, auditis, & citatis partibus, debet consulere Judex sacram Rotam, vel Judicem ad quem spectat; & ipse non debet determinare, quòd rescriptum sit validum, & exequendum, quia commissum est diversis judicibus; secus verò quando duo rescripta inter se contraria committuntur uni judici, tunc enim ipsius est judicare, quod rescriptum sit exequendum. *Abb. in c. ex lectore. nu. 1. de rescriptis.*

95 Interpretati rescriptum ad quem pertinet?

℟ Ad Papam vel ad Rotam, à qua emanavit; quia idem est de privilegijs. *Ab. in c. 1. de sequestrat. possession. & fructum. num. 9.*

96 Rescriptum tollitur nè, sicut privilegium per non usum?

℟ Non. *Abb. in c. plerunque. de rescriptis. nu. 4.*

97 Rescriptum elapso termino valet nè contra ordinariam jurisdictionem?

℟ Non, quia jurisdictio est perpetua, & non finitur triennio; neque causa fiscalis. *c. venerabilis frater noster. de judicijs.*

98 Si quis revocavit procuratorem, quem habet ad litem, facta ab eo valent nè post revocationem?

℟ Valent, quæ fecit in judicio in favorem suæ partis, donec revocatio perveniat ad notitiam judicis, & partis contrariæ, *c. ex parte, il 3. de rescriptis.*

99 Princeps condendo privilegium in suis, de jure tertij, vel non faciendo de illo mentionem, tollit nè primum privilegium?

℟ Non, quia cum princeps sit justus, & non faciat de primo mentionem, videtur nolle præjudicare gratis tertiæ personæ. *Abbàs c. in nostra. de injuris, & damno dato, num. 5.*

100 Si quis ratificet facta per procuratorem falsum rectè revocatum, tenent ne?

℟ Tenent, sicut facta fuissent per verum procuratorem. *Abb. in c. ex parte, il 3. de rescriptis. num. 8.*

101 Excommunicatus potestne impetrare rescriptũ?

℟ Non, nisi solùm in suo negotio.

# CAPUT IV.
## De consvetudine.

1 Quid est consvetudo?

℟ Jus quoddam moribus introductum, quod sumitur pro lege, cum deficit lex. *c. consvetudo. distinctione 1.*

2 Quas qualitates debet habere consvetudo, quæ facit jus?

℟ Debet esse rationabilis, justa, observata à toto populo, vel à majori parte, cum continuatione. *Abb. in rubr. de consvetudine.*

3 Consvetudo inferens gravamen Ecclesiæ debet ne observari?

℟ Non, imò judicis officio tollitur.

4 Capitulum potestne facere nova statuta, vel facta mutare sine licentia Episcopi?

℟ Non. *c. cum consvetudinis. de consvetudine.*

5 Consvetudo derogatne juri naturali, vel divino?

℟ Non, cum transgressio peccatum inducat. *c. ultim. eod. titulo.*

6 Consvetudo derogatnè juri positivo?

℟ Derogat, si habeat consvetudines justas. 1mo, ut sit rationabilis. 2do, ut sit legitimè præscripta per annos quadraginta in rebus Ecclesiasticis 3tio, si sit inducta certa scientia, non per errorem, sciente illo, qui jus potest condere, juxta. *l. de quibus ff. de legi.* 4to. si res, supra quam est consvetudo, sit præscriptibilis. 5to, si tali consvetudine usi sint sine ulla malitia, & fraude, & animo, quo possũt illa uti. 6to, si major pars populi ea utatur. *gl. in c. fin. de consvetudine.*

7 Ex actibus meræ voluntatis sæpius multiplicatis, inducitur nè consvetudo?

℟ Non, quia cum pendeat à mera voluntate, possunt fieri, & non fieri. *Abb. in c. ad nostram. de confir. utili, vel inutili, nu 11.*

8 Consvetudo excusat ne à delicto?

℟ Non, imò aggravat delictum, quia consvetudo furandi non facit jus; sed aggravat pœnam. *c. quanto de consvetudine*

9 Consvetudo potestne facere, ut Clericus nõ Episcopus exerceat Ordines Episcopales reservatos, sicut confirmationem, & alia?

℟ Non. *c. quanto de consvetudine.*

10 In distribuendis officijs, & dignitatibus noviter electis, quæ consvetudo est servanda?

℟ Ratio

℞ Rationabilior. c. *cum olim, de consvetudine.*

11 Cõsvetudo potestne facere, ut electus administret sine confirmatione superioris ?

℞ Non. c. *cum venerabilis. eod. tit*

12 Consvetudo declarat nè aliquando statutum Ecclesiæ ?

℞ Affirmativè; quia est optima legum interpretatio. c. *cum dilectus. de consvetudine.*

13 Consvetudo, ut quis possit obtinere duo beneficia incompatibilia sine dispensatione valetne?

℞ Non, quia est prohibitum à Concilio. *c. 1. de consuetudine in 6. Conc. Trid. Sess. 7. c. 5. & Sess. 24. c. 2. de reformat*

14 Consvetudo præscripta, ut Episcopus possit corrigere subditos sui capituli, sine adjunctis, valetnè?

℞ Valet. c. *non est, in 6. eod. tit*

15 Valetnè consvetudo appellandi ab officiali Episcopi, ad Episcopum ?

℞ Non, quia cum sit una jurisdictio, duæ fiunt. *c. non putamus. in 6. de consvetudine.*

16 Consvetudo optandi præbendas valetnè ?

℞ Valet, nisi in causa permutationis, & cum præbenda vacat in curia. *c. cum in tua de consvetudine in 6.*

17 Contra consvetudinem admitti turne probatio?

℞ Admittitur. c *fin. eod. tit. in 6.*

## CAPUT V.
## De Officio Archidiaconi.

1 Unde dicitur Archidiaconatus ?

℞ A nomine græco, Archos, idest major, & Princeps Diaconorum, & eis imperans.

2 Archidiaconatus est nè dignitas ?

℞ Affirmativè. c. *decernimus, de judicijs.*

3 Quod est officium Archidiaconi ?

℞ 1mò, est Vicarius, & oculus Episcopi, & quasi coadiutor, & supplens ejus uices in corrigendo visitando, & emendando. 2do, in pontificalibus induitur, & Episcopo assistit imperans Diaconis *c. 1. 2. & 3. de offic. Archidiac.* 3tio, examinat venientes ad ordines, & approbatos Episcopo præsentat. *c. ad hæc, eod. tit.* 4to, dat possessionem Episcopo, Abbatibus, & Abbatissis. *c. ut nostrum, eod. tit.*

4 Quæ non potest Archidiaconus facere ?

℞ Plura. 1mo, non potest dare literas dimissoriales, nec approbare sine licentia Episcopi. *c. significasti, de officio Archidiaconi.* 2do, non potest habere jurisdictionem in monasterijs : nisi consvetudine illam habeat. *c. dilecto, eod. titul.* 3tio, non potest committere curam animarum sine licentia Episcopi. *c. cum satis, eod tit.* 4to non potest excommunicare de jure communi, sine licentia Episcopi. *c. Archidiaconis, eodem tit.* 5to, non potest ardua determinare sine Episcopo. *c ad hac, eod. tit.*

5 Quas Ecclesias potest Archidiaconus visitare, & quoties ?

℞ Ecclesiam Archidiaconatus, & de jure semel in anno. *c. mandamus, de offic. Archidiac.* sed hodie per Trid. syn. depositum est, ut Episcopi visitent, ut supr. de visitatione. dixi latè,

## CAPUT VI.
## De Officio Archipresbyteri.

1 Archipresbyter quid significat ?

℞ Quod est primus presbyterorum, & descendit à nomine græco. Archos, & presbyter, idest primus presbyterorum.

2 Archipresbyter quem locum obtinet in choro, & Ecclesia ?

℞ Post Archidiaconum, & ante omnes presbyteros, quibus præest. *c. 1. de offic. Archipresbyteri.*

3 Quot sunt genera Archipresbiterorum ?

℞ Duo : scilicet Archipresbyter Urbanus; & Archipresbyter ruralis. *c. officium. &c. ut singula de offic. Archipresbyteri.*

4 Quod est officium Archipresbyteri Urbani ?

℞ 1mo, in choro inchoat officium, vel jubet inchoare. 2do, cum celebrat Episcopus, præcipit, ut Sacerdotes induãtur, ut ei ministrent, & assistant. 3tio, de infirmis civitatis curam habet, eos visitat, & eis administrat Sacramenta, vel provides, qui ministret. 4to, administrat Sacramentum confessionis fidelibus 5to, baptizat infantes, & hæc omnia exercet per se, vel per substitutos apprbatos, tamẽ ab Episcopo. *c. officium, eod. tit.*

5 Quod est officium Archipresbyteri ruralis ?

℞ 1mo, ad ministrare Sacramenta fidelibus existẽtibus in villis, vel in agro, vel extra civitatem 2do, certiorem facere Episcopvm de omnibus rebus necessarijs ad salutem animarum, & cum consilio Episcopi omnia facere. *c. ut singula, eod. tit. de offic. Archipresbyteri.*

## CAPUT VII.
## De Officio Primicerij.

1 Primicerius quem locum habet in Ecclesia ?

℞ Post Archidiaconum, & Archipresbyterum & ante omnes Diaconos, quibus præest. *c. unico, de offic. Primicerij.*

2 Quod est officium primicerij ?

℞ Præesse Diaconis, & reliquis gradibus inferioribus, & eos instruere, & designare singulis lectiones, quæ cantandæ sunt in nocturnis officijs, & eas eis declarare. *c. unico. ubi supra de officio primicerij.*

## CAPUT VIII.
## De Officio Sacristæ.

1 Sacrista quæ dignitas est in Ecclesia ?

℞ Magni honoris : nam est Dei cubicularius. & in qualibet Ecclesia Cathedrali habet sedem inter dignitates, secundum tempus suæ, creationis *c. unico, de offic. sacristæ.*

2 Quod est officium sacristæ ?

℞ Custodire, & reficere vestes sacras, vasa sacra thesauros Ecclesiæ, oleum, ceram, luminaria, & omnia habere munda, & parata in servitium altaris, & in Cathedralibus habet claves Ecclesiæ tanquam custos ejus. *c. unico, de offic. sacristæ.*

## CAPUT IX.
## De Officio Custodis.

1 Quis dicitur custos Ecclesiæ, & cui subijcitur ?

℞ Ille, qui custodit omnia mobilia Ecclesiæ, & curat de mobilibus, & subijcitur Archidiacono; sed hodie propriè dicitur œconomus Ecclesiæ. *c. 1. de offic. custodis*

2 Quod est proprium officium custodis?

℞ Habere panem, & vinum ad Dei sacrificium, custodire decimas, &eas inter Canonicos distribuere, percipere elemosinas, quæ Ecclesiæ offeruntur, pulsare campanas ad horas, lampadesaccendere, & extingvere. *c. 2. eod. tit.*

## CAPUT X.
## De Officio Vicarij.

1 Quis dicitur propriè Vicarius?

℞ Ille, qui vices alterius gerit, ut cum Parochus est infirmus, inhabilis, senectute confectus, vel mortuus, tunc qui supplet vices cum authoritate Episcopi,ille dicitur Vicarius. *c.1.de offic. Vic.*

2 Quod sunt genera Vicariorum?

℞ Duo,Vicarij perpetui, & Vicarij temporales amovibiles ad nutum. *c.ad hæc,eod tit,*

3 Qui dicuntur Vicarij perpetui?

℞ Illi,qui ponuntur per examen beneficijs unitis Monasterijs, & Ecclesijs, & isti sunt sicut Parochi perpetui,& in omnibus illis assimilantur. *c.ad hæc, eodem titulo.*

4 Qui dicuntur Vicarij temporales?

℞ Illi,qui ponuntur proinfirmis, & impeditis in beneficijs vacantibus,& isti removentur cessante causa: aut ex voluntate Episcopi. *c.ad hæc, eod.tit.*

5 Vicarius Papæ quam jurisdictionem habet?

℞ Magnam in Urbe, nullam extra Urbem. *c. tua. nobis, eod. tit.*

6 Vicarius poteſtne suo loco substituere alium?

℞ Si est temporalis, non,quia substitutus nō substituit; si vero est perpetuus, poterit in casibus à jure expressis,*c. clericos, eod. tit.*

7 Si quis habet beneficium unitum,& ibi Vicariū perpetuum, & intrat de novo poteritne amavere illum Vicarium?

℞ Non, sed debet illum habere; quia est perpetuus, & positus ab Episcopo cum authoritate *Concil. Trid. Abb. c. ad hac, n.1.de offic.Vicarij.*

8 Poteſtne quis esse Vicarius unius Ecclesiæ,&beneficiatus alterius, vel habere plures Vicariatus?

℞ Non, sed adepto secundo beneficio, vacat vicariatus, quia sunt incompatibilia duo beneficia habentia curam animarum, per,*Conc. Trid. sess.c.2. de offic. Vicarij.*

9 Vicarii possuntne compelli, ut serviant?

℞ Tam Vicarij perpetui, quam temporales tenentur adresidentiam &possunt compelli, sicut &Parochi sub ipsis pœnis. *c. ult. de offic, Vicar.*

## CAPUT XI.
## De Officio Iudicis delegati.

1 Quis dicitur delegatus?

℞ Ille. qui habet jurisdictionem ab altero delegatam,& non habet jurisdictionem iuris neq; ratione officij *Ioan. Andr. de offic. jud. deleg.*

2 Quam ætatem debet habere delegatus?

℞ Debet excedere annos viginti, sed si partes cōsentiant, sufficiunt anni decem & octo; sed Princeps propter supremam potestatem, potest facere delegatum, qui solum excedat quatuordecim annos. *Abbas capit. cum vigesimum annum eodem titulo num. 1*

3 Rex,vel supremus Princeps in qua ætate possunt administrare?

℞ In ætate quatuordecim annorum completorum; tum propter periculum Regni, quod administratur per tutores, tum quia præsumitur in Principe major usus rationis,quàm in alijs hominibus. *Abbas ubi sup. num. 3.*

4 Minor viginti annis poteſtne esse deconsilio Civitatis?

℞ Non, neque administrare sua bona,si non habet veniam. *Abb. ubi sup. n. 4.*

5 Quotupliciter sunt Judices delegati?

℞ Tripliciter. 1mo, sunt delegati à Papa, vel à Principe immediatè, & hi habent magnam authoritatem. 2do, subdelegati positi ab istis delegatis. 3tio, alij delegati à Judicibus ordinarijs, & inferioribus. *Io. Andr. c. 1. de offic. judic. delegat. & per totum tit.*

6 Quis dicitur delegatus Principis,vel Papæ?

℞ Illè,qui non cognoscit Superiorem,nisi Papam, vel Principem,& in causa sibi commissa censetur habere jurisdictionem ordinariam, & majorem. *Abb. in c. pastoralis. n. 3. eod. tit.*

7 Delegatus Papæ, & Principis quam auctoritatem habet?

℞ Magnam authoritatem, & est major omnibus citra Papam,& in causa illa debet obediri, & honorari tanquam Papa. *Abb. c. significasti, de offic. jud. delegati, num. 1.*

8 Delegatus Papæ in quos habet jurisdictionem?

℞ In delinquentes,& impedientes ejus jurisdictionem,quia de jure,cui datur jurisdictio,debent dari necessaria ad talem jurisdictionem exercendā, finiendam,& determinandam, *primo de officio Judicis delegati,& capite Præterea,*

9 Delegatus Papæ, vel Principis poteritne alteri subdelegare ejus delegationem?

℞ Impeditus justa causa poterit, si res non sit gravis, vel non sit industria personæ electæ. *c. si pro debilitate,eod tit.& c.quamvis,eod.*

10 Delegatus Papæ poteſtne suo pœnis subdelegare?

℞ Affirmativè,& punire contemnentem acceptare, quia habet supremam authoritatem, *c. pastoralis, § item, eod tit.*

11 Delegatus Papæ potest cogere ne dignitatem aliquam,ut acceptet suam delegationem?

℞ Affirmative,quia habet supremam potestatem. *Abb. c. pastoralis de offic. jud.deleg. n.10.*

12 Si ponatur causa reconventionis coram delegato,poteritne de illa cognoscere?

℞ Poterit,tanquam de causa accessoria ad tollendam dilationem,& malitiam litigantium. *c. prudentiam, eod. tit,*

13 Si delegatus Papæ subdelegavit alteri, poterit ne pro suo libitu eum revocare?

℞ Si cæperit negotium,non poterit; quia jurisdictio in eo jam erit radicata. *capit. Venerabili,eodem tit.*

14 Jurisdictio delegata quando perpetuatur?

℞ Per actum jurisdictionalem, & non antea, veluti per acceptationem literæ, per citationem factam

factam parti, per contestationem litis, *Abb. c. licet. de offic. jud. delegati. nu.4.*

15 Si aliqua pars aperiat sigillum, rescripti, delegato sua auctoritate, sine præsentia judicium qua pœna punitur?

℞ Rescriptum illi nihil prodest, nec amplius auditur, quia aliquis punitur in eo, in quo peccavit. *c. cum olim. il 2. de offic. jud. delegati.*

16 Si mandetur judici delegato, ut aliquem absolvat, debetne statim eum absolvere?

℞ Cũ distinctione; si talis allegat injũctè esse excõmunicatum, statim est absolvendus; sed si allegaverit excommunicationem nullam fuisse ante absolutionem nullitatem probare debet. *c. cum contingat, de offic. jud, deleg.*

17 Delegatus poteſtne suam sententiam exequi?

℞ Si sit Papæ, vel Principis, poterit, & alteri cõmittere, ut illam exequatur; quia hoc est illi speciale: sed si sit delegatus judicum minorum, nõ poterit. *c significasti. eod. tit.*

18 Si duæ literæ diversæ præsententur à diversis partibus directæ ad eundem judicem, quid debet judex facere?

℞ Supersedere, & consulere Sũm Pont. & ejus voluntatem ponderare, quæ litera sit prius exequẽda. *c. sane, de offic. jud. deleg.*

19 Delegatus Papæ, vel Principis per quod tempus debet suam sententiam exigere?

℞ Per integrum annum à die pronuntiationis computatum, & non ultra. *c. quærenti. eod. tit.*

20 Duæ datæ in literis diversis, prima quam vim habet?

℞ Mandatur executioni á die datæ, nisi in secundis literis fiat derogatio de primis *Abb. in c. ex parte. il 1. nu.3. eod. tit.*

21 Judex ordinarius poteſtne etiam esse delegatus?

℞ Potest, imò sæpe sæpius ordinarij sunt delegati & utuntur utraque jurisdictione, quia non solum repugnat esse in una, eademque persona utraque jurisdictio, imo est plurimũ conveniẽs ad administrationem justitiæ.

22 Si ordinario constet delegatum injustè sententiare, & mittere aliquem in possessionem, & committit ordinario, ut ipse exequatur talẽ sententiã, tunc quid debet ordinarius facere?

℞ Non debet resistere Delegato, sed obedire: & debet precibus supplicare, ut negotium differatur usq; ad Papæ, vel Principis notitiam, quia si contra posset facere, esset ordinarius supra Delegatum & ordo juris peruerteretur, *c. si quando eod. tit.*

23 Si ordinarius sciat sententiã Delegati esse injustam, & committatur illi ejus executio, quid debet agere?

℞ Precibus supplicare, ut admittatur appellatio: & si non possit consequi, debet exequi sententiam; quia Delegatus est supra ipsum, & ordinarius in isto casu est merus minister executionis *c. pastoralis §. quia vero de offic. jud. Deleg.*

24 Delegatus debetne ostendere ordinario suum scriptum?

℞ Debet, alias non creditur ei, ratio est ut evitentur malitiæ hominum, qui fingunt se iudices esse, vel ampliant suam jurisdictionem ad negotia non contenta in ea in præjudicium jurisdictionis ordinariæ. *c. cum in jure. de offic. jud. Delegati.*

25 Delegatus Principis poteſtne subdelegare ea, quæ sunt meri mixti Imperij?

℞ Potest, & sic Archiepiscopus poterit subdelegare consecrationem suorum suffraganeorum *Abb. in c. quod sedem offic. jud. ord. nu.3.*

26 Quando transit delegatio ad successorem?

℞ Quando in delegatione fit mentio dignitatis, & non hominis proprij, quia dignitas nõ variatur per mutationem personæ. *c. quoniam eod. titul. de offic. jud. deleg.*

27 Commissio data pluribus judicibus, quando poterit ab uno solo exequi?

℞ Quando clausula ponitur (si non omnes,) unus procedat; alias non potest procedere unus sine alijs, etiam si unus moriatur. *Abb. in c. coram eodem titul. nu.4.*

28 Si sint duo rescripta, & Judex pronuntiavit, se non habere jurisdictionem, poteritne de consensu partium iterum illam reassumere?

℞ Non; neque facere aliquem actum, ut videatur contrarius suæ sententiæ, quia ipse sibi enervavit jurisdictionem. *cap. significantibus. de offic. judic. delegat.*

29 Quando in una delegatione plures judices dãtur cum clausula (quod si non omnes) quid debet præcedere, ut possint procedere unus, vel duo absq; alijs?

℞ Debet procedere in processu excusatio aliorum judicum, renuntiatio jurisdictionis *c. prudentiam. §. 6. eod. tit.*

30 Exceptio excommunicationis posita corã Delegato quid operatur, & quomodo debet procedere Delegatus?

℞ Si talis fuit excommunicatus ante impetrationem rescripti, & in excommunicatione illud impetravit, tunc rescriptum est nullum, & debet declarare se non esse judicem: si vero fuit post rescriptum, tunc consideranda est causa excommunicationis, si fuit propter rem contentam in rescripto, ipse delegatus poterit absolvere; aut talis fuit excommunicatus ab alio Judice ob aliam causam, & tunc debet committere eum ad eundem judicem, sed si malitiosè talis Judex noluerit absolvere talem, probatâ malitia, Delegatus potest supplere ejus officium, & eum absolvere præstita cautione, vel ad finem agendi, ne impediatur talis jurisdictio. *Abb. in c. prudentiam. §. sexto, n. 3c eodem titulo.*

31 Si duo conjudices habeant commissionem ad procedendum, unus solus procedat altero impedito, & si unus recusetur, & alter procedat, cum recusatur, valebit nè talis sententia?

℞ Non, licèt solus potuisset procedere, quia processit cum recusato, quia utile vitiatur per inutile. *c. cum super. eod. tit. de offic. jud. deleg.*

32 Per quod tempus durat delegatio?

℞ Per tempus positum in rescripto, & fines rescripti transigere non licet. *Abb in c. quærenti. n. pen eodem tit.*

33 Delegati jurisdictio quando expirat?

℞ In ultimo die suæ jurisdictionis; sed de con-

ſenſu partium poterit prorogari; ratio eſt, quia talis perſona eſt Judex, & hoc eſt ſpeciale in judicibus ut poſſit eorum juriſdictio à partibus prorogari, *c. de cauſis. eod. tit.*

34 Quando incipit currere terminus?

℞ Diſtingvendo; ſi commiſſio dicat,do commiſſionem cognoſcendi de tali delicto uſq; ad Paſcha,currit terminus uſq;ad illum diem: ſi verò commiſſio nihil dicat,neq;ſignificat finem, currit à die præſentationis. *Abb.in c.de cauſis.n.5.*

35 Quando debet prorogari juriſdictio à partibus, durante termino,vel finito?

℞ Durante termino;quia finito, talis non eſt judex.& ſic non eſſet prorogatio,ſed de novo juriſdictio,quæ à partibus dari non poteſt,niſi quando fit arbitrium. *Abb.ubi ſup.n.7.*

36 Si cauſa committatur certæ dignitati,ut Decano, & incæpta cauſa tranſeat ad Epiſcopatum, quis debet eam finire?

℞ Succeſſor in decanatu; quia in tali cauſa non fuit electa induſtria talis perſonæ,ſed talis dignitatis. *Abb.in c.quoniam.de offi.jud.deleg.n. 9.*

37 Exſpirat ne juriſdictio ſubdelegati morte, vel inhibitione judicis delegantis?

℞ Si lis erat iam incæpta,& conteſtata, vel pars citata, vel citatio decretata etiam ſi non pervenerit ad notitiam partis, & juriſdictio detur in perpetuum, non exſpirat; ſecus vero ſi lis non erat conteſtata. *c. relatum eod. tit Abb.in c. nemini, de officio legati. numer.10. &11.*

38 Si delegans moriatur,&delegatus ignoret mortem, & faciat litis conteſtationem,& procedat in cauſa, tale judicium eritnè validum?

℞ Juriſdictio ſubdelegati morte,inhibitione,trãslatione, & renuntiatione officij exſpirat, niſi lis ſit prius conteſtata ipſo die,quo mortuus fuit Judex delegans, inhibitus fuit ſubdelegatus etiam ſi ignoraverit, ſed ad nullitatem proceſſus pars debet probare tali die, & hora mortem judicis delegantis,& tunc omnia acta reſcinduntur tanquam facta à non Judice. *Abb. in c. relatum. eod. titul. num.2.&c. licet eod. tit n.6.*

39 Si quis facit actum coram Judice, quem poteſt recuſare,vel coram Judice recuſato,quid juris erit?

℞ Tunc videtur recedere à recuſatione, & non poteſt amplius recuſare ex cauſis præteritis, niſi de novo emergentibus, *c. inſinuante de offic. judic. delegati.*

40 Delegatus poteſtne recuſari?

℞ Poteſt,ſi ſit ſuſpectus. *c.cauſamque, eod. tit*

41 Delegatus poteſtnè recuſari poſt litem conteſtãtem,vel ante litis conteſtationem?

℞ Poteſt,poſt,& ante, adveniente cauſa de novo ad notitiam recuſantis.*c.inſinuante.eod tit.*

42 Si recuſetur delegatus,quid faciendum?

℞ Eligendi ſunt de Jure arbitri,qui definiãt recuſationem,& Judex delegatus poteſt eos compellere, ut pronuntient ſententiam. *c. ſuſpicionis. eod. tit. & Abb ibi.n.1. & 2.*

43 Judices arbitri quid debent facere?

℞ Dare terminum partibus ad probandas cauſas recuſationis,& ſi non probent,declarare delegatũ liberum à recuſatione eſſe, *Abb. in c. ſuſpicionis. eod. tit. n. 1.*

44 Si Judex delegatus aſſignavit terminum, in quo Judices arbitrri debent finire cauſam recuſationis, ſi tempore elapſo cauſa non finiatur, quid agendum?

℞ Judex delegatus reaſſumat ſuam juriſdictionẽ abſq; alia ſententia,ſi terminus fuit datus competens. *Abb. ubi ſub. n. 8.*

45 Si arbitri diſcordent,quid agendum?

℞ Sive ſit juris, ſive de conſenſu partium, compelluntur eligere tertium,ut cauſa finiatur. *Abb. in capit. ſuſpicionis. eod. tit. n. 4.*

46 A ſententia arbitrorum poteſtnè appellari?

℞ Cum diſtinctione: ſi arbitri ſint compromiſſarij electi à partibus, ab eorum ſententia non datur appellatio. *c. ab. arbitris, de offic. jud. deleg. in 6. l. 1. C. de arbitris.* ſi ſint arbitri juris; ab eorum eorum ſententia datur appellatio ad Summum Pontificem. *Abb. in c. ſuſpicionis de offic. jud. deleg. num. 7.*

---

## CAPUT XII.
## De Officio legati.

1 Quis dicitur legatus Papæ?

℞ Aliquis Cardinalis, vel Epiſcopus, vel perſona magnæ auctoritatis,quæ habet poteſtatem immediatam poſt Papam abſq;dependentia alicujus.

2 Legatus Papæ quam poteſtatem habet?

℞ Ordinariam,& majorem,ſcilicet ſuæ legatiæ; & ſic ſupra ordinarios eſt in Provincia ſibi commiſſa. *Abb. in c.1.de offic.legat.n.2.& 3.*

3 Archiepiſcopus, ſi ſit legatus,quo jure poterit audire cauſas ſuorum ſuffraganeorum?

℞ Licèt Archiepiſcopus non poſſit audire cauſas Suffraganeorum ſuorum, niſi per appellationem, tamen ùt legatus poterit per ſimplicem querelam audire cauſas ſuorum ſuffraganeorum in prima inſtantia; quia non repugnat, ut in una perſona ſint duæ juriſdictiones. *Abb.c.1.eod.tit.n.6.*

4 Quot ſunt legati,& in qua differentia?

℞ Duo. 1mò,dicitur ille,qui naſcitur in dignitate, naſcitur in legatia, ut Archiepiſcopus Cantuarienſis eſt legatus ſimul cum dignitate Archiepiſcopali,& iſte dicitur legatus natus ex privilegio ſũmi Pont. conceſſo Eccleſiæ Cantuarienſi,ut ſimul cum dignitate Archiepiſcopali ambulet legatia. Item in Polonia Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui ſimili prærogativa gaudet.2dò,ſunt legati qui creantur quotidie à Summo Pont.ad diverſas,perſonas,& diverſa negotia. *Abb.c. 1. de offic. legat.n.1.& c.excommunicantes. n. 2. & 3.*

5 Si quis impetret reſcriptum in aliqua cauſa, & ante citationem legatus Papæ cognoſcat de tali cauſa,quid erit agendum?

℞ Reſcriptum nullum eſt, quia ante citationem cauſa fuit præventa à legato. *Abb. in c. ſtuduiſti. eodem titulo num. 4.*

6 Legatus de latere ubi habet poteſtatem?

℞ In omnibus Provincijs ſuæ legationis: ita quòd exiſtens in una provincia alias gubernare poteſt, & finitur ejus poteſtas,ſi exeat extra Provincias, & fines poſitos in ſua legatione, & mandato. *c. novit. eodem titulo.*

7 Statuta legatorum à latere quantum durant?

℞ Licèt

℞ Licèt legatus exſpiret morte, vel completo tempore ejus ſtatuta ſunt perpetua, donec à ſuperiore, vel ſucceſſore moderentur, vel tollantur. *c. nemini, de offic. legati*

8 A legato Papæ, ad quem poteſt appellari?

℞ Ad ſolum Papam; quia non habet alium ſuperiorem. *Abb. in c. 2. n. 3. de ornc. legati.*

9 Legatus de latere quæ beneficia conferre poteſt?

℞ Quæ ad Apoſtolicam ſedem pertinent, & concurrit in proviſione cum Epiſcopo illius Provinciæ, in qua eſt legatus. *Abb. in c. dilectus, de offic. legati. nu. 2.*

10 Quis dicitur legatus à latere?

℞ Solùm Cardinales, qui aſſiſtunt cum latere Papæ, & à latere ejus aſſumuntur, & habent majorem juriſdictionem, quam omnes alij legati. *Abb. in c. 1. n. 9. eodem tit.*

11 Qui legatus poterit cognoſcere de exemptis?

℞ Solùm legatus à latere propter ſupremam ejus juriſdictionem. *Abb. ubi ſupra c. 1. n. 9.*

12 Legatus à latere poteſtne abſolvere ex generali commiſſione excommunicatos per canonem, ſi quis ſvadente diabolo?

℞ Poteſt, licèt hæc abſolutio reſervata ſit Papæ. *c. niſi ſpecialis, eod tit.*

13 Legatus de latere, quas res non poteſt facere?

℞ 1mò, non poteſt Epiſcopos transferre. 2dò, non poteſt unam cathedralem alteri ſubijcere. 3tiò, non poteſt concedere jus primatiæ. 4tò, non poteſt duos Epiſcopatus in unum unire. 5tò, non poteſt ex uno Epiſcopatu facere duos, quia hæc ſunt reſervata Papæ, & quando facienda ſunt requiritur ſpecialis commiſſio, & non generalis. *c. niſi ſpecialis, eod. titul.*

14 Legatus poteſtne diſponere Epiſcopum?

℞ Non, niſi ſolus Papa, licèt legatus poſſit cognoſcere de cauſis depoſitionis, & fulminare proceſſum. *Abb. in c. 1. eod. tit. n. 6.*

15 Ad legatum poteſtne appellari omiſſo medio?

℞ Poteſt, ſicut ad Papam. *Abb. in c. 1. n. 8. eod. tit.*

16 Si in una provincia ſit cauſa aliqua certæ dignitati commiſſa, & ſit ibi legatus à latere, poteritne cognoſcere de tali cauſa?

℞ Legatus à latere non ſe debet intromittere in tali cauſa, niſi urgente aliqua neceſſitate. *Abb. ubi ſupra numero 2.*

17 Legatus à latere poteſtne attentare aliquid contra canones, uel generalem conſvetudinem?

℞ Non, quia hoc eſt frangere jus, quod ipſe non poteſt facere; imò in omnibus negotijs ipſe debet ſervare jus commune, quia commiſſio data eſt ad ædificationem, non ad ruinam, & deſtructionem. *Abb. in c. niſi ſpecialis. de offic. legati. n. 4.*

18 Legatus à latere poteſtne conferre beneficia juris patronatus?

℞ Si jus patronatus ſit Laicorum, non poteſt: ſi verò ſit Eccleſiaſticorum poteſt, quia plus juris habet Prælatus in conceſſione, quam patronus in præſentatione. *c. dilectus. eod. tit.*

19 Quare legatus à latere non poteſt conferre beneficia juris patronatus Laicorum, & poteſt conferre juris patronatus Eccleſiaſticorum?

℞ Quia Papa non habet tantam poteſtatem in bonis Laicorum, quantam habet in bonis Eccleſiaſticorum, & ne laici terreantur ab inſtitutione bonorum operum, & ideo Papa non debet conferre jus patronatus Laicorum, niſi faciendo de illo expreſſam mentionem, & inde ſequitur, quod legatus à latere non poterit conferre beneficia juris patronatus Laicorum. *Abb. in c. dilectus. n. 4.*

# CAPUT XIII.
## De Officio Judicis Ordinarij.

1 Juriſdictio ordinaria à quo emanat, & quomodo acquiritur?

℞ A lege, Principe, & conſvetudine legitimè præſcripta. *Abb. in c. duo ſimul. n. 2. de offic. jud. ord.*

2 Quis eſt judex ordinarius?

℞ Ille, qui habet juriſdictionem à Jure, ut Epiſcopus. *c. 1. eod. tit.*

3 Quoruplex eſt officium judicis?

℞ Duplex. 1mò, officium nobile, quando judex ſine petitione alicujus ex ſua voluntate jubet imperat, & ſupplet aliquid; & dicitur nobile, quia homo nobilis ex ſua mera voluntate facit beneficium alicui. 2dò, eſt officium judicis mercenarij, quando aliquis facit ad requiſitionem partis & dicitur mercenarius, quia illud facit quaſi mercenarius juſſus ab altero. *inſtit in rub. de off. jud. ibi gl. Azor. in ſum tit. de off. jud. & c. 2. eod. & Abb. ibi nu. 5.*

4 Monaſteria, & eorum Abbates poſſuntne habere juriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem?

℞ Poſſunt in ſuos ſubditos, quia de jure ſunt capaces juriſdictionis. *Abb. in c. dilectus, de offic. ord. nu. 1.*

5 Qui dicuntur Prælati?

℞ Non ſolùm ſuperiores, ſed inferiores habentes juriſdictionem. *Abb. in c. cum ab Eccleſiarum, de offic. jud. ord nu. 1.*

6 Si capitulum habet juriſdictionem corrigendi ſuos canonicos, & negligens fuerit, quid debet facere ordinarius, & Epiſcopus?

℞ Terminum capitulo ad correctionem præfigere & ſi id non fecerit, ipſe debet facere correctionem. *c. irrefragabili, de off. ord.*

7 Correctio regularium, ad quem pertinet?

℞ Ad eorum prælatos; ſed ſi negligentes fuerint, ad ordinarium. *c. quanto de off. ord. & Conc. Trid. Seſſ. 25. de reg. c. 14.*

8 Ordinarius quando poteſt ſe intromittere in cauſa delegati, & ſupplere ejus vices?

℞ Quando ob negligentiam delegati aliqui perſeverant in peccato, & tunc propter majorem Dei gloriam, & proximi utilitatem poterit ordinarius ſupplere vices, vel negligentiam delegati, licèt peccatum commiſſum fuerit delegato corrigendum. *c. ſignificavit. eod. tit. & Abb. ibi. num. 2. DD. ibi licèt* hoc rarò, vel nunquam contingat, cum ſemper legati ſint perſonæ magnæ authoritatis.

9 Patriarcha poteſtne cognoſcere de cauſis ſubditorum ſuorum Archiepiſcoporum, vel Epiſcoporū?

℞ Non, niſi vigore alicujus privilegij, vel per appellationem legitimam. *Abb. c. duo ſimul. de offic. ord. numer. 1.*

10 Ad quid imploratur in petitionibus officium judicis liberale?

 ℞ Ad

℞ Ad contestationem litis, aliquando ad authorizandum aliquam scripturam; aliquando ut ex ejus officio aliquos suppleat defectus. *capit. 2. de offic. judic.*

11 Ordinarius poteſtne delegare absolutionem ab excommunicatione?

℞ Poteſt, & etiam ipsam excommunicationem; quia hæc ſunt jurisdictionis, cum, & jurisdictio possit delegari cum causa. *c. his quibus. de off. c. ord.*

12 Poteſtne judex providere de advocato partibus?

℞ Sive ſit Judex ordinarius, ſive delegatus, debet parti pauperi providere de advocato, ne defectu defensionis justitia pereat. *c. 1. de offic. ord.*

13 Episcopus, & ejus Vicarius poſſuntne invocare auxilium brachij ſæcularis, & quando?

℞ Poſſunt ſi vires Ecclesiasticæ non ſufficiunt ad coercenda delicta, & administrandam juſtitiā, & tunc Judex ſæcularis tenetur præbere auxilium brachij ſæcularis; quia una jurisdictio adjuvatur ab altera, ut latè dixi *Lib. 4. c. 13. de Vicario Episcopi. c. 1. eodem titulo.*

14 Sæcularis Judex poteſtne petere auxilium à Judice Ecclesiaſtico?

℞ Poteſt quando eſt neceſſarium ad juſtitiam adminiſtrandam ad Dei ſervitium in caſibus à jure permiſſis, in quibus incurritur irregularitas. *Abb. c. 1. de offic. jud. ord. n. 5.*

15 Judex injuſtè judicans committit nè peccatum?

℞ Si judicet per errorem, non: ſi verò per malitiam, committit peccatum, & tenetur ad reſtitutionem damni. *Abb. c. 1. eod. tit. n. 9.*

16 Sacerdos, qui ſcit aliquid in confeſſione, ductus in teſtem poteſtnè licitè jurare abſq; peccato ſe nihil ſcire?

℞ Poteſt, & ſic tenetur facere: & contrarium faciens debet puniri graviter; quia illud quod ſcit, eſt ſicut nihil ſciret, quia ſcit, ut Deus, & ſi aliter fieret homines arcerentur à confeſſione. *Abb. in c. 2. n. 7. de offic. jud. ord.*

17 EPiſcopus teneturne ſervare ſententias Vicariorum, & inferiorum?

℞ Si juſtæ ſint, tenetur eas ſervare, & non debet abſolvere excommunicatos ab eis ſine legitima ſatisfactione. *cap. cum ab Eccleſiarum. de offic. jud. ord.*

18 Ordinarius viſitans monaſteria monialium, quos poteſt ſecum ducere?

℞ Non debet ducere ſæculares, ſi neceſſarij non fuerint ad aliquam fabricam, ſed ſolùm tres canonicos, & aliquos viros religioſos. *c. ut juxta. eodem tit. & latè dixi Lib. 6 de clauſura monialium.*

19 Quid debet facere ordinarius, ut officium ſuum rectè adimpleat?

℞ Debet laborare in componendo partes, ut non ſint lites. *c. ex parte. de tranſactionibus.*

20 Judex in ſententiando quid debet obſervare?

℞ Debet mitigare ſeveritatem, & ſe inclinare ad miſericordiam. *c. ex parte de tranſactionibus.*

21 Judex quando non invenit jus in aliquo negotio, quid debet ſententiare?

℞ Aequitatem, ut Chriſtum imitetur, qui ſemper eſt miſericors; & ſic judex debet declinare in humaniorem partem, conſiderando perſonam, terras, loca & neceſſitates hominum. *c. ex parte, de tranſactionib.*

22 Si Judex habeat reum, & in proſecutione cauſæ inveniat in eo aliquod delictum, de quo ipſe non eſt Judex competens, quid tenetur facere?

℞ Poſtquam ipſe protulerit ſententiam in delicto, in quo eſt Judex debet remittere reū cū proceſſu ad proprium Judicem illius delicti; ratio eſt ne delicta maneant impunita. *Abb. in c. de raptoribus, num. 10.*

## CAPUT XIV.
## De Officio Judicis.

1 Quod eſt officium Judicis?

℞ Facere juſtitiam, providere advocatum parti, delegare abſolutionem. *c. 1. de offic. jud.*

2 Officium judicis perpetuaturne in ſua perſona per litis conteſtationem?

℞ Non: ſed finitur ſuo tempore, & Judex de novo in trans accipit cauſam in eo ſtatu, in quo eſt, & eam finit, licèt in conſilijs, & audientijs Regis Hiſpaniarum Judex, qui vidit litem, debet eam ſententiare, licèt translatus ſit ad aliud tribunal majoris honoris *Abb. c. judicis officium eod. tit. num. 8.*

3 Conteſtatio litis poteſtne fieri per judicem?

℞ Poteſt quando imploratur officium nobile judicis, tunc fit litis conteſtatio. *c. judicis officium. de offic. jud.*

4 Judex poteſtne cognoſcere de ſuccedentibus poſt conteſtationem litis?

℞ Affirmativè; quia ad id extenditur officium nobile judicis. *Abb. c. judicis officium. eod. tit. uu. 4.*

## CAPUT XV.
## De majoritate, & obedientia.

1 Papa, & Epiſcopi debentne ſe ſubjicere Principibus ſæcularibus?

℞ Non; ſed eis præeſſe; quia ſacerdotium Eccleſiaſticum eſt ſacerdotium primum, & æternum datum à Chriſto Domino. *c. ſolitæ, de major. & obedientia.*

2 Quo jure ſunt Clerici exempti à Principibus ſæcularibus?

℞ Jure divino. *Abb. in c. ſolitæ. nu. 4. eod. tit. de hoc dico latè Lib. 10. c. de immunitate Eccleſiaſtica.*

3 Cui debetur obedientia in tota diœceſi?

℞ Epiſcopo, & qui facit contra ejus decreta, debet excommunicari. *c. 2. c. omnes Principes eod. tit.*

4 Quando ſuperior imponit, & jubet ſub pœna obedientiæ, quam pœnam imponit?

℞ Pœnam infamiæ, & arbitrariam; quia, qui non obedit, infamis eſt. *c. illud Dominus, de majoritate, & obedient.*

5 Capitulum teneturne obedire Epiſcopo?

℞ Tenetur. *Abb in c. dilecti, de major. & obed. n. 1.*

6 Quando poteſt capitulum appellare à mandatis Epiſcopi?

℞ Quando Eccleſia, vel ipſi canonici præjudicantur. *Abb. c. dilecti. eod. tit. n. 1.*

7 Canonici regulares cui debent præſtare obedientiam?

℞ Suo priori, qui poteſt inobedientes excommunicare, & de fratrum conſortio incorrigibiles expellere. *c. cum in Eccleſijs eod. tit.*

8 Abbates, & Sacerdotes possuntne compelli venire ad synodum ?

℞ Possunt per censuram Ecclesiasticorum. *c. quod super his eod. tit.*

9 Moniales tenenturne obedire Abbatissæ ?

℞ Tenentur sub pœnis in suis constitutioninibus positis; quia ipsa non potest illas excommunicare.

10 Inter Canonicos, & ordinatos, quis ordo servatur

℞ Ordo suæ ordinationis, & receptionis ita ut, qui prius fuerit ordinatus in illo ordine, habent primum locum. c. 1. *de majorit. & obed.*

11 Si aliquis Canonicus sit receptus prius habens Subdiaconatum, & alter sit receptus posterior habens ordinem sacerdotalem, quis præfertur in loco honore, & portione ?

℞ Secundus, qui habet ordinem sacerdotalem; quia honoratur sacerdotium magis, quam tempus receptionis; sed talis Subdiaconus cum tempore labente susceperit ordinem sacerdotalem, recuperabit primum locum suæ receptionis; quia iam est æqualis cum alio in ordine sacerdotali, & major alio tempore receptionis *c. statuimus. eod. tit. de majorit. & obed.*

12 Ordinatus per Papam eximiturne à jurisdictione sui Episcopi ?

℞ Non; sed in omnibus subest suo Episcopo, sicut cæteri Clerici; quia talis exemptio requirit particulare privilegium. *c. per tuas. eod. tit.*

13 Ordinatus à Papa potestne deponi ab Episcopo, si subsit legitima causa ?

℞ Licet variæ sint opiniones, verior est, quòd superveniente delicto possit puniri, & deponi per Episcopum, & judicem inferiorem, qui de tali delicto cognoscit; ratio est; quia Papa non reservavit sibi depositionem illius per ordinationem, quam in illo fecit: & quia delictum superveniens illum privavit honore sibi debito. *Abb. c. per tuas. de maior, & obed. n. 2.*

14 Si Metropolitanus exigat juramentum à suffraganeo ultra formam statutam à Canone, ad quid tenetur suffraganeus ?

℞ Ultra formam ad nihil tenetur. *c. dilecti. de maiorit. & obed.*

15 Si Episcopus delinquat extra suam diæcesim, à quo potest puniri ?

℞ De jure in c. cum inferiorem de majorit. & obedientia punitur per inferiorem Episcopum sed hodie per Concil. Trid. causæ Episcoporum coram Papa litigantur, & ab eo punitur; cui standum est. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. de Ref.*

16 Ex quibus causis potest negari obedientia prælato ?

℞ Ex quatuor. 1mò, si sit hæreticus. 2dò, si sit simoniacus in ordine dando. 3tiò, si sit schismaticus, vel sequatur partes schismatici, vel neget obedientiam sedi Apostolicæ. 4tò, in crimine notorio fornicationis. *c. sanè 24. q. 2. c. quia diligentia, de electione. & Abb. in c. cum non liceat, de præscriptionibus num. 2.*

# CAPUT XVI.

## De Tregua, & Pace.

1 Quid est tregua ?

℞ Tempus, quo datur in bello, vel lite, ut pax tractetur. c. 1. *de tregua, & pace.*

2 Tregua, & pax debentne observari, sub qua pœna ?

℞ Debent, & etiam pacta custodiri sub pœna excommunicationis. *c. 1. eodem tit. dicente pax servetur, pacta custodiantur.*

3 Est ne tempus signatum ad treguam, & pacem?

℞ Licet de jure antiquo tregua servaretur in quarta feria, & ab Adventu Domini usq; ad octavam Paschæ; hodie hoc non servatur sed ad libitum partium, & judicis treguæ dantur ad pacem consequendam. *c. treguas, eod. tit.*

4 Quæ personæ gaudent tregua, & pace in bello ?

℞ De jure Presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores, & agricolæ existentes in agricultura, & habentes animalia, ut agricolentur. *c. innovamus. eod. tit.*

5 Judex Ecclesiasticus invitis partibus potestne dare treguas ?

℞ Non debet id facere, nisi supervenient causa, vel speret ex tali tregua venire pacem, tunc poterit treguam dare, & supersedere à lite per tempus limitatum. *Abb. c. treguas. eod. tit n.* licèt hoc faciant Principes, & Reges, qui nō habent superiorem, qui aliquando dant literas supersessorias in litibus per tempus limitatum, ex aliqua legitima causa

# CAPUT XVII.

## De Pactis.

1 Unde dicitur pactum ?

℞ A verbo paciscor, idest promitto, vel spondeo vel convenio tecum de hac re. *Isidor. lib. 5. ethimologiar. verb. pactum.*

2 Quid est pactum ?

℞ Consensus duorum, vel plurium in idem placitum ad dandum aliquid alteri ab altero eorū. *l. 1. ff. de pactis.*

3 Pactum potestne esse in una sola persona ?

℞ Non; necessariò enim debent esse ad minus duo, vel plures, qui inter se aliquid promittant, & ad invicem debet unus dare alteri, & alter alteri. *l. 1. ff. de pactis.*

4 Quod sunt genera pactorum ?

℞ Plura. 1mò, est pactum conventum. 2dò, pactum tacitum. 3tiò, pactum expressum. 4tò, pactum adiectionis. 5tò, pactum legis commissoriæ 6tò, pactum personale, 7mò, pactum reale. 8vò, nudum. 9nò, vestitum. 10mò pactum per donationem. 11mò, pactum turpe

5 Quod est pactum conventum ?

℞ Quod fit expressis verbis, ut si verba sint obligatoria, pactum est obligatorium; si liberatoria, pactum est liberatorium: ut cùm creditor dicit debitori, trado tibi instrumentum, quia soluisti debitum. *l. labeo. ff. de pactis.*

6 Quod est pactum tacitum ?

℞ Illud, quod verbis non est expressum, sed ex lege ali-

lege aliqua constat; ut si conduxi Petrum, ut custodiat meum agrum, ex lege debetur merces Petro, licèt verbis non sit expressa; & quotidie hoc succedit in sutoribus; quibus sine pacto laboris sui traduntur vestes, sed sutori debetur labor, ac si pactum factum fuisset.

7 Quod est pactum expressum?

℞ Illud, in quo verbis, vel scriptura exprimitur res; ut dabo tibi centum aureos, & tu dabis mihi centum cados olei mense Octobris venturi;& in hoc utraque pars obligatur.

8 Quod est pactum adiectionis?

℞ Quando supra id, de quo paciscimur, additur aliqua conditio: ut vendo tibi domum centum aureis,& si intra annum invenero plus,vel reddidero tibi dictos centum aureos, repetam domum meam; quod solitum est nominari pactum de retrovendendo.

9 Quod est pactum legis commissoriæ?

℞ Illud, in quo apponitur aliqua alia conditio, quæ deducit rem in primum statum; ut vendo tibi domum centum aureis, & si intra mensem tibi reddidero, domus sit quasi non empta, & revertatur ad me. *l. commissoriæ. C. de pactis inter emptorem, & venditorem.*

10 Quod est pactum personale?

℞ Illud, quod prodest soli certæ personæ, ut si dicam centum debes mihi, non petam à te sed ab hærede tuo, tale pactum solùm prodest Petro, sed non hæredi suo.

11 Quod est pactum reale, vel in re?

℞ Illud, quod fit supra rem; ut dimitto tibi debitum taliter,quòd nulla actio mihi restet contra hæredes, neque contra te.

12 Quod est pactum nudum?

℞ Illud, quod destitutum est omni solemnitate Juris, ubi non intervenit scriptura, neque chyrographum, sed solum ipsum pactum, ut facio domum tuam, ut des mihi pecuniam, & mercedem,si & non paciscar de quantitate, tale pactū dicitur nudum à solemnitatibus, & vestitum à causa, nempe à labore faciendi domum, & etiam dicitur nudum, quia non habet nomen emptionis, locationis,vel mutui.

13 Quod est pactum vestitum?

℞ Illud, quod vestitur aliquo ex his sex modis: 1mò, re. 2do, verbis, 3tio, literis. 4to, consensu 5to, cohærentia contractus. 6tò, rei interventu. *Goffr. de verb. oblig.*

14 Quod est pactum per donationem?

℞ Quando facio donationem alicui, & tunc paciscor de non petendo rem, quam liberè donaui. *Goffr. in sum. verb. pactum.*

15 Quod est pactum turpe, vel rei turpis?

℞ Quando paciscor facere aliquam rem turpem, ut tradere mulierem meam, vel filiam certo homini ad rem turpem,& tale pactum non debet adimpleri, neque ex eo nascitur aliqua obligatio, neque ex pacto rei impossibilis. *Goffr. in sum verb. pactum.*

16 Ad quem pertinet, ut pactum servetur?

℞ Ad Judicem ordinarium illarum personarum, quæ fecerunt conventionem, & pactum. *c. qualiter, de pactis.*

17 Judex debetne compellere partes ad compositionem?

℞ Non, etiam si sit Papa; quia hoc est in libera potestate partium, quæ non est coarctanda. *Abb. in c. cum pridem. n. 6. de pactis.*

18 Si res sit beneficialis, & in libera dispositione Papæ,possuntne compelli partes ad compositionē?

℞ Possunt, quia compositio non sit de re propria partium, sed de re, quæ propriè pertinet ad Papæ dispositionem. *Abb. in c. cum pridem n. 6. eod. tit.*

19 Pactum in quo differt à transactione?

℞ In eo, quòd transactio est de re litigiosa; pactum verò de re certa; ut, do, ut des; facio, ut facias, vel facio, ut des; vel do, ut facias. *Bartol. l. 1. ff. de pactis.*

20 Pactum invalidum quomodo validatur?

℞ Per consensum Superioris, & partium: nam ratihabitio retrotrahabetur, & mandato comparatur. *c. 2. de pactis.*

21 Pactum nudum est ne servandum?

℞ Affirmativè, quia dicit *tex.* pax servetur, & pacta custodiantur. *c. 1. de pactis.*

22 Pactum, ut quis renuntiet beneficio, pecunia, est ne validum?

℞ Non, cum sit simonia. *c. cum pridem. eod. tit.*

23 Pactum in præjudicium alterius valetne?

℞ Non; quia ad obligandum aliquem, requiritur proprius consensus. *c plerique, de pactis.*

24 Pactum positum contra jus valetne, vel pæna?

℞ Non, cum persona privata, quæ paciscitur, non possit dispensare jus, neque derogare juri. *Abb. c. plerique, eod. tit. n. 2.*

25 Si quis faciat pactum juratum de non cedendo bonis, valetne?

℞ Cum distinctione, si talis deveniat in tantam paupertatem, ut non possit solvere, & teneatur perpetuò esse in carcere, vel cedere bonis, non tenetur observare pactum, quia non est dominus membrorum suorum, & sic pactum reputatur de re impossibili. *Abb. in c. pactiones, eod. tit. n. 3.*

26 Pactum de re impossibili valetne?

℞ Non, sive sit impossibile de jure, vel de facto ex *reg. jur.* nemo potest ad impossibile obligari

27 Quotuplex est impossibilitas?

℞ Duplex; una juris, altera facti; juris est, ut si Laicus diceret, promitto tibi dare ordinem sacrum; facti est ut si quis diceret, promitto ambulare ducenta milliaria uno die, vel transferre montem in aliam partem. *Abb. in c. pactiones. nu. 1. eod. tit.*

---

# CAPUT XVIII.
## De Transactionibus.

1 Quare dicitur transactio?

℞ Quasi extincta lite transeant in pacem, & amicitiam, & dicitur quasi amicabilis compositio. *c. statuimus. de transactionibus. cap. nisi essent, de præbend.*

2 Quid est transactio?

℞ Quædam conventio, vel compositio de re incerta, de lite non finita, per quam quis accepta aliqua recedat juri suo. *c. super eo, de transactionib.*

3 Quotuplex est transactio ?
℞ Triplex. 1ma generalis. 2da specialis 3tia indefinita. *Abb. c.* 1. *eod. tit.* 6.
4 Quæ est transactio generalis ?
℞ Quando quis accepto aliquo remittit, & dat omnia sua jura alteri. *l. age.* C. *de transactionibus.*
5 Quæ est transactio specialis ?
℞ Quando quis accepto aliquo transigit,& donat aliquam specialem rem,velut agrum vel domum,supra quam est lis,vel controversia; & hæc transactio non extenditur ultra illam particularem,& certam rem. *l. age,*C.*de transactionibus.*
6 Quæ est indefinita ?
℞ Æquipollet universali transactioni ; quia sine fine, & termino transigit. *l. fin. de vino, tritico. & oleo legato.*
7 Transactio , & amicabilis compositio , in quo differunt ?
℞ In eo, quòd amicabilis compositio est pactio gratuita sine aliquo interesse ; transactio verò non est gratuita, sed pro aliqua re accepta, vel accipienda: *Abb.c.*2.*de transactionib num.*6.
8 Transactio potestne fieri gratuita, ita quòd aliqua pars nihil accipiat ?
℞ Non ; quia talis contractus esset gratuita pactio,& non transactio. *c. super eo eod.tit.*
9 Transactio potestne fieri de lite incepta , nec contestata ?
℞ Potest, & tunc quis facit transactionem de jure suo, quod sibi pertinere poterat. *l. eleganter.* §. *Si quis ff. de cond. indeb. l.* 1. C.*de transactionib.Abb. in c. contingit. eod. tit. num.* 1.
10 Si pro re magna detur minima, eritne verus contractus transactionis ?
℞ Affirmativè : ut si peto mille, & dentur mihi decem, sufficit aliquid recipere ad verum contractum transactionis. *l.transactio.*C.*de transactionib.*
11 In transactione requiriturne necessariò , ut quod datur, detur de præsenti, vel recipiatur, vel sufficit promittere aliquid de futuro ?
℞ Utroque modo est vera transactio. *leg.* 2.C-*de transactionib.*
12 Si quis non recipit postea, quod illi promissum est, potestne reverti ad primum suum Jus ?
℞ Non, quia illud jam transegit,& dedit; & solùm habet actionem ad rem promissam, nisi forte in scriptura transactionis ponatur clausula, quòd re tali tempore non soluta lis revertatur in suo statu. *Abb.ubi supr.num.ult.*
13 Si pars faciat transactionem justitiæ , debetne cessari à punitione illius delicti, super quo facta fiat transactio ?
℞ Non, sed fiscus debet sequi negotium , ne delicta impunita maneant,licet tunc mitius agatur. *l. cum hi. ff. eodem tit.*
14 Cum sit transactio , instrumenta,vel jura debentne aliquam vim ?
℞ De natura transactionis est, ut omnia jura,& instrumenta contraria transactioni invalidentur: & solum instrumentum transactionis habet vim. *cap.* 1. *eodem titul.*
15 Exceptio transactionis est ne dilatoria, & quãdo potest opponi ?
℞ Est peremptoria , & potest opponi in quocunque statu litis , & ante litem. *Abb. cap.* 1. *de transaction. numero* 3.
16 Transactio quando est licita in spiritualibus ?
℞ Quando datur spirituale pro spirituali ; non verò quando datur spirituale pro temporali. *Abb. in cap. statuimus. de transactionibus. num.* 5. *c. constitutus, eodem titul.*
17 Procurator potestne transigere ?
℞ Non, sine speciali mandato : & si transegerit transactio non erit valida, nisi Dominus ratum habeat, quia potestas transigendi non includitur in generali mandato. *c. contingit eod. tit.*
18 Prælatus potestne transigere sine consensu capituli ?
℞ Non, nisi habeat speciale mandatum capituli, quia bona prælati sunt in magna utilitate capituli, præcipuè si res sit immobilis, ut res pretiosa. *Abb. c. contingit num.* 3. *eodem titul.*
19 Si Prælatus faciat transactionem, obligatur ne successor ad eam observandam ?
℞ Si eam fecit sine consensu superioris , non obligatur; si verò cum consensu obligatur successor, quia actus fuit realis, legitimus, & perfectus, *c. veniens, de transaction.*
20 In spiritualibus, & beneficialibus valet ne transactio ?
℞ Non, sine licentia Summi Pont. *c. praterea, n.* 2. *de transaction.*
21 In criminalibus valet ne transactio , ubi imponenda est pæna sangvinis ?
℞ Valet; quia licitum est cuique redimere suum sangvinem. *Abb. in c.* 1. *de collusio. detegen. num.* 7. *cap. adulterij,* 32. *q.* 7.
22 In crimine adulterij licet ne transigere ?
℞ Non , propter famam , turpitudinem partis læsæ, & magnitudinem delicti. *c. at si Clericis.* §. *de adulterijs de jud. & Abb. ubi sup.*
23 In crimine hæresis potestne fieri transactio ?
℞ Non ; quia agitur de honore Dei *cap. final. de transaction.*
24 In decimis potestne fieri transactio ?
℞ Potest, & etiam in modo solvendi cum consensu Papæ. *cap. statuimus. de transactionibus. & Abb. ibi numero* 7.
25 Si capitulum semel consensit transactionis factæ ab Ecclesia , licet ne ei postea dissentire ?
℞ Non. *c. contingit. eod. tit.*
26 Super Ecclesiastico beneficio potestne fieri transactio ?
℞ Non, benè tamen potest fieri amicabilis compositio. *c. super eo, de transact.*

## CAPUT XIX.
### De Postulando.

1 Quid est postulare ?
℞ Facere officium advocati,& pro alio postulare justitiam. *c.* 1. *de postulando.*
2 Quibus modis sumitur hoc verbum,postulare ?
℞ Duobus. 1mò, quando quis à populo , vel à clero postulatur in Episcopum. 2dò, quando quis facit officium advocati , & postulat justitiam pro alio. *Goffr. in sum. c.* 1. *de postulando.*
3 Qui Clerici prohibentur postulare ?

℞ Constituti in sacris, qui habent unde sustententur, & hoc propter decentiam. *Abb. c. 1. de postulando. num.* 1.

4 Quibus in casibus Clerici possunt postulare coram judice sæculari?

℞ 1mò, pro se, pro suis, pro patre, & matre, fratribus,& nepotibus. 2dò, pro sua Ecclesia. 3tiò, gratis pro miserabilibus personis *cap.1.de postulando.*

5 Advocatus teneturne adjuvare, & defendere magis patriam, quam patrem suum?

℞ Non, imò tenetur defendere magis patrem, cum quo habet vinculum naturale, quàm patriam suam, cum qua habet vinculum gratitudinis, & recognitionis. *l. ut. vim ff. de just. & jur. l 2. C. de advocatis divers. jud.*

6 Si Clericus sit advocatus contra suam Ecclesiam, qua pæna punitur?

℞ Tanquam ingratus privatur beneficijs. *c.cum sacerdotis. de postulando, & de hoc latè dixi lib. 5. c. de Clerico advocato.*

# CAPUT XX.
## De Procuratoribus.

1 Quis dicitur Procurator?

℞ Ille, qui accepto alieno mandato plura negotia suscipit facienda. *l. 3. ff. de negotijs gestis. l. 1. ff. de Procuratoribus.*

2 Syndicus quis est?

℞ Ille, qui constituitur à Prælato, ab Ecclesia, à communitatibus ad administranda, colligenda,& tuenda eorum bona in judicio, & extra: & largo modo dicitur procurator. *cap. unico, de synodaco, & ibi Abbas.*

3 Quis admittitur in judicio ad procurandum?

℞ Solùm ille, qui habet speciale, vel generale mandatum à Domino, ad litem, vel lites; nam si quis aliquid fecerit sine mandato non tenet ratum, nisi, à parte ratificetur. *c. 1. de procurator.*

4 Quis potest compelli constituere procuratore?

℞ In grandibus negotijs nullus potest compelli constituere procuratorem, si velit ipse litigare pro sua persona. *Abb.c.querelam.de procuratoribus n.3.*

5 Procurator potestne petere expensas à parte pro suo labore?

℞ Si habuit mandatum, potest,& etiam expensas Notariorum pro ipso factas, quas debet Judex taxare,ne partes graventur. *c.cum.pro causa,eod. tit.*

6 Si mandatum datum procuratori amittatur, poteritne probari per testes?

℞ Potest, & etiam per instrumenta, cum hoc sit in favorem partis, ne indefensus quis pareat. *Abb. c. 1. de procuratorib. num. 5.*

7 Ad probandum revocationem procuratoris quot testes requiruntur?

℞ Sufficit juramentum revocantis,& unus testis, *c. ex insinuatione, de procuratoribus, & ibi glos.*

8 Quis potest constituere Procuratorem?

℞ Universitas, Episcopus, Capitulum,& quilibet particularis, sive homo, sive mulier, sive major, sive minor cum authoritate tutoris & Judicis,& tandem quilibet, qui est sui juris *cap. quia in causis, de procuratori. & Abb ibi. num. 1.*

9 Ad constituẽdum procuratorem quid requiritur?

℞ Potestas constituendi, & plena libertas, præcipuè in causa matrimoniali. *c. accedens. de procur.*

10 Procurator potestne revocari viva voce?

℞ Potest, licèt sit per scripturam constitutus. *Abb. in c. ex insinuatione eod. tit. num. 1.*

11 Revocatio procuratoris cui debet notificari?

℞ Ipsi procuratori, Judici, & parti contrariæ, ut fraudes tollantur. *Abb. cap. in nostra num. 5. & 6. eodem tit.*

12 Qui malitiosè in præjudicium adversarij revocat mandatum, qua pæna punitur?

℞ Condemnatur in expensis propter malitiam. *C. auditis, de procuratoribus, & ibi. glos.*

13 Citalis revocatio si non notificetur judici, neque parti contrariæ, valetne?

℞ Acta facta cum tali procuratore valent, ac si non essent revocata ad tollendas fraudes litigantium, qui sæpè revocarent occulte, ut sententia contra eos lata nulla esset. *cap. mandato. eod. tit. cap. ex parte, de rescriptis.*

14 Si Dominus, qui dedit mandatum moriatur,& hoc ignoret procurator, & pars contraria, & Judex facient judicium bona fide cum procuratore, tale judicium valebitne?

℞ Non; quia jam non agitur de damno talis mortui, sed suorum hæredum, & sic non obstante bona fide debet peti mandatum ab hærede, de cujus damnò agitur: & quia sententia lata contra defunctum non valet. *l. si procurator. ff. de procuratoribus. Abb. in c. mandato. eod. tit. n. 6.*

15 Quis debet notificare parti, & judici revocationem procuratoris?

℞ Ipsa pars revocans,& non alius; quia alijs non tenetur Judex dare fidem de voluntate revocantis. *Abb. in c. mandato. eod. tit. num. ult.*

16 Cum est in causa conclusum, potestne revocari mandatum?

℞ Talis revocatio nihil operatur, cum in dicta causa omnia sint facta. *c. auditis,eod. tit.*

17 Procurator lite contestate poteritne revocari?

℞ Non sino legitima causa contradicente adversarior,quia talis revocatio videtur malitiosa,&pars revocans tenetur statim constituere alium procuratorem, cum quo fiant acta legitima, ne lis differatur. *Abb. c. auditis. eod. tit. num. 8.*

18 Infamis potestne esse procurator?

℞ Non, sive sit infamia juris, sive facti; quia est officium honorificum,& publicum,& magnæ confidentiæ. *Abb.in c. Imperatorem,de juram.calunniæ num.9.*

19 Si quis sit in carceribus, & constituat procuratorem, vel alicui promittat, præsumitur ne id facere metu carceris?

℞ Affirmativè, præcipuè in carceratis, qui sæpè metu carceris consentiunt sententiæ; si occultè appellat, talis appellatio erit valida. *Abb. cap. accedens. num. 1. de de procuratorib.*

20 Clericus quando potest esse procurator?

℞ In causa suæ Ecclesiæ, pro se, & pro suis conjunctis, pro pauperibus in judicio Ecclesiastico. *Abb. cap. in nostra. num. 1. ee procuratorib.*

21 Filijs familias potestne esse procurator?

℞ Affirmativè. *c. non injustè, de procuratoribus.*

22 Excommunicatus potest esse procurator?

℞ Non. *c. fin. eod. tit.*

23 Si quis excommunicatus eligatur in procuratorem,

torem, & postea absoluatur, valebit ne electio?

℞ Non, quia electio fuit facta in persona incapaci.

24 Conjuncta persona potestne supplere vices procuratoris?

℞ Non, in his rebus, quæ requirunt speciale mandatum. *Abb. in c. ex parte, il 3 de rescrips. n. 14.*

25 Excommunicatus potestne eligere procuratorem, & alios contractus facere, ut emere, & vendere?

℞ Potest, quia sunt in sui defensionem, & hoc non est illi prohibitum à jure. *Abb. c. veritatis, num. 35. de dolo, & contumacia.*

26 Si aliqui ex universitate sint excommunicati, potestne talis universitas eligere procuratorem?

℞ Si maior pars sit excommunicata, non potest; secus si minor, quia universitas constituitur ex majori parte, & major pars vitiat minorem, & in hoc casu solùm possunt eligere procuratorem ad sui defensionem, non tamen ad negotia universitatis *Abb. Cap. final. eod. tit.*

27 Si quis citatus fuerit personaliter ad totam causam, & usque ad definitivam inclusivè, & nõ constituat, vel iam constitutum revocet, poterit ne procedi in dicta causa?

℞ Poterit sine nova citatione in dicta causa; & si revocet procuratorem, habetur quasi non constituisset procuratorem, & damnum sibi imputetur. *c. auditis de procuratorib.*

28 Si quis ratificat facta per procuratorem falsum, vel revocatum tenentne?

℞ Tenent, sicut si facta fuissent per verum procuratorem, ratio est, quia ratihabitio & mandatum non est dubium comparari, *Abb. in c. quia nonnulli §. sunt alij de rescriptis. nu. 4.*

29 Sẽtentia lata cũ procuratore revocato valetne?

℞ Si notificata fuit procuratori talis revocatio, non valet *c. ex insinuatione. eod. tit.*

30 Facta à procuratore revocato valentne?

℞ Non. *Abbas cap. in nostra. de procurat; nu. 2.*

31 In criminalibus admittitur ne procurator?

℞ Si agatur de crimine civiliter admittitur; si agatur criminaliter, non est necessarius. *Abb. in c. tua. num. 3 eod: tit.*

32 Si Procurator sine mandato procuravit causam, poteritne petere laborem suum?

℞ Non, quia fecit negotium sine mandato alterius. *c. cum eod. tit.*

33 Rector Ecclesiæ, si non habet mandatum & facit expensas pro Ecclesia, poteritne eas petere?

℞ Poterit; quia ex eo, quòd sit Rector ex natura intrinseca, tenetur Ecclesiam beneficare, & providere ejus necessitatibus *c. cũ pro causa eod. tit*

34 Si in aliqua communitate sit major pars excommunicata, & ignoretur ab alijs, erit ne validum gestum à minori parte?

℞ Affirmativè ratio est, quia in his casibus justa ignorantia, communis error jus facit, *Abb. c. fin. nu. 3 de procuratoribus, l. Barbarius Philippus, ff. de offic. Prætoris.*

35 Procurator habens generale mandatum, potestne agere ea, quæ requirunt speciale?

℞ Non, quia specialitas non comprehenditur in generalitate: & sic qui habet generale mandatum ad omnia recuperanda, non poterit recuperare certum debitum, si debitor petat ad sui cautelam speciale mandatum, *Abb. in c. petitio vestra, nu. 1. eod. tit.*

36 Judex debetne dare procuratori tempus ad consulendum Domino litis?

℞ Debet, si malitiosè illud non petat, aliàs legitima erit appellatio talis procuratoris *c. dilectus filius de procurat.*

37 Maritus ad agendum pro uxore debetne habere ejus mandatum?

℞ Non est necessarium, cum sit caput uxoris, & ambo pro una persona reputentur. *Abb. in c. constitutus num. 1. eod. tit.*

38 Si plures procuratores dentur in solidum, quis est admittendus?

℞ Qui prius occupavit negotium; & si ille moriatur, alius potest supplere ejus locum absque novo mandato. *c. non injustè de procuratorib.*

39 Procurator teneturne necessariò appellare à sententia lata contra suam partem?

℞ Tenetur, alias solvet damnum; sed non tenetur prosequi appellationem, sine novo mandato. *c. non injuste. eodem tit.*

40 Quando potest opponi exceptio revocationis procuratoris?

℞ In quocunque statu litis. *Abb. c. in nostra. eod. tit numero 4.*

41 Si procurator dolosè facit officium suum, vel negligenter, qua pœna punitur?

℞ Debet restituere de suo damnum, & interesse, & Dominus potest contra eum petere, præcipuè si probetur dolus. *Abb. c. primò, ut lite nõ cõtest: n. 16.*

42 Si concurrant in una lite procurator, & aliquis Canonicus pensionarius illius Ecclesiæ, quis debet admiti ad procurandum?

℞ Canonicus, quia est pars principalis in causa suæ Ecclesiæ, & membrum principalius procuratore. *Abb. in c. ex literis de probationibus. n. 3.*

43 Quis dicitur contumax?

℞ Citatus, qui non ponit procuratorem, vel non mittit legitimum mandatum, vel qui comparet, & recedit sine licentia judicis. *Abb. in c. constitutus, de procuratoribus. num. 2.*

## CAPUT XXI.

## De Syndico.

1 Quid est syndicus?

℞ Procurator Universitatis, vel Collegij ad judicia constitutus, ut defendat Collegium, vel Universitatem, *c. 1. de Syndico, & ibi Abb. n. 2.*

2 Quis debet habere Syndicum?

℞ Omnes Universitates, Collegia, Cathedrales Ecclesiæ, & monasteria monialium, vel virorum, *Abb. c. 1. eodem tit. num. 7.*

3 Quare debent habere syndicum isti?

℞ Quia cum pluribus litigari non potest; ideò constituitur persona, cum qua fiant, & quæ defendat causam pro omnibus. *Abb. c. eod tit. in princ.*

4 Confessio syndici præjudicat ne Ecclesijs?

℞ Præjudicat, quia eas repræsentat. *c. 2 de capellis monach, ibi glos. fin. de confessis.*

5 In persona syndici potestne dari libellus, & proferri sententia?

℞ Affirmativè: dummodo dicatur Titius, ùt syndicus talis Ecclesiæ, quia ipse eam repræsentat. *cap. 2. de capellis monachorum. & ibi glos.*

## CAPUT XXII.

## De ijs quæ vi, metusve causa fiunt.

1 Quid est metus?

℞ Est mentis trepidatio, proveniens ex præsenti, vel futuro periculo *l. 1. C. eod.*

2 Unde dicitur metus, & quare sic appellatur?

℞ Quia mentem tenet, vel impedit, ne liberè operetur. *glos. in c. ad audientiam. eod. tit. litt. B.*

3 Quotuplex est metus?

℞ Duplex. 1*mò*, metus probabilis, qui cadit in constantem virum, & iste excusat. 2*dò*, metus non probabilis, seù reverentialis, & iste cadit in formidolosum, & ideò non excusat à juramento, neq. à promissione Deo, vel hominibus facta. *in c. cum dilectus eod. tit.*

4 Quotuplex est metus reverentialis?

℞ Duplex, scilicet metus reverentialis vestitus, & metus reverentialis nudus, *Bart. in l. si ob turpem. ff. de conditione ob turpem causam.*

5 Quis dicitur metus reverentialis vestitus?

℞ Dicitur metus reverentialis vestitus ille; qui vestitur minis atrocibus, vel verberibus, carcere, vel probabili amissione bonorum. *Abb. Pan. in c. Abbas isto tit. & c. cum virum, de regul n. 8. Bar. in l. metum, C. quæ vi, metusve causa.*

6 Quis dicitur metus reverentialis nudus?

℞ Quando aliqua persona solùm timet propter magnam reverentiam, & verecundiam, quam habet in præsentia sui patris, Principis, vel majoris; non verò propter aliquam iacturam, vel damnũ, quia de hoc nulla suspicio esse potest; aliquando propter rectitudinem, & justitiam superioris; aliquando propter parcitatem personæ inferioris timentis, quæ omnia sunt consideranda à judice. *Barth. in l. si ob turpem. ff. de conditione ob justam causam Bald. in l. 2. C. de ijs quæ vi, metusve causa fiunt.*

7 Metus reverentialis nudus, qui oritur ex Imperio, ex potentia, vel precibus superioris, quas qualitates debet habere, ut sit metus reverentialis vestitus, & excuset à promissione, vel à voto?

℞ Duas. 1*mò*, quòd interveniant minæ, verbis, scripto, vel nuntio, & quòd ex istis minis justè timeatur, quòd, si non acquiescat voluntati minantis, eveniet illi aliquod magnum damnum, & iactura, vel in bonis, vel in honore, vel in corpore. 2*dò*, requiritur, quòd talis superior minans soleat sævire in ipsum formidolosum, vel in alios sui similes, & sit assuefactus facere illis damnum in honore, in bonis, vel in corpore, & hoc sufficit, ut sit metus vestitus. *Bart. in l. metum. C. quæ vi met. caus. quem citat Abb. in c. cum dilectus eod. tit. n. 8.*

8 Quæ differentia est inter metum probabilem cadentem in constantem virum, & metum nudum non probabilem cadentem in formidolosum?

℞ Ex parte metus magna differentia est, nam ad metum nudum, & non probabilem nullæ sunt causæ, ex quibus quis debeat per metum emittere votum religionis: in metu verò vestito sunt plurimæ causæ, & timores, qui possunt hominem inducere ad faciendum quid contra suam voluntatem; ex parte effectus magna est differentia: nam omnes renuntiationes, vota, & promissiones metu probabili factæ, etiam juratæ non tenent, quia sunt factæ absq; libertate; factæ verò metu improbabili cadente in formidolosum, *c. cum dilectus. eod. tit.*

9 Quid est considerandum, ut cognoscamus, quando est metus probabilis cadens in constantem virũ, vel quãdo est metus cadens in formidolosũ?

℞ 1*mò*, persona, quæ habet metum, nam fœmina non est ita fortis, ut vir, puer non ita fortis, ut homo. 2*dò*, periculum rei, cum qua minatur, si est præsens, vel futurum, corporale, vel spirituale, rei familiaris, vel honoris, ut si est mors præsens, vel futura. 3*tiò*, consideratur persona, quæ minatur, ut si est Princeps, Episcopus, Judex, Pater, Mater, latro, vel assassinus, si est personæ æqualis vel superior. 4*tò*, locus: ut si est in agro, in cubiculo clauso, vel aperto, sine testibus, ubi non potest haberi auxilium: persona, quæ habet metum, & consideratis omnibus circumstantijs, Judex debet arbitrari, nam certa regula dari non potest, cum tot sint diversi casus. *DD. in c. cum dilectus. eod. tit.*

10 Si quis metu religionem profiteatur, vel contrahat matrimonium, tenetur ne adimplere talem promissionem?

℞ Si sit metus cadens in constantem virum, & postea nunquam liberè consentiat, non tenetur adimplere promissionem religionis. *c. 1. eod. tit. sed. Navar. cons. 5. de ijs, quæ vi, metusve causa fiunt.* tenet, quòd sufficit metus reverentialis vestitus, licet esset minor justo timore ad annullandam professionem. *juxta glos. singul. in c. præsens. 20. q. 3. ℣ patrem, in fin. idem tenet in manual. c. 22. n. 51.* sed hoc non potest dîci de matrimonio carnali, cum sit sacramentum, & ad illud annullandum requiritur metus cadens in constantem virum, *ut de. Gl singulariter dicit, & docet.*

11 Qui timore sæcularium renuntiat electionem de se factam, tenetur ne adimplere?

℞ Si timor fuit cadens in constantem virum, potest petere confirmationem, & cum hac regula debent definiri omnes casus pertinentes ad metum. *c. ad aures. eod. tit.*

## CAPUT XXIII.

## De in integrum restitutione.

1 Restitutio quibus modis sumitur?

℞ Duobus. 1*mò*, pro restitutione rei ablatæ contra voluntatem Domini, & de hac significatione dictum fuit in tract. de restit. in foro conscientiæ. 2*dò*, pro restitutione status litis in foro contentioso facienda, & pro hac significatione sumitur in hoc titulo.

2 Si sententia sit lata vigore alicujus falsi instrumenti, vel scripturæ, intra quod tempus potest peti talis nullitas?

℞ Post

℞ Post quadriennium elapsum poterit retractari, quia quod à principio nullum fuit, tractu temporis non firmatur. *Abb. cap. cum ex literis, de in integr. restitutione, num. 11.*
3 Quid est restitutio in integrum?
℞ Reducere causam in eum statum, in quo erat ante læsionem. *c. auditis. de in integrum restitutione, & l. 1. ff. eod. tit.*
4 Si Ecclesia fuit enormiter læsa in emptione, uel venditione; debet ne restitui?
℞ Debet, & competit ei restitutio in integrum, dummodo emptor non defraudetur de suo pretio, & de melioratione facta in tali re.
5 Quid requiritur, ut Ecclesia restituatur?
℞ 1mò, ut sit læsa occasione illius contractus, & non aliunde. 2dò, quòd Ecclesia per testes probet læsionem esse enormem. *Abb. c. 1. eod. tit n. 5.*
6 Restitutio intra quod tempus est petenda à majori, vel a minori?
℞ Intra quadriennium, quo elapso, plus non datur, nisi probetur legitimum impedimentum, quare non potuit eam petere. *Abb. in c. cum ex literis num. 12. & 20. eod. tit*
7 A quo tempore incipit tempus quadriennij?
℞ A die elapsi termini, quia tunc cæpit lædi Ecclesia. *Abb. in c coram. n. 7. eod. tit.*
8 Quibus in casibus non currit quadriennium?
℞ Tribus 1mò, quando stat per judicem, quo minus actus expediatur. 2dò, quando stat per adversarium. 3tiò, quando quis probat legitimum impedimentum; scilicet scientiæ, absentiæ, infirmitatis, paupertatis libelli, periculi itineris, impetus fluminis, distantiæ loci: quia tempus quadriennij currit negligenti, non autem non volenti agere *Abb. in c. tum ex literis. n. 13. eod. tit:*
9 Quibus competit restitutio in integrum;
℞ Ecclesijs, & minoribus, *c. postulatâ. C: eodem tit. & ibi glos.*
10 Restitutio in integrum convenit ne maioribus?
℞ Convenit aliquando ex legitima causa. *Abb. in c. ex literis eod. tit n. 5. & gl. in l. postulatâ. C. eod.*
11 Civitatibus, & Reip, competit ne restitutio in integrum?
℞ Competit, & etiam cuilibet communitati, quia præsumitur, quòd communitas non habeat tantam diligentiam in seruaudis bonis suis, sicut aliquis particularis, cum sint nullius bona commu nitatis, & ferè semper dilapidentur ab administratoribus, tanquam si essent bona aliena. *Abb. in cap: 1. n. 14. eodem tit.*
12 Si minor fuit læsus in minori ætate, & quando petit restitutionem, & est in maiori, debet ne audiri?
℞ Debet ei concedi; quia læsio facta fuit ei in minori ætate. *Abb. in c. constitutus. eod. tit. n. 5. & 8.*
13 Minor quando restituitur?
℞ Quando probaverit se manifestè esse læsum, & quando petat restitutionem intra quadriennium. *c. constitutus, de in integr rest.*
14 In quibus cōtractibus datur restitutio in integr?
℞ In emptione, venditione, locatione, & alijs. *cap. 1. eod. tit.*
15 Libellus ad petendam restitutionem, quid debet cotinere?
℞ Debet specificè, & non in genere narrare enormem læsionem, & qualitates personæ petentis restitutionem. *Abb. in cap. tum ex literis, eodem titul. numero 1.*
16 Protestatio facta quid prodest?
℞ Multum ad concedendum restitutionem in integrum. *c. tum ex literis, de in integrum rest.*
17 Quot considerantur ad cognoscendam læsionem magnam, & parvam?
℞ Duo. 1mò, quantitas rei; scilicet, si contractus continebat mille florenos, læsio decem florenorum erit parua; & si continebat quadraginta floreuos, læsio decem florenorum erit magna. 2dò, consideratur quantitas, & qualitas personæ, si Ecclesia sit diues, læsio viginti florenorum, erit parva; si Ecclesia sit pauper, erit magna. *Abb. in cap. 1. eod. tit num. 8.*
18 Si procuratoris negligentia jura Ecclesiæ non sint in litem Producta, competit ne Ecclesiæ restitutio in integrum?
℞ Competit. *c. 2. eod. tit.*
19 Negligentia procuratoris nocetne Ecclesiæ?
℞ Non, neq; communitati, sed homini particulari, qui potuit alium meliorem eligere; quia Ecclesia, & communitas possunt petere restitutionem adversus negligentiam procuratoris. *Abb. in c. 2. eod. tit. num. 7. c. cum venissent. eod. tit.*
20 Si aliqua electio fuerit facta pendente lite restitutionis, debet ne confirmari?
℞ Neque debet confirmari, neqve infirmari, ratio est, quia de natura restitutionis in integrum est, ut omnia revertantur in suum pristinum statum, & sic superfluum esset confirmare, quod post paucum tempus debet infirmari. *c. cum venissent de in integrum rest. & Abb. ibi n. 9.*
21 Ecclesia læsa ex malitia, vel negligentia procuratoris, contra quem habet actionem?
℞ Contra procuratorem, & contra partem, quæ fecit læsionem *Abb. c 2 eod tit. num. 19.*
22 Restitutio in integrum à quo debet peti?
℞ A persona, vel Communitate, vel Collegio, vel Ecclesia læsa, & dum non petitur, emptor facit legitimos fructus suos. *Abb. c. 1. de in integrum restitutione. num. 15.*
23 Si quis dedit res Ecclesiæ alteri, contra quem potest procedere Ecclesia?
℞ Contra unum, vel alterum, quia hoc relinquitur in libera electione Ecclesiæ, ut petat contra personam, quam judicaverit magis aptam ad restitutionem. *Abb. c. cum venissent. n. 20. eod. tit.*
24 Ad concedendam restitutionem requiriturne semiplena, vel plena probatio?
℞ Plena probatio, cum sit res tanti momenti. *c. cu literis. eod. tit. & Abb. c. tum ex literis. eod. tit n. 16.*
25 Si aliqua Ecclesia non probavit tempore litis, vel non fecit probationem necessariam, ex hac causa cōpetit ne ei restitutio, vel debet denegari?
℞ Competit, etiam elapso ultimo, & peremptorio termino probationis, non solum contra particularem, sed etiam contra aliam Ecclesiam; quia restitutio est quoddam privilegium, quod conceditur Ecclesiæ sicut minori, & datur etiam postquā conclusum est in causa, & non solùm non perditur propter negligentiam probationum, sed

expressè datur ad supplendam negligentiam, & alios defectus procuratorum, & œconomorum. *cap. cum venissent. eod. tit. & ibi Abbas.*

26 Poteſtne quis petere restitutionem adversus sententiam summi Pont.?

℟ Licet à sententia Papæ non sit appellandum, potest tamen ab ea supplicare ad ipsum Papam melius informatum; & petere restitutionem in integrum. *Abb. in c. tum ex literis. eod. tit. n. 2.*

27 Petitio restitutionis impedit ne executionem sententiæ?

℟ Affirmativè; nisi sit præsumptio, quòd malitiosè petitur; tunc enim præstita cautione mandatur executioni sententia *c. suscitata. eod. tit.*

28 Restitutio poteſtne peti à procuratore sine speciali mandato?

℟ Potest; nisi in duobus casibus. *1mò*, cum petitur adversus aliquod instrumentum, vel scripturam. *2dò*, adversus sententiam, quæ transit in rem judicatam tempore decem dierum sine auxilio appellationis; in his duobus casibus procurator debet petere speciale mandatum; quia reputantur à doctoribus tanquam novæ lites. *DD. & Abb. in c. suscitata. num. 5. eod. tit. de in integrum restit.*

29 Absens intra quod tempus debet audire, ut restituatur?

℟ Intra annum, & purgatis expensis restituitur in primum statum. *Abb. cap. consultationibus de offic. jud. delegati. num. 6.*

30 Spoliatus quid debet probare, ut restituatur?

℟ Possessionem, & spolium. *c. consultationibus. de offic. jud. deleg.*

31 A quo judice est petenda restitutio?

℟ A superiori, & non inferiori, vel ab eo judice, qui dedit licentiam. *Abb. in cap. tum ex literis. de in integrum restitutione, num. 3. & cap. suscitata. eodem titulo.*

32 In causa restitutionis possuntne sumi arbitri?

℟ Directè non, quia est beneficium procedens ab officio liberali judicis, neque in causa matrimonij, cujus jurisdictio est solius Episcopi. *Abb. in c. causa, de in integr. restit. num. 4.*

33 Quæ dicitur nova causa ad hoc, ut detur Ecclesijs restitutio per eundem judicem denegata?

℟ Illa causa, quæ prius non fuit allegata; puta Ecclesia petit restitutionem ex eo, quòd non præsentavit sua privilegia, & denegata fuit; quia nō benè probavit, iterum de novo petit restitutionem; quia negligentia procuratoris non probavit suam intentionem, vel quia habet novos testes, tunc ex ista nova causa per eundem judicem conceditur restitutio prius negata, *Abb. in cap. fin. de in integrum rest. num. 1.*

34 Restitutio in integrum coram quo judice debet peti?

℟ Coram Judice rei; quia actor tenetur sequi forum rei. *Abbas in cap, constitutus eodem titulo numero 1.*

35 Causa restitutionis in integrum, potestne delegari?

℟ Potest de jure Canonico, & civili. *Abb. in c causa. eod. tit. num. 2.*

36 Si restitutio negetur Ecclesiæ, poteſtne ei iterum concedi?

℟ Non, nisi ex causa nova; sed datur appellatio à tali denegatione. *c. fin. eod. tit.*

---

# CAPUT XXIV.
## De Arbitris.

1 Quid est laudum in arbitris?

℟ Sententiam arbitri laudare, & sententiam arbitralem ferre. *l. si cum dies. §. si arbiter. ff. de arbit.*

2 Quare dicitur, laudum, vel laudare sententiam arbitri?

℟ Existimo, quia laudabile est à litibus discedere & lites dirimere arbitrio, vel amicabili compositione, & sic ab effectu suscipit nomen laudum.

3 Quid est emologare, vel emologiare?

℟ Confirmare, vel reprobare sententiam arbitri. *Goffred. de arbitris. §. 3.*

4 Quibus modis emologatur sententia arbitri?

℟ Duobus. *1mò*, verbo, vel scripto. *2dò*, tacendo per spatium decem dierum. *Goffr. de arbitris. §. 3.*

5 Quid est arbitrium?

℟ Est potestas judicandi aliena voluntate tradita & recepta ad pronuntiandum in lite, prout arbitrio suo visum fuerit, aliquando apposita certa pœna, & terminis. *Hostiens. in sum; de arbitris, nu. 1. l. si quis arbitratu. ff. de verb. oblig.*

6 Quot sunt genera arbitrorum?

℟ Tria *1mo*, arbiter electus. *2do*, arbiter juris *3tio*, arbiter, seù amicabilis compositor. *DD. in cap. Quintavallis, de jurejurando.*

7 Quis est Judex arbiter?

℟ Judex electus à partibus, qui debet judicare servato juris ordine: & dicitur compromissarius; licèt non habeat jurisdictionem, nec delegatam, ab ejus sententia non appellatur. *l. 1. ff. de arbitris.*

8 Quis est Judex arbitator?

℟ Ille, qui eligitur à partibus tali forma, ut possit cognoscere, & judicare, & amicabiliter componere, tollendo uni, & dando alteri, magis de æquitate quam de rigore juris. *l. 2. C. quando provocare non est necesse.*

9 Quis est arbiter juris?

℟ Quidam Judex tertius, qui in aliquibus casibus datur à Jure: ut quando recusatur ordinarius, debet à partibus aliquis Judex nominari, qui de recusatione cognoscat, qui vocatur juris arbiter, idest datus à jure. *c. cum speciali, de appell.*

10 Compromissum valet ne in numero pari?

℟ Valet. *Abb. in cap. 1. de arbitris. num. 1. citans alia capita.*

11 Arbitri in quo numero debent eligi?

℟ In dispari, & tunc statur sententiæ majoris partis. *c. 1, de arbit num. 1.*

12 Si sint tres judices arbitri, & duo proferant sententiam tertio absente, valebit ne talis sententia?

℟ Non, quia posset ille tertius ducere alios duos in contrariam opinionem, & quia non servatur forma compromissi. *Abb. c. 1. de arbit num. 3.*

13 In mulierem poteſtne compromittere Clericus?

℟ Cum distinctione; de rebus patrimonialibus poterit,

poterit,quia tunc non subjicit se Laico in sua persona; de rebus verò Ecclesiæ spiritualibus,& criminalibus non potest sine licentia sui Episcopi. *Abb. in c. dilecti filij. n. 8. de arbitr.*

14 Mulier potestne esse arbitra?

℞ Non, quia arbitrium est redactum ad instar judicij, & judicare est proprium viri,& non mulieris. *l.1 ff. de arbitris.* Abb.*c.dilecti filij,eod.tit.n.* 2.

15 In judicem ordinarium potestne fieri compromissum?

℞ Potest, tam de jure Canonico,quam civili;ordinarius verò non poterit jubere,ut in ipsum compromittant. *gl.in c.cum temp.de arbit.* & Abb.*ibi n:* 5

16 Mulier potestne esse arbitratrix, & amicabilis compositrix?

℞ Potest,quia in hoc casu procedit extrajudicialiter, componendo, & coram ea propriè non est judicium. *c. Quintaval. de jurejurando.* Abb. *c. dilecti filij. eod. tit. num.* 2.

17 In laicum, & Clericum potestne compromitti de re Ecclesiastica,& spirituali?

℞ Potest, cum auctoritate judicis ordinarij, vel delegati,quia tunc authoritas superioris, & consortium Clerici incapacem reddit capacem: *tex. in c per tuas in fin. de arbit.* & Abb. *in princ:*

18 Quotupliciter potest fieri compromissum?

℞ Dupliciter. 1mo, pacto stipulatione, & nudis verbis. 2do, scriptura quarentigia cũ n juramento,& pœna apposita. *Abb in c per tuas.num.* 8.

19 Compromissum nudis verbis,& sententia inde secuta parit ne aliquam actionem?

℞ De jure civili,non; benè tamen de jure Canonico,in quo magis attenditur ad æquitatem, & concordiam, quam ad juris rigorem, *l. item proferre. ff.de compromiss.* Abb,*in c.per tuas.n.* 8. *eo. tit.*

20 Compromissum est ne liberum?

℞ In principio est, tam ex parte partium, quàm ex parte judicis; sed postea non est liberum,quia partes tenentur obedire,& cõpelluntur, & Judex compellitur sententiare. *l.* 3 *ff. de a bitris.*

21 Compromissũ morte unius trãsit ne ad hæredes?

℞ Non,sed finitur morte ejus,nisi in eo fiat mentio,quod compromissum comprehendat hæredes; ratio est, quia compromissum est stricti juris, & compromittitur in amicos,qui forsan ignoti sunt hæredibus,cum amicitia sit quid personale. *Abb. c. fin. de comprom. c. ex parte eod. tit. num.* 2. *l. si quis arbitratu. ff. de verb. oblig.*

22 Compromissum quómodo accipit firmitatem?

℞ Datione obsidum,vel pignorum,vel pęna; quæ omnia licita sunt in compromisso ad ejus firmitatem,ut pars non possit resilire. *Abb. cap. exposita, de arbit num.* 1.

23 Ecclesia, & religiosi possuntne petere pœnam compromissi?

℞ Possunt. *c.dilecti filij eod.tit.* & *ibi Abb: num.* 12.

24 Si fiat compromissum cum pæna sine juramento,ad quid tenebitur pars,quæ fuit condemnata?

℞ Solum ad solutionem pęnæ;sed non obligatur emologare, confirmare, vel consentire sententiæ arbitri, *Abb. in c. per. tuas. eod. tit. num.* 15.

25 Quando quis cogitur compromittere?

℞ Quoties in jure dispositum est, ut compromittat. *c. suspicionis. de offic. delegati. l. cum specialis. C. de judiciis.*

26 Clericus potestne compromittere in laicum sine licentia sui Episcopi?

℞ Non. *Abb.in c. dilecti filij, eod. tit. num.* 8.

27 Qua ratione statur sententiæ judicis arbitri?

℞ Metu pœnæ positæ in compromisso,quia de jure sententia non habet vim coercivam,cum non lata sit à Judice habente jurisdictionem ordinariam,vel delegatam. *cap. à judicibus.* 2. *q.* 6.

28 Ecclesia exempta potestne facere compromissum in præjudicium suæ exemptionis?

℞ Non, quia non potest renuntiare privilegijs suæ libertatis. *c. cum tempore, de arbitris.*

29 Qui non possunt compromittere?

℞ Omnes, qui non possunt alienare sicut Prælatus, tutor,Clericus,minor,mulier non uxorata,& similes. *Abb.in c. cum tempore de arbitris num.* 3.

30 Super re spirituali potest ne compromitti in laicum?

℞ Non, cum laicus jurisdictionis Ecclesiasticæ sit incapax *Abb.c.contin it. nu n.* 1,*eod.tit.*

31 Super matrimonio potestne fieri compromissũ?

℞ Potest, tam super matrimonio carnali, quam spirituali. *Abb.c.ex parte de arbitris. num* 1.

32 Quando appellatur à sententia arbitri,ad quem appellatur?

℞ Ad judicem ordinarium illius personæ,contra quam appellatur. *Abb.in c cum dilectus,eod.tit.nu.*20.

33 Quis debet mandare executioni sententiã arbitri?

℞ Judex ordinarius illius personæ,contra quam lata fuit sententia. *Abb.c.cum d lectus eod,tit.n.* 20

34 Possunt ne partes eligere arbitrum,& dare illi facultatem, ut causam definiat, vel eligat alios Judices, qui eam terminent?

℞ Possunt, & est validum compromissum; quia tunc non compromittitur in certam personam, sed datur facultas tali personæ, ut ipsa eligat arbitros judices, sicut potest quis dare speciale mandatum suo procuratori, ut eligat arbitros,& compromittat, *cap.cum à nobis, de a bitris,* & non est contrarium. *c.innotuit, eod. tit.* Abb. *in c. cum à n bis. eod. tit.*

35 Ad compromittendum sufficit ne mandatum generale?

℞ Non, sed necessariò debet esse speciale, cum pendeat ex aliena voluntate partium. *c. per tuas de arbitris.*

36 Judex arbiter potestne esse testis coram se?

℞ Potest propter inopiam probationis solum,sed non quando sunt alij testes. *Abb.c. non sine multa. eod. tit. num.* 11. *glos. in c. nisi, de prabend.*

37 Coram arbitro electo à partibus potestne fieri reconventio?

℞ Non;quia non habet jurisdictionem ultra comprehensa in compromisso. *c.cum dilectus,de arbitris.*

38 Coràm arbitro juris potestne fieri reconventio?

℞ Potest,quia ille habet jurisdictionem à Jure, & non à partibus *Abb c.cum dilectus.eod. tit. num.* 10.

39 Si Judex ordinarius sit arbiter, & socius ejus moriatur ante sententiam, poteritne, ut ordinarius ex actis factis ante eum, causam judicare ut ordinarius?

 ℞ Diver-

℞ Diversæ sunt opiniones. *Abb. in c. ex parte. nu. 4. de arbit.* tenet partem affirmativam, & allegat pro se, *l. 1. C. de arbitris. & c. præsentata. de testib.* sed Butrius contrarium tenet, cum finita sit jurisdictio arbitri, & arbitrium distinctum sit à jurisdictione ordinaria, & sic acta non valent.

40 Potest ne fieri reconventio coram arbitro electo à partibus ?

℞ Non, quia non habet jurisdictionem, ultra comprehensa in compromisso *c. cum d. lectus, de arbitris.*

41 Compromissum de puris, & liquidis potestne fieri in judicem arbitrum ?

℞ Non, sed in arbitratorem, & amicabilem compositorem. *Abb. in c. exposita, de arbit num. 3.*

42 Si post datam sententiam arbitrorum oriatur aliqua lis super tali sententia, vel aliquo articulo ejus, arbiter poterit ne judicare de hoc ?

℞ Non, quia arbiter non debet arbitrari de alio, nisi de eo, de quo compromissum est. *c. exposita de arbitris.*

43 Compromissum factum inter duos judices (cũ potestate, ut in discordia ipsi eligant tertium) valebit ne ?

℞ Non, quia compromissum debet esse de certa persona, & in hoc casu de incerta: imò si illi duo judices concordent, sententia erit valida, si discordent, & ipsi eligant tertium, talis sententia lata à tertio erit invalida, cum fuerit electa persona incerta in judicem, contra naturam compromissi; si verò partes dicant, si isti duo judices discordaverint, eligimus Petrum in tertium judicem compromissarium, tunc sententia erit valida. *c. cunctus. de arbitris.* Abb. *de c. num. 1. l. non distinguimus, § quæsitum. ff. eod. l. si quis arbitratu: ff. de verb. oblig.*

44 Quomodo tollitur compromissum primum ?

℞ Per secundum factum ab eisdem partibus: vel per voluntatem ambarum partium; quia sicut ipsi partes dant jurisdictionem compromissariam, possunt eam tollere. *Abb. c. innotuit, de arbitris, num. 6.*

## CAPUT XXV.
## De Alienatione judicij mutandi causâ facta

1 Quibus modis fit alienatio judicij ?

℞ Duobus. *1mò,* resignando simpliciter beneficium. *2dò,* permutando illud. *Abb. cap. 1. de alien. jud. num. 1.*

2 Quam pœnam incurrit, qui alienat rem, de qua litigatur, judicij mutandi causa ?

℞ Soluit damnum illatum ex alienatione, & subsecutum post alienationẽ *l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit.*

3 Quando facit quis fraudem alienando rem, contra quem est procedendum ?

℞ Eodem rescripto proceditur contra alienantem, & contra illum, qui possidet rem alienatam. *c. 1. de alienat jud.*

4 Clericus potestne recipere cessionem, vel renuntiationem à Laicis causâ mutandi judicium ?

℞ Non quia est fraus manifesta; imò Clericus id faciens punitur *c. 2. eod. tit.*

5 Quando præsumitur dolosa cessio facta in Clericũ?

℞ *1mo,* quando pretium fit parui momenti pro re magna. *2do,* quando in cessione non exprimitur titulus, vel contractus *3tio,* quando in instrumento non dicitur causa cessionis. *4to,* si res fuit pro parte vendita, & pro parte donata. *5to,* quando in scriptura emptor confitetur se recepisse pretium, & non apparet de receptione ex fide Notarij, *Abb. cap. 2. de alienatione judicij mutandi causa facta. num. 7.*

# LIBER OCTAVUS
## CONTINENS OMNES MATERIAS LIBRI SECUNDI DECRETALIUM,
De quibus hactenus non est tractatum.

## CAPUT I.
## De Judicijs, & Jurisdictione.



1 Uid est jurisdictio ?

℞ Potestas de publico introducta in bonum Reip. & publicam utilitatem. *l. privatorum. C. de jurisd. omn. jud gl. in l. 1. ff. de jurisd. jud.*

2 Qui possũt dare hanc jurisdictionẽ?

℞ Quatuor. *1mo,* lex, vel Canon. *2do,* Papa, vel Imperator. *3tio,* consvetudo. *4to,* Universitas approbata, ut mercatores. *c. cum ab Ecclesiarum, de offic. Ordin.*

3 Homines privati possuntne conferre hanc jurisdictionem ?

℞ Non, sed possunt eligere judices arbitros in suis litibus, & super re privata illis dare jurisdictionem, *l. privatorum, C. de jurisdictione omn. judic.*

4 Quotuplex est jurisdictio, & quomodo dividitur?

℞ In merum, & mixtum imperium, & simplicem jurisdictionem, *Joan. Gillet in tract. de jurisdictione, & imperio, c. 2. nu. 1.*

5 Quid est merum imperium ?

℞ Habere gladij potestatem ad puniendum facinorosos; & dicitur merum, quia separatur à co-

gnitione

gnitione pecuniaria, eo quòd inde nullum sequitur commodum pecuniarium. *l. imperium, ff. de jurisd. om. jud.*

6 Quod est mixtum imperium?

℞ Potestas media; quia habet aliquid de mero imperio, & de jurisdictione ordinaria, & habet commodum pecuniarium, & pertinet ad ipsum bonorum possessio. *l. 3. ff. de Jurisd. omn. jud. in glos. & in text.*

7 Simplex jurisdictio ordinaria qualis est?

℞ Ea, quam habent judices inferiores. *c. si diligenti de for. comp. c. cæterum, de judicijs, & Abb. in n. 4. & in c. in singulis. de statu monac n. 8.*

8 Laicus potestne esse assessor Judicis spiritualis?

℞ Potest, etiam si Judex Ecclesiasticus sit arbiter, vel arbitrator. *Abb. in cap. contingit, de arbitris, num. 3.*

9 Quid est Judicium?

℞ Est Actus legitimus triū personarum fictè, vel propriè: videlicet Judicis, & rei in judicio contendentium. *cap. 1. de judicijs & Abbas ibi in rub. num. 1.*

10 Inquisitio est ne judicium ordinarium, vel extraordinarium?

℞ Quia introductum est à jure, poterit esse ordinarium & quia non apparet actor, poterit esse extraordinarium. *Abb. ubi sup. n. 3.*

11 Judicium quibus modis finitur?

℞ Quatuor. 1mò, tempore, videlicet, quia causæ criminales biennio finiri debent. *l. properandum C. de judicijs.* 2dò, sententia Judicis, cum qua finitur judicium. *l. judicium ff. de judicijs* 3tiò, prohibitione, ut cum à Principe prohibetur, ne de tali causa cognoscatur. 4tò, status mutatione. *l. Judicium. ff. de Judicijs.*

12 Hoc nomen Judicium quid significat?

℞ In jure habet plures significationes. 1mò, idem est, quod casus fortuitus. 2dò, sumitur pro discretione, ut quando dicitur, in isto puero non est judicium. 3tiò pro actione, ut cum dicitur judicium familiæ herciscundæ *l. cum prætor. ff. de judicijs.* 4tò, pro ultima voluntate testatoris. *inst. quib. mod. est permissum facere. tex. §, 1* 5tò, pro examinatione, vel deliberatione. 6tò, pro auctoritate alicujus personæ, ut cum dicitur, talis est magni judicij. *dist. 62. c. 1.* 7mò, pro pæna, & dicitur, Titium subijsse tale judicium, *c. & purgabit. distinct. 50,* 8vò, pro ordinatione causæ discutiendæ in jure, coram Judice, vel pro judicio, & sententia Judicis. *l. 1. ff. de re judicata l. properandum. §. 1. C. de Judicijs.*

13 Ante litis contestationem dicitur ne judicium?

℞ Non, quia deficit pars delinquentis, vel rei, quæ est necessaria. *c. 1. de judic. & Abb. ibi n 2 in rubr.*

14 Quotuplex est judicium?

℞ Triplex. 1mò, ad petitionem partis. 2dò, per inquisitionem. 3tiò, per denuntiationem.

15 Quod est judicium ad petitionem partium, & quid potest judex facere?

℞ Quando aliquis civiliter, vel criminaliter coram Judice intentat aliquam actionem contra aliquem; & in hoc casu nullæ sunt vires Judicis; quia debet justitiam ad ungvem servare, etiam diabolo litiganti. *Abbas in cap. cum contingat num. 29. de foro competenti, institut de offic. judicis in principio.*

16 Quod est judicium per denuntiationem?

℞ Quando fiscus, vel alius coram judice crimen alicui denuntiat, ut de concubinatu; & tunc mitiùs potest Judex se habere. *Hostiens. de accusat. & de denunt. in rubr num. 1.*

17 Admonitio Evangelica debet ne præcedere denuntiationem?

℞ Debet, ut habetur *in c. novit. de judicijs*; ratio est quia si quis se emendat per solam admonitionē, frustra fit denuntiatio, & Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

18 Quod est judicium per inquisitionem?

℞ Quando Judex ex officio, vel ejus jussu fiscus inquirit vitam alicujus. *Hostiens. in rubric. de inquis. numero 2.*

19 Fiscus potest ne denuntiare aliquem contra voluntatem partis læsæ?

℞ Potest; quia in quolibet delicto sunt duæ partes. Prima, persona læsa. Secunda, fiscus regius læsus, qui ob publicam utilitatem, ne delicta impunita maneant, & tenetur petere punitionē, ut alij arceantur à delictis. *l. qui servum, §. et is. ff. de interrogat. actionibus & gloss. in leg. sub prætextu. C. de transact.*

20 Quod est judicium contradictorium?

℞ Quando partes inter se coram Judice differūt, ut si unus dicat, domus est mea; & alter dicat, non est tua, sed mea. *c. Abbate. glos. fin. de verb. signif. in v rbo, contradicto.*

21 Quod est judicium capitale?

℞ Cum quis reus morte naturali, vel exilio mulctatur, & de civitate ejicitur. *in titut. de publ. jud. in princ.*

22 Quod est judicium publicum?

℞ Dicitur de publicis causis, & solet dici, quasi populicum quia propter ejus gravitatem cuilibet de populo commissa est executio, ut crimen læsæ maiestatis divinæ, vel humanæ, in quo propter gravitatem delicti omnes sunt legitimi accusatores, vel denuntiatores. *inst. ut sup. §. 1.*

23 Quod est judicium privatum;

℞ Quod civiliter tractatur, vel intentatur, & in quo jus privatim duorum, vel trium litigantium cognoscitur. *l. privatorum. C. de jurisdictione omnium judicum, § hujus studij, inst. & jure.*

24 Judicium privatum quomodo dividitur?

℞ Ratione materiæ, formæ, & quantitatis. ratione materiæ, quia est aut temporale, aut spirituale, civile, vel criminale; ratione formæ, quia, aut est judiciùm ordinarium, ubi servatur ordo juris, vel extraordinarium, ubi proceditur ex corrupto, non servato ordine juris, ratione quantitatis videlicet universale, & generale. *Specul. lib. 2. p 1. de actione, seu petitione, num. 45. Niconit. in c. quoniam in repet. de probat num. 155. allegans multa jura.*

25 Quis dicitur Judex in communi;

℞ Ille, qui dicit jus populo, sive ille, qui in jure disceptat, & justè judicat. *c. forus. § in omni quoque, de verb. sign.*

26 Quas qualitates debet habere Judex bonus?

℞ Debet esse sapiens, prudens, gravis, & bonus, qui ju-

qui juſtitiam pecunia non vendat,& abſq; amore, vel timore ſine ullo reſpectu juſtitiā adminiſtret.

27 Quotuplex eſt Judex?

℟ Alius ordinarius, qui habet juriſdictionem à jure, ut Epiſcopus,& prætor, alius delegatus, qui habet juriſdictionem ab alio ſibi ſpecialiter commiſſam.

28 Sententia lata à Judice incompetente, ſi partes conſentiant, valet ne?

℟ Non, quia partes non poſſunt validare, quod de ſe invalidatum eſt, poſſunt tamen ipſi obſervare, quod Judex determinavit tanquam juſtum. *Abb. in c. cum veniſſent, de jud. n. 12.*

29 Quis eſt Judex competens?

℟ Ille, qui habet juriſdictionem cum exercitio. *gloſ. in clem. cum lite. tit. ut lite pendente.*

30 Quis eſt Judex incompetens?

℟ Ille qui non habet juriſdictionem, ordinariam, neq; delegatam; vel ille, coram quo compellitur aliquis litigare, vel ille, qui ratione alicujus defectus non eſt capax juriſdictionis. *a. clem.*

31 Judex debetne auferre appellationes,& defenſiones partibus?

℟ Non, etiam diabolo, ſi litigaret, nec debet facere alias vexationes partibus appellantibus, quia appellatio eſt jure naturali; & propria defenſio rei, cui de jure faciendum eſt. *Abb. in cap. cum contingat. num. 29. de foro compet.*

32 Judex poteritne condemnare aliquem in expenſis abſq; ſententia?

℟ Non *Abb. capit. finem de dolo, & contumacia n. 34.*

33 Judex poteſtne in ſententia reſervare partibus, facultatem petendi expenſas?

℟ Poteſt, ſicut poteſt ſervare alia jura partibus. *Abb. c. 1. de ſequeſtr. poſſeſſion. n. 24*

34 Taxationes expenſarum apud quem debent fieri?

℟ Apud judicem, qui in expenſis condemnavit.

35 Quomodo taxantur expenſæ proceſſales,& perſonales?

℟ Proceſſales, taxando moderatè rationes Aduocati Procuratoris,& Notarij; perſonales faciendo computum de expenſis, quas deberet expendere domui ſuæ; nam quando eſt in civitate ſua, non dantur expenſæ perſonales, niſi ſit aliquis officialis, qui relinquit ſuum officium occupando ſe in lite.

36 Quis debet moderare expenſas,& quo ordine?

℟ Judex, qui fecit condemnationem,& taxatio fit dato memoriali jurato à parte, quæ fecit expenſas & audito reo tradendo illi copiam, poſtea Judex debet moderare expenſas in favorem rei, qui debet ſolvere. *Abb. ubi ſupra num. 26. c. 1. de ſequeſtratione poſſeſſionis, & fructuum.*

37 Si ſententia condemnet generaliter in expenſis intelligitur ne de expenſis perſonalibus; & proceſſalibus?

℟ Non, ſed de proceſſalibus tantum; quia cum condemnatio ſit quid odioſum, extendi non debet ad perſonales expenſas, in quibus Judex raro condemnat, niſi in cauſa injuſtiſſima. *Abb. c. 1. de ſequeſtrat. poſſeſ. & fruct.*

38 Vicarius Epiſcopi quam juriſdictionem habet, ordinariam, vel delegatam?

℟ Ordinariam à jure. *Abb. in c. quoniam, de offic. jud. delegat. num 11.*

39 Judex poteſtne ſententiare per articulos unum hodie, & mane alterum?

℟ Poteſt,& in eadem ſententia poteſt ſententiare pro reo unum articulum, & alium pro actore. *Abb. c. 1. de ſequeſtr. poſſeſ & fructuum, nu. 5.*

40 Vicarius Epiſcopi debetne eſſe Clericus neceſſariò?

℟ Affirmativè. *Abb. in c. quoniam de offic. jud. ord. nu. 3. Bull. Clem. VIII. quæ expreſsè dicit, quòd ad minus ſit de Epiſtola.*

41 Qui ſunt judices pedanei, & unde dicuntur?

℟ Illi, qui ſolùm cognoſcunt de minimis,& vilibus cauſis,& dicuntur à pede, qui eſt extrema pars corporis. *l. 2. C. de pedaneis judicibus.*

42 Judex poteſtne accipere expenſas pro ſuo labore, ſicut advocatus?

℟ Poteſt expenſas moderatas petere, & recipere. *c. cum ab omni, de vita,& honeſt. cler. c. non ſane. 14. q. 5. l. ſolent. ff. de offi. proconſul.*

43 Prælatus eſt nè Judex ordinarius?

℟ Affirmativè, quia eſt de jure communi Judex, & propter prohibitionem judicum ſæcularium non debet relinquere ſuam juriſdictionem *c. decernimus. de jud. & ibi gl.*

44 Cum vertitur quæſtio feudi inter Vaſſallos, coram quo judice tractari debet talis cauſa?

℟ Coram Domino feudi, ſi cauſa ſit de feudo licèt Vaſſalli ſint alterius juriſdictionis. *c. verum, de foro compet. Abb. ibi nu. 1.*

45 Si Rector alicujus collegij, vel mercatorum habet juriſdictionem ſupra ſuos collegas, aufert nè juriſdictionem ordinariam ſuper eiſdem cauſis?

℟ Non, niſi per Bullam Apoſtolicam ſit juriſdictio privativa. *gloſſ. in c. cum ab Eccleſiarum. de offic. ordinar. Abb. in c. cæterum. eod. tit. nu. 7. l. per iniquum. C. de juriſdictione omnium judicum.*

46 Judex Eccleſiaſticus poteſtne præſtare auxilium judici ſæculari?

℟ Affirmativè, in licitis,& honeſtis, quæ non ſunt in damnum Eccleſiæ, neq; contra jus, & etiam, ut una juriſdictio adjuvet aliam. *Abb. c. at ſi Clerici. de judic. num. 12.*

47 Princeps non recognoſcens ſuperiorem poteſtne eſſe Judex in cauſa propria?

℟ Poteſt, quia lex plurimum confidit de rectitudine Regum, & Principum, & exiſtimat eos contra ſe ipſos facere juſtitiam. *Abb. in c. novit, de jud. nu. 6.*

48 Reges, & Imperatores, in quibus ſubijciuntur Eccleſiaſticis?

℟ In ſpiritualibus, ut in ſumendis Sacrementis ſubijciuntur Parochis, ſicut alij Chriſtiani, cum præcipua gloria Regum ſit fides Chriſti, qui dicit, per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. *Prov. 8. n. 15. Abb. in c. novit, de jud. nu. 8.*

49 Duces,& Magni Magiſtri militum quam juriſdictionem habent?

℟ Juriſdictionem ſibi à Rege delegatam, & poſſunt cognoſcere inter duos milites, vel contra militem accuſatum à cive ſummariè, & de plano,

plano. *l. magisteris, C. de jurisd. omn. jud.*

50 Causa Ecclesiastica poteſtne committi à Prælato judici Laico ?

℞ Non; neque eam debet committere, niſi Clericis, & judicibus synodalibus. *Abb. c. decernimus, de jud. num. 7.*

51 Quando quis habet juriſdictionem extraordinariam conceſſam in ſuo favore, & illa uti non vult, ad quem devolvitur ?

℞ Ad ordinarium. *c. cæterum. eod. tit. & ibi Ab. n. 5.*

52 In notorijs poteritne Judex judicare ?

℞ Poterit, abſq; alia probatione, licèt tutiùs ſit proceſſum formare, præcipuè in re gravi. *Abb. c. dilecti. eod. tit. nu. 3. & l. 1. C. qui, & adverſus quos, & ibi gl.*

53 Judex poteſtne cognoſcere de re, quæ ſibi conſtat ut homini privato, & non ut judici ?

℞ Non, ſed debet illi conſtare, per teſtes, & proceſſum. *Abb. c. dilecti. de judic. nu. 3. & l. 1. C. qui, & adverſus quos in integrum.*

54 Quando poteſt Judex ſæcularis punire Clericū?

℞ Poſtquam eſt degradatus, & traditus curiæ ſæculari. *Abb. c. cum non ab homine. eod. tit. nu. 9.*

55 Quādo poteſt Judex Eccleſiaſticus punire laicos?

℞ In pluribus, quæ privativè ſunt juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ut quando ſunt ſacrilegi, concubinarij, in decimis, in Matrimonio, & in alijs mixti fori; contra perjurium, & publicum peccatorem. *c. novit illè, eod. tit.*

56 Adminiſtrator alicujus rei poteſtne agere in judicio ?

℞ Poteſt, ſuper juribis alicujus adminiſtrationis *Abb. in c. cum deputati. eod, nu. 1.*

57 Quæ differentia eſt inter judicium judicis ordinarij, & arbitri ?

℞ 1mò, differunt in eo, quòd judicium ordinarij eſt de civili, & criminali, judicium arbitrorum ſolùm de civili. 2dò, judicium ordinarij eſt neceſſarium, ſed arbitri voluntarium. *Goffred. de jud. & Cardinalis. eod. tit.*

58 Quid ſolet pervertere, & turbare judicium, & judices ?

℞ 1mò, favor. 2dò, odium. 3tiò, præmium, ſeu pæcunia. 4tò, timor. *ut habetur in c. quatuor modis. l. 1. q. 3.*

59 Qui non poſſunt eſſe Judices ?

℞ De Jure, mulier, infamis, ſervus, qui non ſunt ſui juris, mentecaptus, furioſus, ebrius, infans, deportatus, & omnes, qui ſub poteſtate alterius ſunt, & omnes illi, qui à jure privati ſunt omnibus honoribus; quia ſervus de jure civili habetur pro mortuo. *l. Caſſius. ff. de ſenatoribus. Abb. in c. cum dilecti. nu. 17. de confirmat. utili vel inutili. l. cum lege, ff. de arbitris.*

60 Judex Eccleſiaſticus poteritne accipere ſalarium, & pretio locare ſuam perſonam ?

℞ Licet ſit Judex Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis licitè poterit recipere ſalarium, & pecunias, ſeu jura, & emolumenta provenientia ex officio, ſecundum taxas poſitas à ſuperiore, & poterit locare pretio ſuam perſonam; ratio eſt, quia labor judicis pretio eſt æſtimabilis, ſicut labor advocati, & mercenarij, qui fodit vineam. *Abb. in c. 8. de Prælati vices ſuas. num. 4.*

61 Si duo litigant, unus pauper, & alter dives, licebit nè judici miſeratione pauperis commoto tollere juſtitiam diviti, & dare illam pauperi ?

℞ Non, quia Spiritus Sanctus dicit, In judicio pauperis non miſereberis, quaſi dicat, quod pauper, & dives æqualiter ſunt judicandi. *Abb. c. cum contingat. de foro comp. nu. 29.*

62 Judex Eccleſiaſticus poteſtne cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio, ſi ſit controverſia in aliquo negotio de foro competenti inter ipſum, & judicem ſæcularem, vel inter duos judices Eccleſiaſticos ?

℞ Poteſt ſuper articulo iſto pronuntiare actum interlocutorium, declarando ſe eſſe judicem, vel remittendo negotium judici competenti, & de tali actu interlocutorio legitimè poteſt appelari à partibus, ratio eſt quia eſt damnum irreparabile per diffinitivam ſententiam. *Abb. in c. ex parte, de reſcript. il. 3. nu. 3. & 6.*

63 Res inter alios acta quid operatur ;

℞ Non præjudicat, etiam inter habentes conſimilem cauſam, ſed exemplo adjuvat. *Abb. in c. cauſamqu', il. 2. eod. tit. nu. 3.*

64 In reſcripto clauſula, quod procedat ſimpliciter & purè, tollit nè ordinem judicialem ?

℞ Non, ſed ſervanda eſt, ut partes reſtent ſatisfactæ. *Abb in c. dilecti filij. eod. tit. nu. 4.*

65 Papa poteſtne concedere Principi ſæculari, ut judicet cauſam Clericorum ?

℞ Poteſt, ex magna cauſa; quia Papa poteſt facere omnia, quæ ipſe Deus, clave non errante *Ab. c. propoſuit, de conceſſione præbendæ. nu. 14.*

## CAPUT II.

### De Foro competenti.

1 Quid eſt forum competens ?

℞ Quod quiſque habet ſecundum ſuum ſtatum, ſive ſit Clericus, ſive laicus, in quo pro ejus commoditate neceſſariò debet cōveniri ab actore. *Ab. in rubr. de foro competenti. nu. 1.*

2 Quid eſt privilegium fori ?

℞ Quod habent Clerici, vel Monachi, vel alij Eccleſiaſtici, ut neceſſariò debeant conveniri coram ſuo judice Eccleſiaſtico. *Abb. in d. rubr. c. 1. nu. 1.*

3 Ad quid datum eſt hoc privilegium Eccleſiaſticis perſonis ?

℞ Ne inhoneſtè Clerici ante judices ſæculares tradantur, & ut meliùs, & decentiùs coram Eccleſiaſtico eorum cauſæ finiantur, & quia habent privilegium militiæ cæleſtis.

4 Quibus modis quis ſortitur forum ?

℞ Multis. 1mò, ratione delicti. 2dò, ratione contractus, vel deſtinatæ ſolutionis. 3tiò, ratione domitilij. 4tò, ratione rei ſitæ, in loco, ubi ſita eſt. 5tò, ratione juriſdictionis ſupremæ Summi Pontificis, quia quilibet poteſt conveniri coram Pontifice, cùm Papa ſit univerſalis Judex omnium Clericorum. *Abb. c. licet, il 2. de foro compete n. 2.*

5 Forum ſumiturne ratione perſonæ, vel ratione rei?

℞ Ratione rei, de qua agitur, videlicet ſi ager, ſuper quo eſt controverſia, eſt in uno territorio, & poſſidens in alio, debet negotium ventilari in juriſdictione, ubi ager ſitus eſt. *c. ſane, eod tit.*

6 In criminalibus quomodo quis ſortitur forum ?

℞ Ratione delicti, ubi enim quis commiſit delictum, ibi debet puniri. *Abb. in c. ſane. eodem tit. nu. 5. c. dilect, & fin. eod. tit.*

7 Actor quod forum ſequi debet ?

℞ Forum rei, quia jus favet reo. *c. cum ſit general., & c. ſi Clericus. eod. tit.*

8 Cum quis habet duo fora, vel conveniri poſſit, cui datur electio fori ?

℞ Actori. *l. juris ordinem, C. de juriſdictione omnium judicum. c, cum ſit generale. de foro comp.*

9 Si quis legitimè citatus fuit, coram uno judice, & poſt citationem mutavit forum, quia advenit ei aliquod beneficium in alia diœceſi, ubi tenetur cauſam proſequi ?

℞ In foro, ubi prius fuit citatus, quia ibi lis legitimè incæpta fuit, & ibi finiri debet. *c. propoſuiſti. eod. tit.*

10 Si quis habet dignitatem, & contrahit, & poſtea relinquit dignitatem, ubi debet conveniri ?

℞ In loco dignitatis, quia in illo loco habuit duo vincula, ſcilicet domicilium, & dignitatem tempore contractus. *l. juris ordinem. C. de juriſdict. omn. jud.*

11 In criminalibus, quotuplex eſt forum, quod ſequi poteſt contrarium ?

℞ Duplex. 1*mò*, ubi crimen eſt incæptum 2*dò*, ubi reus habet ſuum domicilium. *l. quæſtiones. C, ubi de criminibus agi oportet.*

12 Si quis in aliquo loco mandavit fieri aliquod vulnus, vel aliquem interfici, ubi debet puniri, in foro, ubi mors, vel delictum commiſſum fuit, an in loco, ubi dedit tale mandatum.

℞ In loco, ubi delictum commiſſum fuit. *Barboſa in l. ſi ut proponitur. ff. de fide juſſoribus* Abb. *in c. licet. il 2. nu. 7. eod. tit. de foro comp.*

13 Quando aliquis poteſt conveniri in duobus locis, quis debet eligere locum conuentionis, actor, vel reus ?

℞ Actor. *Abb. in c. dilecti fili. nu. 9. eod. tit.*

14 Clericus habens plura beneficia in pluribus locis habet nè plura domicilia ?

℞ Si talia beneficia ſint curata, & per ſe ipſum illis ſerviat, habet tot domicilia, quod ſunt beneficia; ſi verò ſint ſimplicia, habet ſolùm domicilium, ubi habet titulum. *c. non. poteſt. de præbend. in 6. l. aſſumptio. §. juris prudentibus. ff. ad municipalem, C. de ſepultur. in 6.*

15 Si Clericus committat crimen in diœceſi aliena, quis debet de eo cognoſcere, proprius Epiſcopus, vel Epiſcopus in cujus diœceſi cõmiſit crimẽ ?

℞ Epiſcopus, in cujus diœceſi commiſit crimen, licèt per. *Conc. Trid. c. 8. ſeſſ. 14. de reform.* Epiſcopus proprius admonendus ſit, ante ſententiam. *cap. cum contingat, de foro comp.*

16 Si Clericus habens beneficium committat delictum in alieno territorio, ubi debet puniri ?

℞ De delicto, in territorio, ubi deliquit; privatio verò beneficij mandanda eſt executioni ab Epiſcopo, ubi ſitum eſt beneficium. *tex in c poſtulaſti. de foro comp.*

17 Poſſuntne eſſe duo ordinarij in una diœceſi ?

℞ Non, quia quilibet Epiſcopus eſt ordinarius ſolus in ſua diœceſi. *c. cum contingat. eod. tit.*

18 Si Epiſcopus recuſetur, Archiepiſcopus poteſtne cognoſcere de illa cauſa ?

℞ Non, ſed Epiſcopus de conſenſu partium debet dare alium judicem, qui negotium ſententiet, vel remittat cauſam ſuperiori. *c. cum ſpeciali. de appell.* & *Abb. c. ſi quis. de foro comp. n. 7.*

19 Epiſcopus, vel Vicarius recuſatus poterunt nè mandare executioni ſententiam delegati ?

℞ Poterunt, quia in executione ſententiæ non datur recuſatio. *Abb. ubi ſup. nu. 1. 10. & 11.*

20 Quis debet cognoſcere, an negotium pertineat ad Eccleſiaſticum ?

℞ Ipſe Judex Eccleſiaſticus; ſed ſi invenerit rem non eſſe ſui fori, remittet negotium ad ſæcularem condemnando actorem in expenſis. *Abb. c. cum ſit generale. nu. 14. eod. tit.*

21 Si aliquis ſæcularis commiſit delictum contra alium ſæcularem in Eccleſia, poteritne Judex Eccleſiaſticus punire tale delictum ?

℞ Non, ſed ſolum Judex ſecularis, & Eccleſia poterit punire ſacrilegium, ſed non furtum factũ alicui laico. *Abb. in c. cum ſit generale. n. 27. eod. tit.*

22 Archiepiſcopus habetne juriſdictionem in diœceſi ſuorum ſuffraganeorum ?

℞ Non, neque in res, neque in perſonas, niſi in ſecunda inſtantia, cum legitimè ad illum appellatum fuerit. *Abb. c. ſanè. nu. 6. de foro comp.*

23 Clericus in quo caſu poteſt contra Laicum petere juſtitiam in foro Eccleſiaſtico ?

℞ Deficiente, vel negligente juſtitia ſæculari, licèt hoc nunquam his temporibus contingat. *c. licet, il 1. eod. tit. de foro comp.*

24 Cognitio cauſæ, per quas dietas poteſt trahi extra Provinciam, & à quo loco enumerantur dietæ?

℞ Per unam dietam, quæ enumeratur ab ultimo loco diœceſis. *c ex parte, de foro comp. & ibi. Abb. n. 10.*

25 Si ſit conſvetudo in aliquo loco, ut Laicus conveniatur cum Laico coram Judice Eccleſiaſtico, quid agendum ?

℞ In illo loco talis conſvetudo eſt ſervanda. *Abb. in c. licet, il 2. eod. tit. nu. 23.*

26 Executio teſtamenti ad quem pertinet ?

℞ Quo ad legata, & opera pia ad Eccleſiaſticum, & etiam inter pauperes, at verò quoad reliqua, ad ſæcularem. *Abb. in c. ex tenore. eod. tit. nu. 7.*

27 Abbas in quo caſu habet majorem juriſdictionem, quam Epiſcopus in ſuos monachos ?

℞ In expectantibus ad regulæ obſervãtiam præfertur Epiſcopo. *Abb, c. cum contingat. eod. tit. n. 21.*

28 Pater, dominus, & maritus quam juriſdictionem habent in ſervos, famulos, & filios, & uxores ?

℞ Poſſunt caſtigare leviter, & in cubiculo, quaſi in carcere detrudere & fuſtigare, ſed non poſſunt in eos ſævire, neq; pæna legali, quaſi judicaliter eos punire. *l, perſpiciendum. ff. de pœnis. gl. in c. ſicut alterius. 7. q. 1. l. unica. C. de emendat. ſer. inſt. de ijs, qui ſunt ſui vel alij. jur.*

29 Si Abbas, vel ſuperior ſit negligens in punitione Monachorum, qui extra clauſtra notoriè deliquerint, quid debet facere Epiſcopus ?

℞ In iſto caſu præmiſſa monitione, ſi Abbas in puniendo munus ſuum non fecerit, poteſt ipſe Epiſcopus punire talem Monachum ſine Abbate

per facu-

per facultatem sibi traditam *à Conc. Trid. Sess. 25. c. 14. de regular.*

30 Monachus ubi habet domicilium?

℞ Quo ad onera in monasterio, ubi habitat, & ibi debet necessariò convenire; quo ad commoda, & privilegia in civitate, ubi natus est, *Abb. in c. postulasti. nu. 5. de foro comp.*

31 Quam pœnam incurrit Judex sæcularis, qui incarcerat Clericum; vel cognoscit de causa ipsius, vel eam sententiat?

℞ Excommunicationis; quia qui injuriam facit Ecclesiæ, justè caret ejus communione, quia justè punitur in eo, in quo peccavit. *c. 2. eod. tit. c. sicut antiquitus. 17. q. 4.*

32 Talis Judex incurritne excommunicationem ipso facto, an per sententiam?

℞ Gloss ultimo in *c. nullus. de foro competenti*, tenet, quòd per sententiam, & allegat. *c. quasi 30. dist. sed Glos. in c. quicumq; de hæreticis. lib. 6.* verbo innodetur, tenet, quòd ipso facto est excommunicatus, & hæc opinio est magis recepta à Doctoribus.

33 Qui sunt de familia Episcopi, gaudent nè privilegio fori Ecclesiastici?

℞ Affirmativè. *Abb. in c. cum non ab homine. de jud nu. 2 sed famuli Clericorum non gaudent hoc privilegio. Abb. c. nullus. de foro comp. nu. 7.*

34 Servientes Ecclesiæ, si non habent ordinem primæ tonsuræ, in criminalibus gaudent nè privilegio fori?

℞ Distingvendo. servientes, qui cum officijs perpetuò sunt deputati servitio Ecclesiæ, velut ianitor, aut qui ex officio pulsat campanas, vel qui portant candelas, & ceroferaria, gaudent privilegio fori, qui verò serviunt temporalibus officijs aliquibus in Ecclesijs non gaudent. *c. omnis etat. 12. q. 1. c. per exceptionem de privilegijs. in 6. & Abb. c. nullus, de foro comp. nu. 5.*

35 Eremitæ, coloni Ecclesiarum, rectores hospitaliũ, fratres tertij ordinis Sancti Francisci, & ædificantes Ecclesias gaudent nè privilegio fori?

℞ Licèt Innoc. *in c. cum monasterium. de elect.* teneat partem affirmativam; tamen. *Abb. in c. nullus.* de foro competenti. *nu.* 10. contrarium tenet, quia privilegium datum est ijs, qui sub aliqua regula approbata perpetuò se Deo dedicavere, vel ijs, qui ordines susceperunt, isti verò sunt eremitæ ex propria volũtate, & velut locustæ, quæ Regem nòn habent, & ne de facili jurisdictio imperatoria excludatur, subijciuntur judici sæculari.

36 Conversi religiosorum gaudẽt nè privilegio fori?

℞ Si emittunt professionem, gaudent etiam tempore novitiatus. *Abb. ubi supr. nu.* 8.

37 Super re Ecclesiæ, vel Clerici coram quo Judice debet conveniri Laicus à Clerico?

℞ Etiam si bona Clerici sint patrimonialia, coram Ecclesiastico. *c. si Clericus. eod. tit. Abb. ibi nu.* 3.

38 Si Laicus neget rem Ecclesiæ, vel Clerici, & dicat esse suam, coram quo Judice conveniri debet?

℞ Facta probatione non esse Ecclesiæ, coram judice sæculari, nisi in ijs locis, contraria fuerit consvetudo, & tunc illa servanda est. *c. si Clericus, de foro competenti.*

39 Cui incumbit onus probandi, quòd aliquis non sit Clericus?

℞ Si notoriè sit Clericus, vel in habitu Clericali incedat; objicienti exceptionem, si verò incedat in habitu Laicali, vel non sit cognitus, ad ipsum Clericum pertinet probatio. *c. si Judex Laicus de sententia excommunicationis, lib. 6.*

40 Miserabiles personæ, coram quo Judice convenire debent suos reos?

℞ Coram Ecclesiastico, quia ipsæ sunt sub protectione Ecclesiastica. *Abb. in c. cæterum. de judic. nu. 16. & c. cum sit generale. de foro comp. nu. 6.*

41 Qui dicuntur miserabiles personæ?

℞ Vidua spoliata, & pupillus, si sint pauperes, & à potentioribus oppressi. *Abb. in c. licet, tl 1. nu 7 eod. tit*

42 Si quis Clericus, vel Monachus serviat alicui jurisdictionẽ habenti, coram quo est conveniẽdus?

℞ Coram suo ordinario, & non coram illo, cui servit, nisi forte talis habeat privilegium cognoscendi de causis suæ familiæ. *Abb. in c. cum contingat. de foro comp. nu. 1.*

43 Privilegiatus quo in loco debet conveniri?

℞ In loco sui privilegij, sed ex contractu ab eo facto poterit alio in loco conveniri. *text. in cap. dilecti. eodem titulo.*

44 Si privilegium concedatur hominibus alicujus loci, transit nè in Clericos?

℞ Clerici de jure gaudent illo privilegio, etiam si de illis nulla fiat mentio; quia creditur, quòd Princeps concedat Clericis à fortiori, quod concedit Laicis, cum sint inferioris conditionis, & Clerici, cum sint superioris conditionis, non debent excludi à libertate, & privilegio communi. *Abb. in c. dilecti. eod. tit. nu.* 30.

45 Quotuplicia sunt crimina?

℞ Alia sunt mera Ecclesiastica; alia mera sæcularia alia mixti fori. *Abb. c. cum sit generale. eod. tit. num.* 30

46 Quæ sunt mera Ecclesiastica?

℞ Quæ prohibita sunt per leges merè Ecclesiasticas, vel quia sæculares Judices de his non cognoscunt. propter periculum, ut in crimine usuræ, & hæresis, in quibus Laici possunt dubitare de substantia delicti. *Abb. in c. cum sit generale. nu. 31. eod. tit.*

47 Privilegium, & consvetudo derogant nè juri communi in criminalibus?

℞ Derogant in cognitione criminum. *c. cum contingat. eod. tit.*

48 Si reus ponat exceptionem, coram quo judice debet litigare?

℞ In suo foro, ubi negotium principaliter tractatur; ratio est, quia exceptio propriè sequitur negotium principale, & ab eodem judice est determinanda. *Abb. c. si quis. de foro competenti. nu. 2. in additionibus. c. si Clericus. eod. tit.*

49 Capitulum habetne jurisdictionem in famulis sibi servientibus?

℞ De jure communi non; nisi illam habeat virtute alicujus privilegij, vel consvetudinis immemorabilis legitimè præscriptæ. *Abb. in c. cum contingat eod. tit. nu. 4.*

50 Potestas audiendi confessiones, & administrandi Sacramenta potestne præscribi?

℞ Non, quia sunt jurisdictiones Episcopales pertinentes ad administrationem ordinis, & sic Episcopus debet dare licentiam, & solvere ligatam potestatatem, *c. dudùm de privilegijs, & excessibus privilegiat. Ab. c. cum contingat. de foro comp. nu.* 16.

51 Successor teneturne ex contractu, facto cum suo antecessore?

℞ In civilibus affirmativè, & debet respondere in loco, ubi suus antecessor se obligavit: *Abb. in c. dilecti fi ij. de foro comp. nu.* 2.

52 Sacrilegi, & qui offendunt Ecclesiam, in quo foro conveniri debent?

℞ In foro sæculari, vel Ecclesiastico, quia est crimen mixtum, & hoc relinquitur in electione Ecclesiæ. *c. cum sit generale. eod. tit.*

53 Potestas legitimandi, vel tabelliones procreandi potestne præscribi?

℞ Potest, licet hoc competat soli Principi ratione meri, & mixti imperij. *c. per venerabilem. qui filij sint legit. ibi Ant. de Butr.* & *Abb. in cum contingat. de foro competent. num.* 15.

54 Violentia facta Ecclesiæ, vel Clerico coram quo judice debet tractari?

℞ Coram Ecclesiastico. *Abb. c. cum sit generale, eodem tit. num.* 13.

55 Crimen simoniæ, in quo foro cognoscitur?

℞ Solùm in Ecclesiastico; cum res, super qua fuit simonia, sit Ecclesiastica. *Abb. ubi sup. nu.* 20.

56 Quæ sunt mera sæcularia crimina, quorum cognitio pertinet ad judices sæculares?

℞ Crimina per leges Regias, & sæculares prohibita *Abb. in c. cum sit generale, eod. tit. nu. ult.*

57 Quæ sunt mixta crimina, cujus cognitio pertinet ad judicem sæcularem, & Ecclesiasticum?

℞ Illa, quæ prohibita sunt per utrumque Jus, ut perjurium, & concubinatus: quæ delicta tam Judex Ecclesiasticus, quàm sæcularis punit. *Abb. in c. cùm sit generale. eod. tit. nu.* 31. *Gloss. in regula.* 2. *de regulis juris. lib.* 6

58 Usurpantes bona Ecclesiastica, coram quo Judice poniuntur?

℞ Coram Ecclesiastico, quia est sacrilegij crimen. *c. conquestus. eod. tit.*

59 Potestne Clericus eligere sibi judicem Laicum?

℞ Non, etiam si juret, & consentiat altera pars, quia jus publicum pacto priuatorum non tollitur: & jurisdictio Ecclesiastica non est Clerici, sed Dei, data omnibus Clericis. *cap. si diligenti. eodem tit.*

60 Quam pœnam incurrit Clericus, qui trahit alium Clericum coram Judice sæculare?

℞ In criminali deponitur, in civili perdit causam *c. gravamen. de excessibus Prælator. Abb. c. si diligenti. nu.* 6. *eod. tit. de foro comp.*

61 Si quis invadat patrimonium Clerici, quam pænam incurrit, & coram quo Judice debet conveniri?

℞ Talis sucurrit sacrilegium, & pœnam excommunicationis, & debet conveniri coram Judice Ecclesiastico, quia ista crimina sunt fori Ecclesiastici; *Abb. in c. cæterum, de judicijs. nu.* 17.

62 Clericus succedens Laico in bonis, coram quo Judice debet conveniri, si lis oriatur supra dicta bona?

℞ Cum distinctione si lis incæpta fuit vivente Laico super bona illius, debet conveniri Clericus, qui successiit in dictis bonis, coram Judice Laico, coram quo lis incæpta fuit; ratio est, quia Clericus successit in illis boni cum onere finiendi illam litem, ubi incæpta fuit, & bona licèt mutent possessionem, non mutant qualitatem: si verò lis non fuit incæpta, neq; contestata vivente Laico, sed postquam Clericus habuit pacificam possessionem bonorum, tunc talis Clericus debet cōvenire corā Judice Ecclesiastico; ratio est, quia bona sequutur forū Clerici, cū tempore possessionis nulli fuerint obnoxia, & Clericus habet Judices Ecclesiasticos distinctos à Laicis, & tunc actio intentatur directè contra Clericum, & contra bona Clerici; *Abb. in c. quia, de judicijs, n.* 12.

63 Clericus in causa reconventionis poteritne reconveniri coram Judice sæculari?

℞ Cum distinctione; si Clericus agat contra Laicum coram Judice sæculari pro aliqua causa civili, tunc benè poterit reconveniri coram eòd. Judice sæculari in concernentibus ad dictā causam civilem; ratio est, quia istæ reconventiones sæpe sæpius sunt exceptiones, & pendent à causa principali, vel opponuntur juri principali, & sic non congruit, ut judicium dividatur; si verò Clericus actionem criminalem civiliter petat contra Laicum coram Judice sæculari; Laicus non poterit reconvenire Clericum de alio crimine, neque simili, neque dissimili coram Judice sæculari, sed coram Ecclesiastico; ratio est, quia actio criminalis non respicit bona, sed personam, & persona Clerici exempta est Jure divino à jurisdictione Laicorum. *Abb. in c. at si Clerici, de judic. n.* 19.

64 Qualis Judex debet cognoscere, an Clericus debeat gaudere privilegio fori, & conveniri coram Judice Ecclesiastico in civilibus, & criminalibus?

℞ Judex Ecclesiasticus, & non sæcularis; ratio est, quia hoc judicum est super personam Clerici, in qua Judex sæcularis nullam potestatem habet, & hoc debet intelligi, etiam si Clericus inveniatur in habitu sæculari, & indecenti, vel in societate latronum; quotiescumque agitur, an talis homo sit ordinatus, debet Judex Ecclesiasticus hoc sententiare. *Conc. Trid. Sess.* 23. *c* 6. *de refor.*

65 Si Clericus trahatur invitus coram Judice sæculari, quomodo debet procedere, ut pœnam evadat?

℞ Non debet respondere ad obiecta, sed debet declinare, & protestari, quòd si aliquid fecerit, est ex metu Judicis sæcularis. *Abb. in cap. si diligenti, num.* 17. *eod. tit.*

66 Jurisdictio in quem potest prorogari?

℞ Solùm in habentem jurisdictionem, & non in personam particularem. *Abb. c. significasti. eodem tit. numero* 5.

67 In causa feudi coram quo Judice debet Laicus convenire?

℞ Coram

℞ Coram Domino feudi, etiam ſi talis Dominus ſit Rex, vel Imperator; quia de natura feudi eſt, ut lites ortæ ſupra feudum, coram Domino tractentur, qui habet Juriſdictionem ordinariam ſupra ſubditos ſupradicti feudi. *c. ex transmiſſ. de foro competenti. Abb. in c. ſolitæ de majoritate, & obedientia, num. 8. & Innoc. ibi.*

68 Quare in cauſa feudi Laicus poteſt cognoſcere de bonis Eccleſiæ, Epiſcopi, vel Clerici?

℞ Quia in donatione feudi Dominus apud ſe directum retinet dominium, & solùm dat utile, & ideo magis videtur ſæcularis cognoſcere debere ſua, quam de re Eccleſiæ, *c. Romana. de appellationibus lib. 6 §. debet.*

69 Capitulum ſede vacante cognoſcit nè de cauſa feudi, quando eſt Epiſcopi?

℞ Non, quia non ſuccedit Capitulum in his, quæ ad Epiſcopum pertinent jure ſpeciali, ut in feudo, & proviſione beneficiorum, neque in ijs, quæ pertinent ad Epiſcopum Jure accidentali, ſed solùm in ijs, quæ jure communi, & ordinario ad Epiſcopum pertinent, ut in juriſdictione ordinaria. *Innocent. c. cum in cunctis, de elect. & Abb. c. verum, de foro compet. num 8.*

70 Teſtes, qui examinantur ad perpetuam rei memoriam, coram quo Judice ſunt examinandi?

℞ Coram Judice illius perſonæ, pro qua fiunt informationes. *Abb. in c. ſi quis, de foro compet. n. 3.*

## CAPUT III.
## De Privilegio fori.

1 Quid eſt privilegium fori?

℞ Quædam exemptio militiæ cæleſtis; ut habetur in cæremoniali Romano. *c. de ordinibus ſuſcipiendis.*

2 Ut quis gaudeat privilegio fori quid requiritur?

℞ Ut ad minus primam tonſuram habeat, & portet habitum Clericalem, & de licentia Epiſcopi alicui Eccleſiæ, vel Oratoriio inſerviat, vel det operam literis in aliquo ſtudio, vel Seminario, vel habeat beneficium Eccleſiaſticum *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 6. de reform.*

3 Hoc Servitium, vel ſtudium neceſſariò debet eſſe continuum, vel ſufficit, ut ſit interpolatum?

℞ Sufficit, ut ſit interpolatum, & ſuis certis temporibus. *Conc. Trid. Seſſ 23. c. 6. cit.*

4 Ad gaudendum privilegio fori erunt ne neceſſaria requiſita ſimul, vel ſufficit unum tantùm?

℞ Sufficit unum disjunctivè, quia iſtæ dictiones, aut, vel, diſiunctivæ ſunt, & faciunt integrum ſenſum. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 6. de refor.*

5 Sufficit ne prima tonſura ſine habitu, vel habitus ſine prima tonſura, ad gaudendum privilegio fori?

℞ Neceſſarium eſſe, ut utrumque concurrat, quia illa dictio, &, poſita in ſancto Concilio, eſt conjunctiva, ut patet. *c. 6. Seſſ. 23. cit.*

6 Si Clericus ad breve tempus dimittat habitum, & iterum reaſſumat, gaudebit ne privilegio fori?

℞ Affirmativè. *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 6. ut ſupra.*

7 Si quis per publicam ſcripturam renuntiat privilegio fori, & de facto relinquat habitum, & poſtea de ſua propria auctoritate, vel de licentia Judicis Eccleſiaſtici reaſſumat habitum, gaudebit ne in iſto caſu privilegio fori?

℞ Gaudebit, quia renuntiavit quod ſuum non erat; nam juriſdictio ſæcularis data fuit Regibus à populo, qui ſibi conſtituerunt Reges, & Duces; ſed juriſdictio Eccleſiaſtica data fuit Petro, & Succeſſoribus à Chriſto Domino, quando dixit, Petre paſce oves meas; & ſic renuntiari non poteſt à Clericis, quia renuntiant, quod ſuum non eſt, ut dicunt Doctores in rubrica de judicijs.

8 Si talis, dum non habebat habitum, commiſit aliquod delictum, & Judex ſæcularis cæpit cognoſcere, & poſtea iſte reaſſumat habitum, quis Judex debet cognoſcere de tali delicto?

℞ In iſto caſu Judex ſæcularis, cùm primùm ad ejus notitiam venerit, talem eſſe Clericum tenetur remittere perſonam, & proceſſum ad Judicem Eccleſiaſticum, quia renuntiatio priùs facta nulla fuit. *Paul. de Caſt. & Bald. in authen. Clericus quoque. C. de Epiſc. & Cler.*

9 Propter delicta crebriùs commiſſa perdidit ne quis privilegium fori?

℞ Non, quia Petro interroganti, ſi frater meus peccaverit in me, quoties parcam ei uſq; ſepties? Reſpondit Chriſtus non dico tibi ſepties, ſed uſque ad ſeptuagies ſepties) & ibi numerus finitus ponitur pro infinito.

10 Si quis habeat ſolam primam tonſuram, & non incedat in habitu Clericali, requiritur ne aliqua monitio, ut tunc non gaudeat privilegio fori?

℞ Non, ſed ad gaudendum neceſſarium eſt, ut iterum, reaſſumat habitum, tenet. *Covarruvias in practicis quæſtionib. c. 32.*

11 Si Clericus in minoribus habens primam tonſuram, & portans habitum, committat aliquod delictum, & poſtea dimittat habitum, & uxorem ducat, à quo judice debet puniri de tali delicto?

℞ A Judice Eccleſiaſtico, quia in foro inſpicitur tempus delicti. tenet. *Abb. in c. 1. de apoſtat. nu. 7. & 8.*

12 Si quis habet penſionem Eccleſiaſticam, & non portat habitum Clericalem, gaudebit nè privilegio fori?

℞ Non, quia concilium expreſsè exprimit tria requiſita, ſcilicet habere beneficium, incedere in habitu, & tonſura, & inſervire alicui Eccleſiæ, ſed ſi talis habuerit primam tonſuram cum penſione; poterit reaſſumere habitum, & tunc gaudebit. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 6. de reformat.*

13 Clericus negotiator gaudet né privilegio fori?

℞ In bonis patrimonialibus non gaudet, nam perdidit privilegium per delictum negotiationis ut tenet. *Abb. in c. recolentes, de ſtatu Monachor. nu. 1. c. fin. de vita, & honeſt. Cler. c. generaliter 16. q. 1.*

14 Si inveniatur Clericus die, vel nocte cum armis defenſivis, vel offenſivis, ex hoc perdit nè privilegium fori?

℞ Non, quia tali delicto non eſt impoſita talis pæna à jurè, & pœnæ non ſunt extendendæ, *c. in audientia. de ſent. excom.*

15 Clericus, qui invenitur à Judice ſæculari, ſine habitu, & corona, & ſe immiſcet rebus obſcænis, & profanis, quam pœnam incurrit?

℞ Perdidit privilegium canonis, ſi quis ſvadente diabolo,

re diabolo, quia tunc Judex saecularis absq; metu excommunicationis poterit eum vi comprehendere, & incarcerare, sed absolutè talis Clericus non perdidit privilegium fori, quia postea debet remitti ad Judicem Ecclesiasticum cum suo processu, *text. in c. 1. de apostatis, & reiterantibus baptismum. & Abbas ibi num. 1.*

16 Si Judex saecularis cognoscat illum, in illo habitu esse Canonicum alicujus Ecclesiae, vel beneficiatum, poterit nè vi illum comprehendere, & incarcerare, absq; metu excommunicationis canonis, si quis svadente diabolo?

℞ Talis Judex meliùs faciet, si honorificè sine strepitu illum conducat ad suum Episcopum, vel Judicem Ecclesiasticum, sed si forsan ad evitandum aliquod damnum vi illum ducat in carcerem, non incidet in excommunicationem dicti canonis; ratio est, quia *text. in c. 1. de apostatis,* non erat necessarius judicibus, sed fuit necessarius ad imponendam poenam Clericis relinquentibus habitum, & coronam, ut à tali delicto arceantur, ut patet ex d. text.

17 Si Clericus incedit de nocte cum ense, vel cum alijs armis offensivis, vel defensivis, & cum longo pallio, vel vestitu, cum quo itineratur, Judex saecularis poteritne absq; metu excommunicationis illum comprehendere, & incarcerare?

℞ Si Judex non inveniet talem Clericum in rebus obscoenis & libidinosis, vel dando operam rei illicitae veluti furando, faciendo incendium, violando domos, pugnando cum aliquo, non poterit absque excommunicatione in illum violentas manus injicere, solùm poterit illum mittere ad suum judicem; ratio est, quia licitum est Clerico in sui defensionem portare nocte arma offensiva, & defensiva, sicut licitum est itinerando, & talis Clericus solùm perdidit privilegium, cum invenitur in rebus obscoenis, & cum simus in odiosis poena extendi non debet. *c. 1. de apostatis,* & reiterantibus baptismum. & ad secundum veriorem sententiam sic est intelligendum, & de hoc dixi latè. *Lib. 1. c. 5. nu. 7. 8. 9. & 10.*

18 Quid requiritur, ut quis privetur privilegio fori?

℞ Si sit in minoribus ordinibus trina monitio, vel quod incorrigibilis existat, & tunc per sententiam privatur privilegio, & habitu. *c. in audientia,* de sententia excommunicationis. *& c. ult. de vita, & honestate Clericorum.*

19 Si Clericus sit in sacris, poterit nè privari privilegio fori, & habitu?

℞ Non, immò, debet cogi, ut habitum portet, quia ordo sacer imprimit characterem indelebilem, *c. in audientia. de sententia excommunicationis. c. contingit, il 2 eod. tit.*

20 Si Clericus in sacris saepè admonitus non portaverit habitum, quam poenam incurrit?

℞ Semel admonitus personaliter, vel per edictum si inveniri non potest, suspenditur ab officio, ordine, & beneficio, & privatur fructibus, & si perseveraverit alijs conferantur officia, & beneficia *Conc. Trid. Sess. 14. c. 6. de Ref.*

21 Clericus poteštne obligari ex scriptura ad amissionem habitus, vel beneficij?

℞ Si sit in minoribus, potest consentiente suo superiore. *c. cum dilectus, de elect. gloss. in c. contingit, il 2. de sent. excom.*

22 Clericus, si falsum testimonium alicui obiecerit tenetur nè recantare palynodiam?

℞ Non, quia est res infamis, & Clericus gaudet privilegio nobilium: & sufficit, ut privatim veniam petat. *c. Clericus. il 2. dist. 36. Boer. cons. 4. nu. 4.*

23 Clericus potestne agere coram Judice saeculari pro injuria sibi facta, vel suis?

℞ Potest cum protestatione sub poena sangvinis. *Ab. in c. postulasti, de homicidio nu. 1. Bart. in authent. & consequenter, C. de sententijs, interlocutorijs omnium jud. nu. 19.*

24 Si Clericus certò sciat mortem secuturam, poteritne (facta dicta protestatione) agere?

℞ Poterit, absq; metu irregularitatis. *Abb. in c. postulasti sup. cit. nu. 3.*

25 Quid requiritur in Clericis conjugatis, ut gaudeant privilegio fori?

℞ Habere primam tonsuram, & habitum Clericalem, & inservire alicui Ecclesiae. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 6. de Ref.*

# CAPUT IV.

## De Libelli oblatione.

1 Quid est libellus?

℞ Parvus liber, vel charta parva, vel schedula, in qua actor coram Judice causam exprimit. *Glos 10. c. 1. de libelli oblatione.*

2 Quibus modis sumitur in jure hoc nomé libellus?

℞ Pluribus. 1mò, ponitur pro scriptura demandatoria. 2. dò, pro scriptura accusationis. 3tiò, pro repudio, & dicitur libellus repudij. 4tò, pro scriptura appellationis. *l. 1. ff. de appellationibus. § libelli.* 5tò, pro scriptura infamatoria, & dicitur libellus famosus. 6tò, & magis propriè ponitur pro scriptura, in qua actor exprimit actionem contra reum, ut per totum titulum de libelli oblatione. *& c. significantibus. eod. tit.*

3 Quotuplex est libellus?

℞ Duplex, unus accusationis in causa criminali, alius conventionis, qui ponitur in causis civilibus. *Gl. unic. c. 1. eod. tit.*

4 Quid debet continere libellus?

℞ Debet in eo actor exprimere suam actionem, rationem, & causam, ob quam petit sibi dari talem agrum, vel satisfactionem talis injuriae, & libellus debet exprimere contenta in his versibus.

Quis, quid, coram quo,
Quo Jure petatur, & à quo.

*Goffred. in sum. l. judici. C. de Episcopali audientia c. dilecti filij, de judicijs.*

5 Quas qualitates debet habere libellus?

℞ Tres. brevis, distinctus, & continens nomen actoris, & rei, & judicis coram quo, & actionem, & causam actionis. *c. significantibus, eod. tit. de libelli oblatione*, quae omnia versibus supradictis continentur.

6 Libellus debetne necessariò esse subscriptus à parte?

℞ Cum distinctione: in civilibus non est praecisè

necessaria

necessaria subscriptio; sufficit. n. notorij fides: in criminalibus vero necessariò debet esse subscriptus ab accusatore, qui se supponit ad pœnam talionis. *Ant. c. 1. nu 6. eod. tit. de libelli oblatione.*

7 Quem effectum facit oblatio libelli?

℞ Interrumpit præscriptionem, ponit possessorem in mala, vel saltem dubia fide. *Abb. c. 1. nu. 9. eodem tit.*

8 Si libellus sit ineptus quid agendum?

℞ Judex, ex suo officio poterit illum supplere. *Abb. c. dilecti filij. de judicijs. nu. 2.*

9 In quibus causis non requiritur libellus?

℞ In causis parui momenti, arbitrio judicis, & in causa pauperis. *Abb. in c. 1 eod. tit. nu. 17.*

10 Reus teneturne respondere libello?

℞ Tenetur semper. *c. dilecti. eod. tit.*

11 Quando reus non tenetur respondere libello?

℞ Quando libellus petit actionem personalem, & in eo non exprimitur causa petendi, tunc reus non tenetur respondere tali libello, quia delicta in genere non puniuntur. *c. dilecti. eod. tit.*

12 Judex potestnè admittere actorem ad petendum aliquid verbo?

℞ Non, sed scripto, & præsentato libello. *capit. 1. eodem titulo.*

13 Si actor exprimit unam causam in libello, & eam non probat, sed probat aliam, poterit nè obtinere sententiam?

℞ Non, quia sententia debet esse super re contenta in libello. *Abb. c. dilecti. eod. tit. nu. 11.*

14 In Inquisitione requiriturne libellus?

℞ Si procedat ex puro officio judicis, non requiritur; si verò procedat ex instigatione alicujus partis dantis capitula, tunc requiritur. *c. licet. c. veniens de accusationib. & Abb. c. 1. de libelli oblat. nu. 13.*

15 Summus Pontifex si pronuntiet supra rem non contentam in libello, erit nè valida sententia?

℞ Affirmativè; quia ipse est supra leges, & licet teneatur eam observare, est solùm, quo ad vim directivam, non verò quoad vim coercivam. *Abb. in c. ex conquæstione, de restitutione spoliatorum numero 15.*

## CAPUT V.
## De mutuis petitionibus.

1 Hoc nomen petitio quid significat?

℞ Quid quid homo vult à Judice petere in suam utilitatem.

2 Et mutua petitio quid significat?

℞ Petitionem actoris, & petitionem rei, quibus adinvicem mutuo unus petit, alter se defendit.

3 In jure quot sunt petitiones?

℞ Quatuor. Prima, est petitio hæreditatis, quæ competit omnibus illis, qui jure hæredes sunt contra possessorem. Secunda, est petitio hereditatis fidei commissariæ, & competit ei, cui fideicommissoria hæreditas restituitur ex Senatusconsulto Trebelliano. Tertia, est petitio hæreditatis possessoriæ, quæ datur emancipatis, intrà tres menses. instit. de bonorum possessione § liberis Quarta, est petitio scripturæ continens petitionem alicujus. *glo. in c. si quis Papa distin. 79.*

4 Reconventio quomodo intelligitur, & regulatur?

℞ Secundum naturam conventionis, & eodem pede currit, & eisdem terminis finitur, eisdemq; privilegijs utitur. *Abb. cap. 2. num. 2. & 8 de mutuis petitionibus.*

5 Si actio reconventionis oriatur post impetrationem rescripti, poteritne Judex delegatus de reconventione cognoscere?

℞ Licet Io. *Andr. c. dispendia. de rescript. lib.* teneat partem negativam; *Abb. c. 2. de mutuis petitionibus. num. 11.* tenet affirmativam, cum Antonio Butrio, quia cum lex prohibeat reum, ut non adeat alium Judicem durante illa lite, necessario debet providere illi de Judice delegato, ne pereat sua justitia in *d. c. 2* dicit indistinctè Judex delegatus cognoscat de renuntiatione, & non restringit, ut si orta ante impetrationem rescripti, vel post, ergo nos in damnum rei illam non debemus restingere. *Abb. d. c. 2, nū. 12. eodem titulo.*

6 Judex delegatus potestne compellere reum, ut respondeat in causa reconventionis?

℞ Potest, & utramque causam simul debet determinare *c. 1 eod. tit.*

7 Reconventio potestne fieri coram arbitro?

℞ Coram arbitro electo à partibus, non, sed coram arbitris juris benè potest fieri, quia habent potestatem, sicut Ordinarius. *Abb. cap. 1, eodem titulo, num. 3.*

## CAPUT VI.
## De litis contestatione.

1 Quid est litis contestatio?

℞ Negotij principalis, hinc inde ab actore & reo facta narratio coram Judice.

2 Quomodo fit litis contestatio, & coram quo?

℞ Coram Judice legitimo per narrationem actoris, & per contradictoriam responsionem rei in scriptis, *Glos. capit. dudum, de election. cap. 1. de litis contestatione.*

3 Quam utilitatem habet in Jure litis contestatio?

℞ Perpetuat actionem usque ad triginta annos, & interrumpit præscriptionem, ponit possessorem in dubia fide, & perpetuat jurisdictionem Judicis. *Abbas capite primo, numero 11. de litis contestatione.*

4 Si actor, & reus coram Judice verbo tantum comparentes, suam actionem narrent, sufficiet ne ad litis contestationem?

℞ Non, quia sic nullus est processus, & necessariò, ut fiat, debet in scriptis apparere petitio actoris, & responsio rei; aliàs sententia erit nulla; quia solemnitas non præsumitur, nisi appareat in actis scripta. *capit. primo, eodem titulo, & Abbas. ibi. numer. 3.*

5 Si reus faciat responsionem, & in ea dicat, quòd reus facit illam cum potestate contestandi litem, nihilominus contestatur ne lis?

℞ Affirmativè, licet si directè non neget, neque excipiat, neque confiteatur, Judex poterit illum compellere, ne faciat judicium frustatorium. *Abb. cap. 1. eod. tit. num. 16.*

6 Si contestatur per verba injuriosa, ut si reus respon-

respondeat, tu mentiris, non dicis verum?

℞ Si illa verba dicit animo satisfaciendi ad sibi objecta, volendo illa negare, lis contestatur; si verò illa verba dicat calore iracundiæ, solùm animo injuriandi actorem, tunc lis non contestatur, licèt in dubio tenendum sit, per illa verba voluisse negare actionem sibi objectam. *Abb.cap. 1. de litis contestat. num.* 28.

7 Partes possuntne renuntiare litis contestationi?

℞ Non, quia non possunt renuntiare solemnitatibus judiciarijs. *Abbas capit.* 1. *num.*4. *de litis contestatione.*

## CAPUT VII.
### Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem.

1 Lite non contestata in causa divortij possuntne testes examinari?

℞ Non, sed contumax poterit excommunicari, ut compareat. *c.* 1. *ut lite non contest.*

2 Quibus in casibus lite non contestata possunt testes recipi?

℞ 1mò, si timeatur de morte. 2do, si timeatur de absentia diuturna testium. 3tio, si testes sint senes, vel valetudinarij, tunc valet receptio testium, ne justitia pereat, & occultetur, cum hac tamen conditione, quòd intra annum actor citet reum, & renuntietur ei talis receptio testium, ut omnis fraus ab actore tollatur, aliter erit nulla; hoc intellige, si agatur civiliter. *c. quoniam, ut lite non contestata & Abb. ibi n.* 3.

3 Si in causa matrimoniali lite non contestata recipiantur testes, erit ne valida receptio?

℞ Si recipiatur contra non contumacem, non erit valida, si verò contra contumacem, erit valida. *c. accedens, il* 2. *eod. tit.*

4 Contumax quam pœnam habet?

℞ Habetur pro confitente, vel negante. *Abb. c.* 1. *eod. tit. num.* 5.

5 Si lite non contestata reus sit contumax, quid agendum in favorem actoris?

℞ Tunc actor potest mitti in possessionem causâ rei servandæ, vel reus potest excommunicari. *c. tua fraternitatis. eod. tit.*

6 In casu restitutionis contra contumacem potestne fieri sententia, lite non contestata?

℞ Non. *c.* 2. *eod. tit.*

7 Quando reus non excommunicatur?

℞ Quando agitur contra eum actione civili, quia tunc actor non mittitur in possessionem causa rei servandæ: secus verò si agatur contra eum actione personali, quia tunc reus contumax excommunicatur. *Abbas cap. tua fraternitatis. numer.* 3. *eodem titulo.*

8 Si in citatione contineatur copia libelli, & reus juridicè citetur, sufficiet ne hæc copia ad contestationem litis?

℞ Non, sed necessariò requiritur ad contestationem litis responsio, vel contumacia rei; ratio est, quia contestatio litis est actus juridicus, qui non potest prætermitti, neque suppleri, & non perficitur, nisi per ipsam responsionem, quia est magni præjudicij. *tenet Abb. cap. præterea, de dilationibus, numer.* 3.

## CAPUT VIII.
### De Juramento calumniæ

1 Quid est juramentum caluminiæ?

℞ Quando quis jurat bona fide, & non animo calumniandi, agere aliquid, & affirmat, quòd lis sibi justa videtur. *c.* 1. *de juramento calumniæ. glos.* 4.

2 Ad quid inventium fuit à jure juramentum calumniæ?

℞ Ad veritatem eliciendam, ad fraudes vitandas & lites finiendas; quia, si quis jurat se debere Petro decem, sua confessione compellitur solvere absq; alia probatione. *Abb. in c. cæterum. eod. tit. nu.* 3.

3 Quid debet continere juramentum calumniæ?

℞ 1mo, quòd credit se bonam causam, & justam habere. 2do, quòd interrogatus non negabit, quod verum esse crediderit. 3tio, quòd non utitur scienter falsa probatione. 4to, quòd non petest dilationem in fraudem. 5to, quòd non promisit, neque dedit, nec dabit, neque promittet aliquid pro hac causa. *glos. verbo calumniæ, capit.* 1. *de juramentu calumniæ.*

4 Si dubitetur, quòd quis veritatem non fatebitur. est nè exigendum à tali homine juramentum calumniæ?

℞ Non: si verisimiliter dubitetur de contraventione ne talis fit perjurius. *c. Clericos, & ibi gl. de cohabit. Cler. & mulier. c. ille,* 22. *q.* 5. *ne talis anima fit perjura.*

5 Quotuplex est juramentum?

℞ Multiplex. veritatis, credulitatis in litem, & calumniæ, *Abb. c.* 2. *de juram. calum.*

6 In quo differunt juramentum calumniæ, & juramentum de veritate dicenda?

℞ 1mo, in juramento calumniæ debet responderi de credulitate. 2do, in juramento calumniæ juratur solum supra scientiam, in alio juratur supra plura capitula. 3tio, in juramento datur dilatio. 4to, juramentum calumniæ fit per Procuratorem; juramentum verò de credulitate fit per solam principalem personam *Abb. c.* 2. *eod. tit. nu.* 10.

7 Juramentum calumniæ adhibendum nè erit, tum in causis parui, tum in causis magni momenti?

℞ Affirmativè. *Abb. c.* 1. *eod. tit. nu.* 14. imò in causis minimius sæpè utuntur partes juramento calumniæ, & cum eo dirimunt litem.

8 Si omittatur juramentum calumniæ, ex hoc vitiatur nè processus?

℞ Non, cum solum præstetur, quando est aliqua suspicio in altera parte. *Abb. ubi sup. nu.* 4.

9 In præsentatione instrumentorum debet nè peti juramentum calumniæ?

℞ Si instrumentum redarguetur falsitatis, peti debet; & toties, quoties præsentatur instrumentum, juratur de calumnia. *Abb. ubi sup. nu.* 12.

10 Si pars præstet juramentum calumniæ in præsentatione alicujus scripturæ, poteritne nihilominus pars adversa probare tale instrumentum esse falsum?

℞ Licèt pars, vel Procurator jurent de calumnia

liberum

liberum eſt alteri probare tale inſtrumentum eſſe falſum,& etiam falsè juraſſe partem contrariam, & in utroque articulo admittitur probatio à Judice ex officio ejus liberali. *Abb. ubi ſup. nu.* 12.

11 In cauſis ſpiritualibus juratur nè de calumnia?

℞ Licèt *in c. Literas*, de juramento calumniæ, dicatur.quòd in cauſis Eccleſiarum,decimarum, & rerum ſpiritualium non juratur de calumnia;tamen ex mandato Judicis, vel parte poſtulante, hodie in omnibus cauſis juratur de calumnia ad tollendas citiùs lites. *c. cum nobis. c. cum dilectus, de elect. & ibi gl.*

12 Quot ſunt genera cauſarum, in quibus juratur de calumnia,& etiam de veritate dicenda?

℞ Plura. 1*mò*, ſunt cauſæ ſpirituales. 2*dò*,annexæ ſpiritualibus. 3*tiò*, meræ civiles. 4*tò*, criminales, ubi agitur de crimine directè 5*tò*, cauſæ criminales, quando agitur de crimine civiliter. *gloſſ.in c. literas. de juramento calumniæ ,in verbo,ſpiritualibus.*

13 Quæ ſunt cauſæ annexæ ſpiritualibus,& quomodo in eis juratur?

℞ Sunt cauſæ juris patronatus,& in eis non juratur de calumnia,ſed de veritate dicenda. *c. dudum il 2. de elect, quod citat gl. in c. literas, de juram. calumn. in verbo, ſpiritualibus.*

14 Quæ ſunt cauſæ meræ civiles, & quomodo juratur in ejs?

℞ Cauſæ, in quibus agitur, de peccunia, vel rei vendicatione. c. *ult. & penultimo de libelli oblatione, quæ citat d. glos. ſup. cit. eod. c. & verbo.*

15 Quæ ſunt cauſæ meræ civiles, & quomodo in eis juratur?

℞ Sunt cauſæ, in quibus agitur de aliquo crimine directè criminaliter,quid apparet fuiſſe commiſſum,& licèt in eis juretur de calumnia, actor debet ſe obligare ad pœnam tallionis,& etiam jurare de veritate dicenda. *gl. ſup. cit*

16 Qui in cauſa matrimoniali oppoſuit impedimentum,debet nè jurare de calumnia?

℞ Affirmativè, ut ſi quis ponit impedimentum affinitatis debet jurare de calumnia, ut in c. *litteras, de reſtit. ſpol.*

17 Juramentum calumniæ quando præſtatur?

℞ Communiter poſt litis conteſtationem: aliquando ante,ad petitionem partis contrariæ; & etiam præſtatur ad præſentationem alicujus ſcripturæ. *Ab. in* c. 1. *juramento calumniæ. nu. 4. c. cum cauſam. eod. tit.*

18 Quando poteſt fieri juramentum calumniæ, ante litis conteſtationem?

℞ Quando Judex viderit,quòd æquitas ſvadet ut fiat. *Abb. in c. cum cauſam nu.* 13. *eod. tit.*

19 Juramentũ calumniæ,debet nè peti in fine litis?

℞ Non,ſed in principio; quia faciliùs dicitur veritas,quàm in fine,cum difficile,& turpe ſit,quòd quis in fine confiteatur contrarium ejus,quod in principio allegavit,& probavit. *Abb. in* c. *caterum eod. tit. nu. 4. & Hoſt. eod. tit,*

20 Si quis jurat de calumnia,& petat tempus ad liberandum, eſt nè ei concedendum?

℞ Si res ſit antiqua,difficilis,& de ea non habeat notitiam: & ſi velit procurator informare de veritate cauſæ, debet ei concedi tempus,ut ſe informet; præcipuæ ſi Judex videat,quòd malitiosè hoc non petitur, ſed ad indagandam veritatem, cui ſemper eſt favendum. *Specul. tit. de juramento calumniæ. Abb. c. cum cauſam. eod. tit. nu.* 6.

21 Si quis reſpondeat, credo me hoc feciſſe, quid eſt judicandum?

℞ Reſponſio de credulitate ſic præjudicat, ſicut reſponſio da veritate,& ſic talis eſt condemnandus, ſicut ſi talis confiteretur. *Abb. in c, cum cauſam. nu. 6. de juram. calum.*

22 Quam pænam incurrit, qui non vult non jurare de calumnia?

℞ Cadit à cauſa,quia habetur pro confeſſo. *text in c. Imperatorum, de juram. calumnia.*

23 Si iſte talis, quia noluit jurare, vel eſt contumax, habetur pro confeſſo, debet nè ſtatim condemnari?

℞ Debet prius Judex pronuntiare actum de tal contumacia,& poſtea eum condemnare;quia talis contumacia eſt delictum; & debet prius conteſtare de delicto,quam de pæna. *l.ejus qui ff.de jure fiſci. & Ab.in* c.*cum cauſam, eod.tit. nu.* 26.

24 Si quis condemnetur propter contumaciam, quia noluit jurare,vel ſe abſcondit,hæc condemnatio tranſit nè ad hæredes?

℞ Non, quia procedit ex delicto,& patris delicta non tranſeunt ad hæredes, ſed morte delinquentis extinguntur. *Abb.in c. cum cauſam. c. 26. eod. tit. de jurament. calumn.*

25 Quotuplex eſt procurator?

℞ Duplex. 1*mò*, ad lites. 2*dò*, ad negotia, ut ad procurandas merces, vel recuperandos fructus domini à colonis. *Abb. in c.in pertractandis. num. 5. de juram. calum.*

26 Procurator debetne jurare de calumnia?

℞ Debet cum virtute mandati,quia eſt pars principalis in illa lite. *Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 6. c. in pertractandis. eod tit.*

27 Procurator ad lites poteſtnè jurare de calumnia cum mandato generali,ad omnes lites?

℞ Non, niſi habet ſpeciale mandatum ad jurandum etiam de calumnia auth principales,de jurejurando propter calumniam, *c. fin. de juramen. calumniæ in 6. & ibi gloſſ,*

28 Procurator,ut juret in animam ſuæ partis,debet nè habere ſpeciale mandatum?

℞ Debet, & aliter non admittitur ad jurandum de calumnia,quia eſt actus principalis cauſæ. *Abb. in c.* 1 *de juram. calumnia. nu.* 15.

29 Eccleſia, & capitalum poteſt nè jurare de calumnia?

℞ Poteſt, per ſuum procuratorem ad hoc nominatum. c. 1. *eod. tit,*

30 Si Clericus, vel Monachus juret ſine licentia ſuperioris, tale juramentum valet nè?

℞ Valet; quia non eſt hoc expreſſe à jure reprobatum; licèt talis Clericus,vel Monachus debeant puniri à ſuperiore,quòd ſine licentia juraverint. *c. inter corporalia de translatione Epiſcopi. c. & ſi Chriſtus, de jurejurando.*

31 Clericus poteſtne jurare de calumnia abſq; licentia ſui prælati?

℞ Non; cum tale juramentum ſit quid grave, &

obligetur ex tali, & ideò requiritur licentia sui superioris in scriptis,cum Clericus,& Monachus non sint sui juris. *c. 1. de juram. calum.*

32 Advocatus de jure potest nè obligari, ut juret de calumnia?

℞ Potest,cum sit defensor causæ,& non possit in conscientia absq; peccato defendere causam injustitiam. *Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 5.*

33 Procurator ad negotia,quia emit,& vendit,admittitur nè ad jurandum de calumnia sine speciali mandato ut institor navis?

℞ Admittitur,quia ipse habet notitiam super res venditas,& emptas,magis,quam dominus principalis. *Abb. in c. in pertractandis, eod. tit. nu. ult. c. qui generaliter, de procur. in 6, & ibi Ioan. Andr.*

34 Judæus quomodò jurabit de calumnia?

℞ Per decem præcepta Moysi, & per Deum Patrem,potest de calumnia jurare,sicut est mos Judæorum jurare. *Speculator. de juramento calumnia. §. restat. numero 17.*

35 Syndicus universitatis, vel tutor ad jurandum de calumnia debetnè habere speciale mandatum?

℞ Sufficit habere mandatum generale, quod isti habent, quia constituti sunt à jure ad defensionem universitatis, & pupilli; nam isti quasi gerunt propriam personam illorum *Abb. in c. 1. de juram. calum. n. 15.*

36 Episcopui potestne jurare de calumnia absque licentia Papæ?

℞ Potest, cum hoc, & plura alia jus committit Episcopis: quia plurimum confidit de eorum auctoritate. *Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 19.*

37 Si Episcopus juret de calumnia, debet nè tangere sancta Evangelia?

℞ Non,propter magnam ejus fidelitatem,& dignitatem, licèt debeant esse ante ipsum aperta, sufficiet si tangat pectus suum. *capit. ultimo de juramento calumniæ.*

38 Universitas compellitur nè jurare de calumnia?

℞ Non; quia sunt plures; sed cogitur jurare per administratorem,vel œconomum. *c. Imperatorum. eod. titul. l. 2. C. de jurejurando,propter calumniam dando.*

39 Minor impubes potest nè jurare de calumnia, vel suus tutor?

℞ In omnibus rebus,& casibus, in quibus minor potest agere sine suo procuratore, debet jurare de calumnia,si sit doli capax,& possit agere sine tutore,& sic debet jurare; in alijs verò negotijs, in quibus minor sine tutore non potest agere, debet tutor jurare pro minori. *Abb. in c. cum causam, eodem titulo numero 10. & 12. lege 1. Codic. si per vim, vel alio modo.*

40 Excommunicatus potestne jurare de calumnia?

℞ Potest;quia non privatur ijs, quæ sunt in suum damnum. *Abb. in c. cum causam, de juramento calumniæ. nu. 9.*

## CAPUT IX.
## De Dilationibus.

1 Quid est dilatio?

℞ Est temporis in causa prorogatio,vel est tempus differens causam, quæ habet certum principium,& finem. *Abb. & gl. in c. 1. de dilationib.*

2 Quis concedit dilationem?

℞ Aliquando Jus,aliquando lex,aliquando Judex pro ejus arbitrio; ut dicitur *in rubr. de ferijs*

3 Dilatio quotuplex est?

℞ Alia est legalis, quæ datur à lege, ut tempus ad appellandum, alia conventionalis, quæ datur à partibus convenientibus; alia judicalis,quæ datur à Judice pro suo arbitrio. *Abb. c. 1. de dilationibus. n. 15.*

4 Quot sunt dilationes?

℞ Plures. *1ma*, citatoria. *2da*, restitutoria, *3tia*, ad appellandum. *4ta*, deliberatoria. *5ta*, executoria. *6ta*, dilatoria. *7ma*, peremptoria. *8va*, revocatoria. *9na*, persecutoria. *10ma*, salvatoria. *11ma*, præceptoria. *12ma*, exemptoria. *13tia*, electoria. *14ta*, exceptoria. *15ta*, ferialis. *Host. & Speculator in sum. de dilat.*

5 Quæ est dilatio citatoria?

℞ Tempus, quod datur à Judice ad citandam partem, & ad comparendum in judicio. *Hostiens. in sum. titu. de dilationibus.*

6 Quæ est restitutoria?

℞ Illud tempus, quod datur à Judice ad restituendum spoliatum. *Hostiens. in sum. dilation.*

7 Quæ est dilatio ad appellandum?

℞ Illud tempus,quod datur à lege, vel prorogatur à Judice, ut possit quis appellare, vel suam sequi appellationem. *Host. ubi sup.*

8 Quæ est dilatio deliberatoria?

℞ Illa, quæ datur reis ad deliberandum de suo negotio. *l. fin. C. de in integr. rest.*

9 Quæ est dilatio executoria?

℞ Illa,quæ datur criminatis,ut intra certum tempus satisfaciant criminibus. *l. 3. C. de usur. rei judicatæ,quam citat Host. eod. titulo.*

10 Quæ est dilatoria?

℞ Quando Judex ex aliqua causa dat parti annum, mensem,vel aliquem terminum ad sequendum suam litem. *Host, in sum. de dilationib.*

11 Quæ est dilatio peremptoria?

℞ Tempus, quod datur à Judice ad probandam aliquam exceptionem, quæ perimit litem; ut si quis velit probare,rem judicatam in eadem lite, vel instrumentum solutionis. *l. 1. C. de dilationibus.*

12 Quæ est revocatoria?

℞ Quando aliqua pars, habet jus revocandi sibi domum,vel rem,tempus illud,quod ei datur, ut eam revocet. *Host. in sum. de dilationib.*

13 Quæ est prosecutoria?

℞ Tempus, quod datur alicui ad prosequendam suam appellationem. *Host, ubi sup. de dilat.*

14 Quæ est dilatio salvatoria,seu pænitentialis?

℞ Quæ datur ad implendam suam pænitentiam, qua salvatur à crimine. *Hostiens. in sum. tit. de dilationibus.*

15 Quæ est præceptoria?

℞ Tempus, quod datur à Judice,ut quis faciat aliquam rem, quæ illi præcipitur. *c. præterea. de appellationibus.*

16 Quæ est dilatio electoria?

℞ Tempus,quod datur à Judice patrono, vel alicui personæ ad faciendam aliquam electionem publicam, *capit. ex publico,de conjugat. & ibi Hostiens.*

17 Citaori

17 Citatio unica, quomodo potest habere vim trinæ citationis?

℞ Si in una citatione dentur tres termini cõpetentes, ut tres dies. 3tia, pro prima. 3tia, pro secunda, & tertia pro tertia. *Abb. c.* 1. *num.* 5. *de dilationibus.*

18 Quæ est exemptoria?

℞ Tempus, quod datur alicui ad probandum, se esse liberum, vel exemptum. *l. diffamari. C. de manum. ff.*

19 Quæ est electoria?

℞ Quæ datur ad eligendos judices, vel arbitros in spatio trium dierum. *Hostiens. & specul. titul. de dilation.*

20 Quæ est exceptoria?

℞ Tempus, quod datur à Judice ad ponendas exceptiones. *Host. in sum. tit. de dilat.*

21 Si in lite citatoria ponatur libellus, & pars compareat, petatq; dilationem deliberatoriam, debet nè ei dari?

℞ Non, quia per libellum, incertus in citatione factus fuit certior de re, nec fieri certior amplius debet qui satis certus esse potuit, & noluit sibi consulere. *c. præterea, de dilat.*

22 Quæ est exceptio ferialis?

℞ Est illa in qua sunt feriæ, & de jure negotia non tractantur. *l.* 1. *C. de ferijs.*

23 Dilatio, seu citatio vocatoria, seu peremptoria quomodo debet esse?

℞ Vocare aliquem, vel citare peremptoriè, non debet esse cum termino brevi, præcipuè in causis Ecclesiasticis, & legitimè de tali brevi termino appellatur *c.* 1. *de dilation.*

24 Quando Judex arctat terminum, vel prorogat, quid debet agere?

℞ Exprimere causam, aliàs justè appellatur à partibus. *Abb. c.* 1. *nu.* 8 *de dilationibus.*

25 Copia libelli missa reo in citatione sufficit nè ad litem contestandam?

℞ Non; sed responsio, vel contumacia rei. *Abb. cap. præterea. num.* 10. *eodem titulo.*

# CAPUT X.
## De Ferijs, &c.

1 Quotupliciter sumitur hoc nomen feria?

℞ Sumitur pro die festivo, & etiam pro die laboris, & dicitur feria quinta, tertia, & secunda, & tunc derivatur à verbo faris, vel fare quia Deus omnia creavit fando in ferijs hebdomadis fando, idest solo verbo ut habetur. *Genes.* 1. *l.* 2. *C. de ferijs Ab. in rubr. de ferijs.*

2 Unde dicitur feria?

℞ 1mò, à foro, quia in ea requiescitur ab his negotijs, quæ consvescunt fieri in foro. *ut Azor. in sum. titulo de ferijs,* vel dicitur à feriando, idest requiescendo à labore tanquam in die festivo, ut tenet *Host in sum.* vel dicitur, quia in illa litigantes habent immunitatem ab ijs, quæ fiunt contra eos in foro, vel pro die festivali, quia in ipsis victimæ offerebantur, & immolabantur, & sic dici solent feriæ nuptiales. *Ab. ubi supr.*

3 Quæ sunt species feriarum?

℞ Tres. 1mò, dicuntur feriæ solemnes, scilicet dies festivus in honorem Dei. 2dò, dicuntur feriæ publicæ, seu rusticæ indictæ ad colligendos fructus terræ. 3tiò, dicuntur repentinæ, quia repentè inducuntur, ut cum Princeps inducit ferias propter nativitatem filij, vel quia duxit uxorem *Abb. c. conquæstus. nu.* 8. *de ferijs.*

4 Quis instituit dies festivos, vel feriatos?

℞ Deus instituit diem dominicam, quia in eo requievit ab omni opere, quod patrarat, & in eo resurrexit à mortuis; reliquas verò festivitates instituit Ecclesia; & principes sæculares solent instituere dies festivos pro natali sui filij, vel pro aliqua victoria; & Episcopi in suis diœcesibus, justis de causis, præcipiunt aliquos dies celebrari. *l.* 1. *C. de ferijs.*

5 Dies festivus, vel feriatus solet nè esse æqualis in omnibus diœcesibus, & civitatibus?

℞ Non, sed in observando dies festivos in qualibet civitate debet observari ritus illius civitatis. *l. præsides. ff. de ferijs.*

6 In diebus feriatis, vel festivis quid possunt homines facere?

℞ Non possunt facere opera servilia, nisi fuerint necessaria ad victum quotidianum; & possunt exercere artes liberales, ut studere, scribere, & psallere, & his similia. *l.* 1. *l. divus. ff. de ferijs, c. conquæstus, de ferijs. & ibi DD & dixi latè lib.* 3. *c.* 1.

7 Ad quem Judicem spectat cognoscere de observatione dierum festivorum?

℞ Ad Ecclesiasticum; quia dies festus est Deo sacratus.

8 Die Dominica, quid prohibetur hominibus facere?

℞ Mercari, litigare, judicare, vendere, & jurare. *c.* 1. *de ferijs.*

9 Est nè licitũ diebus festivis, studere vel cõsulere?

℞ Si intentio principalis sit lucrari nummos, vel ditari, non est licitum; si verò intentio principalis sit illuminare mentem, laborare ad regendam rempublicam, expedire negotium alicujus litigantis, & secundario ex tali studio sequatur lucrum, vel honor, est licitum, & meritorium. *Abb. concordans opiniones. DD. in c.* 1. *de ferijs nu.* 4.

10 In die festivo possunt nè milites exercere arma, & suum officium?

℞ Possunt, quia necessitas cogit. *c.* 1. *de tregua, & pace glos, in l. penultima. ff. de ferijs. l. omnes judices. C. eod. tit.*

11 Quibus causis potest Episcopus dare licentiam, ut diebus festivis seminetur, aretur, colligantur fructus terræ, domus ædificentur, & agricultura exerceatur?

℞ Propter aliquam necessitatem, ne res pereant, vel fructus terræ tempestatibus minuantur, ut si tempus seminandi labatur, si domus sit ædificata, & non coeperta, & timeatur de pluvia, & hæc omnia reliquuntur arbitrio judicis Ecclesiastici; *c. licet, de ferijs & Abb. ibi. nu.* 7.

12 Si sit aliqua opera pia, ut ædificium alicujus Ecclesiæ, vel monasterij potestne Judex dare licẽtiam ut in illa opera laboretur diebus festiuis?

℞ Affirmativè, quia sicut potest dare licentiam propter necessitatẽ, sic propter pietatem. *c. conquæstus de ferijs.*

# CAPUT XI.

## De Ordine cognitionum.

1 Quid eſt ordo cognitionum?

℞ Quædam regula, quæ judicibus datur, quo ordine debet cauſam cognoſcere,& determinare,

2 Si opponatur exceptio peremptoria, quando debet determinari?

℞ Ante cauſam principalem, & ſententiam diffinitivam, quia ſi exceptio peremptoria probetur, fruſtra agitur de cauſa principali commiſſa, cum ipſa eliciat intentionem actoris. *c. 1. de ordine cognitionum.*

3 Exceptio peremptoria, poteſtne opponi publicatis atteſtationibus,vel poſt ſententiam?

℞ Cum diſtinctione, ſi exceptio eſt compatibilis cum cauſa principali, ut ſi agatur de validitate matrimonij,& ſimul de conſangvinitate, tunc opponi poteſt publicatis atteſtationibus: ſi verò nō ſit compatibilis cum cauſa principali, non debet admitti,ne quis inſtruatur *Abb. c. 1. eod.tit.nu. 9.*

4 Expoliatio quomodo poteſt opponi?

℞ Dupliciter;ab actore petendo ſpoliationem; & à reo petendo quod actor ipſe eum ſpoliavit. *c. cum dilectus. eod. tit.*

5 Exceptio excommunicationis poteſtne fieri, & opponi poſt concluſionem?

℞ Poteſt, cum ſit impedimentum juris. *Abb. c. cum dilectus. nu. 16.*

6 Quæ eſt exceptio ſpoliationis,&quādo opponitur?

℞ Exceptio dilatoria, & opponitur ante litis conteſtationem. *Abb. c. 2. nu. 2. de ordine cognitionum.*

7 Judex teneturne ſtatim ad pronuntiationem incidentem, vel emergentem pronuntiare ſuper exceptione?

℞ Aliquando poterit reſervare pronuntiationem, uſque ad ſententiam deffinitivam,& ſimul utrūque determinare. *Ab. ubi ſup. nu. 11. c. 1.*

8 Si quis petat hæreditatem,& opponatur, illum eſſe illegitimum, quid debet determinari prius, articulus ſucceſſionis vel illegitimitatis?

℞ Articulus illegitimitatis, & coram Eccleſiaſtico: quia illegitimus eſt de jure excluſus, & ſic cauſa hæreditatis eſt finita. *c. tuam. eod. tit. de ordine cognitionum.*

9 Spoliatus cogitur nè reſpondere ſpoliatori ante reſtitutionem ſuam?

℞ Non; quia ſpoliatus ante omnia, eſt reſtituendus. *c. cum dilectus. eod. tit.*

10 Accuſatus poteſtne accuſare ſuum accuſatorem?

℞ Regulariter non, pendente ſua accuſatione. *Abb. capit. cum dilectus. eodem titulo, numero trigeſimoprimo.*

# CAPUT XII.

## De pluribus petitionibus.

1 Quid eſt plus petitio?

℞ Exactio plus, vel aliter, quam pactum fuit. *l. 1. C. de plus petit.*

2 Quibus modis petitur plus?

℞ Quatuor. *1mò,* quando petitur ante tempus ſtatutum. *2dò,* quando petitur major quantitas, *3tiò,* quando petitur in alio loco,quàm in eo, in quo eſt conſtitutum ſolvere. *4to,* quando petitur ob aliam cauſam magis neceſſariam, ut ſi debet peti via ordinaria, & petatur via executiva. *cap. de plus petitionibus.*

3 Qui plus petit,quàm pœnam incurrit?

℞ Condemnatur in expenſis, & intereſſe, & uſque realiter ſolutæ ſint, non tenetur reſpondere reus parti petenti. *c. 1. eod. tit.*

4 Quandò plus petens non punitur?

℞ *1mo,* quando actor convictus de majori quantitate ante ſententiam tranſigit cum reo de majori quantitate. *2do,* quando actor plus exigit, quam ſonat ſcriptura,ſed reus confitetur ſe totū illud debere. *3tio,* quando poſt litis conteſtationem ante ſententiam actor confitetur ſe plus petiiſſe, quia tunc ipſe ſe convincit,& non convincitur à reo. *4to,* quando actor (ſi ſibi debentur decem) facit, ut reus, faciat ſcripturam, quòd ipſe debet viginti,tunc licet petat viginti, non tenetur ad pænam, cum non petat doloſe, ſed de conſenſu rei ſolventis. *Abb. c. conſilium, eod. tit. num. 8.*

5 Quando plus petens tenetur ad ſolvendam pænam?

℞ Poſtquam fuerit convinctus,& per ſententiam codeemnatus à Judice. *Abb. c. conſilium, de plus petitionibus. num. 4.*

6 Si quis debent decem,& illi petantur viginti,poteritne abſolute negareſe nihil debere?

℞ Non;ſed in judicio debet confiteri decem,quæ debet, & negare non eſſe viginti, quia qui petit viginti,& totum petit,& partem, cum decem, in viginti includantur, tanquam pars in toto. *l. ſi quis cum totum. ff. de exceptione rei judicatæ.*

# CAPUT XIII.

## De Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.

1 Quæ dicitur cauſa poſſeſſionis?

℞ Illa,in qua agitur ſolùm de poſſeſſione ſuſpenſo judicio proprietatis. *c. 1. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis. & ibi gloſ.*

2 Quæ dicitur cauſa proprietatis?

℞ Quando ſuſpenſo judicio poſſeſſionis agitur immediatè de judicio proprietatis. *c. 1. eod. tit.*

3 Poſſeſſoriū poteſtne terminari ſine proprietate?

℞ Poteſt finiri prius cauſa poſſeſſionis; ſed cùm agitur de proprietate, ſimul tractantur. *capit. de ultimum. eodem titulo de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.*

4 Quando perditur, vel interrumpitur poſſeſſio?

℞ Quando quis excluditur à loco ubi talia exercentur; aut excluditur à capitulo,ubi fit electio. *Abb. in c.cum Eccleſia trina. eod. tit. num. 7.*

5 Poſſeſſio circa quas res verſatur?

℞ Circa res corporales, & incorporales & in utroq; acquiritur jus poſſidendi,ut circa domos, & agros, quæ ſunt jura corporalia, & circa jus præſentandi, & eligendi, quæ ſunt jura incorporalia. *Abb. ubi ſup. num. 25. in c. cum Eccleſia ſub trina,*

6 Possessio rerum incorporalium quomodo retinetur ?
℞ Animo. *Abb. ubi supra.*
7 Consvetudo, & possessio ex quibus actibus inducitur ?
℞ Ex tribus actibus, cum scientia, & patientia partis contrariæ. *Abb. ubi sup num.* 41.
8 Ad præscribendum rem Ecclesiasticam quid requiritur ?
℞ Bona fides, & titulus, quia est contra Jus. *Abb. ubi sup. num.* 31. & 43.
9 In libello debet ne exprimi actio possessionis, vel proprietatis, quam quis vult intentare ?
℞ Debet necessariò exprimi, & si libellus sit generalis, & ex eo non appareat actio, quæ intentatur, Judex ex suo officio debet interrogare partē, & declarare actionem, ut tollatur dubitatio. *Abb. in c. pastoralis, num.* 3. *eod. tit.*
10 Consvetudo unde dicitur ?
℞ Ex usu, & ad eam inducendam non requiritur causa, & titulus, quia loco ipsorum est usus continuatus à majori parte populi vel communitatis sine ulla contradictione. *Abb. in c. cum Ecclesia sub trina. num.* 45. *eod. tit.*
11 In quo differunt judicium possessionis, & proprietatis ?
℞ In eo, quòd possessio habetur pro usufructu, & possessione rerum, proprietas verò habetur pro dominio directo, & sic qui vincit proprietatem, vincit possessionem, & fructum rei, cum de Jure debeatur domino: *Abb. c.* 1. *eod. tit. num.* 2.
12 Coram quo Judice debet litigari judicium possessionis ?
℞ Coram eodem Judice, coram quo debet litigari judicium proprietatis, quia in eadem re sunt diversa judicia ad eundem finem tendentia. *c.* 1. *eod. tit.*
13 Citatio de quo Jure est ?
℞ De jure divino, & naturali, quia est defensio licita. *Abb. in cap.* 1. *de causæ possessionis, & proprietatis. num.* 5.
14 Judex datus in proprietate potestne esse Judex in possessorio ?
℞ Potest; quia possessio intrinsecus inest proprietati. *Abb. in c. pastoralis. eod. tit. num.* 10.
15 Interdictum unde vi pro quibus rebus datur ?
℞ Pro mobilibus, & immobilibus vi ablatis: & dicitur unde vi: quia per hoc interdictum vis tollitur. *l.* 1. *§ illud utique ff. de vi, & vi armata, & instit. vi bonorum raptor. in princ.*
16 Judex, qui sententiavit super proprietate, potest ne sententiare super possessione ?
℞ Non, quia petitorium absolvit possessorium, & sic functus est officio suo, sed non è contra; imò Judex, qui sententiavit super possessorio, potest sententiare super proprietate. *Abb. in c.* 1. *de sequestr. possess. & fructuum, n.* 12.
17 Interdictum, uti possidetis, pro quibus rebus datur
℞ Pro rebus immobilibus, vel pro juribus, & consvetudinibus sedendi in locis, vel aliquid faciendi, in quibus aliquis molestatur, & datur hoc interdictum, ut quis possideat, veluti ante molestationem possidebat. *c. licet de probationibus. Institut. de interdictis.* § *retinendæ.*
18 Si libellus contineat petitionem possessionis, poterit ne Judex sententiare in articulo proprietatis ?
℞ Non, quia judicat ultra petita. *Abb. in c. pastoralis. de causa possessionis, & proprietatis, n.* 11.
19 Quando agitur simul de petitorio, & possessorio, debet ne una sententia terminari ?
℞ Affirmativè; sed in executione sententiæ priùs debet exequi sententia proprietatis, quàm sententia possessionis, tanquam magis digna. *Abb. c. cum dilectus, de causa poss. & proprietatis, n.* 12.
20 Qui agit de Judicio proprietatis potestne postea agere de judicio possessionis ?
℞ Affirmativè, quia in judicio proprietatis tacitè inest judicium possessionis. *c. ad ultimum. eod. tit.*
21 Si quis simul agit de judicio petitorio, & possessorio, & probet possessionem, & non proprietatem, Judex in isto casu quam sententiam debet proferre ?
℞ Debet illi dare possessionem, quia probavit, & confestim auferre ab eo proprietatem, quia succubuit, & non probavit, & simul cum ea possessionem; cum judicium proprietatis utrumque absolvit. *c. cum Eccl. eod. tit.*
22 Si quis intentet judicium possessionis, & reus opponat judicium proprietatis, estne audiendus?
℞ Regulariter non; quia prius debet definiri causa adipiscendæ vel recuperandæ possessionis, & postea agi potest de proprietate *Abb. in c. ad ultimum. nu.* 4. *eod. titulo.*
23 Parte non citata potest ne aliqua causa determinari?
℞ Non, cum lex dicat, nec nos inauditis partibus possumus aliquid determinare *Abb. in c.* 1. *eod. tit. num.* 5.
24 Actore non probante absolviturne reus ?
℞ Affirmativè, & remanet cum sua proprietate. *c. cum Ecclesia, de causa proprietatis, l. qui accusare. C. de edendo.*
25 Canonicus ad electionem admissus à minore parte Capituli acquirit ne Jus, & possessionem eligendi ?
℞ Non nisi admittatur à majori parte: tunc enim acquirit Jus, cum justè admittitur. *Abb. in c. cum Ecclesia. num.* 35. *eod. tit.*
26 Si unus sit in possessione eligendi, & alius habeat proprietatem, & non possessionem, & uterque eligat, quam electionem debet Judex confirmare?
℞ Si ille, qui est in possessione, habet bonam fidē, confirmari debet electio facta ab eo, qui est in possessione, quia ille, qui habet proprietatem, non potest sua auctoritate privare eum, qui habet possessionem à sua possessione, sed id debet facere auctoritate Judicis, suam proprietatem apud illum proponendo, & citando eum, qui habet possessionem. *Abb. in c. cum Ecclesia. eod. tit. num.* 53. *Innoc. in c. cum dilectus. eod. tit.*
27 Si quis petat aliquam rem ex una causa, & succumbat, poterit ne audiri ex alia causa ?
℞ Poterit, quia sententia lata ex una causa non præjudicat, quin iterum ex alia causa talis, qui succubuit,

succubuit, possit audiri. *c. ult. eod. tit de causa poss. & proprietatis.*

28 Si quis fuit electus, confirmatus, & spoliatus, debet ne restitui?

℞ Si electio facta in eum, fuit bona, debet restitui; si electio fuit nulla, non debet, quia confirmatio cadit supra electionem, quæ si nulla fuit à principio, nec confirmatio valuit. *Abb. in cap. cum super, num 5. eod. tit.*

29 Gesta ab invalidè electo tenent ne?

℞ Tenent ratione publici officij; quia error communis Jus facit. *Abb. in c. cum super, num. 6 eod. tit. l. Barbarius Philippus. ff. de officio Pratoris. quam citat Abb. proximè cit.*

30 Si reus confiteatur rem non esse suam, & actor non probet esse suam, quid agendum?

℞ Reus absolvitur, & res (supra quam est controversia) non datur actori, quia non probavit, sed proprio domino. *Abb. ubi sup. no 9.*

31 Si quis agit de possessione, potestne in discursu litis agere de proprietate?

℞ Potest in quocunque statu litis, relicto judicio possessionis, dummodo nihil sit conclusum in causa; quia si conclusum fuerit, necessariò sententia ferenda est de possessione. *c. pastoralis. de causa possessionis, & proprietatis.*

32 Si quis agit de petitorio, & succumbit, poterit ne agere de possessorio?

℞ Post sententiam in petitorio non debet talis audiri in possessorio; quia petitorium inducit in possessorium. *Abb. c. pastoralis. no 24. eod. tit.*

## CAPUT XIV.

## De Restitutione spoliatorum.

1 Quid est restitutio?

℞ Est prioris status, vel juris integratio, videlicet reducere causam in priorem statum, in quo erat ante læsionem. *c. 1. de restit. in integrum.*

2 Quotuplex est restitutio in integrum?

℞ Duplex, alia summaria sine causæ cognitione, vel cum aliqua causæ cognitione; altera plenaria factis probationibus, & finita lite, quæ vocatur restitutio in integrum.

3 Quibus datur restitutio?

℞ Minoribus, qui nondum vigesimum quintum annum attigerint, & Ecclesijs, & communitatibus, quæ ut minores censentur. *c. 1. eod. tit. de restit. in integr. & ibi glos.*

4 Quando est restituendum spoliato?

℞ Statim ante omnia facta; tamen posita probatione spoliationis, ne Judex decipiatur. *Abbas c. solicitè, de rest. spoliat. num 5.*

5 Quibus competit hæc restitutio?

℞ Tam majoribus, quàm minoribus. *c. 1. & 4. de. restit. integr. & ff. eod. tit. per totum.*

6 Si quis petat restitutionem, & opponatur illi, quod renuntiavit beneficio restitutionis, quid agendum?

℞ Debet restitui non obstante oppositione renuntiationis, quæ dilatoria esse videtur, cum nemo censeatur renuntiare juri suo. *Abb. cap. solicitè de restit. spol. num. 1.*

7 Violentus spoliator quam pœnam incurrit?

℞ Restituit rem cum fructibus, quos percepit, vel quos potuit facere, condemnatur in expensis, *Abb. in cap. olim, il secundo, num. 3. de restitut. spoliat. & c. 1. eod. tit.*

8 Si quis accepit possessionem sua auctoritate, ignorante domino, qui possidebat, poterit ne per ipsum dominum repelli à possessione sine mandato Judicis?

℞ Poterit à domino primo vi repelli, & tali repulso non competit interdictum de possidendo: quia vim vi repellere licet, tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ. *c. olim. il 1. de restit. spoliatorum.*

9 Si quis non spoliavit, neque spoliare mandavit, neq; ratam habuit spoliationem, & tamen possidet rem, poteritne contra eum agi interdicto; unde vi; si alius fecit spoliationem?

℞ Non, sed res debet peti ab eo, judicio ordinario petendo possessionem, vel proprietatem. *capit. cum ad sedem. eodem titulo, de restitutione spoliatorum.*

10 Si quis recipiat à spoliatore rem spoliatam ad quid tenetur?

℞ Si sciat rem esse invasam, tenetur eam restituere ex interdicto, unde vi; si verò nesciat esse invasam, debet ab eo peti judicio ordinario, quia fraus, & dolus nemini opitulatur. *c. sæpe, eod. tit.*

11 Spoliatus contra quem potest agere contra spoliantem, vel contra primum, & tertium dessidentē?

℞ Contra utrumq; & electio non illi præjudicat, nec si agat contra unum, non ob id perdit actionem agendi contra alium. *Abb. c. sæpe. num. 21. eod. tit.*

12 Si quis ad restituendum condemnetur, & ipse opponat paupertatem, quid agendum?

℞ Si probet non habere unde restituat, obligatur ad restituendum, quando evenerit in commodiori fortuna; quia inopia impedit executionem Sententiæ, cum nemo ad impossibile obligetur. *c. olim. il 2. eodem tit.*

13 Petitorium, & possessorium si à diversis petantur, quod debet prius finiri?

℞ Possessorium, & spoliatus restituitur in pristinum, licet judicium proprietatis absorbeat judicium possessorium. *c. ex conquestione eodem tit. & Abb. ibi numero 1.*

14 Si quis petat restitutionem, & reus opponat de proprietate, est ne audiendus?

℞ Non, nisi actor consentiat, quia de jure, prius debet terminari causa restitutionis, & actor poterit renuntiare juri suo. *c. 1. eod. tit.*

15 Si quis faciat pactum de non agendo de possessorio, & postea agat, obstabit ne ei pactum?

℞ Si factum fuit post spoliationem factam; obstabit ei, si verò fuit factum ante spoliationem, non obstabit; quia daretur materia delinquendi, & dolus futurus remitti non potest. *l. si unus. ff. de pactis, § pacta c. quemadmodum, de jurejurando, Innocent. c. super hoc de renuntiationibus, glos. c. ex insinuatione de procuratoribus, quæ jura allegat Abb. in c. sollicite, de restitutione spoliatorum, num. 16.*

16 Quis propriè dicitur spoliatus?

℞ Ille, qui ipso nesciente, vel vidente, & contradicente,

tradicente, ab ipso vi aufertur aliqua res, vel Jus ei tollitur.

17 Si quis velit probare non fecisse spolium, debet ne audiri ante restitutionem?

℟ Debet, quia si non fuit spolium, non est danda restitutio. *c. accepta, de rest. spol. & ibi glos.*

18 Si in spoliatione alicujus, ordo juris fuit servatus, debet ne servari in restitutione?

℟ Affirmative, nam res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. *Abb. c. conquerente num. 1. eodem titu.*

19 In omnibus restitutionibus faciendis; Judex debetne servare juris ordinem?

℟ Licet omninò non debeat servari ordo juris, tamen ante restitutionem prius probari debet juridicè spoliatio. *cap. conquerente, de restitutione spoliator.*

20 Si quis petat restitutionem beneficij, & opponatur illi, quod non fuit Canonicè institutus, obstabit ne hoc ad articulū restitutionis finiendū?

℟ Non, quia quæstio spoliationis finienda est ante quæstionem proprietatis. *cap. in litteris, eodem tit. & ibi Abb. num. 1.*

21 Si quis petat restitutionem, & opponatur illi aliquod magnum crimen ab eo, à quo petit restitutionem, obstabitne illi?

℟ Non, sed primò debet restitui, quia præsumitur crimen oppositum ab inimico, ut impediat restitutionem, cum inimicitia oriatur inter spoliantem, & spoliatum. *c. item eod. tit. & ibi Abb. num. 1. & 2.*

22 Quando exceptio criminis impedit actionem petendi restitutionem?

℟ Cum distinctione; si crimen inhabilitat personā ad agendum (ut objectio excommunicationis) tunc impedit actionem petendi restitutionem; si verò crimen non inhabilitat personam ad agendum, tunc non impedit. *Abb. c. item, eod. tit. n. 9.*

23 Possessor bonæ fidei debet-ne restituere cum fructibus, vel sine fructibus?

℟ Si habeat bonam fidem ex aliquo titulo etiam colorato, vel sit successor alterius, debet restituere rem sine fructibus; quia per bonam fidē eos facit suos: sed à die, in quo positus est in mala fide per litis contestationem, tenetur restituere rem, & fructus. *Abb. c. gravis. de rest. spol. num. 6. & 7.*

24 Si quis sit possessor malæ fidei, & postea habet bonam fidem, teneturne restituere rem cum fructibus?

℟ Non, nec fructus perceptos tempore bonæ fidei, ut si quis habeat agrum cum mala fide, & hæres ejus interim cum bona fide, hæres non tenetur restituere fructus, quos in illa bona fide percepit. *Abb. c. gravis num. 10. eod. tit.*

25 Si quis Prælatus possidet agrum mala fide, & successor in prælatia habeat bonam fidem, poterit ne præscribere?

℟ Poterit, quia non fuit successor malæ fidei, sed prælatiæ, & illius rei. *Abb. ubi sup. num. 10.*

26 Latro, vel Prædo quomodo potest petere restitutionem rei furtivæ, cum sua non sit?

℟ Licet res furata sua non sit, tamen habet possessionem ejus rei, & potest petere restitutionem possessionis à spoliante, nisi spolians sit dominus rei, tunc enim spolians non dicitur spoliare aliū, sed recuperare propriam rem, quam amisit. *Abb. c. in literis, eod. tit. num. 9.*

---

# CAPUT XV.

## De dolo, & contumacia, &c.

1 Quis dicitur contumax?

℟ Ille, qui legitimè citatus intra terminum sibi præfixum non comparet coram Judice, vel legitimè non se excusat. *l. contumacia, ff. de re judicata c. cum dilecti eod. tit.*

2 Unde dicitur contumax?

℟ A contemnendo, quia ex contemptu non comparet in judicio. *Isidor. in Ethimolog.*

3 Quotuplex est contumacia?

℟ Duplex: vera, cum quis respondet se nolle comparere coram Judice; ficta, cum quis latitat, vel citatus nihil respondet, & etiam non comparet, *glos. in clem. unica, de dolo, & contumac.*

4 Judex si procedat contra aliquem sine indicijs, vel sine infamia, si postea absolvat eum, ad quid tenetur?

℟ Ad solvendas expensas tali prosecuto, quia contra jus fuit talis prosecutus. *Abb. in c. cum dilecti filij, de dolo, & cont. num. 17.*

5 Contumacia in quibus casibus committitur?

℟ In pluribus. 1mò, in non veniendo. 2dò, in non respondendo. 3tiò, in latendo 4tò, in fugiendo 5tò, in procurando vi, vel fraude ne veniat citatio. 6tò, in non restituendo. 7mo, in non emendando delicto postquam est monitus. 8vo, in non exhibendo processum, vel scripturam. *Groff. in sum. § excommunicatio, de sententia excommunicationis.*

6 Qui comparet, & discedit sine licentia, dicitur ne contumax?

℟ Affirmative; quia idem damnum facit, ac si non comparuisset *Abb. in cap. prout, de dolo, & contumac. num. 2,*

7 Semel contumax quam cautionem debet præstare?

℟ Sufficientem secundum litis qualitatem, *Abb. ubi supra num. 10.*

8 Dolus potestne esse sine culpa?

℟ Non, sed potest esse cum lata culpa, ut quando studiosè machinatur aliquem decipere, & potest esse cum culpa levi, quæ dicitur negligentia, propter quam alteri fecit damnum, & postea esse cum levissima culpa, ut quando potuit providere, & non providit casum venturum. *Hostiens. in summ. de dolo, & contumacia.*

9 Quis dicitur dolosus?

℟ Ille, qui per fraudem fugit judicium, vel in lite facit dolum ad pervertendam, vel dilatandam justitiam

10 Quotuplex est dolus?

℟ Duplex malus, & bonus: malus est calliditas, fallacia, aut machinatio ad fallendum alterum: bonus est quædam astutia vel calliditas ab bonū finem, puta contra latronem, vel hostem publicum, vel

cùm, vel ad aperiendam veritatem, ut Salamon fecit cum voluit dividere infantem. *Hoſtiens. in ſum. eodem. tit. l. 1. ff. de dolo malo. c. afferte mihi gladium, de præſumptionibus. c. utilem 22. q. 2. & c. de dolo malo, ibi in principio tituli.*

11 Quis debet probare dolum?

℞ Ille qui opponit. *l. quoties. ff. de probationibus. & Abb. in c. adverſario, de exceptionib. num. 8.*

12 Quis dicitur doli capax?

℞ Proximus pubertati, ut vir cum habet undecim annos, & dimidium. *l. Pupillum. ff. de reg. jur. c. omnes utriuſq; ſexus, de pænit. & remiſſ.*

13 Dolus quomodo probatur?

℞ Ex conjecturis, ex verbis, & actionibus. *Abb. c. adverſario de exceptionibus, num. 8.*

14 Dolus, & fraus debetne alicui prodeſſe?

℞ Non, imò obeſſe. *capit. ex literis. de dolo, & contum.*

15 Ad citationem faciendam requiriturne neceſſariò, ut quis ſit ſcriba?

℞ Non, ſed poteſt Judex dare authoritatem privatæ perſonæ, & etiam ipſi parti contrariæ, ut faciat citationem, & talis à Judice ſic habilitatus poteſt facere citationem; ratio eſt, quia citatio nō eſt publica ſcriptura, quæ neceſſariò debet fieri à Notario, vel ſcriba approbato, ſed talis citatio, eſt melius, ut fiat à Notario. *Abb. in c. cum dilecti, eod. tit. nu. 6.*

16 Citatio arctata & impoſſibilis ligat ne citatum, ut faciat contumaciam?

℞ Non, puta ſi quis diſtat per triginta leucas, & citetur comparere intra duos dies, ſi non comparet non eſt contumax, neq; condemnatur, quia ad impoſſibile nemo obligatur. *Abb. in c. cum dilecti filij, de dolo, & contum. num. 20.*

17 Caſus fortuitus quid eſt?

℞ Ille, quē non eſt in manu hominis prævidere, ut pluvia repentina, tempeſtas maris, & latronum incurſus *l. quæ fortuitis. C. d. pignoratitia actione*

18 Citatio ſufficit ne fieri in domo?

℞ Si non appareat ille, qui citatur, ſufficit, & talis erit verè contumax. *c. cauſam, de dolo, & contum. & ibi gloſ.*

19 Quando dicitur aliquis non poſſe reperiri perſonaliter ad effectum citandi?

℞ Quando eſt extra provinciam, vel ſe aliò confert, & occultat, tunc ſi de hoc conſtat, poteſt citari in domo. *Abb. in c. cauſam de dolo, & contumacia. num. 5. & 6.*

20 Requiritur ne ad citationem peremptoriam, ut in ea fiat diviſio trium terminorum?

℞ Non ſufficit, ut dicat te peremptoriè citamus uſque ad diffinitivam incluſivè. *Abb. in c. cum dilecti. num. 5. eodem tit.*

21 Si quis non inveniatur in ſua domo, ubi debet citari?

℞ In Eccleſia debent figi tres citationes, & ultima peremptoria, & poſtea procedi in cauſam. *cap. ult. eodem. tit.*

22 Reus, qui non comparet, vel non obedit mandato judicij, intra quod tempus auditur?

℞ Intra annum cautione de ſtando juri, quæ cautio datur ad evitandum, ne iterum ſit contumax. *Abb. c. 1. eodem tit. num. 1.*

23 Si contumax probaverit iſtud impedimentum, debet ne condemnari in expenſis?

℞ Non, quia impedito juſtè non currit præſcriptio, nec pœna. *Abb in c. querelam, de procuratoribus, num. 3. c. cum dilecti filij, eod. tit.*

24 Citatus impeditus quid tenetur facere, ut ſe excuſet à pœna?

℞ Docere Judicem per nuntium juſtum impedimentum, faciendo informationem, vel teſtimonium medicorum. *Abb. ubi ſup. num. 4.*

25 Quod erit juſtum impedimentum ad non comparendum coram Judice, ſi quis legitimè citetur?

℞ Infirmitas gravis, pluvia magna, fluminis impetus, bellum, periculum latronum, & omnis cauſa, quæ de ſua natura poteſt periculum, *de Procuratoribus. num. 5.*

26 Impeditus quando tenetur comparere per ſe, vel per procuratorem?

℞ Tàm actor, quàm reus, tàm in cauſa ardua, quàm in levi, tàm in impedimento longo, quàm brevi, tàm in juſto impedimento, quàm in injuſto tenetur intra terminum ſibi aſſignatum Procuratorem inſtituere. *Abb. in cap. cum dilecti filij. num. 13. de dolo, & contumac.*

27 Si quis non inveniat procuratorem, vel nolit acceptare ejus mandatum, & ipſe ſit impeditus, in iſto caſu erit ne contumax?

℞ Non; & Judex tenebitur illi dare procuratorem ex ſuo officio, & ſupplere ejus neceſſitatem; *inſt, de mandato. §. rectè. & Abb. in c. cum dilecti. de dolo, & contum. num. 14.*

28 Si quis citetur, & mandet excuſatorem docentem de ſuo impedimento, habebitur ne, ut contumax?

℞ Affirmativè, quia ſicut mandavit excuſatorem, potuit mandare procuratorem ad ſe defendendum, & ideò condemnatur in expenſis, quia non mandavit perſonam utilem. *Abb. in c. ult. de dolo, & contum. nu. 8. & c. querelam num. 4. de procurat.*

29 Ubi jus actoris factum eſt deterius per contumaciam rei, debet ne pœna exigi à reo contumace?

℞ De Jure Canonico non, ſi intra annum compareat, & ſtet juri, *cap. 1. de dolo, & contumacia, & ibi Abb. num. 1.*

30 Quæ ſunt pœnæ, quæ imponuntur contumacibus à Jure?

℞ Aliquando mulctantur pecunia; aliquando pignus ab eo capitur, aliquando incarcerantur, & excommunicantur, tandem pœnæ relinquuntur arbitrio Judicis. *gloſſ. 1. in cap. 1. eodem tit. in verbo, multoties.*

31 Partes tenenturne habere procuratorem?

℞ Si abſint à loco litis, tenentur relinquere eum, aliàs erunt contumaces *Abb. in c. cauſam, de dolo, & contumac. num. 2.*

32 In criminalibus admittitur ne procurator?

℞ Non, quando eſt imponenda pœna corporis, & ſi reus mittat procuratorem, habetur pro contumace. *Abb. c. veritatis. eod. tit. num. 10.*

33 Poteſtne res, de qua litigatur, ſequeſtrari propter ſolam contumaciam?

℞ Affirma-

℞ Affirmativè, & reus condemnari in expensis ab actore legitimè factis. *cap. ex literis eodem tit. & Abb. ibi num. 1.*

34 Expensæ sunt ne taxandæ à tempore citationis, vel à tempore contumaciæ?

℞ Expensæ processales à tempore citationis; personales verò à tempore contumaciæ, detrahendo expensas, quas talis debebat domui suæ facere; ratio est, quia actor tunc incipit expectare, quando reus incipit esse contumax. *Abb. in c. cum dilect., de dolo, & contum. num. ult.*

35 Condemnatus in expensis generaliter, de quibus expensis intelligitur?

℞ De expensis necessarijs, moderatis, & utilibus, & taxantur arbitrio judicis secundum causæ qualitatem. *gl. in c. finem, in verbo expensas, de dolo, & contum. & Abb. ibi num. 28.*

36 Condénatio de expensis fit ne in criminalibus?

℞ Affirmativè, si sit contumacia in comparendo. *Abb. in c. finem, eod. tit. num. 24.*

37 Sententia lata in beneficiali contra contumacem transit ne in rem judicatam?

℞ Non, quia contumax est indefensus; & sic comparendo, & moram purgando, debet audiri. *Abb. c. cum olim. de dolo, & contu, num. 1.*

38 Actore contumace possunt ne recipi testes, & ferri sententia?

℞ Affirmativè, etiam lite non contestata, ad petitionem tamen rei. *c. causam, de dolo, & contum.*

39 Qui non potest solvere expensas propter paupertatem, qua pæna debet puniri?

℞ Pæna corporis arbitrio Judicis imponenda. *c finem. eod. tit.*

40 Est ne citandus contumax ad condemnationē expensarum?

℞ Non. *Abb. in cap. finem, de dolo & contum. n. 17*

41 Sub condemnatione generali expensarum intelliguntur ne expensæ personales factæ à parte contraria, ut victus, & vestitus, vel damna passa ab actore ratione contumaciæ rei?

℞ Nisi in tali condemnatione Judex expresse dicat, quòd condemnat contumacem in expensis processalibus, personalibus, & in damnis à parte passis?

42 Quando Judex debet concedere unam citationem peremptoriam, & non tres?

℞ Quando citandus est de longinquo, & in citatione facienda debent fieri magnæ expensæ. *Abb. c. cum dilecti, eod. tit. num. 5.*

43 Si actor fundavit actionem suam, & reus tunc opponat exceptionem peremptoriam, vel dilatoriam, si eam in continenti non probet, qua pæna punitur?

℞ Condemnatur in expensis, non expectata diffinitiva sententia. *c. finem litibus. de dolo, & contum. & Abb. ibi num. 10.*

44 Si procedatur per viam inquisitionis contra contumacem, sententia potest ne ferri lite non contestata?

℞ Affirmativè non solum sententia, sed etiam executio sententiæ potest fieri, & privatio beneficij, quia hoc fit in pœnam contumaciæ. *c. veritatis. de dolo, & contum.*

45 In qua causa Judex potestne committere citationem ex officio suo?

℞ Solùm in causa criminali, sed non in civili ratio est, quia in civili debet fieri solùm ad instantiam partis, cujus interest, & Judex non debet sumere officium partis, ne det occasionem recusationi. *tenet Abbas in c veritatis isto tit. num. 5.*

46 Judex potestne reservare sibi condemnationē expensarum, sicut taxationem?

℞ Potest; ratio est, quia utrumque cadit sub potestate Judicis; ut habetur in *l. assi. ff. de hæredibus instituendis, quam allegat* Abb. *in c. 1. num. 22. de sequestr. possess. & fruct.*

47 Confessio, & contumacia Prælati, & capituli nocet ne Ecclesiæ?

℞ Affirmativè, quamvis Ecclesiæ competit remedium restitutionis. *Abb. in c. 1. de dolo, & contumacia, num. ult.*

## CAPUT XVI.

### De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.

1 Quid est possessio?

℞ Corporalis detentio corporis, & animi juris adminiculo concurrente, *Azo. C. de acquirenda; & retinenda possessione, Hostiens. in sum. de causa possessionis num. 1.*

2 Quotuplex est possessio?

℞ Triplex; alia juris tantùm, alia facti tantùm, alia juris, & facti simul. c. cum nostris, de concessione præbendæ. *l. 1. C de acquirenda possess. & ibi gl.*

3 Judicium possessionis quotuplex est?

℞ Triplex 1mò, pro possessione adipiscendæ. 2dò, pro possessione retinendæ. 3tiò, pro possessione recuperandæ. *c pastoralis. de causa possess. & propr. & inst. de interdict § sequens.*

4 Quando dicitur quis possidere naturaliter?

℞ Quando est ipse homo in re, vel in parte ejus, vel videt rem, *Azo. in sum. C. de acquirenda, & retinenda possess.*

5 Quando dicitur quis possidere civiliter?

℞ Quando non est in re, neque in parte rei neque videt rem. *Azo ubi sup.*

6 Quando dicitur quis possidere clàm?

℞ Quando possidet occultè absente domino.

7 Quando dicitur quis possidere vi?

℞ Quando violenter, vi armorum quis contra voluntatem alterius possidet.

8 Quando dicitur quis possidere causa rei servandæ?

℞ Quando contendisti talem fundum esse tuum, & probasti, & Judex per executorem suum mittit te in possessionem, & facit verum possessorem *l. prætoris. ff. de dam. infect. & cap. 1. de eo, qui mittitur in possession.*

9 Primum, & secundum decretum in causa possessionis quid sunt?

℞ Sententiæ interlocutoriæ, quæ revocari possunt ex causa. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 10.*

10 Ad interponendum primum decretum sufficit ne contumacia?

℞ Non; sed requiritur trina citatio cum contumacia. *Abb. c. fin. eod. tit. num. 11.*

 11 Sufficit

11 Sufficit ne citatio in domo ad procedendum ad ſententiam diffinitivam ?

℞ Si talis non malitiosè abſit à domo, non valet ad ſententiam diffinitivam, neque ad venditionem bonorum faciendam, neq; ad excommunicationem, ad tollendam poſſeſſionem; quia in his requiritur vera contumacia. *Abb. ubi ſup. num.* 14.

12 Si quis ſit abſens, & non relinquat procuratorem, poterit quis contra illum procedere tanquã contra contumacem ?

℞ Poterit quia quilibet tenetur dare procuratorem, qui illum defendat, aliàs procedetur contra ipſum, cum præſumatur, quòd ex dolo hoc faciat. *cap. fin. eod. tit. de eo, qui mittitur in poſſeſſionem.*

13 Si quis ſit contumax per annum, & ob contumaciam amittat poſſeſſionem, poteritne tranſacto anno illam recuperare ?

℞ Non, quia in tempore vnius anni alter efficitur verus poſſeſſor. *c. 1. de eo, qui mittitur in poſſ. & c.*

14 Si quis obtulit cautionem judicibus, vel alteri eorum intra annũ, poteritne recuperare ſuam poſſeſſionem ?

℞ Poterit, cum non ſtet per ipſum quo minus det cautionem, cum non poſſit habere copiam judicis. *c. cum ſit. eod. tit,*

15 Si quis paſſus ſit expulſionem à ſua poſſeſſione, & allegat ſe contumacem non fuiſſe, debet ne audiri ?

℞ Debet, & etiam reſtitui in priſtinum ſtatum, data cautione de principali, & expenſis. *cap. cum veniſſent, eod. tit.*

16 Si per ſententiam judicis ex primo decreto juſtum fuerit, ut quis in poſſeſſionem reducatur, & reus non dedit illi talem poſſeſſionem; finito anno habebiturne iſte pro vero poſſeſſore ?

℞ Dixi. *lib. 8. cap. 29. de ſententia, & re judicata, numero* 39.

## C A T P U XVII.

## Ut lite pendente nihil innovetur.

1 Quando dicitur lis pendere ſuper aliqua re ?

℞ Eo tempore, quando lis non eſt ſententiata. *Clem. 2. ut lite pendente & ibi gloſ. Hoſt. eod. tit. num. 1. ſumma.*

2 Lite pendente debetne auferri alicui poſſeſſio ?

℞ Non, *c. 1. ut lite pend. & ibi gloſ.*

3 Si lite pendente quis obtineat privilegium à Principe contra poſſeſſorem, debet ne executioni mandari ?

℞ Non, quia tale privilegium cenſetur ſubreptitium. *c. 2. ut lite pend. &c. & ibi Abb. num.* 1.

4 Si quis acquirat privilegium à Principe lite pendente, debet ne ſententiari lis ſecundum tale privilegium ?

℞ Non, niſi privilegium faciat mentionem de litis pendentia. *c. final. eodem tit.*

5 Cauſa ſententiata, appellatione pendente, debet ne aliquid innovari ?

℞ Non, neque contra tempus conceſſum ad appellandum aliquid debet innovari, quia illa ſententia poterit revocari. *Abb. cap. lauaabilem eodem tit. numero* 6.

6 Accuſatus de adulterio ad ſeparationem tantum thori, debet ne lite pendente ſeparari ?

℞ Non, quia non debet privari ſua poſſeſſione, pendente lite. *Abb. c. lauaabilem. ubi ſup. num.* 1.

7 Quam pœnam incurret, qui vendit, & emit rem litigioſam ?

℞ Si ignorantia eos non excuſet, ſed ſcientes emptor, & venditor rem eſſe litigioſam vendat, emptor perdit pretium; venditor verò perdit tantam quantitatem, quanti valebat res litigioſa, & hæc pœna applicatur fiſco, contractus reſcinditur, & res litigioſa exiſtit in litigio, ſicut prius. *l. cenſemus. C. de ligitioſis. Abb. in cap. Eccleſia. ut lite pend. n.* 9.

8 Conſors litis poteſt nè admitti lite pendente ?

℞ Conſors litis poteſt admitti pendente lite poſt conteſtationam litis, & in quocunq; ſtatu litis, & ingreditur de jure tertij, ſed cæteræ partes gaudent terminis conceſſis tertio oppoſitori. *tenet Abb. in c. cum dilecti, de dolo, & contumacia num.* 9.

## C A P U T XVIII.

## De Sequeſtratione poſſeſſionis, & fructuum.

1 Quid eſt ſequeſtraxio ?

℞ Separatio rei, de qua agitur, ut ſit in cuſtodia, & detur obtinenti victoriam. *gloſ. in l. unica, verb. ſequeſtrationis, C. de prohib. ſequeſtr. pecun.*

2 Poſſeſſio rei ſequeſtratæ penes quem ſtat ?

℞ Eſt depoſitata penes ſequeſtrum, ut detur cum fructibus parti, ex juſtitia obtinenti victoriam *Abb. in c. 2. de ſequeſtr. poſſ & fruct. num.* 11.

3 Quotuplex eſt ſequeſtratio ?

℞ Duplex alia poſſeſſionis, alia fructuum.

4 Si quis mittatur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, & diſſipat fructus, quid faciendum ?

℞ Sequeſtrantur fructus. *cap. dilectus, de ſequeſtr. poſſ & fruct.*

5 Qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, facit ne fructus ſuos ?

℞ Intra annum, non, quia ſi intra annum adverſarius recuperat poſſeſſionem, debent illi reſtitui; at verò tranſacto anno facit fructus ſuos. *gl. in c. dilectus. de ſequeſtr. poſſ & fructuum.*

6 Quando dicitur quis dilapidare fructus ?

℞ Quando diſſipat, & publicè depopulatur, non verò quando poſſeſſor utitur fructibus, ſicut prius utebatur. *Cardin. c. fin. de ſequeſtr. poſſ. & fructuum, quem refert. Abb. eod. c. fi. de ſequeſtr. num.* 8.

7 Quibus cauſis fit ſequeſtratio ?

℞ 1*ma* voluntate partium, ut lite finita detur obtinenti victoriam. 2*da* ex neceſſitate, ne perſona, quæ habet rem mobilem, vel fructus, vel pecunias, fugiat 3*tia* ne fructus depopulentur, vel res immobilis pereat. 4*ta* propter contumaciam alicujus partis. 5*ta* cum ſervus proclamat libertatem talis deſpoſitatur. 6*ta* cum appellatur ab executore, res depoſitatur. 7*ma* cum uxor timet de ſævita viri, ut caveatur, & conſulatur vitæ ejus. 8*va* ne perdatur commoditas, vel beneficium vendendi, res depoſitatur. *Greffr. in ſum. de ſequeſtr. Clem. unica, eod. tit. Abb. in c. 2. eod. tit. nu. 7. & 16. Hoſt. in ſum. eod. tit. num. 4. allegans plura iura.*

8 Pendente

8 Pendente lite datur nè sequestratio?

℞ Regulariter est prohibita; quia lite pendente debet pro possessore præsumi, & non prohibendum est possessori, ne re sua utatur. *c. ex literis, de probation. Ab. c. dilectus de sequestr. poss. & fructuum, nu. 16.*

9 Quo tempore potest peti sequestratio?

℞ Triplici. 1mò, pendente negotio principali ante sententiam. 2dò, post sententiam pendente appellatione. 3tiò, quando sententia transiuit in rem judicatam. *Abbas numero 16 in capit. dilectus isto titulo.*

10 Quando datur sequestrum?

℞ Quando timetur, ne qui habet rem, eam depopulet, vel postea non sit, unde solvat. *gl. in c. 2. de sequestr. poss. & ibi Abb. nu. 7.*

11 Quid requiritur, ut sequestrum revocetur?

℞ Ut cautio secura, & sufficiens offeratur, & expensæ factæ solvantur usq; ad diem datæ cautionis; & tunc sequestrum propter scandalum. *c. 1. de sequestr. poss. & fructuum.*

12 Expensæ factæ pro conservatione, & custodia fructuum debent nè deduci?

℞ Debēt deduci, & congruum salarium, & expensæ, venditiones, & locationes necessariæ, solvunturq; ab eo, qui debet percipere fructus, cum facti fuerint in ejus utilitatem taxatione à Judice facta. *c. dilectus. eodem titulo, & ibi gloss. in verbo, distrahunt.*

13 Sequestratio potest ne fieri ab ordinario?

℞ Potest, & à delegato, si pars appellat à sententia contra eum lata, & probetur, quòd dilapidet fructus, vel non habeat, unde solvat. *Abb. in c. dilectus. eod. tit. num. 21.*

14 Sequestratio per quem Judicem debet fieri, per Judicem à quo, vel ad quem?

℞ Per Judicem à quo, qui dedit sententiam primam, licèt postea recurratur ad Judicem ad quē, ut eam tollat. *Abb. in c. fin. nu. 11. eod. tit.*

15 Si Ecclesia sit sequestrata, & habeat jus præsentandi, poterit nè præsentare, qui habet sequestrum, vel ille, qui prætendit suum esse Juspatronatus?

℞ Neuter, usq; finiatur lis. *gl. verb, beneficium. clem. unica, de sequestr. poss. & fructuum.*

16 Si reus intra annum recuperat possessionem à se ablatam, fructus debent nè ei restitui?

℞ Debent, deductis prius expensis factis in sequestro, tanquam æs alienum. *c. dilectus. eod. tit. ibi glos. verbo. distrahunt.*

# CAPUT XIX.
## De Confessis.

1 Quid est confessio?

℞ Illa responsio, quam reus facit solemniter coram Judice de crimine, de quo quæritur.

2 Quotuplex est confessio?

℞ Duplex. 1ma, Sacramentalis in foro interiori, & Sacramento pœnitentiæ. 2da, judicialis in foro exteriori coram Judice sæculari, vel Ecclesiastico. *Sylv. de confes. non Sacramentali. p. 1. nu. 1.*

3 Confessio, quæ probatio est?

℞ Est absolutè inter omnes probationes præcipua. *DD. in c. cum super. de confessis; quia confessus in Jure habetur pro convicto. l. unica, & ibi glos. C. de confessis.*

4 Per solam confessionem potest ne quis puniri pœna ordinaria?

℞ Potest absq; alia probatione, licèt cum confessis voluntariè mitiùs sit agendum, quia qui confitetur suum delictum, & petit veniam, videtur habere voluntatem se emendandi. *DD. in c. cum super, de confessis. & Abb. in c. at si Clerici, de jud. num. 8.*

5 Confessio potest ne acceptari pro parte, & pro parte negari?

℞ Affirmativè. *Abb. c. præterea, il 2, de transactionibus. num. 1.*

6 Interrogationes, articula, & oppositiones quando possunt fieri à fisco?

℞ Ante, & post litem contestatam. *Abb. in c, ex parte, de de confessis. num. 5.*

7 Confessio facta ante litis contestationem valet ne?

℞ Licet receptio testium non valeat, confessio verò ante litis contestationem valet; quia pars adversa in confessione nihil, vel parum debet agere, & quisque se præjudicat in confessione, at verò in receptione testium pars adversa multum debet agere. *Abb. in cap. at si Clerici, de jud. num. 5.*

8 Quot sunt confessiones, quæ in foro exteriori damnant rem?

℞ Plures. 1ma, quæ fit coram Judice competenti. 2da, quæ incidenter fit coram Judice competenti. 3tia, quæ fit coram Judice incompetenti. 4ta, quæ fit extrajudicialiter. 5ta, quæ fit calore iracundiæ. 6ta, quæ fit in tormentis. 7ma, confessio inducta per contumaciam; 8va, confessio erronea. *Abb. in c. at si Clerici de judicc*

9 Quando confitens coram Judice tenetur responsionibus criminosis, & interrogationibus à fisco factis, respondere?

℞ Quando talis est infamatus de illo delicto, vel sunt contra cum indicia, vel accusatio partis, quia tunc judicum directè contra eum agitur. *Abb. c cum super, de confessis, num. 18.*

10 Quæ est confessio facta coram Judice competenti?

℞ Illa, quam Clericus facit coram suo Episcopo, & Laicus coram suo Judice temporali, & quam quisque facit coram Judice, sub cujus jurisdictione est?

11 Confessio facta in uno judicio præjudicat ne in alio?

℞ Si Judex sit competens, præjudicat: & reus tenetur stare primis dictis, cum juridicè confessus fuerit. *Abb. ubi supra. num. 5.*

12 Quæ est confessio incidenter facta?

℞ Quando aliquis reus interrogatus, an occiderit Petrum, dicat se percussisse Joannem, de quo ei nihil interrogabatur, & incidenter confitetur delictum, de quo non erat accusatus. *Abb. c. cum super, de confess. num. 11.*

13 Confessio incidenter facta est ne punibilis?

℞ Licèt in illo processu non sit punibilis, tamen potest fieri novus processus, & puniri, sed debet

debet iterum interrogari juridicè. tenet *Abb. in c. cum super eod. tit. num. 12.*

14 Si quis non directè, sed incidenter confitetur crimen suum, qua pœna potest puniri?

℞ Pœna ordinaria. *Abb. cap. cum super de confess. num. 1.*

15 Quæ est confessio, quæ fit corā Judice incompetenti?

℞ Quando Clericus confitetur coram Laico, vel Laicus coram Ecclesiastico. *Abb. cap. cum super, eod. tit. num. 5.*

16 Confessio facta coram Judice incompetenti, quam vim habet?

℞ Facit aliquod judicium, sed non sufficit ad condemnationem. *Abb. c. at si Clerici. de jud. num. 1. & 5.*

17 Quotuplex est confessio extrajudicialis?

℞ Duplex. 1ma. quando quis coram ipsa parte contraria, & testibus confitetur debitum, & hæc plurimum præjudicat, & est quasi plena probatio 2da, quando quis publicè se laudat commisisse tale delictum. *Abb. ubi supra.*

18 Confessio publicè facta de delicto quid operatur?

℞ Si commisit tale delictum, facit magnum indicium contra se: si verò non commisit tale delictum potest puniri non pœna ordinaria sed quasi qui gloriatur de delicto. *Abb. cap. cum super de confessis num. 15. & cap. quam sit, de excessibus. Prælat. Innoc. ibi.*

19 Confessio extrajudicialis valet ne?

℞ Si sit spontanea, dat magnum indicium contra confitentem. *Abb. in c. at si Clerici. eod. tit. num. 18.*

20 Quæ est confessio facta calore iracundiæ?

℞ Quando quis incensus ira, & veluti extra se, sicut ebrius loquitur, ut si dicat, verbi-gratia ego interfeci patrem tuum, vel similia. *Abb. cap. at si Clerici, de jud. num 15.*

21 Talis confessio valet ne facta calore iracundiæ?

℞ Non, tanquam facta ab homine ebrio, nisi postea finito furore idem dicat. *Abb. ubi supra.*

22 Quæ est confessio, quæ fit in tormentis?

℞ Quando aliquis in tortura suspensus confitetur aliquod delictum, etiam si nondum denudatus fuerit. *Abb. ubi sup. c. ult. eod. tit. num. 11.*

23 Confessio facta in tormentis valet ne?

℞ Non nisi transacto spatio viginti quatuor horarum, ratificetur; absq; metu tormentorum coram Judice, & testibus. *Abbas c. olim ex literis, num. 8. de rescriptis.*

24 Confessio minoris in tormentis extorta, valet ne sine auctoritate tutoris?

℞ Si minor ratificet post viginti quatuor horas, & tutor fuit præsens ad interrogationes factas ante torturam, valet, quo ad indaginem veritatis judicij. *l. 1. ff. quæstionibus. c. si reus. 14. q. 6. quæ citat Abb. in c. ult. de confess. num. 9.*

25 Confessio facta metu valet ne?

℞ Non, sive sit metu carceris, sive minarum, sive tormentorum; valebit verò si finito metu perseverat in confessione coram Judice & testibus. *Abbas in capite, ex parte, de confessis, numero 11. & 12.*

26 Quæ est confessio inducta per contumaciam?

℞ Quando reus fuit citatus, & per Judicem condemnatus, tanquam si fuisset confessus tale delictum. *Abb. c. 1. de jud. num. 15. qui allegat glos. in c. cum contumacia, de hæretic. in 6.*

27 Confessio facta per contumaciam infamat ne confitentem?

℞ Non, cum pars suo ore non confiteatur delictum, & dicitur confessio ficta. *Abb. c. at si Clerici, de jud. numero 28. allegans l. ejus, qui dilatorem. ff. de jure fisci.*

28 Quæ est confessio erronea?

℞ Illa, quam aliquis facit errando in facto, vel in Jure, ut si quis existimat se interfecisse Petrum inter dimicandum; & Petrus non fuit interfectus, vel si quis rusticus nesciat privilegiū Ecclesiæ, & se intromittat illuc, & subito, ut scivit privilegium, reliquit locum Ecclesiæ liberum, & confiteatur hoc: tunc talis confessio est facta errore juris. *gl. in c. ult. de confessis.*

29 Si quis per errorem facti confiteatur contra se, vel suam Ecclesiam, nocet ne illi, vel Ecclesiæ talis confessio?

℞ Si errorem doceat ante sententiam, non nocet: cum Jus quærat veritatem, & sic cognito errore, talis confessio non nocet. *c. ult. de confessis.*

30 Confessio erronea quando potest revocari?

℞ Sive facta sit scienter, vel tacitè, sive expressè, sive non scienter, sive sit propria, sive procuratoris, ante sententiam probato errore semper revocatur. *Abb. in c. ex parte. num 20. de confessis.*

31 Error quomodo probatur, ut retractetur ab eo, qui confessionem fecit?

℞ Si statim quis vult revocare suam confessionem, non tenetur probare errorem; si transacto tempore velit revocare debet probare, quòd ipse existimavit se rem sic se habere, sed nunc scit alter rem se habere, & ideò revocat confessioné, & hoc intelligitur de ignorantia facti. *Abb. in c. ex parte. num 21. c. præterea, de testibus cogend.*

32 Error juris quomodo probatur?

℞ Ex circūstantijs, & qualitate personæ, ut si homo rusticus assumit sponsam consanguineam, & admonitus statim discedit ab ea, probatur juris error in tali homine *ut in l. si adulterium. ff. ad legem Juliam de adulterijs. § 1.*

33 Infamatur ne quis per solam confessionem?

℞ Non, sed requiritur sententia Judicis confirmans talem confessionem; quia infamia est pœna & hæc solum imponitur per sententiam. *Abb. in c. ex parte, de confessis. num. 19.*

34 Infamatus, qui non facit purgationem Canonicam, quam pœnam incurrit, præcipuè si sit mulier?

℞ Si sit mulier, maritus potest pro ea comparere, cum sit caput uxoris, & reputentur pro una persona, alias condemnatur pœna extraordinaria. *l. maritus. C. de procuratoribus, ut notat Abb. in cap. ex parte, de confess. num. 2.*

35 Infamatus de crimine, quid debet agere?

℞ Debet se purgare purgatione Canonica, etiam si contra eum non sint probationes authenticæ. *c. 1. de confess.*

36 Si quis confiteatur suum delictum, & talis confessus

confeſſus ſit in præjudicium aliorum, præjudicat ne alijs ?

℞ In præjudicium aliorum non, ſed ſolùm in ſuũ præjudicium. *c. 1. de confeſſis. & ibi. gl.*

37 Confeſſio ſocij criminis, eſt ne ſufficiens ad torturam ?

℞ Sola non ſufficit, niſi adjuvetur alijs præſumptionibus. *Abb. in c. 1. de confeſ. num. 2.*

38 Si reus in civili cauſa confiteatur ſe nullum habere Jus in re illa, & actor non probet rem illam eſſe ſuam, quid debet Judex facere ?

℞ Judex in iſto caſu non poteſt tradere rem actori, niſi ſolus Papa, cui cauſa talis remitti debet, quia ex hoc quod quis confiteatur rem non eſſe ſuam, non conſtat, quod ſit actoris. *Abb. in cap. cum ſuper eod. tit. num. 9.*

39 Confeſſio facta coram judice incompetenti quid operatur ?

℞ Si reus confiteatur delictum, etiam coram Judice incompetenti, facit majorem probationem, & præſumptionem, ut faciliùs quis condemnetur, quam confeſſio facta extrajudicialis; ratio eſt, quia ibi facta eſt in judicio, ubi rebus geſtis datur major auctoritas, ut habetur. *in l. jubemus, ff. de jurejurando, & tenet Innoc. in c. per Inquiſitionem de electione, quem refert Abb. in c. at ſi Clerici, de jud. n. 14.*

40 Confeſſio facta in proceſſu invalido præjudicat ne confitenti ?

℞ Affirmativè; ratio eſt, quia confeſſio eſt Regina probationum, & ſic licet alij actus non valeant in proceſſu invalido, ſola confeſſio valet, ſi fiat coram ſuo Judice, quia proceſſus ex pluribus alijs capitulis poteſt invalidari, & in proceſſu fiunt plurimæ nullitates, & attentata, ex quibus proceſſus eſt invalidus ſed confeſſio contra reum ſemper remanet firma ad eum condemnandum. *tenent DD. ſupra allegati, & allij, quos citat Abb. in c. at ſi Clerici, de judicijs, num. 6.*

41 Si Clericus confiteatur delictum coram judice ſæculari, poterit ne Epiſcopus ex eiſdem actibus, & ex eadem confeſſione eum punire ?

℞ Non; ratio eſt, quia acta fuerunt nulla, & confeſſio fuit nulla, tanquam facta coram Judice incompetenti, & ſolum generat aliquod indicium, & aliquam præſumptionem, & talis Clericus iterum debet confiteri, & convinci coram Epiſcopo, ut poſſit puniri. *tenet Abbas in cap. at ſi Clerici, de judicijs, numero 14*

42 Si aliqua Eccleſia habeat litem, confeſſio Presbyteri facta in illa lite præjudicat ne ſuæ Eccleſiæ, ſi ex tali confeſſione debeat condemnari ?

℞ Cum diſtinctione; ſi talis Eccleſia non habeat niſi illum Presbyterum, qui habet curam illius Eccleſiæ, vel eſt beneficiatus, vel parochus in ea, proculdubio confeſſio iſtius Clerici præjudicat Eccleſiæ; ratio eſt, quia talis Clericus eſt anima, & lingva iſtius Eccleſiæ, & Eccleſia, & Clericus faciunt unum corpus; ſi verò Eccleſia habeat alios plurimos Clericos, vel beneficiatos, vel ſit congregatio Clericorum participantium de fructibus, & decimis, vel oblationibus, vel ſit capitulum Eccleſiæ collegialis, vel Cathedralis, vel monaſteriũ, tunc confeſſio unius de Capitulo, vel unius Clerici non præjudicat Eccleſiæ, ſed requiritur confeſſio communitatis, vel alicujus perſonæ nominatæ à tota communitate cum ſpeciali mandato ad loquendum, & confitendum pro omnibus, & pro Eccleſia; ratio eſt, quia tota communitas Clericorum facit unum corpus cum Eccleſia, vel ſaltem major pars, & unus non poteſt ſupplere vices aliorum ſine ſpeciali mandato. *tenet Abb. in c. 2. de capellis. num. 4.*

43 Confeſſio æconomi præjudicat ne Eccleſiæ ?

℞ Affirmativè, ſicut facit in favorem Eccleſiæ. *Abb. c. fi. de confeſ. num. 1 & 3.*

44 Eccleſia quibus modis poteſt revocare confeſſionem ſui æconomi ?

℞ Duobus. *1mò*, probando errorem ante ſententiam. *2dò*, reſtituendo ſe, ut minor, & ad hoc habet quatuor annos; ſed non tenetur probare errorem, niſi ſolùm læſionem. *Abb. c. ex parte, de confeſſ. nu. 3. c. ſuborta, de ſententia, & re judicata.*

45 Confeſſio procuratoris læditne partem ſuam ?

℞ Affirmativè, quia agit cum ejus mandato, & ad eam revocandam tenetur probare errorem ante ſententiam. *c. ex parte de confeſſis. & Abb. ibi nu. 3.*

46 Confeſſio mariti facta ſine mandato uxoris nocet ne uxori ?

℞ Affirmativè, cum ſit perſonæ conjunctæ. *Abb. ubi ſupr. num. 2.*

47 Confeſſio advocatorum præjudicat ne parti ?

℞ Non, dum revocet intra triduum, quia ſunt conſulentes, & non habent mandatum partis, niſi ſcriptum ſit firmatum à parte, vel procuratore habente mandatum. *l. 3. C. de errore advocator. c. cum. cauſam. de appellationibus.*

48 Confeſſio infantis valet ne ?

℞ Non, etiam cum auctoritate tutoris; quia infans cum non habeat judicium completum, ſibi præjudicare non poteſt. *Abb. in capit. ex parte, num. 6. de confeſſ.*

49 Confeſſio impuberis valet ne ?

℞ Diſtinguendo; ſi habeat tutorem, cum ejus auctoritate valet, & aliter non ſi non habeat tutorem, in illis caſibus, in quibus ſine tutore habet in judicio legitimam perſonam, & poteſt agere, & excipere, in alijs verò caſibus non valet. *Abb. ubi ſupr. num. 7.*

50 Confeſſio adulti valet ne ſi non habeat curatorem ?

℞ Si talis confeſſio facta ſit ſuper aliquo contractu extra judicium, valet: ſi verò lædatur, talis adultus reſtituitur: ſi verò talis confeſſio ſit facta in judicio, in caſibus verò, ut in criminalibus, in quibus neceſſariò propter magnum judicium requiritur curator, ſine curatore non valet. *Abb in c. ex parte, de confeſſis num. 8.*

## CAPUT XX.
## De Probationibus.

1 Quid eſt probatio ?

℞ Rei dubiæ in judicio legitimè facta declaratio, ſeu oſtenſio. *Azo. de probationib. quem refert Abbas in rubrica, num. 1. de probationibus.*

2 Probatio quomodo debet eſſe ?

 ℞ Clara,

℞ Clara, non dubia, quia dubia non relevat. *c. in præſentia, de probationibus. & ibi* Abb. *num. 6.*

3 Probatio in genere quid probat?

℞ Nihil, ſed debet eſſe in ſpecie: & ſi ſunt plures ſpecies, debent omnes ſigillatim probari, quia probationes ad condemnandum, & tollendam poſſeſſionem debent eſſe luce clariores. *Abb. c. in præſentia, de probationibus num. 9.*

4 Probatio ambigua contra quem interpretatur?

℞ Contra probantem, & non contra reum. *Abb. ubi ſup. numero 24.*

5 Si quis aſtrinxit ſe ad plura probanda, ſufficitne probare unum?

℞ Non, & ideò advocati dicunt, non me aſtringo ad probandos omnes articulos, ſed illos, qui mihi ſunt neceſſarij. *c. licet, de probationibus, & ibi glos.*

6 Quæ eſt probatio magis principalis, affirmativa, vel negativa?

℞ In tantum prævalet affirmativa negativæ, ut probata affirmativa, non admittatur negativa tanquam ſuperflua. *c. ad noſtram, de probat.*

7 Probationes, & acta facta in primo Judice faciunt ne fidem in ſecundo Judice?

℞ Affirmativè, & neceſſariò ſunt tradenda ſecundo Judici, ut videat veritatem primæ ſententiæ, & eam confirmet, vel revocet. *c. fin. de probationib.*

8 Quibus modis in judicio fit probatio?

℞ Pluribus modis. *1mò*, ſimpliciter, veluti in aſpectu, in facto contingenti, ut in notorijs, in quibus res probatur per facti evidentiam, ut cum fur invenitur cum furto, homo in occiſione. *2dò*, per plures teſtes, vel unum cum alijs præſumptionibus. *3tiò*, per inſtrumenta. *4tò*, per confeſſionem partis. *5tò*, per ſcripturam antiquorum librorum. *6tò*, per violentam præſumptionem. *7mò.* per famam. *8vò*, per juramentum. c. evidentia, de accuſationibus. *c. cum ad ſedem, de reſtit. ſpol. c. dixit Dominus 32. q. 1. Goff. tit. de probationibus.*

9 Fines alicujus diœceſis, vel agri quomodo probantur?

℞ Per libros antiquos, teſtes, & famam. *c. cum cauſam, de probat.*

10 Quod ſunt modi probandi?

℞ Quatuor. *1mò*, per evidentiam facti. *2dò*, per teſtes. *3tiò*, per inſtrumentum. *4tò*, per propriam confeſſionem. *gloſſ in c. cum ad ſedem, de reſtit. ſpoliat.*

11 Si in aliquo delicto ſint plures teſtes, & nullus velit teſtificari, & conſtet de delicto, Judex poteritne procedere ad condemnationem rei?

℞ Non, quia cum agatur de damno tertij, requiritur vera probatio, ſed poterit procedere contra teſtes, eos carcerando. *c. tua nos, de cohabit. Cleric. & mulier.*

12 Quotuplex eſt probatio?

℞ Quadruplex. *1ma*, eſt probatio perfecta, clara, & evidens. *2da*, probatio dubia. *3tia*, probatio difficilis. *4ta*, probatio impoſſibilis.

13 Quæ eſt Probatio clara, & evidens, & quotuplex?

℞ Quæ nullam in mente relinquit dubitationẽ; & eſt triplex. *1ma*, per confeſſionem partis. *2da*, per teſtes conteſtantes in facto, & circumſtantijs. *3tia*, per evidentiam, & notorietatem facti.

14 Quæ eſt probatio dubia, & quibus modis fit?

℞ Illa, quæ relinquit in mente dubitationem, & fit quadrupliciter *1mò*, verbis. *2da*, ſignis, *3tia*, factis. *4ta*, teſtibus. Verbis, quando quis dicit verbum malitioſè, quod poteſt in bonam, & malam partem interpretari, & interpretatio pendet ex ſua voluntate, ut quando quis confitetur factum hæreticum, & negat ſe neſcire eſſe hæreticum, & feciſſe ſine intentione. Signis, quando quis manu, vel oculo aliquem vocat, tempore alicujus delicti, & dicit ſe vocaſſe ad rem juſtam, & cauſam, & caſu evenit delictum. Factis quando quis curſitat viam, in qua via eſt Eccleſia, & etiam eſt domus meretricis, & non probatur cujus cauſa curſitet viam. Teſtibus, quando teſtes non uniformiter deponunt, ſed contradictionibus in factis, vel circumſtantijs, vel quando ſunt tot teſtes condemnantes, & tot abſolventes, vel quando teſtes ex una parte ſunt in majori numero, & teſtes contrarij ſunt majoris authoritatis.

15 Poteſtne aliquando dari fides uni teſti?

℞ Poteſt, ſcilicet in caſibus, in quibus non fit præjudicum parti, ut ſi volo probare filium meum eſſe baptizatum, me adimpleviſſe pœnitentiam ſacramentalem, *gl. in c. ſuper il 2. de teſtib. & atteſt.*

16 Reus quibus defenſionibus uti poteſt?

℞ Pluribus, vel una, ſicut bene viſum fuerit. *Abb. in c. tertio loco, de prob. n. 3.*

17 Quæ eſt probatio difficilis?

℞ Illa, quæ fit de delicto occulto, ad quod perpetrandum naturaliter homines ſe abſcondunt, ut probatio de hæreſi, de peccato nefando, de furto, de apoſtaſia, in quibus caſibus neceſſarium eſt ut Judices magis moveantur circumſtantijs, præſumptionibus, adminiculis, fama, & vita anteriori, quam dictis teſtium.

18 Allegans, vel manifeſtans impedimentum in matrimonio poteſtne eſſe teſtis?

℞ Poteſt, quia non agitur de ſuo intereſſe, ſed de validitate matrimonij. *Abb. in c. juravit, de prob. n. 2.*

19 Quæ eſt probatio impoſſibilis?

℞ Quæ per teſtes probari non poteſt, ſicut ſollicitatio in confeſſione, cujus ſecretum, & ſigillum ſub pœnis ab Eccleſia eſt inſtitutum; & ſic videtur, quòd maritus zeloſus relinquat ſolam cum Confeſſore ſuam uxorem per tempus ſibi bene viſum, & ita in hoc delicto ſufficiunt teſtes ſingulares, *ut in bull. Gregor. XV. edita anno 1622. contra ſollicitantes in confeſſione.*

20 Inſcriptiones antiquæ in lapidibus quam probationem habent?

℞ Aliquam, tanquam res publica, & notoria, & ab omnibus credita *Abb. in cap. cum cauſam, de probat. num 1.*

21 Conſvetudo probata quam probationem facit?

℞ Magnam & plenam, ſi bene probetur, & ſit immemorabilis, & valet etiam ignorante Principe *Abb. c. ſicut conſvetudo, de prob. n. 5.*

22 Negativa quomodo debet probari, ut faciat fidẽ?

℞ Debet eſſe arctata loco, & tempore, & probare evidenter, tali tempore non fuiſſe in illo loco,

ubi com-

ubi commissum fuit delictum. *Abb. in c. quoniam eod. tit. num. 2.*

23 Negativa coarctata certis personis quomodo potest probari?

℞ Directè non potest probari, quod ego non consensi, sed indirectè possum ex actibus anterioribus, & posterioribus probare me non consensisse professionis, vel scripturæ, quæ licet sint præsumptiones, eis debet stari, cùm sint claræ. *Abb. c. tertio loco de probat. num. 4.*

24 Cui probationi standum est de jure, probationi per testes, an probationi contrariæ per instrumentum?

℞ Probationi per testes; quia instrumenta inventa sunt propter fragilitatem memoriæ hominum sed ubi testes sunt, & memoria, instrumentum nō est necessarium *c. tertio loco, tit. de testib.*

25 Qui testes non valent, neque eis adhibetur fides?

℞ Regulariter testes sibi contradicentes, testes singulares, & testes malæ famæ. *c. licet, de prob.*

26 Judicium quibus modis sumitur?

℞ Pro violenta præsumptione, pro plena probatione, & pro notabili signo maleficij. *Abb. in c. tertio loco. n 7. eod. tit.*

27 Juramentum quando præstatur in litibus?

℞ In defectum probationum. *cap. si ut consuetudo eod tit.*

28 Actor, qui plenè probavit, debet ne compelli jurare?

℞ Non, quia juramentum est, & præstatur in defectum probationum. *c. sicut de prob. t.*

29 Si actor non probat teneturne reus jurare?

℞ Non, quia actore non probante, reus absolvitur *Abb in c. si ut consuetud. eod. tit. num.* 1.

30 Judicia quam probationem faciunt?

℞ Si sint clara, & indubitata, condemnatur reus, si sint obscura, & dubitata, torquetur reus *Abb. in tertio loco, eod. tit. num.* 8

31 Quæ sunt indicia, & judicia indubitata?

℞ Illa, quæ humano judicio non possunt habere fallaciam, ut si cubiculum habeat unam solam portam, & unus exeat cum gladio sangvinolento, & inveniatur homo mortuus, indubitanter judicatur, quòd ille occidit hominem, sed si habet duas portas, non potest judicari, quia per aliam portam potuit exire occisor, tunc erunt indicia dubitata, & sufficientia ad torturam, & non ad condemnationem. *Abb. ubi sup. c. tertio loco de probat.*

32 Tenetur ne quis contra se dare instrumenta?

℞ Reus non tenetur contra se dare instrumenta, neque probationes, c. 1. *de probat.*

33 Quis tenetur ostendere, & dare communia instrumenta reo, & actori?

℞ Tam actor, quàm reus. *c.* 1. *de test.*

34 Usurarius tenetur ne dare instrumenta, quæ continent usuras?

℞ Tenetur, etiam secreta ratione peccati, quod commisit. *Abb. c.* 1. *de probat. num.* 9.

35 Notarius quæ instrumenta tenetur edere?

℞ Tanquam persona publica, omnia instrumenta communia tam reo, quam actori *Abb. c.* 1. *de probat. num.* 10.

36 Si quis exemplavit aliquod instrumentum sua pecunia, & apud se habet, tenetur ne illud edere, & copiam dare parti contrariæ?

℞ Non, quia sua pecunia emit, & jura, quæ loquuntur de traditione instrumentorum, loquuntur de instrumentis originalibus, non de trasumptis. *Abb. ubi supr. num,* 12

37 Reus in quibus casibus tenetur edere instrumenta actoris, ad suam intentionem fundandam?

℞ In duobus. 1*mo.* in causa matrimoniali propter periculum Sacramenti, ne in materia tam gravi erretur. 2*do*, quotiescumq; orietur peccatum; si tale instrumentum non manifestaretur. *Abb. ubi sup. n.* 21.

38 Instrumentum, à Notario quomodo est edendū?

℞ Integrum, ut totum negotium respiciatur, & cum Judicis mandato, & auctoritate, & parte contraria citata ad videndum deduci, & corrigi, & cum die data. *Abb. ubi supr. n.* 29. & 34. *c.* 1. *de prob.*

39 Sufficit ne in judicio copia instrumenti, vel est necessarium originale?

℞ Sufficit copia transumpta cum solemnitatibus juris, & originale debet manere penes Notarium, propter periculum, ne perdatur. *Abb. ubi supra numero* 31. & 32

40 Probatio per instrumenta, & allegationes quo tempore potest admitti?

℞ In omni tempore, etiam post conclusionem causæ. *Abb. c. licet de probationibus. num.* 18.

41 Natus ex adultera præsumitur ne natus legitimo patre?

℞ Ante probationem adulterij, talis præsumitur natus ex legitimo matrimonio, quia (ut dicit lex) mater certa pater verò, quem nuptiæ declarant, & semper præsumendum est pro matrimonio, donec contrarium luce clarius probetur. *Abb. in c. per tuas, num* 1. *de probat.*

42 Si mater confiteatur filium non esse ex suo marito est ne credendum ei?

℞ Non, neq; filius tenetur credere ei in foro exteriori, neque interiori, neque relinquere honores, neque hæreditates ex patre provenientes; quia semper est judicandum pro matrimonio. *Abb. c. per tuas eod. tit, num.* 4.

43 Virginitas quomodo probatur?

℞ Per inspectionem matronarum expertarum in hac re post suspectionem factam, & per earum juramentum *Abb. in c. proposuisti. de probat. nu* 2.

44 Si mulier non sit cognita à viro, & ingrediatur monasterium, & postea cesset monachatus, debet ne restitui marito?

℞ Si ambo consentiant, debet; si verò mulier nolit corrumpi à marito, vel non possit esse cautio de non corrumpendo, non debet restitui propter magnum virginitatis privilegium. *Abb. in c. causam num.* 1. & 2. *de probationib.*

45 Judex per quos gradus ascendit ad ferendam sententiam justam?

℞ Per quatuor. 1*mo.* posita petitione actoris, & negatione rei, Judex habet dubitationem, & nō debet præsumere per actorem, neq; reum. 2*do.* si sit aliquod leve indicium, vel argumentum, Judex venit in suspicionem, 3*tio,* si exurgant for-

tiora argumenta pro reo, vel actore, Judex incipit opinari, & hæc opinio non est sufficiens ad sententiam. Ato, si in causa sint probationes, tunc Judex venit in credulitatem, veritatemque illius rei, vel delicti, & potest ferre sententiã. *Abb. in c. tertio loco, de probat. n. 11.*

46 Corrumpere muneribus testes, sufficit ne ad retractationem sententiæ?

℞ Si est benè probata sufficit, quia Judex se fundavit super veritate & legalitate testium, & fundamento destructo, sententia quoq; destrui debet. *Abb. in c. licet, de probationibus num. 24.*

47 Si probatio rei, & actoris sit æqualis, pro qua debet sententiari?

℞ Pro reo, cui favendum est de jure, nisi actor agat causam piam, quia tunc causæ piæ est favendum. *c. ex litteris, de probationibus.*

48 Quando reus deprehenditur in actu propinquo vel in ipso delicto, tunc sufficit ne hoc ad condemnationem?

℞ Affirmativè, quia maleficium est notorium, & notorietas maleficij est probatio sufficiens. *Abb. in c. tertio loco, eod. tit. num. 10.*

49 Judex potest ne iterum interrogare testes obscuros, & dubios?

℞ Potest ex suo officio, non verò ad petitionem partis. *Abb. c. in præsentia de probationib. num. 35.*

50 Si actor, & reus probent interdicto retinendæ possessionis, Judex pro quo debet sententiare?

℞ Pro eo, qui probavit antiquiorem habere possessionem, vel pro eo, qui meliores probationes attulit, & si in omnibus sint æquales, reo favendũ est. *c. licet, de probationibus.*

51 Judex coram quo debet sententiare?

℞ Coram Notario, & duobus, vel tribus testibus, ut veritas semper appareat. *c quoniam. eod. tit.*

52 Ubi debet esse major probatio, in causis civilibus, vel in criminalibus?

℞ In criminalibus debent esse probationes luce clariores. *l. vis. C. de probationibus.*

53 Quando debet Judex occurrere ad judicium peritorum, & qui periti debent adhiberi?

℞ Quando in tali negotio deficit probatio, & in causa ardua plures periti debent adhiberi, & si fieri potest electi à partibus; & si non se concordent, à judice; in parva causa sufficit unus peritus *Abb. in c. proposuisti, eod. tit. num. 5.*

54 Princeps si faciat contractum cum suo subdito, obligatur ne?

℞ Obligatur, saltem naturaliter, & licèt non possit compelli, tenetur adimplere, quia fortior veritas debet esse in principe, quàm in alio homine. *Abb. c. 1. eodem tit. num. 1.*

55 Sententia peritorum revocatur ne per alios peritiores affirmantes contrarium?

℞ Non, nisi intra terminum de ea appelletur, aliàs transit in rem judicatam, quia ex hoc, quòd periti illi nominati sunt ad talem causam, facti sunt veri Judices talis causæ. *Abb. in c. proposuisti, eod. tit. nu. 11.*

56 Papa per quos testes potest convinci de crimine?

℞ Per duos: ratio est, quia quanto est superior in dignitate, debet esse purior in vita, & abstinere se non solùm à delicto, sed etiam à suspitione. *Abb. in c. tertio loco, de probat. num. 6.*

57 Imperator coram quo potest convenire?

℞ Coram Papa, à quo habet imperium. *Abb. c. 1. de probat. num. 2.*

58 Actor potest ne compellere reum, ut respondeat positionibus?

℞ Potest, ut se liberet à probationibus, quia aliquando positiones confessæ, faciunt integram probationem. *Abb. c. 1. de probationib. num. 17.*

59 Papa quam potestatem habet in temporalibus?

℞ In terris suis habet potestatem actu, in terris Regum potestatem habitu, & illam exercet, cum est necessarium. *Abb. c. 1. de probationibus num. 4.*

60 Cui incumbit probatio præscriptionis?

℞ Objicienti illam, sicut qui objicit alias exceptiones, vel jura, ipse tenetur probare. *c. ex litteris, eod. tit. & ibi glos.*

61 Nuncio publico quomodo creditur?

℞ Postquam juravit, præcipue in citationibus faciendis ab officialibus Curiæ, creditur eis tanquam personis publicis. *Abb. in cap. quoniam, de probationibus, num. 10.*

62 Si maritus juret se cognovisse uxorem, & mulier per mulieres expertas, (quæ vocantur obstetrices) probet se non esse corruptam, cui creditur?

℞ In isto casu non creditur juramento mariti, qui jurat in re propria. *Abb. in cap. proposuisti. eod. tit in princ.*

63 Si aliquis nominet aliquem filium, & communiter pro tali reputatur, & postea cum juramẽto neget esse suum filium, quid est credendum?

℞ Esse suum filium, quia tunc communiter reputatur pro tali ipso consentiente, & primo dicto standum est, quia est in favorem rei. *cap. per tuas de probationibus.*

64 Si non reperiatur in actis contestatio litis, & partes eam confiteantur, erit nè sufficiens probatio?

℞ Erit, quia confessio partium est regina probationum. *c. fin. de probationib.*

## CAPUT XXI.

## De probationibus in delictis occultis, & difficillimæ probationis.

1 Quæ sunt delicta occulta?

℞ Omnia delicta, ad quæ perpetranda naturaliter homines se occultant propter verecundiam, vel enormitatem pœnæ, quorum probatio à communiter accidentibus non faciliter haberi potest, ut tenet Iacob. *Novell. in sua regul. 166. Mascard. in rubrica de probationib. nu, 230. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 156. num. 4. Paramus lib. 3. de orig. S. Inquisitionis. tit. de inquisitione absq; pravia infamiæ quæstione 7. num 24.*

2 Quæ regula potest dari, ut cognoscatur, quæ delicta sunt magis occulta, & ideò habent difficiliorem probationem?

℞ Judex debet considerare, quod delictum potest perpetrari cum pauciori communicatione personarum, ita quod delictum, quod unus homo solus absq; alte-

absq; alterius communicatione potest committere, illud erit magis occultum, quàm delictum, ad quod committendum requiruntur duo homines, & sic in illo delicto tanquam difficilioris probationis, minor probatio requiritur ad infligendam pœnam, *Mascard. in rubrica de probationibus. Paramus loco allegato numero* 20.

3 In quo loco committuntur delicta occulta?

℟ In agro, in solitudine, in loco occulto, clausis ianuis, noctè. *Io. Andr. c. vestra duxit, de cohabit. cler. & mulier.*

4 Quod dicitur delictum occultum?

℟ Illud delictum, quod non patet, neq; per Judicis sententiam, neq; per partis confessionem, neq; per probationem testium, neq; per notorietatem, neque per publicam famam, ut habetur. *in c. vestra de cohabitatione Clericorum, & mulierum.*

5 Quibus modis dicitur aliquod delictum esse occultum?

℟ Duobus modis. *1mò* modo, quando ita est occultum delictum, ut à nemine sciatur; nisi à committentibus tale delictum, qui vocantur complices, sive sint pauci, sive plurimi, quia omnes isti quasi pro una persona reputantur, cum æqualiter omnium salus consistat in silentio. *2dò* modo, dicitur etiam delictum occultum, quando scitur à paucis, veluti à quinque personis, vel minori numero, ut tenet *Nau. in manu. c. 27. nu.* 255.

6 Si delictum sit delatum ad forum contentiosum, & non sit probatum, vel sit probatum falsis testibus, hoc delictum dicetur nè occultum, vel manifestum?

℟ Tale delictum magis potest dici non delictum, quàm delictum occultum, neque manifestum, cum talis homo malitiosè fuerit accusatus; ratio est, quia quilibet homo præsumitur bonus: nisi in contrarium probetur malus, ut tenet. *Iason in Reb. C. ut nemo privatus, nu.* 1.

7 Quid est fama, & quando dicetur delictum manifestum per famam, ut in eo non procedatur, sicut proceditur in delictis occultis?

℟ Fama est quidam conceptus bonus, vel malus, vel quædam opinio bona, vel mala, quam plurimi homines habent, quòd aliquis committit aliquod delictum, licèt illud non committat, talis homo est infamatus de tali delicto, & si tale delictum de sua natura sit occultum, procedendum est in eo probationibus, & indicijs sicut infra dicetur, *Sayr. in clavi regia lib. 11. c. 3. nu. 4. citans Sotum lib. 5. q. 9. art.* 1.

8 Quæ differentia est inter famam, & rumorem?

℟ Rumor est quando aliqua pars vicinorum de aliquo delicto loquitur cum dubio, & sub nebula, & absque probabili fundamento, & talis rumor solus non facit probationem in delictis occultis, sed adjuvat alias probationes; fama verò est, quando tota civitas, vel major pars asserunt aliquod delictum, ut certum, & hæc est magna probatio in delictis occultis, & licèt non omnes dent causam suæ depositionis, sufficit, ut aliqui ex illo populo illam dent, & reliqui deponant de auditu, & credant illud verum esse, ut tenet. *Abb. in c. super eo. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ. nu.* 3. *& habetur in c. inquisitionis de accusationibus.*

9 Delictum notorium quando dicitur, & quomodo est in eo procedendum, etiam si sit ex delictis occultis?

℟ Quando delictum est notorium per confessionem factam à reo in judicio, aut per sententiam datam à Judice, aut per facti evidentiam, quæ tergiversatione aliqua cælari non potest, verbi gratia; si quis inveniatur in ipso actu delicti, tale dicitur delictum notorium, & in eo non est procedendum conjecturis, & suspitionibus, sed ordinarijs probationibus; ratio est, quia in notorijs non sunt necessaria indicia, neque præsumptiones. *tenet Abb. in c. vestra nu.* 14. *&* 18. *de cohabitatione Clericorum, & mulierum, & c. quæsitum. eod. tit.*

10 Fama publica, vel murmur, ut faciat probationem quas qualitates debet habere?

℟ Dixi latè. *lib. 5 c. 11 nu.* 25. 26. 27. 28.

11 Quæ sunt species delictorum occultorum?

℟ Plurimæ. *1ma*, est delictum simpliciter occultum, quod in solo animo concipitur, ut est hæresis, error in intellectu, inimicitia, invidia, desideria pessima. & hæc delicta à solo Deo cognoscuntur, qui est cordium scrutator, de his delictis verò Ecclesia cognoscit, nisi exterius executioni mandentur. *2da*, est delictum occultum per accidens, quod committitur nemine vidente, quia accidentaliter, vel consulto nemo erat præsens, quando homo occisus fuit. *3tia*, est delictum nō evidens, scilicet illud, quod non ab omnibus, sed à paucis scitur, vel cum difficultate, & magna diligentia in lucem editur. *c. Deus qui. 22. q. 1. c. vestra. de cohabit. Cler. & mulier. Io. Andr. ibi à Param. citati. lib. 3 de orig. Inquisitionis q. 7. de inquisitionibus ab. q; prævia in forma. n.* 23.

12 Quæ delicta communiter dicuntur occulta?

℟ Delicta carnis, videlicet simplex fornicatio, stuprum virginis, concubinatus, partus suppositus, incæstus, adulterium, sodomia, hæresis, apostasia, crimen læsæ majestatis, conspiratio in aliquem apostatum, tradimentum, tractatus de homicidio, vel medio veneno, libelli famosi, incendium, scopetæ, ictus morte sequuta, vel non in loco occulto, vel in agro, falsa moneta, furtum, dolus, fraus, simulatio, falsitas in scripturis, & instrumentis, viarum cursores, simonia usura, sollicitatio in confessione; ad quæ perpetranda delinquentes fugiunt lucem, & consortia hominum. *Iacob. Novell. reg.* 166. *Mascard. in rubric. de probat. nu.* 130. *Menoch. de arbitris. casu* 116. *nu.* 4. *Param. q. 7. lib. 3. de orig. Inquisitionis tit. de inquisit. absq; prævia infamia.*

13 Quæ probatio requiritur in delictis occultis?

℟ Licèt de jure in delictis requirantur probationes luce clariores, ut habetur. *l. sciant cuncti. C. de probationib.* tamen in delictis occultis minor probatio requiritur, & necessarium est, ut Judices moveãtur præsumptionibus, indicijs & adminiculis, coniecturis, fama anteriori, aliquando uno teste etiam complice; ratio est, quia de se naturaliter ista delicta probari non possunt; & ne delicta maneant impunita, probantur eo modo, quo probari possunt. *Mascard. in l. si quis. ff de quæstionib.*

14 Potest nè assignari certa, & determinata regula, vel doctrina judicibus, quæ indicia, vel præsumptiones requirantur, in quolibet delicto occulto ad pœnam ordinariam, vel extraordinariam?

℞ Non, sed relinquitur arbitrio boni Judicis, qui judicavit indicium, conjecturam, præsumptionem esse sufficientem, vel non, ex qualitate personarũ, & ex antecedentibus, & consequentibus, ex loco, vultu, ore, vita præterita delinquentis. *l. 3. ff. de testibus. & Bal. in l. fi. ff. de quæstionibus, per totam legem.*

15 Probatio in delictis quotuplex est?

℞ Triplex 1ma, clara, & perfecta, quæ fit per confessionem, & per testes legitimos. 2da, difficilis vel impossibilis quæ fit in delictis occultis 3tia dubia, quæ relinquit mentem judicis dubiam, & causatur quatuor modis. 1mò, verbis; quando verbum à teste prolatum potest in bonam, malamque partem interpretari. 2dò, signis: quando quis manu, vel oculo aliquem vocat tẽpore alicujus delicti, & postea dicit se eum vocasse ad rem justam. 3tiò, factis: quando quis cursitat viam, in qua est Ecclesia, & domus meretricis, & dubitatur, cujus causa cursitat. 4tò, testibus: quando testes sunt æquales numero & auctoritate, & contraria deponunt. *Bald. in l. fin. C. de probationibus nu. 5. & 8. Abb. c. cum tu, filij, de testibus. num. fin. c. in præsentia, de probation. num. 34.*

16 Quæ est præsumptio, quæ in delictis occultis facit probationem?

℞ Quædam sumptio, imaginatia, vel opinio orta in animo Judicis ex conjecturis, & indicijs judicantis: tale delictum commissum fuisse à Petro. *Abb. capit. afferte mihi gladium. de præsumptionibus, num. quinto, & cap. quarto, num. 2.*

17 Quæ sunt genera præsumptionum in delictis occultis.

℞ Plura. 1mum, præsumptio juris. 2dum, præsumptio hominis. 3tium, præsumptio juris, vel de jure. 4tum, præsumptio probabilis. 5tum, præsumptio vehemens. 6tum, vehementissima 7mum violenta. 8vum, temeraria. 9num, medica. 11mum fictio juris; quæ omnia sumuntur ex præteritis, & præsentibus, & futuris, de quibus latè diximus. *in c. de præsumptionib. & tex c. literas. c. quanto c. afferte mihi gladium. de præsumptionibus c. cum. contumacia de præsumptionibus. Ab. c. quanto, de præsumpt. n. 2,*

18 Jndicia, quæ sunt, & in qua differentia?

℞ Indicium est quoddam signum, & vestigium, quod apparet in homine, vel in veste, vel in ense indicans commisisse tale delictum, & fuga est indicium plenum, & semiplenum, propinquum, & remotum, *ut tenet. Bal. l. fin. ff. de quæstionibus. & l. cum probatio ff. de probationib. & l. indicia. C. de rei vend. quas allegat Bal. in l. ea quodam. C. de accusationib. num. 18.*

19 Quæ præsumptiones, & indicia sufficiunt in delictis occultis ad dandam pœnam ordinariam sine testibus?

℞ Quando præsumptio est juris, vel de jure violentia & vehementissima, & quando indicia sunt indubitata, scilicet talia, quòd humano judicio nõ possunt habere fallaciam ut si quis in cubiculo clauso dormiat cum socio, & reperiatur occisus mucrone; & advertendum est, quòd tunc talia indicia, & præsumptiones debent constare in actis; quia ponuntur loco probationis. *Abb. c. afferte mihi gladium. de præsumptionibus. nu. 1. & in c. tertio loco. de probationib. nu. 50.*

20 Reliqua indicia, & probationes in delictis occultis ad quid inserviunt?

℞ 1mo, ad adjuvandum probationem. 2do, ut cum uno teste reus torqueatur. 3tio, ut detur aliqua pœna extraordinaria. *Abb. c. tertio loco de probat. nu. 8. & in c. afferte mihi gladium. de præsumpt. numero 6.*

21 Quando reus titubat, variat, vel dicit mendacium in re, quæ directè non pertinet ad delictum, ut si dicat se non fuisse in civitate tali nocte, vel die, vel se non loquutum fuisse cum Petro in tali loco, vel hora, vel non portasse arma, & contrarium directè probatur, quam præsumptionem facit?

℞ Magnam contra reum, & talem, quod ex ipsa sola potest reus torqueri, quia non præsumitur, quòd qui non commisit delictum, & innocens est neget rem veram, quæ cum delicto nullam habet connexionem. *Conrad. Brunus p. 2. c. 9. de hæreticis, tex. expressus. l. 1. §. Divus Severus. ff. de quæstionib.*

22 Qui testes admittuntur in delictis occultis difficillimæ probationis?

℞ In defectum aliorum testium admittuntur omnes, qui habent sanum judicium, scilicet mulieres, infames, periuri, excomunicati, socij criminis, servi, qui omnes licet admittantur cum suo defectu, & in alijs delictis admittantur ad adhabendam majorem cognitionem veritatis, loci, modi, circumstantiarum delicti: tamen in delictis occultis maiorem probationem habent, licet nõ tantam sicut testis omni exceptione maior. *DD. c. quoniam. de test. Io. Andr. in additionibus ad Speculatorem tit. de testib. Ias. l. fin. C. de ijs quibus ab indicijs. c. si testes. 4. q. 3. §. item liberi. c. 1. de confessis, c. veniens. de testibus. & Abb ibi nu. 7. & 8. Paramus lib. 3. directorij q. 10. nu. 136. tit. de sollicitant. ad libidenem in act. confes.*

23 Quis dicitur testis idoneus?

℞ Ille, in quo concurrunt conditio, sexus, ætas, discretio, fama, fortuna; ut habetur. *in gloss. c. 2. de testib. V. vilissimi litera h.*

24 Cæcus quando potest esse testis in delictis occultis?

℞ Quando habet cognitam vocem committentis delictum, facta coram Judice experientia, tunc est testis idoneus. *Abb. c. præterea. de testib. nu. 6.*

25 In delictis occultis, in quibus de jure sufficit unus testis singularis cum alijs adminiculis, de quo teste est intelligendum?

℞ Ad imponendam pænam ordinariam intelligendum est de teste omni exceptione majori, cui nihil de jure possit opponi. *glos. institut. de inutili stipulat. § item verborum. Paramus p. 2. directorij. lib. 3. q. 10. tit. de sollicitante. nu. 136. & 137*

26 Singularitas testium quotuplex est?

℞ Triplex, obstativa, diversificativa, cumulativa, de quibus latè diximus. *in. c. de Cleric. sollicitant in confessione*

*in cõnfessione, lib. 5. tenet Bald. c. licet c licet causam. de proba ion. nu. 11.*

27 Quæ singularitas testium in delictis occultis facit quasi plenam probationem?

℞ Singularitas cumulativa, quando unus testis coadjuvat dictum alterius in genere, vel specie, vel substantia, ut si unus dicat, Petrum delinquentem occidisse Ioannem tali die, & loco, & alius dicat occidisse Franciscum altero die, & altero loco, hæc singularitas cumulat delicta unius generis, & convertitur in naturam quasi plenæ probationis propter difficultatem probandi delicta occulta, quia ad Remp. pertinet, ne delicta maneant impunita. *ut habet gl. in l. vulneratus. ff. ad legem Aquil. Alexan. conf. 21. Bald. c. licet causam de prob. num. 11.*

28 In delictis carnalibus, quæ præsumptiones, & inditia requiruntur?

℞ Locus, solitudo, ætas, vita anterior, visus, communicatio privata, tactus, viæ mulieris frequentatio, & domus, missio nuntiorum, epistolæ, dona, victus, vestitus datus ab homine mulieri, & è contra, vel similia. *Abb. c. tertio loco. de præsumpt nu. 4.*

29 Si frater inveniatur cum sorore, solus cum sola, quam præsumptionem facit?

℞ Licèt inveniantur osculantes se, vel in uno lecto, non facit præsumptionem incontinentiæ, quia natura abhorret simile coitum propter naturale fœdus. *c. cum in juventute. de præsumptionib.*

30 In fornicatione simplici quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, quòd duo testes videant hominem, & mulierem etiam in occulto ad invicem se osculantes, & si cum hoc sit aliqua fama, vel aliquod indicium ex supradictis, erit sufficiens probatio, præcipuè in Clerico juvene. *tenet Abb. c. praterea. de testib. numero 2.*

31 In delicto stupri quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit depositio stuprati, vel stupratæ etiam in tortura, quia deponit de proprio facto, & in hoc casu creditur unico testi; si cum eo concurrant aliqua alia adminicula. *Alex. consil. 63. vol. 1. Bar. l. eos, ff. ad legem Corneliam, de falsis. Cravet. conf. 75. nu. 39. l. quæro. de ædil. edicto Socyn. regul. 422. Decius conf. 342. nu. 1.*

32 Virginitas quomodo probatur?

℞ Per inspectionem matronarum expertarum, & per earum juramentum, licèt antiquitus probaretur per ignem ardentem, vel per aquam ferventem, ubi mulier absq; læsione ponebat manum. *Abb. cap. proposuisti, de prob. nu 2.*

33 Concubinatus quomodo probatur?

℞ Per indicia, nempe frequentationem viri in domũ mulieris, vel è contra, per dona data, per famam publicam, & alia his similia. *c. tua nos, de cohabit. cler. & mulier.*

34 Incestus quomodo probatur?

℞ Per testes deponentes de consangvinitate, vel affinitate; & in his admittuntur pater, mater, consangvinei, & præferuntur alijs testibus, quia habent maiorem communicationem, & notitiam, & sunt cogendi, & molestandi, ut dicant in qualibet causa matrimoniali, *ut in c. cæterum, de testib. cogend. c. quoties. super eo. in 2. de testib.*



35 In crimine adulterij quæ probatio requiritur?

℞ Sufficiunt duo, vel tres testes singulares in actibus diversis, singularitate copulativa, & si cum his concurrant aliquæ præsumptiones, nempè nimia familiaritas, dona, nuntij, & fama, erit probatio fortissima. *Abb. c. præterea, de testib. nu. 1.*

36 Ad probandam consumationem matrimonij, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, ut duo testes dicant de auditu cum alijs adminiculis, nempe quód viderunt eos solos, vel in lecto, & hoc in favorem matrimonij. *Abb. cap. 1. præterea, de testib. nu. 4.*

37 Ad separationem thori quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, ut duo, vel tres testes dicant de auditu sævitiam viri, timorem mulieris, & quod eam viderunt aliquando percussam, vel quód sit natura sævus extra suam domum, vel quia audierunt mulierem plorantem, & vociferantẽ in sua domo. *Abb. c. 1. de divor. nu. 4. ut late dixi lib. 1. de divor.*

38 Ad dissolvendum matrimonium contrahendum quæ probatio requiritur?

℞ In defectu virorum duæ mulieres deponentes impedimentum (quod dissoluit matrimoniũ perpetuum) faciunt plenam probationem, propter periculum Sacramenti. *Abb. c. super, il de test. num. 2.*

39 Ad impediendum matrimonium contrahendum, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit unus testis, etiam si sit mulier propter periculum Sacramenti, & tunc Judex debet dare terminum necessarium partibus, ut probent, an sit verum impedimentum, vel malitiosè obiectum *ut tenet Abb. c. super. il 2. de test. & ibi gl.*

40 Ad probandum matrimonium præteritum, quæ solemnitates requiruntur?

℞ Matrimonium præteritum probatur **1mò**, per instrumentum matrimoniale, subscriptum à parocho, & hæc probatio est sufficiens, & concludens: ea deficiente, probatur per famam publicam, per cohabitationem simul, per communem crudelitatem virorum, per opinionem vicinorũ locorum; omnes istæ probationes simul faciunt præsumptiones juris, vel de jure, & probationem plenam. *c. illud quoque, de præsumptionibus, sed de jure civili sufficiebat sola præsumptio cohabitationis. l. in libera. ff. de ritu nuptiarum.*

41 Si duo petant eandem mulierem in uxorem, & æqualiter probent, cui debet Judex illam dare?

℞ Judex debet differe sententiam, donec constet quis sit ejus verus maritus propter periculum Sacramenti. *tenet Mascard. l. 1. §. Divus. ff. de quæstionib. Afflict. in constitutionibus Neapol. Francis. Vivas libr. 1. dec. 157. nu. 9. Alex. consil. 66. vol. 3. Ias. consilio 161. vol. 4.*

42 Abusus quando dicitur?

℞ Quando quis utitur aliqua re contra suam naturam. *Io. Vigver. c. 7. de virtute temperantiæ, §. 5. vers. 7. de vitio contra naturam.*

43 Sodomitæ quam pœnam incurrunt?

℞ Tam agentes, quàm patientes habent pœnam mortis, & ignis ex omni jure. *C. ad l. Iuliam, de adulteris. l. cum vir nubit in fœmina vires paritura; & in eos insurgunt leges, armantur jura, & jubet infames,*

*fames, gladio ultore, perire. S. Antonin. 2. p. tit. 5. cap. 4. per totum.*

44 Quare lex non nominavit expreſsè peccatum ſodomiæ ?

℞ Quia eſt tam horrendum flagitium, & ab eo ita abhorret natura humana, ut literis exprimi, & nominari non debeat. *ita tenet Barthol. & alij DD. in d. l. cum vir. C. ad Juliam de adulterijs.*

45 Quibus modis committitur peccatum ſodomiæ?

℞ Pluribus. *1mò*, homo cum homine, cum unus eorum eſt patiens per ſeceſſum, & facit officium mulieris, de quo peccato propriè loquitur lex. *2dò*, homo cum muliere per vas poſterius *3tiò*, mulier cum muliere coeuntes per vas poſterius *4to*, homo cum aliqua beſtia habet coitum per vas beſtiæ. *5to*, quando mulier, vel homo coeunt cum dæmonio in figura hominis, vel mulieris, quam diabolus fingit, & arripit, ad committendum hoc delictum, & tunc dicitur incubus : ex omnibus iſtis modis incurritur crimen ſodomiæ, ratio eſt, quia quis abutitur ſe contra ejus naturam. *S. Thom. ſecunda ſecunda quæſtione* 154. *art.* 11. 12. *Tol. lib.* 5 c. 13. *in ſum.*

46 Quare lex non nominavit omnes has ſpecies ſodomiæ ?

℞ Quia forſan tempore legis non erant inventæ, & poſtea malitia hominum crevit, & eas invenit.

47 Si duæ mulieres una cum altera modo ſodomitarum coeant quam pœnam incurrunt ?

℞ Variæ ſunt opiniones. *Covar. p.* 2 *c.* 7 §. 5 *nu:* 7. *tenet*, quod incurrunt pœnam mortis, & ignis; ratio eſt quia in hoc delicto, & alijs ſimilibus ſæpè punitur affectus, licet non ſequatur effectus, ſed. *Antonius Gomez tenet*, quòd mulier, quæ provocat aliam mulierem aliquo inſtrumento ad copulam, debet condemnari ad mortem; ſi verò ſine inſtrumento, pæna extraordinaria puniri debet.

48 Si vir cum propria uxore per vas poſterius habeat copulam, qua pæna punitur ?

℞ Pænam mortis, & ignis; ſicut ſodomitæ; ratio eſt, quia matrimonium non dat facultatem ad committendum hoc peccatum, imò auget delictũ, cum ſit res ſacra, & non debet induci excuſatio, & velamen ad tam magnum peccatum, & quia mulier credita eſt, & commiſſa viro per Sacramentum ad benè utendum, & non ad malè utẽdum *DD. in l. cum vir nubit in fœmina. C. ad l. Juliam de adulterijs, & in c. in Archiepiſcopatu, de raptorib.*

49 Propter crimen ſodomiæ commiſſum à viro, datur nè ſeparatio thori ad inſtantiam mulieris ?

℞ Affirmativè, ſive ſit ſodomia cum propria muliere, ſive cum alia, ſive cum viro; eſt, quia major injuria fit matrimonio per ſodomiam, quam per adulterium, cum ſit majus peccatum, & per adulterium datur ſeparatio thori à fortiori debet dari per ſodomiam. *Io. Andr. Anch. & Archid. in maritis, de adulterijs. c. Idolatria,* 28. *q.* 1. *c. omnes accuſationes,* 32. *q.* 7.

50 Sodomia hominis cum aliqua beſtia cujuſcumq; generis ſit, vel ſi aliqua mulier coeat cum aliqua beſtia, ut cum cane per vas naturale qua pœna punitur ?

℞ Punitur pœna mortis, & ignis ſicut ſodomita, ratio eſt, quia abutitur ſuo corpore contra ſuam naturam. *C. cum vir nubit in fœmina. l. citata, & DD. ibi & Abb. in d. c. cum in Archiepiſcopatu de raptoribus.*

51 Crimen ſodomiæ quomodo probatur ?

℞ Sufficit confeſſio rei extorta in tormento, ſed poſtea ratificata intra terminum 24. horarum, & ſufficit ſocius criminis, etiam infamis, & præſumptiones vehementes, & in lege Hiſpaniæ edita a Philippo II. Rege prudentiſſimo, ſufficiunt duo teſtes ſingulares complices in diverſis actibus, & probant ſicut ſi eſſent conteſtes in vno, eodemq; actu, & ſicut eſſent omni exceptione majores; ratio eſt, quia de ſua natura alij teſtes haberi nequeunt. *Marcard. l.* 1 *ff. de quæſtion. Affl. dec. in conſt. Neapol. Francij, Vivas lib.* 1. *deſt.* 157. *nu,* 9. *Alex. conſ.* 66. *in fin. vol.* 3. *Ias. conſ.* 161. *vol.* 4.

52 Quæ præſumptiones, & coniecturæ ſufficiunt in crimine ſodomiæ ad condemnationem ?

℞ Fuga, fama publica cum alijs adminiculis, nempè cum mutua converſatione, dormitione in eodem lecto, oſculis, dictis, ſolicitationibus, cauta, & intrinſeca amicitia, & ſi his addatur confeſſio unius partis, etiam extorta in tormentis, erit ſufficiens probatio (altera parte exiſtente negativa) ad pænam ordinariam. *c. præterea de teſtibus. Alex, conſ.* 66, *in fin. vol.* 3. *Ias. conſ.* 141. *vol.* 4. *nu* 4.

53 Sola fama in delicto ſodomiæ quam probationem facit, & quid operatur ?

℞ *1mò*, ſi fama ſit publica, & habeatur à majori, & ſeniori parte populi ita credentis, facit probationem ſufficientem ad inquiſitionem; non verò ad torturam, neq; ad condemnationem niſi poſtea illi adjungãtur cætera adminicula, quia nunquã, vel raro per ſolam famam in hoc crimine proceditur, ne injuſtè, & cum falſo fundamento tollatur alicui viro ſuus honor. *Alex conſ.* 53. *vol.* 3. *Ias. in l. admonendi. ff. de jurejur. nu.* 148,

54 Si non agatur de crimine reali ſodomiæ, ſed de ſola ſollicitatione: nempè, quia ſollicitatus non ſolum non conſenſit ſollicitationi, imò coram Judice denuntiavit ſollicitantem, quæ probatio requiritur in hoc caſu ?

℞ Ad capturam ſufficiet denuntiatio; ad pœnam verò advertendum eſt, quòd requiruntur eædem præſumptiones, & adminicula, quæ in crimine vero, licèt nunquam ex ſola ſollicitatione imponatur pæna mortis, ſed pœna extraordinaria graviſſima; nempe exilij, recluſionis in aliquo monaſterio, vel alia hujuſmodi. *ut Franc. Vivius lib* 1. *dec.* 157. *num.* 6.

55 In crimine hæreſis quæ probatio requiritur ?

℞ Licèt cautiùs ſit agendum, ubi majus periculũ vertitur, & crimen hæreſis quaſi ſemper ſit cum ſocijs, tribus modis probatur. *1mò*; confeſſione etiam extorta in tormentis. *2dò*, teſtibus etiam infamibus, vel ſocijs criminis. *3tiò*, ſcripturis recognitis à parte, vel ab alijs, ratio eſt, quia Jus Canonicum ſolùm habilitavit teſtes, & probationes, ſine quibus hoc delictum non probaretur; nam licèt nobis hoc delictum non ſit occultum,

inter hæ-

inter hæreticos publicum est,& honoris. *Conrad. Brun.p.2.c.9. de heret. l. 1. §. Divus. ff. de quæstionib.*

56 Crimen læsæ maiestatis quomodo probatur?

℞ Per socium criminis, per coniecturas, & præsumptiones violentas,per fugam,per dicta etiam extrajudicialia, statim bona confiscantur. tenet *Ziliet.tom. 1.cons.103.lo. Anar. c. 1. de homicid. vers. requiritur.*

57 Conjuratio,& conspiratio apostata quid est?

℞ Locutio aliquorum cum juramento, vel fine illo facta occultè,vel publicè in damnum alicujus particularis Reipubl. vel Principis. *Abb. c. fin. de testib. cogen. n. 1.*

58 In delicto cōjurationis quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, ut probetur per ipsos socios criminis, qui statim debent cogi tormentis,cum res sit inter ipsos secreta,& fuga sit maximum indicium. *Abb. c. venerabilis eod. tit.*

59 Quibus modis committitur apostatum, seu homicidium factum animo deliberato?

℞ Quatuor modis. *1mo*, ex proposito quærens inimicum à facie ad faciem, & hoc non habet speciem tradimenti. *2do*, ex insidijs. *3tio*, proditoriè interficiendo inimicum inscium, & securū cum tradimento. *4to*, per assassinium,mandando alteri,ut illum interficiat, *ut tenet Julius Clar. lib. 5. § homicidium. n. 8. & 9.*

60 In homicidio ex proposito causato ( ubi quis non facit tradimentum ) quæ probationes requiruntur?

℞ Confessio partis,vel testes, & fuga?

61 In homicidio causato proditoriè ex insidijs, quæ probationes requiruntur?

℞ Confessio partis extortæ in tormentis,vel præsumptiones violentæ, sicut fuga,inimicitia,arma, cum quibus occisus fuit,fama,titubationes, signa exteriora,& alia his similia *Julius Clar. lib. 5. §. homicidium. n. 10.*

62 Quis dicitur assassinus verè?

℞ Tam ille,qui mandat aliquem occidere,quàm qui occidit mediante pecunia,vel sine pecunia,& uterque eandem pœnam incurrunt, *Jul. Clar. lib. 5. §. assassinum, n. 1. Bald. cons. 383. n. 1. & non gaudent immunitate Ecclesiastica. Remig. de immunit. Eccles. fol. 15. §. ex omnibus.*

63 Crimen assassinij quomodo probatur?

℞ *1mo*, confessione partis extortæ in tormento, quæ facit fidem contra mandantem,& exequentem. *2do*, præsumptionibus,fuga scilicet,& inimicitia anteriori,fama,insidijs positis in alia occasione,aggressione factâ ab occidente, armis superioribus,quæ portabat ille, qui occidit alium, minis ante factis,& alijs coniecturis, quæ in quolibet negotio oriuntur. *c. 1. de homic. in 6 & ibi DD. præcipuè Jul. Clar. §. assassinum,lib. 5. n. 5.*

64 Crimen interficientis aliquem veneno,quomodo probatur?

℞ Confessione partis extortæ in tormentis, præsumptionibus,nempe fuga,& inimicitia anteriori si emit venenum ax aliqua officina, si ipse sciat id condere, si dedit mortuo aliquid manducare, ex quo secutā sit mors, si habeat malam famam, si sit homo inferior, & non potuerit ab illo alio modo vindictam sumere,& in hoc casu coram Judice, Notario,& testibus,mortuus est aperiendus, & à medicis inspiciendus,eorum dicta sunt scribenda. *l. 1. & 4. ff. de sicarijs. quas citat Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. homicidium, num. 3.*

65 Medicus, qui scienter adhibet medicamentum, ut infirmus moriatur, quam pœnam incurrit, & quomodo probatur?

℞ Punitur pœna mortis gravissima;ratio est,quia utitur suo officio in malum finem, & probatur coniecturis, præsumptionibus, nempe inimicitia anteriori ex dictis aliorum medicorum. *Jul. Clar. lib. 5. §. fin. n. 26. in practica criminali.*

66 Sclopetæ ictus, morte secuta, vel non, quomodo probatur?

℞ Confessione partis etiam extortæ tormentis, præsumptionibus,fuga,sonitu sclopetæ,considerato loco,tempore, distantia, inimicitia, occisione, fama,ætate,intentione,& alijs.

67 Si in delictis occultis mors non sequatur, qua pœna punitur,qui intentavit alium occidere?

℞ Cum distinctione: si voluit occidere veneno, vel alio tradimento,& persona erat Princeps,vel Dominus, punitur pœna gravissima mortis in exemplum aliorum; si verò personæ sint ordinariæ, punitur pœna extraordinaria arbitraria. *Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. homicidium, n. 14.*

68 Libellus famosus quomodo probatur?

℞ Indicijs,nempe fuga,inimicitia,occasione,minis extrajudicialibus, vita anteriori, & considerata persona, hæc indicia sufficiunt ad torturam: si verò accedat unus testis oculatus, vel confessio partis,ad pœnam gravissimam ordinariam. *Julius Clar. lib. 5.q.21.§. practica criminalis.n. 18.cum seqq.*

69 Delictum incendiarij quomodo probatur?

℞ Per solam fugam,cum quis bannitur, & non comparet,hæc probatio est sufficiens ad probandū bona fisco competere, & si ad fugam accedant alia indicia, nempe inimicitia, minæ, mala fama quòd tali die fuit visus in agro prope incendium, hæc probatio erit plenissima; quia hoc delictum potest committi ab uno homine, scilicet esca. *Ziliet. tom. 1. cons. crimin. cons. 61. l. admonendi ff. de jure jurando,& Bart. ibi num. 35.*

70 Libellus famosus quibus modis fit, & qua pœna punitur,qui eum intentat?

℞ Duobus. *1mo*, scriptura, *2do*, signis, ut si quis atramento, vel alio colore coinquinet domum mulieris,vel suspendat cornua,& licet de jure puniatur pœna capitali,tamen raro executioni mandatur,sed talis solet puniri fustibus,exilio, pœna pecuniaria. *l. unica. C. de famosis libellis. Jul. Clar. lib. 5. §. fin num. 25.*

71 Falsa moneta quomodo probatur?

℞ Ex præsumptionibus,nempe fuga, si inveniantur instrumenta,cum quibus fit,vel ipsa moneta falsificata,& his similia. *Julius Clarus. ubi sup. §. falsum. num. 37*

72 Quot sunt genera furtorum?

℞ Duo,scilicet, manifestum, quando quis deprehenditur cum furto,vel furans,& tunc impunè, potest interfici;& aliud est non manifestum furtum, & non deprehenditur apud furantem. *l. furtorum.*

*furtorum §. de furtis. Jul. Clar. ubi supra. §. furtum. n. 5.*

73 Delictum furti quomodo probatur?

℞ Per testes, complices, per indicia, famam, ex eo quòd aliqua res furata inveniatur in domo, vel potestate latronis. *Julius Clarus ubi supra §. furtum, numero quinto.*

74 Crimen falsi circa quæ committi potest?

℞ Circa plurima, & multis modis 1mo, circa testes, subornans eos, & talis eadem pœna mulctatur. 2do, circa scripturas. 3tio, circa monetam. *Julius Clarus. ubi sup. §. falsum nu. 4.*

75 Quibus modis probatur crimen falsi?

℞ 1mo, per confessionem partis. 2do, per hoc, quòd ipse testis deponat contraria. 3tio, per testes legitimos deponentes, quòd talis testis deposuit falsitatem sciens. *Jul. Clar. ubi sup. nu. 3 & 8.*

76 Si aliquis testis dicat se deposuisse falsum precibus alicujus est ne illi danda fides contra talem hominem, qui eum induxit?

℞ Regulariter non: quia talis testis est perjurus, & infamis, sed cum alijs adminiculis, nempè si inducens est inimicus illius, contra quem testis falsum duxit, facit aliquam probationé, & magnum indicium, ut talis inducens prosequatur de delicto subornationis, seu inductionis. *Jul. Clar. lib. 5. §. falsum, nu. 5. Dec. cons. 69. nu. 8. ve b. primo quia.*

77 Dolus, fraus, simulatio, & falsitas in scripturis, vel instrumentis, quomodo probatur?

℞ Per conjecturas; nempè examinando, & recognoscendo coram testibus, & Notarijs literas, & inscriptionem talis tabellionis, & eam comparando cum literis falsificatis, & hæc probatio, si tabellio ille, qui falsificavit, sit mortuus, sufficiet ad declarandam talem scripturam falsam; si verò sit vivus, ad torquendum talem hominem, ut tenent omnes criminalistæ, mittatur.

78 Probatio simoniæ quomodo fit?

℞ Per conjecturas, sicut dictum est in hoc libro, tractatu de simonia, præcipuè cum sit realis, & mentalis; sed cum hoc delictum sit occultum, & gravissimum, conjecturæ debent esse evidentissimæ, quæ nulla ratione fallere possint, ita ut convincant reum, ut habetur. *1. q. 1. per totum. c. evidentia de accusat. leg. sciant cuncti. C. de probationib. Io. Andr. in c. fiunt de simonia. l. 1. C. de hæreticis. & Manicheis.*

79 In delictis occultis si probatio sit dubia, pro quo judicandum est, pro reo, vel contra reum?

℞ Pro reo; ratio est; quia delictum non præsumitur, ubi possibile est aliquid sine crimine fieri, & quia de æquitate juris magis favendum est reo, quàm actori, *Abb. c. cum tu fili. de testib. nu. fin. c. in præsentia. de probat. nu. 34.*

80 Judex cum condemnat aliquem, qui commisit delictum occultum, & movetur solis præsumptionibus, & conjecturis vehementibus, vel uno solo teste, quam pænam debet imponere?

℞ Non debet dare pœnam ordinariam, sed mitiorem, & infra ordinariam, quæ magis sit remedium, quàm pœna, ne tale delictum iterum committatur; ratio est, quia non extant plenæ informationes. *Marsil. in l. quis ne. ff. de quæst. nu. 149. Ab. c. si quis, quam, de cohab. cler. & mul. nu. 4.*

81 Judex in quibus delictis occultis, vel non occultis potest procedere sola scientia, quærela, vel denuntiatione absq; eo, quod constet de delicto?

℞ Cum distinctione delicta sunt in duplici differentia. 1mo, sunt delicta, quæ commissa nulla relinquunt vestigia sui, ut simplex fornicatio, adulterium, furtum, hæresis, perjurium, & alia similia; & in his delictis Judex procedit sola scientia, vel denuntiatione usque ad finem causæ. 2do, sunt alia delicta, quæ relinquunt sui vestigium, & signum, ut occisio hominis, stuprum virginis, vulnus, incendium, fractio domus, vel carceris, & his similia: in istis Judex procedit, postquam constitit de delicto. *Julius Clarus. libro quinto, §. final. quæstione 4. numero secundo.*

---

# CAPUT XXII.

## De testibus, & attestationibus.

1 Probatio per testes, quare est introducta à jure?

℞ Ut res, quæ per testimonia, & scripturas non apparent, per testes notæ fiant, *glos. in rubr. de testibus. & attestationib. & Ioan. Andr. in d. rub.*

2 Qualis est probatio per testes?

℞ Si testes sint omni exceptione majores fortissima est & secunda fortior post confessionem partium. *gl. ubi supra.*

3 Quis debet esse testis?

℞ Idoneus, *c. 1. de testib. & ibi gl.*

4 Quis dicitur testis idoneus?

℞ Ille, cui nulla potest opponi exceptio ex his quæ testem reddunt inhabilem. *c. 1. de testib.*

5 Quam regulam debemus servare ad admittendum testem ad testificandum?

℞ Quoties quis ex tali dicto commodum vel damnum non reportat. neq; est pars principalis neq; procurator, vel affinis partis, neq; habet odiũ neque amicitiam, neque timorem, neq; affectioné respectu partis, tunc admittendus est tanquam testis idoneus. *Abb. in c. insuper, de testib. nu. 8. licet ex quadam, eod. tit. & ibi gl.*

6 Quæ requiruntur in teste idoneo?

℞ Conditio, sexus, ætas, discretio, fama, & fortuna. *Glos. in c. 2. de testib.*

7 Quæ est conditio, quæ requiritur?

℞ Ut sint testes liberi, non servi. *c. si testes 4. q. 3 §. item liberi.*

8 Quis sexus requiritur?

℞ Ut sit masculus, & non fæmina, quæ de jure Canonico non admittitur. *c. forus, de verb. signific.*

9 Mulier in quibus casibus admittitur ad testificandum?

℞ In crimine commisso à se, & etiam contra Clericum in defectu aliorum testium. *c. quoniam, de testibus.*

10 Quæ ætas requiritur in teste?

℞ In civilibus debet esse major quatuordecim annis, in criminalibus major viginti, quia agitur de vita, quæ pretiosior est divitijs. *c. si testes. q. 3.*

11 Quæ discretio requiritur in teste?

℞ Talis discretio, ut possit discernere rem, & veritatem à falsitate, & ideò non debet esse impubes?

12 Quæ fama requiritur in teste?
℞ Quod non sit infamis infamiâ juris, vel facti. *c. testimonium, de test.*
13 Quæ fortuna requiritur in teste?
℞ Quod non sit pauper ea paupertate, de qua timeatur, quòd propter metum veritatem non aperiat. *c. si qui testium, eodem tit.*
14 Pauper repellitur nè à testimonio dicendo?
℞ Secundum. *c. in primis. q.2.& c. si testes. 4. q. 3.* repellitur pauper testificando; sed hoc intelligitur non ratione paupertatis, sed timoris, ut non corrumpatur: at verò si pauper sit persona honesta, non solùm non repellitur; sed ei fides datur. *gl. in c. si testes. 4.q.3.§. testium.*
15 Quæ est causa scientiæ, quæ requirenda est à Judice in teste, & in quo consistit?
℞ Consistit in sensibus hominis deponentis, videlicet si res sit visibilis, quia vidit, si res est palpabilis, quia palpavit, si ad auditum pertinet, quia audivit, & debet interrogari quando, quo loco, quo tempore, & coram quibus. *Abbas in c. cum causam, de testibus num. 8.*
16 Quæ fides requiritur in teste?
℞ Quod non sit infidelis. ut habetur *in c. 1. & ibi glos. de test. & attest.*
17 Quotuplex est odium?
℞ *Duplex* privatum, & publicum, vel generale: privatum est, quando propter inimicitiam quis odio habet alteram personā; publicum, vel generale, quando publice omnes odio habemus, videlicet peccatores, quia generaliter odio habemus peccata, & vitia. *Abb. in c. quoties de test. nu. 4.*
18 Quod odium debet quis habere, ut repellatur à dicendo testimonium in aliqua causa?
℞ Odium privatum tali personæ, quia publicum non vitiat testimonium, cum sit generale. *Ioan. Andr. in c. quoties de test.*
19 Quotuplex est amicitia?
℞ Duplex alia carnalis, alia charitativa; carnalis est, quæ dirigitur in ordine ad corporis voluptates, aut ad alium finem humanum: charitativa est, quæ respicit Deum tanquam finem, seu rationem formalem, propter quem res diligitur, ut cum diligitur proximus propter amorem Dei, *c. de parentela 35.q.6.& Abb. in c. quoties de test. nu. 5.*
20 Quæ amicitia repellit hominem à testificando?
℞ Carnalis, non charitativa. *Abb. ubi sup.*
21 Productiones testium quo in numerò debent admitti a Iudice ad petitionem partis?
℞ Tres productiones possunt admitti? quarta vero productio testium non est admittenda sine solemnitate legali, ut litibus finis imponatur. *c. in causis, de testib.*
22 Quæ solemnitas est legalis?
℞ Juramentum, quod fit à parte proferente, quòd ad ejus notitiam ante non venerit notitia talium testium, & quod non fecerit dictam quartam productionem animorum dilatandi, nec superfluè, sed consequendi justitiam. *Abb. in c. in causis. de test.*
23 Attestationes, & depositiones factæ in uno judicio valent ne in alio?
℞ Si legitimè sint factæ, valent. *c. causamque 1. de testib. & attest.*

24 Testes quomodo sunt examinandi?
℞ Sigillatim, & secretè, non præsente conteste; alias non valent. *c. venerabilis, de test.*
25 Testis, qui sub obscure dixit, potest nè iterum examinari?
℞ Potest etiam post publicationem. *c. cum clamor, de testibus.*
26 Testes quomodo debent esse, ut sit sufficiens eorum testimonium?
℞ De visu, de affirmativa, reddendo sufficientem causam suæ depositionis.
27 Si aliquis testis det causam suæ depositionis, & postea dicat se credere, quam fidem facit?
℞ Inficit suum dictum, quasi dicat de credulitate. *Abb. in c. quotius. de test. nu. 9.*
28 Testis præsentatus super uno articulo, si dicat in alio, valet nè ejus depositio?
℞ Non, quia solum valet in eo, ad quod est præsentatus *c. de testib. tit de test. & ibi Abb. nu. 1.*
29 Si testis examinatus in summaria moriatur, facit nè fidem ejus dictum in plenaria?
℞ Non, quasi non esset, ratio est, quia ratificatio testium de jure est necessaria, tanquam solennitas substantialis. *Abb. in c. tua, de test. nu. 4.*
30 Si testis velit se corrigere in sua attestatióne, est nè admittendus?
℞ Si id faciat statim, vel ante publicationem, tunc est admittendus. *Abb. in c. per tuas. eod. tit. nu 1.*
31 Si aliquis testis dicat unum coram arbitro, & contrarium coram judice ordinario, cum arbiter mortuus fuerit, cui dicto est standum?
℞ Primo dicto, licet multum debilitetur, cum secundum habeatur suspectum. *Abb. in c. præsentata de test. num. 10.*
32 Actus depositionis ad quod tempus defertur?
℞ Ad tempus juramenti, licet depositio in alio die fiat *Abb. c. 2. de test. num. 4.*
33 Testis debetne jurare?
℞ Debet de veritate dicenda, & debet admoneri à judice, ut dicat veritatem pro utraque parte. *Abb. in cap. in nomine* Domini, *de test. nu. 1.*
34 Testis, qui jurat de non testificando, potest nè compelli ad dicendum?
℞ Debet pœnis, carcere, & censura, præcipue, quia tale juramentum non obligat; est enim contra justitiæ administrationem. *cap. intimavit de test. & ibi Abb. nu. 1.*
35 Si quis juravit alicui non revelare secretum, si in testem super eadem re producatur, quid debet agere?
℞ Debet dicere veritatem, & non peccat eam dicendo sub juramento, quia ipse non revelat secretum sibi commissum, quia alij prius revelaverunt, & ipse tenetur deponere veritatem. *Abb. ubi supra nu. 3.*
36 Si testis deponat, & postea juret, valebit ne ejus dictum?
℞ Non, quia juramentum est actus substantificus ad eliciendam veritatem, licet contrariam opinionem aliqui teneant, sed verius est non valere tale dictum; ratio est, quia dixit ante juramentum, & juramentum cadit supra dicenda, non supra iam dicta. *Abb. c. de test. eod tit nu. 8.*

37 Si testis deponat sine juramento, & dicat falsitatem, potest ne condemnari de crimine falsi?
℞ Poterit puniri ut falsarius, sed non perjurus. *Abb. ubi. sup. nu. 9.*

38 In quibus standum est juramento partis?
℞ In dependentibus à conscientia alicujus, si per alia remedia res probari non possit. *Abb. c. præsentium, de test. n. 3.*

39 Partes possunt ne remittere juramentum testibus sine consensu Judicis?
℞ Possunt, quia introductum est in favorem partium, quæ possunt renuntiare: & officium judicis est solum partes ad concordiam reducere. *Abb. c. tuis quæstionibus, eod. nu. 3. de test.*

40 Si aliquis testis juravit se nihil dicturum, aut non dicturum veritatem, est ne admittendus, & valet ne tale juramentum?
℞ Tale juramentum non obligat, sicut de re illicita, & nihilominus est admittendus, & tenetur dicere veritatem. *Abb. in c. constitutis, tl. det testibus nu. 2.*

41 Testis potest ne jurare per procuratorem?
℞ Non, cum sit actus pertinens ad propriam conscientiam *Abb. c. licet ex quodam. eod. tit nu. 6.*

42 Si quis sine juramento dicat aliquod contra aliquem scripto, vel verbo, est ne ei credendum?
℞ Non quia est contra ordinem juris, & contra charitatem *c. nuper de test.*

43 Testis receptus sine citatione partis valet ne?
℞ Non, *c. 2. de test.*

44 Quando proceditur per inquisitionem, pars debet ne citari ad recipiendos testes?
℞ Non, bene tamen ad publicationem testium. *Abb. c. 2. de test. nu. 8.*

45 Si timeatur potentia adversarij, potest ne Judex clam. examinare testes?
℞ Potest ad instantiam partis. *Abb. c. 2. n. 9. de test.*

46 Si pars citata noluerit comparere, nec interesse juramento testium, valebit ne testimonium?
℞ Valebit, sicut si præsens fuisset. *Glos. in verb. noluerit c. 2. testib.*

47 Si citatus fuit procurator, & non Dominus, & dominus non comparuit, valebit ne talis depositio?
℞ Valebit quia procurator agit ejus personam. *l. qui stipendia C. de procuratorib. 2. q. 7. cap. biduum verb. palam, ut refert* Abb. *c. 2. eod. titulo nostro. n. 17.*

48 Qui numerus testium est necessarius in qualibet causa?
℞ In ore duorum, vel trium stat omne verbum, & licet duo testes probent in rebus gravissimi præjudicij; tamen secundum veriorem opinionem *D. Thom. duo testes sufficiunt ad pœnam rigorosam, & ordinariam.* Abb. *in c. quoties de test. n. 1. & cap. licet. tl. 1. eod tit.*

49 In quibus causis sufficit testimonium unius?
℞ In causis, ubi non agitur de præjudicio alterius ut si quis est baptizatus, si Ecclesia est consecrata, si quis est uxoratus, vel, non uxoratus *Abb. in cap. licet, tl. 1 eod. tit. n. 5.*

50 Si testator mandet, ut stetur dicto unius personæ in aliqua re, vel dispositione sui testamenti, requiritur ne citatio partis?
℞ Non, est casus notabilis. *Bart. in l. Theopompus ff. de dote prælegata, n. 1.*

51 Unus testis quam fidem facit?
℞ Nullam, quia dictum nullius; sed auget præsumptionem. *c. veniens, tl. 1, de test. cap. lic. tl. 1. eod tit.*

52 Singularitas testium quotuplex est?
℞ Triplex, obstativa, diversificativa, & cumulativa *Bald. in c. licet causa de probationibus, vide caput de Clerico solicit. in confess. lib. 5.*

53 Dictum unius quando sufficit ad torturam?
℞ Quando dicit super facto, non quando dicit super præsumptione, vel indicio *l. 2. ad. Jullam de adul.*

54 Est ne considerandus numerus testium in probationibus?
℞ Non, sed auctoritas, videlicet si sint honestiores, ditiores, melioris famæ. *Secundo.* consideratur, si dicta eorum sint magis consona juri communi *4. q. 3. c. si test. c. licet. de probat. Tertio.* eorum multitudo, quia sunt plures numero, sed illæ qualitates considerantur eo ordine, quo scriptæ sunt, secundum quas aliquando minor pars testium prævalet majori. *Hostiens, eod tit. Abb. in c. in nostra, de test. n. 1.*

55 Cui credendum est magis testibus de affirmativa aut pluribus de negativa?
℞ Duobus testibus de affirmativa, quia deponunt rem certam; testes vero de negativa deponunt quasi de re incerta. *Abb. c. in nost. eod tit. n. 6.*

56 Testimonium de credulitate quando admittitur?
℞ Ubicunque causæ per scientiam probari non possunt propter magnam antiquitatem, & admittuntur testes de auditu, quando instrumenta deficiunt. quia non est alia probatio. *Abb. in c. quoties, de test. num. 6. & 7.*

57 Criminosi, & infames quando admittuntur ad denuntiandum crimen aliorum?
℞ In re gravi perniciosa fisco, vel Reip, vel Principi. *Abb. in c. novit de Jud. n. 39. & c. in omni negot. de testib. & n. 5.*

58 Si testis dicat se audivisse ab alio, qui etiam audivit ab alio, quid probat?
℞ Nil, quia testis debet deponere de visu, vel auditu, scilicet, quia audivit ab alio, qui ipsemet vidit ac narravit. *Abb. in c. tam literis, de testib. num. 5. c. cum causam, eod tit.*

59 In denuntiatione qui testes admittuntur?
℞ Omnes, sed non inimici, neque criminosi. *c. quoniam de test. & ibi glos.*

60 Admonitiones requiruntur ne ad validitatem denuntiationis?
℞ Sufficiunt duæ denuntiationes. *Abb. c. in omni negotio ut supr. nu. 2.*

61 Denuntians quando admittitur ad testificandum?
℞ Solum quando agitur ad correctionem delicti vel pœnam levissimam; non vero quando imponitur pœna legis. *Abb. in c. in omni negotio, de test. nu. 4.*

62 Si quis confiteatur delictum, & ratificetur in confessione, & postea dicat contrarium, quid agendum?
℞ Non est illi credendum *c. veniens, tl. 1 de test.*

63 In cri-

63 In crimine simoniæ contra Clericum, quæ probatio requiritur?

℞ Plena, etiam si agatur civiliter. *Abb. c. veniens il. 1. nu. 4. eod tit.*

64 Socius criminis admittitur ne in testem in crimine simoniæ?

℞ Regulariter non admittitur in uno crimine, sed ejus depositio dat majorem, & auget fidem aliorum testium. *c. veniens ad nos, de test.*

65 Quibus modis quis est socius criminis simoniæ? Duobus Primo, adjuvando ad crimen simoniæ, Secundo adjuvando, & participando de pretio dato pro simonia. *c. primo de test. in 6. gloss. mediatores.*

66 Quando admittitur socius criminis simoniæ ad testificandum contra simoniacum, & contra quas personas?

℞ Contra laicum, & solum quando agitur civiliter. & non criminaliter, at vero non admittitur contra Clericum, neque quando agitur civiliter, neque criminaliter propter ejus dignitatem, nisi Clericus sit persona vilis, & infamatus *c. in primis. 2. q. Abb. in c. veniens de test. nu. 7. & gl. in c. 1 de test. verb. mediatores in 6.*

67 Quot mulieres sufficiunt ad dissolvendum matrimonium, vel contrahendum?

℞ Duæ mulieres faciunt plenariam probationem si non sit alia probatio virorum. *Abb. in c. super nu. 2. de test. il. 2,*

68 Si duo petant eandem uxorem, & æqualiter probent, cui debet dari?

℞ Judex debet differre sententiam, usquæ dum constet, quis sit ejus maritus propter periculum, ne forte tradatur homini, qui non sit ejus maritus. *Abb. in c. in nostra eod tit. nu. 5.*

69 In causa matrimoniali, vel criminali partes possunt ne remittere juramentum partibus?

℞ Non, si agatur de validitate matrimonij, nec in crimine cum lædatur fiscus, & hæc est regula generalis, & non possunt remittere juramentum nisi in causis, quæ pendent a libera partium voluntate, quia alias non renuntiarent suo juri, sed alieno. *Abb. c. tuis q. nu. 5. eod. tit.*

70 Cum agitur ad impediendum matrimonium, quot testes requiruntur?

℞ Unus sufficit. *c. praterea de sponsalibus, secundo.*

71 Ad probandum crimen adulterij, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, quod sint singuli testes in actibus diversis; videlicet; quod viderint in diebus diversis hominem esse supra mulierem. *praterea. de test. & ibi Abb. num. 1.*

72 Ad crimen fornicationis, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit, quod testes viderint hominem, & mulierem in latebris, vel in occulto ad inuicem se osculantes. *Abb. in c. praterea de test. nu. 2.*

73 Ad probandam copulam carnalem in matrimonio, quæ probatio requiritur?

℞ Sufficit testimonium de auditu cum alijs adminiculis, *Abb. c. praterea de test. num. 4.*

74 Quæ sunt adminicula, quæ juvant probationes istas?

℞ Tactus viri, & mulieris, visus, frequentatio domus, missio nuntiorum, cohabitatio, amplexus, oscula, & similia *Abb. in cap. praterea de test. n. 7.*

75 Ad separationem thori, quæ probatio requiritur.

℞ Sufficit, ut testes dicant de auditu. *Abb. ubi sup. numero. 5.*

76 Requiruntur nè hæc omnia adminicula simul ad probationem horum criminum?

℞ Sufficiunt cum fama unum, vel duo ex his adminiculis, si vero non sit fama, non sufficiunt adminicula. *Abb. ubi supr. nu. 7. & 5.*

77 Cæcus, qui audit clauso ostio, vel media cortina, potest ne in istis criminibus carnalibus esse testis?

℞ Si cæcus habet cognitam vocem viri, & mulieris, ita quod distinctè possit testificari illos esse Ioannem, & Ioannam, est sufficiens testis, cum ex mira Domini providentia voces hominis sint diversæ sicut facies *Abb. cap. praterea nu. 6. de test.*

78 Uni Cardinali, vel Episcopo creditur nè?

℞ In præjudicium alterius non *c. cum a nobis de test.*

79 Iudex potest ne comittere examinationem testium in alio loco alicui Delegato, tam in civili, quam in criminali causa?

℞ Potest, si testes commodè comparere non possint, & Delegatus debet esse discretus, & peritus *c. si qui testium, de test. Abb. in c. constitutus, de fide jussoribus. 5. & 8.*

80 Si testes deponant diversa, & non similia, quid debet facere Iudex?

℞ Si fieri potest, concordare eorum dicta, ut evitetur perjurium. *tex. in c. cum tu fili, de test.*

81 In dubio, in cujus favorem est interpretanda depositio testium?

℞ In favorem rei, & non actoris; quia jus reo favet *Abb. in c. cum tu fili, de test. nu. ult.*

82 Facta publicatione testium, Iudex potest ne admittere novos testes?

℞ Non. super eisdem articulis, super quibus jam dictum fuit, ratio est, quia ante publicationem, fit renuntiatio a partibus, dicentibus se non velle præsentare novos testes. *tex. in c. fraternitatis de testib.*

83 In quibus casibus post publicationem possunt recipi testes super eisdem articulis, vel contrarijs

℞ In pluribus *in c: fraternitati: Abbas* ponit quatuordecim casus, in quibus fallit dicta regula. *1mo.* in causa matrimoniali propter periculum Sacramenti, *2ndo.*, in causa apellationis. *3tio.* ubi non obstat exceptio rei judicatæ. *4to.* ubi perijt instantia propter lapsum biennij, vel trienij, *c. examinata de judicis l. properandum. C eod. tit. 5to.* Quando dicta testium sunt furata, vel perdita, vel igne cremata *6to.* cum agitur inter alias personas, vel venit tertius oppositor, vel ligatur de novo. *7mo.* cum variatur modus agendi. *cap. veniens de test.* ut si probationes factæ fuerint in summario, & publicatæ in plenario, super eisdem articulis alij possunt recipi. *8vo,* quando restituitur minor, vel Ecclesia. *9no.* in judicio inquisitionis, quæ procedit ex officio judicis. *10.* si quis directè voluerit probare falsitatem testium.

um. 11mo. si inscia, vel invita parte, fuit facta pu- blicatio testium. 12mo. si judex arbiter moria- tur facta publicatione, arbitrium non fuit fini- tum, & in voluntate partis consistit super eisdem articulis præsentat directe novos testes *c. præsen- tata de test.* 13tio. cum quis probavit se dece- ptum ultra dimidium pretium, sed testes non dixerunt, neq; declaraverunt quantitatem de- ceptionis, ultra dimidium, ut in casu, *c. cum cau- sa de testibus* 14to. cum aliqui testes fuerunt in- terrogati, sed non plene, *ut in c. per tuas de test.* 15to. in causa criminali *l. Divus ff. de custodia reo- rum l. 1. ff. de quæstionibus & Hostiens. c. præsentat: de test. Abb. c. fraternitatis, nu. 3. & 4.*

84 Judæi possunt ne esse testes contra Christianos?

℞ Non, bene tamen è contra *c. Iudæi de test. & Abb. ibi num. 3.*

85 Testes sibi contrarij quam fidem faciunt?

℞ Nullam *Abb. in nostra de test num. 3.*

86 Si probationes æquales sint pro quo est senten- tiandum?

℞ Pro reo *c. non nostra de test.*

87 Si quis condemnatus sit in possessorio, potest ne audiri denuo in proprietate?

℞ Non, nisi prius reficiat expensas, & restituat fructus a se perceptos; postea vero auditur in ju- dicio proprietatis, quia absolvit etiam in judi- cio possessorio *Abb. in cap. significaverunt de testib. num. octavo.*

88 Judex potest nè præscribere partibus numerum certum testium?

℞ Potest secundum qualitatem causæ, dummodo præscribat æqualem numerum reo, & actori, *c. cum causam de test.*

89 Quam pænam incurrit Judex, qui non interro- gat testem de causa scientiæ depositionis suæ?

℞ Tenetur restituere parti interesse. *Abb. in c. cum causam, de test. num 8.*

90 Judex potest ne publicatis attestationibus testes novos recipere?

℞ Potest ex officio suo *Abb. in c. cum clamor de te- stibus num. 1*

91 Attestationes factæ in summario valent nè in plenario?

℞ Non, nisi iterum recipiantur. *Abb. c. veniens eodem tit num. 13 il. 2.*

92 Judex delegatus, si subdelegavit causam, po- terit nè esse testis in eadem causa?

℞ Variæ sunt opiniones. Abb. tenet quod si ta- lis judex subdelegavit causam, amplius non po- test reassumere, & si nihil egit ante subdelega- tionem, sed re integra se exoneravit, quod non repellitur in testificando: *Abb. c. dilecto de test. nu. 8.*

93 Facta publicatione debent nè testes iterum in- terrogari?

℞ Non, quia negligentia Judicis non debet esse nociva partibus. *Abbas in capit. per tuas. eodem titulo.*

94 Clerici possunt nè esse testes in causa suæ Ec- clesiæ?

℞ Si non sunt procuratores in tali causa possunt esse testes in favorem Ecclesiarum, quia jus tantorum virorum testimonio plurimum confi- dit. *c. insuper de testibus.*

95 Qui sunt de aliqua Universitate possunt nè esse testes in causa Universitatis?

℞ Possunt in civilibus; in criminalibus verò non *c. super prudentia 14. q. 2.*

96 Clericus productus coram laico, quid debet agere?

℞ Debet petere licentiam a Judice Ecclesiastico, & coram illo dicere, & jurare ad defensionem, & non ad offensionem, ubi possit intervenire mors, & mutilatio membri. *Abb. si qui testium. de test num. 6.*

97 Clerici debent nè compelli ad testificandum?

℞ In causa Ecclesiastica possunt compelli; in cau- sa vero sæculari non debent compelli: nisi in defectum testium sæcularium; & hoc in favo- rem alicujus, ne veritas pereat, quod arbitrio judicis Ecclesiastici relinquitur. Abb. c. *cum nun- tius de test num. 3.*

98 In quibus casibus Reges, & Principes in testes recipiuntur?

℞ In crimine hæresis, & læsæ majestatis Divinæ, vel humanæ *cap in fidei favorem de Hæreticis in 6.* & sic Dom. Imperatrix uxor Caroli V, Summi Imperatoris dixit testimonium coram Doctore Valdes Archiepiscopo Hispalensi Inquisitore Ge- nerali in negotio Doctoris de Torralva medici auruspicis, qui ex pacto cujusdam familiaris di- cebat res futuras, & eo die, quo Carolus V. armis occupavit Tunicem, dixit in civitate Val- lisoletana, dictæ Dominæ Imperatrici victoriam a supra dicto Imperatoreo adeptam notato die, postea verum fuit ejus dictum, & fuit in S. Inquisitione Vallisoletana pænitentiatus.

99 Religiosi conversi possunt ne esse testes?

℞ Possunt, quia illis non est in jure prohibitum. *cap. nuper, de test. c. & si Christus, de Iurejurando.*

100 Si religiosi dicant testimonium sine licentia Prælati, valebit nè eorum dictum?

℞ Affirmativè: licet ex eorum constitutione à suo superiori puniantur, cum sine ejus licentia, neq; literas possint accipere. *c. nuper, de test. c. & si Cristus, de jurejurando Bald. in auth. ingressi C. de Sacra Eccles.*

101 Laici ad quid admittendi sunt contra cleri- cum?

℞ Ad accusationem prosequentis suam, vel suo- rum injuriam semper admittuntur: ad testimo- nium vero non, nisi in defectu aliorum testium Clericorum, ne delicta maneant impunita *c. de cætero, de test & Abb. ibi num. 4.*

102 Procurator potest nè addmitti in testem?

℞ Procurator ad lites, non; quia repræsentat per- sonam Domini principalis: procurator vero ad negotia potest admitti, dummodo ipse de illa lite non ferat commodum, vel damnum. *Abb. in cap. insuper, de test. num. 8.*

103 Procurator in una causa potest nè esse testis, in alia?

℞ Affirmative: licet in causa, in qua fuit testis, ultra de novo non poterit esse procurator. *Abb. in c. super. de test.*

104 Pater in quibus casibus est testis idoneus pro filio, vel contra?

℞ In denuntiatione; quia in ea agitur de corre-

ctio ne;

ctione, & prohibitione peccati, & exaltatione. fidei, in quibus affectio carnalis non operatur. *Abb. in c. in omni negotio nu.3. gloss. ultima in d. c. eod. tit.*

105 Quando consangvinei possunt esse testes?

℞ In causa consangvinitatis, & affinitatis, & præferuntur alijs testibus, quia habent majorem notitiam, quam forenses. *tex in c. quoties de test.*

106 Mater quando potest admitti in testem pro filio?

℞ Quando agitur de validitate matrimonij, vel de revocando matrimonio. *cap. super eo in secundo de testib.*

107 Vilis testis, & infamis possunt ne testificari contra Clericum?

℞ Non, neq; laici in causa criminali, nisi de ea civiliter agatur, sed hæc jura hodie servantur in quantum cum alijs testibus possunt probari, vel non possunt; quia si aliter non possit probari, omnes admittuntur, ne delicta impunita maneant. *tex in cap. ex parte, test. c. de test. eod.tit*

108 Si quis sit actor, & objiciat crimen alicui, poterit ne reus contra ipsum opponere aliud crimen, ut eum repellat?

℞ Durante lite criminis non, ne ex metu talis obiectionis delicta impunita maneant *Abb. in c. testimon. de test. num. ult.*

109 Perjurus repellitur ne a testificando?

℞ Distingvendo: si quis violavit licitum juramentum, ut infamis repellitur, at vero si juravit juramentum illicitum, & factum contra charitatem, non repellitur; quia licet fecerit male jurando, se occidere inimicum, facit bene non adimplendo tale juramentum *Io. Andr. c. testim. de test.*

110 Ad quid prodest recipere testimonium Socij criminis?

℞ Ad augendam præsumptionem, & declarandam majorem veritatem ex circumstantijs, non ad majorem probationem faciendam. *c. si testes 4. q. 3. §. item liberi c. 1. de testibus & Abb. ibi, num. 7.*

111 Conuictus de perjurio in una causa, potest nè esse testis in alia?

℞ Non, sed repellitur, ut perjurus. *Abb. c. ex parte, eod tit. num. 3.*

112 Legatarius potest ne admitti in testem, quia habet commodum, ex eo quod testamentum sit validum?

℞ Variæ sunt opiniones; pro affirmativa adducitur. *§. legatarijs inst. de testam.* quia sunt successores rei, & non juris. Speculator vero *tit. de instrumentor. edict. §. nono, num. 31.* tenet negativam; ea fultus ratione, quod si tale testamentum non valet, neq; eorum legatum, sed Abb. tenet mediam viam. *in c. insuper, de testibus num. 9.* nempe, quod quoties agitur de re, quæ ad testamenti validitatem non pertinet, vel quoties legatum est sibi dandum, licet testamentum sit validum, vel non; tunc loquentur jura, quæ dicunt legatorium posse esse testem; sed quoties agitur de validitate testamenti; & ex consequenti, de validitate legati non possunt esse testes, cum sint principales quoad legatum, & dicant in propria causa, sicut Dominus principalis litis.

113 Proxeneta, vel cursor, vel ille, qui inter mercatores accommodat pretium, rem, merces, & tempus solvendi, potestne esse testis in re, quam vendit?

℞ Regulariter non; quia portat lucrum, & commodum ex venditione; sed si causa aliter probari non possit, & sit vir integer, admittendus est arbitrio boni viri. *Abb. in c. licet Heli, de simonia, num. 16. & c. ex literis, nu. 3 de transactionibus,* qui allegat pro se multa jura.

114 Donator in causa donatarij est nè idoneus testis?

℞ Affirmativè, quia donatarius non tenetur de evictione. *Io. Andr. c. insuper. de test.*

115 Cedens actionem est nè idoneus testis in causa cessionarij?

℞ Non, quia tenetur de evictione. *Io. And. c. insuper de test.*

116 Socius, est nè idoneus testis pro socio?

℞ Si sit Socius in toto negotio, tunc non potest esse testis: quia agit in re sua. si verò sit socius in aliqua parte negotij, potest dicere testimonium pro socio, in alijs partibus, in quibus non fert commodum. *Innoc. c. 3. de test. nu. 1.*

117 Vassallus potestne esse testis in causa Domini sui?

℞ Debent considerari qualitates domini, & Vassalli, scilicet, si dominus sæviat in eos, qui contra ipsum dicunt, vel si Vassallus non timeat dominum, quæ omnia relinquantur arbitrio judicis. *Io. Andr. c. insuper. de test. l. eos. l. etiam C, de test.*

118 Canonici possuntne esse testes in causa, quæ contingit intra suum Capitulum?

℞ Affirmativè: imo sunt testes necessarij, quia Capitulum est clausum, & nullus alius potest testificare. *c. veniens, il 2 de testib. & ibi gl.*

119 Excommunicatus admittitur nè in testem?

℞ Non, nisi prius absolvatur, & tunc testificari poterit de ijs, quæ vidit tempore, quo erat excōmunicatus. *c veniens, citato, & Abb. ibi nu. 5.*

120 Si testis habeat consimilem causam, debet nè admitti in testem?

℞ Non, neq; laborans consimili morbo, vel delicto, quia præsumitur habere affectionem. *c. personas, de testib.*

121 In qvibus casibus servus est testis legitimus ad deponendum?

℞ In casibus, qui domi aguntur, & resultant inter virum, & uxorem; quia per alios probari facile non potest. *Abb. c. in literis de test, nu. 2.*

122 Famuli de familia admittuntur ne, quando agitur de dirimendo matrimonio?

℞ Non, cum agatur de validitate Sacramenti, & requiritur major probatio; licet admittantur In crimine adulterij ad puniitionem delicti, & est casus notabilis. *Abb. in c. in literis eodem tit nu. 2.* & sic intelligenda est *l. consensu C. de repu. quando* dicit, quod ad adulterium, & similia, quæ domi aguntur, possunt probari per servos, sed non validi-

validitas, vel diſſolutio matrimonij, quod expreſſè eſt exceptuatum in dicto. *c. in literis, de teſtib;*

123 Poteſtne Epiſcopus eſſe teſtis coram ſuo Vicario Generali ?

℞ Poteſt, & etiam coram foraneo; licèt poſtquã teſtificaverit, non poſſit reſumere cauſam, neq; in ea debet Judex aliquid facere. *Abb. in c. dilecto, eod. tit. num. 11.*

124 Si inſtrumentum amiſſum fuerit ad probationem talis inſtrumenti, vel ſcripturæ, qui teſtes ſunt examinandi?

℞ Non quilibet teſtis, licèt dicat ſe vidiſſe; ſed Notarius, vel teſtis peritus in arte, nam alij teſtes facillimè poſſunt decipi. *Abb. c. Albericus. num. 4. eod. tit. noſtro.*

125 Inſtrumenta quando poſſunt produci in cauſa?

℞ Uſque ad concluſionem cauſæ. *Abb. in c. ſeries, de teſt. nu. 4.*

126 Quis dicitur teſtis omni exceptione major ?

℞. Ille qui nulla exceptione poteſt repelli, neq; jure illi aliquid opponi poteſt. *Glos. inſtit. de inutilib. ſtipulationibus, verbo, idoneos, §. item verborum, & Abb. in cap. 1. de conſangvinitate, & affinitate num. 5.*

127 Si quis præſentavit inſtrumentum falſum, ad evitandam pænam, ſufficit ne dicere ſe nollenti illo inſtrumento ?

℞ Sufficit ſi ille non fecit tale inſtrumentum. *l. 3. C. de fide inſtrum.*

128 Si ſententia ſuper matrimonio, vel ſuper alia re in ſcriptis non appareat, quid eſt agendum?

℞ Tunc probari poteſt parte citata per teſtes, qui interfuerunt ſententiæ, & tali probationi ſtatur, *c. Albericus, de teſtibus.*

129 Proteſtatio juri contraria valet ne ?

℞ Nihil prodeſt proteſtanti, cum facta contra jus nihil valeant. *Abb. in c. ex tenore, de teſt. nu. 6.*

130 Quibus modis agitur de crimine falſi. ?

℞ Duobus modis, ſcilicet ad recuperandum damnum: criminaliter ad exequendas pœnas a jure ſtatutas, & utroq; modo admittuntur teſtes ad recognoſcendam falſitatem ſcripturæ, qui licet deponant ſe non vidiſſe proprijs oculis falſificari ſcripturam, tamen ſi deponant, quod talis ſcriptura non ſit talis ſcribæ quia ipſi cognoſcunt characterem talis tabellionis, & quod illis videatur talis ſcriptura eſſe falſificata, horum teſtimonium eſt admittendum, ut habetur. *in c. per tuas, de ſimonia, & c. 1. de teſt. libro ſexto.*

131 Judex poteſt ne producere, vel abbreviare dilationes juris ?

℞ Poterit abbreviare, ſed non producere, cum dilatio ſit terminus a jure ſtatutus ad hoc, ut litibus finis imponatur, & ne dilatentur in damnum partium. *Abb. in c. ultra tertiam, de teſt. nu. 4.*

132 Quando incipiunt currere iſtæ dilationes, ſeu termini legales ?

℞ Statim poſtquam ſunt aſſignatæ à judice, quia tempus in eis eſt continuum, & non utile ad hoc, ut pars illud ſibi ſumat, quando vult *Abb. in c. ultra. tertiam, de teſt. nu. 6.*

133 Accuſatus criminaliter admittitur ne in teſtem, pendente ſua accuſatione ?

℞ In cauſa criminali, pendente ſua accuſatione, non admittitur in teſtem, niſi in hæreſi, & in crimine læſæ majeſtatis Divinæ, vel humanæ; ratio eſt, quia pendente accuſatione eſt ſuſpectus de aliqua infamia, ſed bene admittitur in cauſa civili. *in c. non debet, de teſt. num. 3. & 4.*

134 Quare accuſatus de crimine admittitur in teſtem in cauſa civili, & non criminali ?

℞ Quia in cauſa criminali agitur de vita, vel honore, & in cauſa civili agitur de bonis temporalibus, & cum vita, & honor ſint majoris exiſtimationis, ideo in eis requiritur, ut teſtes ſint majoris veritatis, & ſine aliquo defectu. *Abb. loco cit.*

135 Si ſententia ſit lata in favorem alicujus partis ſuper matrimonio, vel alia re, & non appareat, poterit ne probare per teſtes talem cauſam eſſe ſententiatam ?

℞ Parte citata poterit probare per teſtes talem cauſam eſſe ſententiatam in favorem Petri, & tali probationi ſtatur, ſicut ſententiæ; ratio eſt, quia inſtrumenta inventa fuerunt propter fragilitatem hominis, ſed ubi teſtes deponunt, ipſi ſunt viva ſcriptura *c. Albericus, de teſt: & ibi glos.*

136 Iſti teſtes qui deponunt negotium eſſe ſententiatum in favorem alicujus, quid debent deponere, & quas qualitates debent habere?

℞ Iſti teſtes debent eſſe inſtrumentales talis ſententiæ, vel talis ſcripturæ, & debent deponere ſe fuiſſe præſentes, & continere talem rem cum omnibus articulis, & adminiculis talis ſcripturæ *c. Albericus de teſt.*

137 Tranſacto termino probationis ſi quis voluerit præſentare novos teſtes, quomodo debet probare ad ſuam notitiam veniſſe illos novos teſtes ?

℞ Sufficit per juramentum ſuum, vel quod ejus procurator juret tunc veniſſe ad ejus notitiam illos teſtes ad ſuam juſtitiam neceſſarios; ratio eſt, ne de facili tollantur defenſiones *Abb. in c. præſentium de teſtibus nu. 5.*

138 Qui producit teſtes, ſi forte deponat contra ipſum producentem, poteſt ne producens eos reprobare, & objicere illis aliquã inhabilitatẽ?

℞ Non, quia contrarius eſſet ſuo proprio facto, neq; admittendæ ſunt exceptiones contra eos, quia iam illos approbavit, atq; præſentavit. *Abb. c. de teſt. eod. tit. nu. 4.*

139 Si quis approbavit teſtem præſentando illum in una cauſa, & non renuntiavit facultatem reprobandi illum in alia cauſa, poteſt ne reprobare talem teſtem ?

℞ Affirmativè, quia ex eo quod illum approbavit in una cauſa, non renuntiavit facultatem reprobandi in alia cauſa, *Abb. c. præſentium, de teſt. nu. 8.*

140 Si actor approbavit unum teſtem, & contra ipſum depoſuit, poteritne reprobare ejus dictum?

℞ Poterit quia aliud eſt reprobare dictum vel reprobare perſonam, quã ſemel approbavit. *Abb. c. præſentium, de teſt. num. 8.*

141 Quot productiones teſtium poſſunt fieri in qualibet lite ?

℞ Regu-

℞ Regulariter duæ, scilicet testium, & testium reprobatorum: ultra has duas non permittitur ulla ne causa prorogetur in infinitum. *c. licet ut. 3. de test. & ibi gloss.*

13 Si quis se opponat in lite, incepto negotio, quid debet probare?

℞ Prius debet probare damnum, quod inde patitur, & postea admittitur; adq; hoc peracto potest, tam ipse, quam aliæ partes facere de novo suas probationes. *c. veniens, il. 2. de test. & ibi glos.*

14 Intra quod tempus debet (tertius comparens) probare tale damnum esse, ut admittatur?

℞ Relinquitur arbitrio boni viri; aliqui dicunt, quod intra octo dies; sed verum est debere esse summariam cognitionem de hac re, & non admittitur terminus ultrarius. *Abb. cap. veniens, in secundo tit. num. 11.*

## CAPUT XXIII.

### De Testibus, cogendis

1 Quam pænam debet imponere Judex testibus, qui nolunt deponere?

℞ Crescente contumacia, cresci debet pæna: & sic secundum qualitatem negotij, & contumaciæ arbitrio judicis debent puniri *c. 2. de test. cogend.*

2 In causa civili sunt ne compellendi testes?

℞ Prius sunt monendi, & postea compellendi, ne justitia pereat. *c. 1. eod tit.*

3 In causa criminali sunt ne compellendi testes?

℞ Si aliter delictum probari non potest, sunt compellendi, sicut in civili cum pænis, censuris, ac carcere *c. pervenit ad nos, de test. cogend.*

4 In causa matrimoniali, & consangvinitatis sunt ne compellendi?

℞ Affirmative *c. cæterum eod. tit.*

5 Si testis sit Clericus & nolit comparere qua pæna punitur?

℞ Potest excommunicari, suspendi, & deponi *Abb. c. 2 de testib. cogendis.*

6 Quot citationes requiruntur, ut judex possit mulctare testem?

℞ In prima citatione potest imponere pænam, vel mulctam: sed ad hoc, ut exequatur mulcta, tres citationes requiruntur. *leg. ad peremptorium ff. de judicis.*

7 Quando dicetur testis corigere se incontinenti?

℞ Antequam finiat dictum, aut post parvam temporis moram, vel antequam loquatur cum partibus, quia tunc videtur se corrigere in favorem veritatis conscientia extimulatus; non autem ex persvasione partis. *Abb. in c. præterea. de testib. congendis num. 12.*

8 Si Judex citavit testes sub pæna excommunicationis ad certum diem, si testes legitime impediti fuerunt, incurrunt ne excomunicationem?

℞ Quo ad Deum non; quia legitime impedito nullum damnum currit; quo ad Ecclesiam vero sunt excommunicati, licet statim à judice ad cautulam sint absolvendi. *Abb. in cap. 2. de testibus cogendis, num. 6. Speculator lib. 2. de citatione, §. penultimo, num. 26.*

9 Si testis se subtrahat timore adversæ partis, quid debet agere Judex?

℞ Compellere illum, ut dicat, & ponere gravissimam pœnam, ne lædat tali parti. *c. super eod. de testibus cogend.*

10 Testis, qui se corrigit, quam pænam incurrit?

℞ Si statim se corrigat, & statur correctioni, nullam. *c. præterea eod. tit. & Abb. ibi num. 4.*

11 Testis subtrahens se à testimonio, quam pœnā incurrit?

℞ Præsumitur suspectus, & Judex poterit contra ipsum procedere. *Abb. c. 1. de test. cogend. num. 6.*

12 Privilegiati possuntne cogi ad dicendum testimonium?

℞ Si veritas per alios non privilegiatos potest apparere, non sunt cogendi: si verò aliter veritas non possit probari, nisi per privilegiatos, sunt cogendi. *Abb. c. 1. de testib. cogend. num. 4.*

13 Denuntiator, qui ex aliquo defectu non potest esse testis contra aliquem, potest ne eandem personam denuntiare, vel accusare?

℞ Non, quia nemo potest accusare eum, contra quem non potest esse testis; quia ad omnia est impeditus. *Abb. in c. præterea. de test. cogend. nu. 9.*

14 Mediatores, seu proxenetæ, qui in vedendis mercibus inter partes interveniunt, quando possunt compelli ad testificandum?

℞ Quando ambæ partes consentiunt, ut sint testes; tunc si noluerint, compelluntur; si vero una pars sola consentiat, non, sed eorum dicta sponte recipiuntur, & quando negotium aliter probari non potest. *Glos. in autq. de testib. § quoniam, ut refert Abb. in c. dilectorum. num. 3 de testib. cogend.*

15 Tacere veritatem interrogatus, est ne peccatum mortale?

℞ Si judex juridice interroget de re, de qua potest cognoscere, est peccatum mortale; si vero interroget de re, de qua non est judex, vel alius interroget, non est peccatum tacere veritatem; imo aliquando prudentiæ adscribi solet. *Abb. in cap. 1. de test. cogend. num. 2. & Tol. lib. 4. c. 21. §. secundum est.*

16 Si sit conjuratio, qui testes possunt cogi?

℞ Omnes, & Socij etiam jurati. *c. venerabilis. eod. tit.*

17 Quid est conjuratio, seu conspiratio?

℞ Loquatio aliquorum cum juramento, vel sine illo facta in damnū alicujus hominis principalis, vel reip. & ita necesse conjuratio est inter plures. *Abb. c. fin. eod. tit. nu. 1.*

18 Accusatus negando veritatem, peccat ne mortaliter?

℞ Affirmative *Abb. c. 1. de testib. cogend. num. 3.*

## CAPUT XXIV.

### De Fide instrumentorum.

1 Notarius, vel scriba qualis debet esse?

℞ Fidelis, legalis, vir bonus, sui officij approbatus, persona publica, cui Principes legalitatem instrumentorum commiserunt, *c. 1. & 2. de fide instrumen.*

2 Quis potest creare Notarios?

℞ Papa, Imperator, Reges, & qui ab eis potestatem

stitem habent. *Abb. c. cum p. num 7. de fide instrumen.*

3 Quis dat fidem instrumentis, testamentis, & alijs scripturis?

℞ Notarius, vel scriba, qui authoritatem à Papa, vel Imperatore, seu Regibus habet ad facienda talia instrumenta. *DD. in rubr. de fide instrum.*

4 Notarius à quibus debet esse rogatus, & quomodo?

℞ A partibus, vel ab una parte, & publice, cum suum officium sit publicum; *Abb. tit. de fide instrum. cap. 1. num. 4.*

5 Notarius, vel scriba potestne per alium scribere instrumentum?

℞ Potest, dummodo ipse lecto instrumento se subscribat; ratio est, quia actus scribendi non inhæret fidei Notarij, sed actus subscriptionis, in quo consistit omnis legalitas. *Abb. c. inter dilectos, nu. 7. eod. titulo.*

6 Quæ requiruntur, ut unus Notarius publice instrumentum, de quo alius Notarius fuit rogatus, ut illud faceret, & fecit?

℞ Quinque 1mò, ut id faciat ad petitionem eorum, quorum interest. 2dò, ut faciat publicationem auctoritate Ordinarij. 3tiò, ut iste, cui fit commissio publicandi, sit Notarius. 4tò, quod publicatio fiat fideliter. 5tò, quod redigat talem publicationem fideliter in publicam formam. *Ioan. Andr. in c. cum, de fide instrumentor. l. si quis ex argentarijs § 2. & sequ ff. de edendo, ut refert Abb. c. 1. n. 4. eod. tit. nostro.*

7 Princeps potestne auctorizare, vel legalizare scriptum, seu instrumentum, quod factum est sine solemnitatibus Iuris?

℞ De potentia ordinaria, non de potentia vero pleneria & absoluta potest, ratio est, quia ipse dat auctoritatem notarijs, & sic potest dare auctoritatem scripturis. *Abb. c. 1. de fide instr. n. 1.*

8 Quid significat hoc nomen instrumentum?

℞ Sumitur latissimè, latè, & strictè: latissimè, quando sumitur pro omni instrumento, de duo *ff. de fundo instructo*: latè sumitur pro omni probatione in judicio deducta; strictè, pro scriptura, quæ fit ad probationem alicujus rei, & hoc modo sumitur in isto titulo. *Ioan. Andr. in rubr. de fid. instrument. & ibi Abbas.*

9 Quot sunt genera instrumentorum?

℞ Tria. 1mò, scriptura publica. 2dò, privata. 3tio, authentica. *Abb. c. 1. eod. n. 2.*

10 Quæ est scriptura publica?

℞ Quæ confecta est à publica persona, scilicet notario, vel tabellione cum solemnitatibus requisitis. *c. 3. eod. tit. gl. in ℣ publicam manum.*

11 In quibus casibus datur major fides instrumentis, quam testibus?

℞ In pluribus casibus, 1mò, in antiquitate facti, ubi memoria testium non extat, neque sunt testes oculati. 2dò, in libertate servi. 3tio, in censu, vel fideicommisso. 4to, ubi allegatur privilegium; tunc enim creditur magis scripturæ, quàm testibus: & in his casibus, & in alijs necessariò de Jure requiritur scriptura, ut in fundatione Ecclesiæ, & in jurepatronatus. *Abb. in c. ad audientiam, de præscriptionib. num. 8. qui allegat pro se, multa jura.*

12 In quibus casibus datur major fides testibus, quàm scripturis?

℞ In omnibus casibus, in quibus testes fuerunt præsentes, & possunt deponere præsentialiter se vidisse talem rem, & esse testes instrumentales illius scripturæ, & tunc major fides datur testibus, quam scripturæ; ratio est, quia instrumenta inventa fuerunt propter fragilem memoriam hominum, & quia testes moriuntur; at ubi testes deponunt de aliquo facto, & quòd fuerunt instrumentales in tali scriptura. *c. Albericus, de testib. c. tertio loco, de probat. & ibi glos.*

13 Si instrumentum sit perditum ad probandum tale instrumentum fuisse, & continere talem rem, qui testes requiruntur?

℞ Non quilibet testis, licèt dicat se vidisse, & legisse tale instrumentum, sed requiritur Notarius, qui fecit tale instrumentum, & testes instrumentales, qui sint periti, ita ut deponant totum instrumentum cum omnibus casibus, & exceptionibus; ratio est, quia alij testes, qui semel egerunt instrumentum, vel viderunt, possunt facili negotio decipi, & non deponere totam seriem instrumenti, quod necessarium est ad judicandum illud, quod continetur in instrumento. *Abb. in c. Albericus, de testib. n. 4.*

14 Inscriptiones antiquæ in lapidibus, quæ sunt in Ecclesijs, in tumulis defunctorum, in portis civitatis, in ædificijs publicis, quam probationem faciunt?

℞ Magnam, & si contrarium non constet ex veris instrumentis, eis credendum est, præcipuè in rebus antiquis, in quibus homines, qui vivunt, non possunt contrarium ex scientia, aut visu deponere; ratio est, quia illæ inscriptiones sunt notoriæ, & in parte publica sitæ, atque ab omnibus creditæ. 2do, quia tempore, quo positæ fuerunt illæ inscriptiones, vivebant homines, qui factum sciebant, & si non essent veræ, Judices non sinerent illas affigi. 3tio, quia tales inscriptiones faciunt publicam opinionem, & cum tales inscriptiones semper sint in materia honoris, vel nobilitatis, & non tollant Jus alienum, eis acquiescendum est, cum maximam faciant probationem, unde qui contra eas ausu temerario judicaret, non esset tutus in conscientia; *Abb. in c. cum causam de probat. n. 1.*

15 Quare istæ inscriptiones ponuntur in sepulchris, & in Ecclesijs, & in capellis?

℞ Istæ inscriptiones permittuntur ab Ecclesia, & Republica. 1mo, in memoriam illorum hominum qui sua bona Ecclesijs tradiderunt, & pauperibus, vel suam vitam pro suo Rege periculis obiecerunt. 2do, ut pro illis oretur. 3tio, ut eorum successores imitatione illorum meliores evadant. 4to, sæpe ponuntur istæ inscriptiones ob animi gratitudinem à successoribus pro beneficijs acceptis à suis majoribus. 5to, ponuntur, ne opera pia, quæ relinquuntur à fidelibus defunctis, oblivione pereant, & executioni non mandentur, & cùm sint scripta in illis lapidibus, sunt notoria divitibus, & pauperibus, & quilibet potest peti, ut adimpleatur.

16 Quæ

16 Quæ est scriptura privata?

℞ Illa, quæ fit ab homine privato sine solemnitate Notarij. *Abb. c. 1 eod. tit. n. 2.*

17 Quæ requiruntur ad hoc, ut scriptura originalis faciat fidem?

℞ 1mo, debet apponi dies, mensis, & annus Domini. 2do, nomen Papæ, Imperatoris, vel Regis illius Regni. 3tio, locus, ubi fit contractus; videlicet in tali civitate tantum. 4to, indictio. 5to, series, & narratio distincta negotij. 6to, nomen, & cognomen testium, eorum quidem, qui noti sunt Notario, vel alijs testibus, & testes debent esse secundùm numerum requisitum à varijs scripturis, licèt non debeant se subscribere propria manu, nisi in scripturis, quæ secundum jus postulant illam solemnitatem, sicut testamenta clausa. *Ultimo*, firmatur nomine, & signo Notarij, quo semper uti solet. *Specul. in rubr. de edict. instrument. quem citat Abb. in c. 1. eod. tit. num. 3.*

18 Protocollum facitne de se fidem?

℞ Affirmativè, quia habet omnia illa, quæ habere debet instrumentum. *cap. ut verum. dist. 9. cap. jejunium distinct. 76.*

19 Quæ est scriptura authentica?

℞ Illa, quæ per se solam fidem facit sine aliquo adminiculo, quia confecta est cum testibus, & solemnitatibus à Notario, vel scriba, & habet signum notarij, vel sigillum, *Abb. c. 1. de fide instrum. num. 2.*

20 Transuptis instrumentorum datur ne fides?

℞ Si exemplar instrumenti non sit solemniter sumptum, non facit fidem, nisi appareat originale, si verò sit solemniter sumptum, facit fidem sicut originale. *c. 1. eod. tit.*

21 Quid est exemplare?

℞ Est transumptare scripturam originalem tabellione factam ex suis regestris cum authoritate Judicis Ordinarij. *c. si instrumenta, de fide instrum.*

22 Si instrumentum in uno capite sit falsum, reprobabitur ne in totum?

℞ *Ioan. Andr. & glos. c. si ad scripturas sacras, 9. dist. tenet*, quòd solùm damnatur tale caput, si sit distinctum ab alijs capitulis, sed *Abb Bart. in l. si ex falsis C. de transact. nu. 12. tenent*, quòd si tale damnum provenit ex culpa notarij, totum instrumentum damnatur, quia auctor damnatus est ex sua falsitate, & idem. *Abb. in c. fraternitatis de hæret. num. 4.*

23 In quibus casibus est faciendum exemplar alicujus scripturæ?

℞ Quando orginale est vetustate consumptum, & difficile legitur, vel quando debet transferri in partem longinquam & timetur, ne pereat, vel quoties propter aliquam utilitatem interest partium transumptare tale originale. *c. si instrumenta, de fide instrumentorum.*

24 Confessio, pactum nudum, stipulatio, & cautio facta sine scriptura valet ne?

℞ Non, cum sint verba enuntiativa, quæ non ligant. *Abb. c. si cautio, de fide instrum. nu. 2.*

25 Quando est faciendum tale exemplar, & quæ solemnitates requiruntur, ut sit validum?

℞ Pars volens transumptare scripturam orginalem, debet coram Judice ordinario comparere, & ante eum petere exemplar, & præsentare originale, & Judex debet illud recognoscere, & dare fidem, quòd tale orginale non est ruptum, neque cassatum, neq; vitiosum in toto, neq; in parte, & mandare, ut persona publica, videlicet tabellio, vel Notarius faciant exemplar, debet tamen pars contraria, cui damnum imminet, citari, ut veniat ad recognoscendum originale, videatq; illud corrigere, scriberere, & legalizare. *c. si instrumenta, eod tit.*

26 Si aliqua pars, quæ damdnum patitur, absens sit, & non citetur, quam fidem facit contra illam talis scriptura exemplata?

℞ Nullam, nisi sit citatus, & contumax, vel nisi de novo illi monstretur orriginale, ut possit opponere, quod voluerit, & tunc valet Scriptura. *Ioan. Andr. in c. si instrumenta. eod. tit.*

27 Quæ sunt genera vitiorum, quæ possunt opponi contra instrumentum, quando transumptatur?

℞ Duo, scilicet intrinseca, quæ ex ipso instrumento constant, videlicet, quod est cassatum, rasum, vel ruptum; vel extrinseca, scilicet quod factum fuit à tabellione excommunicato, vel servo, quæ non constant ex instrumento, sed extra illud. *Abb. ubi sup. nu. 3.*

28 Transumptum factum coram Judice cum partis citatione, & reliquis solemnitatibus quam fidem facit?

℞ Facit tantam fidem sicut originale. *c. si instrumenta. eodem tit.*

29 Liber mercatorum quam fidem facit?

℞ Pro scribente nullam, sed cum adminiculis inducit præsumptionem. *Abb. c. 2. eod. tit. num. 9.*

30 Liber rationum facitne contra scribentem?

℞ Facit. *Bart. in l. quædam. §. nummularios. ff. de edendo. num. 2. Abb. in c. 2. eod. tit. num. 10.*

31 Si liber mercatoris dicat, Petrus posuit in telonio meo centum, & idem Petrus accepit quadraginta, quam fidem facit?

℞ Contra scribentem constituit eum debitorem, ut debentem centum; Petrus verò poterit in sui favorem acceptare centum, & negare accepisse quadraginta. *Bart. l. Aurelius. §. idem. ff de libr. legata.*

32 Cancellatio, seù rasura tollit ne fidem in scriptura?

℞ Non, dummodo à Notario, vel scriba in fine sit saluatum, & validatum propria manu, imò addit firmitatem, quia ex eo apparet Notarium, vel scribam recidisse talem scripturam, & accuratè occultasse, quia inde sustulit errores. *c. ex literis, de fide instrum. & ibi Abb. num. 1.*

33 Si sit consvetudo in aliquo loco, vel Provincia, ut credatur instrumento facto sine subscriptione testium, est ne servanda?

℞ Affirmativè, cum consvetudo legitimè introducta ad hoc habeat vim, ut tali instrumento credatur sine subscriptione testium. *Abb. c. cum dilectus, eod. tit. num. 6.*

34 Si testes obliti fuerint diei, mensis, & anni, quibus fuit actus gestus, vitiatur ne testimonium?

 ℞ Non,

℞ Non, cùm memoria sit fragilis,& in hoc non consistat veritas, sed in substantia facti. *Abb. c. cum Joannes,num.* 4. *de fide instrum,*

35 In instrumento publico requiritur ne,ut testes se subscribant?

℞ Non requiritur, sed sufficit, ut manu Notarij subscribantur nomina, & cognomina testium, & cognito. *cap. cum Joannes. eodem titu. & ibi Abbas numero* 5.

36 Si testes instrumentales directè, vel indirectè deponant contra instrumentum, quam fidem faciunt?

℞ Faciunt instrumentum vacillare. *Abb. ubi supr. numero* 14.

37 Si instrumentum, habeat sigillum impressum, vel pendens,& perdatur, vel frangantur, ex hoc vitiatur ne tale instrumentum?

℞ Si sit publicum, non vitiatur, quia instrumentum publicum sine tali sigillo habet suam firmitatem necessariam, & sigillum solum addidit majorem legalitatem. *Abb. in cap. inter dilectos, eod. tit. num.* 3. *fide instrum.*

38 Qui defectus detrahunt fidem sigilli,& faciunt sigillum vacillare?

℞ Quatuor. Primus, cum non congruit sigillum sculptum cum dignitate sigiliantis. Secundus, cum litteræ sigilli non sunt legibiles neq; intelligibiles. Tertius, quando patitur tam enormẽ fracturam, quod ex residuo intelligi non possit, cujus sit sigillum. Quartus, quando papyrus est vetustissima, & cera sigilli novissima, vel recens; apparet enim de novo posita. *Abb. ubi sup.num.*4. *c. inter dilectos, de fide instrumen.*

39 Cardinali afferenti se habere talem gratiam, vel commissionem à Papa vivæ vocis oraculo, quæ fides debet adhiberi?

℞ De stilo Curiæ omnimoda fides propter Cardinalitiam dignitatem; Cardinales enim majores sunt Episcopis in officio, quia sunt de consilio Summi Pontificis,& quotidie contingit in Curia Cardinales obtinere commissiones, & gratias à Papa vivæ vocis oraculo. *Andr. in c. constitutus, de appell. tenet*, quòd in gravi præjudicio alterius requiritur aliquid plus,quàm sit commissio vivæ vocis oraculo, cum jus præsupponat nunquam Papam velle alicui facere injuriam, vel tollere jus suum. *c. quamquam.* 2. *q* 7. *Abb. in capit. quod super. num. ult. de fide instrumentorum.*

40 Quid est insinvatio scripturæ?

℞ Quando in donationibus donatio quinquaginta aureos excedit,illam insinvari à judice, ut illam ratam habeat,imò aliæ scripturæ quotidie insinuantur coram judice,ut majorem firmitatem habeant. *Abb. c. si instrumenta, eod. tit. num.* 1.

41 Quid est publicatio scripturæ?

℞ Quando aliqua scriptura coram judice,& omnibus solemniter publicatur. *Abb. ubi sup.*

42 Quid est acceptatio scripturæ?

℞ Quando in donationibus, vel in legatis, vel institutione hæredis ille, in cujus favorem est facta talis scriptura, acceptat talem donationem, vel institutionem coram tabellione,& testibus,

43 Quando agitur de falsitate instrumenti, debet nè quis jurare de calumnia?

℞ Affirmativè,nam ultra alias probationes potest pars etiam adhibere calumniæ juramentum. *Abb. c. accepimus, eod. tit. num* 7.

44 Literæ impetratæ præter, vel extra stilum Curiæ quam fidelitatem habent?

℞ Sunt de falsitate, vel surreptione suspectæ, & ante earum executionem consulendus est humiliter Summus Pontifex. *Abb. in capit. quod super eodem titu. numero* 2.

45 Qui in aliquo negotio utitur bulla, seu scriptura orginali,potest ne illam reassumere?

℞ Non,tenetur illam relinquere in actis Notarij, sed transumptum solum scriptum,& collationatũ cum citatione partis ad videndum transumptare, & collationare, hoc propter periculum,ne perdatur orginale. *c. contingit, eod. tit.*

46 Si quis lacerat literas contra se latas ad quid tenetur?

℞ Ad damnum partis,& punitur arbitrio Judicis secundum quantitatem,& qualitatem delicti. *Abb. in c. accepimus, eod. tit. num.* 4.

47 Rasura literarum in quibus partibus facit suspitionem?

℞ In data, nomine Judicis, institutione,vel substitutione, narratione facti,& in illo verbo, vel articulo, in quo consistit differentia, quod relinquitur arbitrio judicis. *Abb. in capit. inter dilectos, eodem tit. num.* 12.

48 Exhibitio unius literæ,vel malæ orthographiæ vel latinitatis, vitiat ne rescriptum?

℞ Non,cum ex hoc non mutetur veritas,neq;sensus orationis. *Abb. c.ex parte. eod.tit.num.* 1. & 2.

49 Si quis præsentat duas scripturas contrarias quam fidem faciunt?

℞ Sive reus,sive actor illas præsentent, nulli earum datur fides. *Abb. c imputari. eod. tit. num.* 5.

50 Si quis scriba, vel tabellio fecit abbreviaturas, dicendo,se obligavit, &c ad expensas,&c.& postea moriatur, alius scriba poterit ne prolongare hanc scripturam,& dare partibus?

℞ Non,quia talis scriptura est nulla,nisi per eundem Notarium extendatur,& legatur coram partibus,& ab eis acceptetur. *Abb. in c. cum P.nu.* 5. *eod. tit. de fide instrumentorum.*

## CAPUT XXV.

## De Præsumptionibus.

1 Quid est præsumptio?

℞ Quædam suspitio,quæ causatur in animo judicis ex varijs congecturis,vel judicijs,& crescit, aut diminuitur,si indicia crescant, aut diminuantur. *Abb. in c. quanto, de præsumpt. num.* 3.

2 Quibus nominibus vocatur hoc nomen uspitio in Jure?

℞ Pluribus, scilicet præsumptio, inditium,&coniectura, his nominibus utitur jus ad declarandã præsumptionem, quam Judex habet ex varijs conjecturis. *c. forus,de verb. sign. l. absentem. ff. de pœnis. c.* 1.2.*q.*1.*c. dixit* 31.*q.*1. *quæ citat Abb. in c. quanto, num.* 2. *de præsumpt.*

3 Præſumptio quando debet allegari?

℞ Quando oritur ex facto alicujus, de cujus favore agitur. *Abbas cap. afferte mihi gladium de præſumption. num.* 4.

4 Quot ſunt genera præſumptionum?

℞ Plura. *1mum* eſt præſumptio Juris. *2dum* præſumptio hominis. *3tium* præſumptio Juris, vel de Jure. *4tum* præſumptio probabilis. *5tum.* vehementiſſima. *6tum* vehemens. *7mum.* violenta *8vum* temeraria. *9num* modica. *10mum* fictio juris. *c. literas, de præſumptionibus. c. cum contumacia de. hæreticis in* 6. & Abb. *c. quanto, de præſumptionib. num.* 2.

5 Si Judex procedit ex præſumptionibus, quam ſententiam debet ferre?

℞ Moderatam, & raro. *Abb. in c. ſi quiſquam, de cohabit. cler. & mulier. num.* 4.

6 Quæ eſt præſumptio juris?

℞ Quando Jus præſumit aliquid, tamen ſuper illo non determinat, & contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium. *c. is, qui de ſponſalib. & cap. ferrum. diſt.* 50. & *Abb. c. quanto, num.* 2. *eod. tit. noſtro.*

7 Quæ eſt præſumptio hominis?

℞ Quando Judex ex aliquibus conjecturis, & teſtimonijs ex vultu teſtium, vel ex trepidatione præſumit aliquid contra reum, vel pro eo, ubi jus ſpecificè aliquid non præſumit. *cap. afferte mihi gladium, de præſumptionibus. l.* 3. *ff. de teſtibus. cap. ſi teſtes* 4. *q.* 3. *cap. in præſentia, de renuntiatione, ut refert Abb. in c. quanto, num.* 3. *eod. tit. noſtro.*

8 Quæ eſt præſumptio Juris, vel de Jure?

℞ Quando jus præſumit aliquid incertum, vel occultum ex aliquibus conjecturis, & dat illud pro certo, ac ſi veriſſimum eſſet, & determinet quid in tali caſu faciendum ſit contra quam nõ admittitur probatio in contrarium, ut ſi quis deſponſatus per verba de futuro cognoverit carnaliter ſponſam ſuam, præſumit jus, quod tunc voluit contrahere per verba de præſenti. *c. is, qui, de ſponſalib.* & *Abb. in c.* 1. *de conceſſ. præbendæ. nu.* 5. & *d. c. quanto, num* 2. *eod. tit. noſtro.*

9 Quæ eſt præſumptio probabilis?

℞ Quaſi cauſata rectè, quia reddit factum veriſimile, non tamen ſufficit ad ſententiam; ut ſi quis vidit aliquem in ſecreto loquentem cum muliere formoſa, vel illam tangentem, vel cum illa nimiam familiaritatem habentem, præſumitur, quòd ſit ejus concubina. *c. Clericus, diſt.* 81. *c. inquiſitioni, de ſent. excommun. gloſſ. in c. inſinuatum, de ſimonia.*

10 Quæ eſt præſumptio vehementiſſima?

℞ Quando conjectura ſumpta eſt clarè, & vehementiſſimè, ut quis difficile poſſit negare delictũ, ut ſi quis inveniatur cum enſe, & ſangvine in domo, & in eodem loco ſit mortuus, *c. præterea. de teſt cap. ſciant* 2. *q.* 8. *Ioan Andr. in additionib. ad ſpeculatorem tit de probationibus §. videndum, quem refert Abb in c. quanto num. eod tit.*

11 Quæ eſt præſumptio vehemens?

℞ Illa, quæ tantum urget Judicem ad ſuſpicandum vehementer contra reum. *Abb. in cap. quanto, de præſumptionibus, num* 3.

12 Quæ eſt præſumptio violenta?

℞ Illa, quæ quaſi violenter Judicem ad credulitatem trahit, & indicia ſunt tam violenta, ut ſufficiant ad ſententiam; ſicuti ſi quis intra cubiculum cum ſocio concluſus fuerit, & inveniatur occiſus, neceſſariò dicendum eſt fuiſſe à ſocio peremptum, cum veriſimile non videatur, quòd ipſe ſe interfecerit. *Abb. in cap. quanto, de præſum. num.* 3.

13 Quando valet ſententia per præſumptiones?

℞ Quando eſt violenta, & Judex advertit, quod conſtat in actis, quia ponitur ibi in loco probationis. *Abb. in cap. afferte mihi gladium eod. tit. nu.* 5.

14 Violenta præſumptio ſufficit ne ad ſententiã deffinitivam?

℞ Aliquando præſumptio violenta non probata, neque allegata ad ſententiam deffinitivam ſufficit, ſicut fuit illa Salomonis; quando duæ mulieres petebant adinvicem eundem filium vivum, præcipuè cum poſſit Judex tutò ſententiare ex exemplis Principum. *cap. afferte mihi gladium, eod. tit.* & *Abb. ibi num* 3. & *c. fin. de presbyt. non baptizato num.* 4.

15 Quando Judex dat ſententiam deffinitivam ex ſola violenta præſumptione, qualis debet eſſe iſta ſententia?

℞ Mitiſſima, & non debet condemnare reum in pæna pecuniaria, nec corporali, ſicut fecit Salomon, qui mulierem, quæ petebat, vel furabatur filium alterius, non condemnavit aliqua pœna, ſed ſolum reſtituit filium veræ matri. *Abb. ubi ſup num.* 6. *in cap. affert.*

16 Quæ eſt præſumptio temeraria?

℞ Quando indicia non ſunt ſufficientia ad præſumendum delictum; ut ſi quis vidit Clericum ſimul cum muliere loquentem, temerè ex hoc præſumitur adulterium. *c. inquiſitioni. de ſent. excom.*

17 Quæ eſt fictio juris?

℞ Quando jus diſponit aliquid ſtatuendo ſuper certo, quod in ſe neq; eſt verum, neque certum, ut ſi diſponat dotem eſſe reſtituendam tali mulieri, & talis mulier non habuit dotem, bene diſponit, ſi habuiſſet. *loc.* 1. *C. de rei uxoria actione.*

18 Quæ eſt præſumptio non modica?

℞ Quando Indicia non ſufficiunt ad ſententiam contra reum dandum, ſed ſolùm ad ſuſpicandum illum tale delictum commiſiſſe. *ut in cap. ſuper eo,* 2. *de teſt.*

19 In his præſumptionibus poteſt ne dari certa regula, quæ præſumptio ſufficiat ad ſententiam, quæ ad ſemiplenam probationem; quæ ad torturam, quæ ad ſuſpenſionem officij?

℞ Non, ſed hoc relinquitur arbitrio judicis prudentis: nam cum iſtæ omnes præſumptiones aliquando ex facto præſenti pendeant, aliquando ex futuro, aliquando ex vultu, ſeu trepidatione teſtium, omnia relinquntur arbitrio judicis prudentis. *ut in l.* 3. *ff. de teſt.* loquendo judici, tu magis ſcire potes, quanta fides teſtibus ſit adhibenda. & ideò plurimum oportet, ut teſtes in præſentia judicis examinentur. *Innoc. c. quoniam, de prob. num.* 5.

20 Ex præteritis quid præſumitur?

℞ Ex præteritis,& antecedentibus futurum. *cap. mandata, de præsumptionibus.*

21 Ex facto de præsenti quæ præsumptiones oriuntur ?

℞ Tres. 1ma si quis de præsenti est criminosus, & accusat alium,præsumitur; ex bono animo nõ accusare. *c. qui crimin. 6. q. 1.* 2da, si mulier trãsijt ad secundas nuptias, & vidit suum maritum primum vivere,præsumitur ( si statim à secundo non discedit ) primum vivere, & causa incontinentiæ fecisse secundas nuptias. *c. cum per bellicam 34. q. 1. & 2.* 3tia, si quis est incontinens hodie, præsumitur, quod erit postea. *c. si quis Diaconus dist. 50.*

22 Ex facto de præterito quæ præsumptiones oriuntur ?

℞ Tres. 1ma, si aliqua mulier vixit luxuriosè, nõ præsumitur, quòd fuerit uxorata, quia vir non consensisset *c. quia sunt culpa.* 2da, si requiratur de fama præsenti, si vixit antea bene,de præsenti creditur etiam vivere bene. *c. monachus. vero dist. 77.* 3tia, præsumitur ex præterito circa futurum,ut qui antea neglexerit mandata superioris, creditur in futurum neglecturum. *c. scribam, de præsumptionibus.*

23 Violenta præsumptio sufficit ne absque alia probatione ad separationem matrimonij, quòad mutuam communicationem ?

℞ Sufficit ad separationem absq; alia informatione,ut si quis ducat testes,dicentes se vidisse illius uxorem cum alio viro, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentes,hæc probatio sufficit ad separationem thori, licèt sit violenta. *c. literis, eod. tit. & ibi glossa.*

24 Una præsumptio repellitur ne per aliam ?

℞ Si sint duæ præsumptiones,una alteri contraria, Judex ponderet, quæ sit magis consona, & per illam tollet aliam. *gl. in c. literis. eod. tit.*

25 De eo, qui fuit continens in juventute, quid præsumitur in senectute ?

℞ Quod sit magis continens, præcipuè si sit literatus. *c. cum in juventute, de præsumptionbus.*

26 Qui in aliquo festo proponit libellum famosum contra aliquem,qua pœna punitur ?

℞ Pœna capitali, nec excusatur ratione ludi, vel festi, imò gravatur, quia major publicatio est in ludo. *l. unica C. de famosis libellis c. 1. §. q. 5.*

27 Frater cum sorore quam præsumptionem facit?

℞ Etiam si solus cum sola inveniatur, non facit præsumptionem vitij, nec incontinentiæ propter naturale fœdus. *c. cum in juventute, de præsumptionibus & ibi glossa.*

28 De delicto hæresis poteſtne quis per vehementẽ præsumptionem condemnari ?

℞ Non, neq; de alio delicto gravissimo; cum in criminalibus debeant esse præsumptiones luce clariores. *c. literas eod tit & ibi glossa.*

29 In male factis quid præsumitur ?

℞ Malus animus, & dolus. *l. 1. C. ad legem Corneliam de sicarijs.*

30 Si duæ mulieres petant eundem filium,& ambæ ante probationem, & sententiam moriantur, iste filius cujus erit,& cujus hæreditatem habebit?

℞ Variæ sunt DD.opiniones,sed verum est,quòd si aliqua possidebat filium, habebit ejus hæreditatem,si neutra erat in possessione,iste filius admittitur indistinctè ad probationem suæ matris, & si non probeverit, nullam harum mulierum habebit hæreditatem, quia habere hæreditatem utriusq; impossibile est, cum quis non possit esse filius duarum. *Abb. in c. afferte mihi gladium eod. tit. num. ult.*

31 Bona,vel mala vita adolescentis quam præsumptionem facit in senectute ?

℞ Quod habet bonam, vel malam senectutem; licet hæc præsumptio non semper sit certa, cum mores hominum mutentur, præcipuè cum in dignitatibus, & officijs constituuntur. *c. ex studijs. eod. tit. & glossa. ibi.*

32 Quam præsumptionem generat contra se, qui super fugit judicium ?

℞ Non habere justitiam. *c. nullus dubitat eod tit.*

33 Fuga,& contumacia sufficiunt ne ad condemnationem ?

℞ Sufficiunt, licet post condemnationem,si ultro se repræsentaverint intra annum in legibus Hispaniæ, purgatis expensis audiri debeant. *Abb. in c. nullus eod tit. Bart. l. admonendi si de jurejur.*

34 Si duo delicta opponantur reo, & ipse neget unum delictũ,quid est præsupponendum de alio ?

℞ Tacendo,illud confiteri videtur,& aliud, quia tacens plus præsumitur consentire, quam contradicere, *c. non ne eod.*

35 Si quis præsente domino intrat possessionem ipso tacente, videtur ne consentire ?

℞ Si talis habeat titulum ad accipiendam possessionem,& tacente domino accipit, illa taciturnitas reputatur pro consensu,sicut si quis me præsente accipit librum meum,si taceo; videor consentire. *l. 2. C. de acquiren pos. & c. nonne, de præsumptionibus, & ibi gloss.*

36 Si me absente aliquis facit actum in re mea, & postea venit ad meam notitiam, & taceo, videor ne consentire,vel negare ?

℞ Distingvendum,aut id,quod agitur,est in meum commodum, & si taceo, videor consentire: aut est in meum damnum,& tunc si taceo, non videor consentire: sed rem distraho ad tempus opportunum. *Abb. in cap. non ne, de præsumptionibus. num. 4. Bar. in l. qua dotis nomine ff. solem. matri.*

37 Ratihabitio poteſtne fieri absente illo procuratore, qui actum gessit pro me ?

℞ Potest fieri præsente & absente; cum non sit dubium ratihabitionem mandato comparari,quod mandatum fit absente, & præsente procuratore. *Abb. in cap. non ne, de præsump. num. 5.*

38 Quando aliquid est notum in loco longinquiori,quid præsumitur de proximiori ?

℞ Quod à fortiori erit magis notum in propinquiori loco. *c. quanto de præsumpt.*

39 Si quis minatus fuerit se percussurum aliquem, & iste fuerit percussus,& non apparet, quis eum percusserit,hæc præsumptio erit ne sufficiens ad condemnandum illum ?

℞ Non, quia licèt sit præsumptio contra reum, tamen in criminalibus probationes debent esse

luce

luce clariores: solùm enim sufficiet ad incarcerationem, & ut ponatur in cospectu tormentorum. *l. sciant. cuncti C. de probat.*

40 Si quis permutet beneficium tenue cum pingvi, quid est præsumendum contra eum?

℞ Quod talis permutatio sit fraudulenta, vel simoniaca, cum non sit versimile, quod quis det beneficium pingve pro tenui;nisi animo ditandi fratrem,vel nepotem, vel qui accepit ab alio pecuniam, qua mediante fecit talem permutationē. *Abb. c. quia veri simile, de præsumptionibus. num.* 1 *c. super hoc de renunciatione.*

41 Matrimonium præteritum quibus præsumptionibus potest probari de Jure canonico?

℞ Per famam publicam, per cohabitationem simul, per instrumentum matrimoniale, per communem credulitatem vicinorum,hæ omnes simul præsumptiones faciunt præsumptionem juris,vel de jure, contra quam non admittitur probatio. *c. illud quoque, de præsumptionibus.*

42 Quæ præsumptio sufficit de jure civili ad probationem matrimonij?

℞ Sifficit sola cohabitatio. *l. in libera ff. de ritu nuptiar. Abb. in cap. illud quoque num.* 14. *de præsump.*

43 Si dominus constituat dotem, vel donationem propter nuptias, quæ præsumptio est pro serua?

℞ Juris, vel de jure, scilicet quòd ei donavit simul libertatem, *Abb. cap. illud quoque, de præsumptionibus, num.* 11.

# CAPUT XXVI.

## De Jurejurando.

1 Quid est juramentum?

℞ Affirmatio, vel negatio rei sacræ assertione, vel attestatione firmata. *Goffred. in sum. tit de juramento.*

2 Ad jurandum licitè quid requiritur?

℞ Veritas, justitia, & judicium. *c. & si Christus eodem tit.*

3 Juramentum est ne largi, vel stricti juris?

℞ Stricti,& structè interpretandum propter periculum animæ *Abb. in cap. clericus. num.* 2. *eod tit.*

4 Potest ne quis petere relaxationem juramenti, quando illius adimpletio affert turpitudinem non juranti, sed tertiæ personæ?

℞ Affirmative, quia causa petendi absolutionem est justa *c.* 1. *de jur. juran.*

5 Quotuplex est juramentum?

℞ Primo, assertorium; cum juratur rem sic esse, non esse. Secundò, promissorium, cum juratur de futuro, aliquid promittendo. Tertio: execrarium, ut cum juratur, si hoc non fecero, hoc accidat filijs meis. Quarto, confirmatorium, ut quando quis affirmat juramentum calumniæ, ut cum quis jurat se bona, & non mala fide agere. *c. fin. & c. Quintavalis, de jure jurando.*

6 Christianus peccat ne expetendo juramentum ab infidelibus secundum eorum religionum?

℞ Non; quia astringit infidelem ad aliquid faciendum eo vinculo, quo potest eum astringere: sed Christianus non debet adhibere fidem eorum religioni. *Innoc. num* 2. *& Abb. in cap. & si Christus, de jure jurand. num.* 14.

7 Quotuplex est jusjurandum, seu juramentum?

℞ 1*mò.* voluntarium, & conventionale, quando partes voluntariè conveniunt, 2*dò.* necessarium, ut quando quis jurat in lite de mandato Iudicis, quod res sibi debetur 3*tiò.* assertorium, quando juratur rem sic se habere, vel non habere. 4*to*, promissorium: quando juratur promittendo rem de futuro. 5*to*, execratorium, quod execratur. 6*to*, confirmatorium, ut cum quis jurando confirmat ita vidisse 7*mo*, juramentum de calumnia, ut quis jurat se calumniose non tentare litem. 8*vo*, purgatorium, ut cum quis purgat jurando, se non commisisse tale delictum *Hostiens. in summa eod tit et ff. in rubrica, de jur. jur.*

8 Juramentum quando debet adimpleri?

℞ Semper,quando potest adimpleri sine dispendio animæ, & nisi adimplendo quis peccet, vel faciat contra justitiam. *c. Quintavallis, & c. si. vero de jure jurando.*

9 Juramentum est ne personale:

℞ Personale, quia persona obligatur, *c. venientes, de jurejur & ibi glos.*

10 Juramentum cum sit bonum, quare prohibetur, ut non fiat sine causa?

℞ Propter periculum periurii. *c. & si Christus, eodem titu.*

11 Qui semel iuravit obedientiam Prælato, vel domino, tenetur ne iterum iurare successori illius obedientiam?

℞ Non, quia in primo iuramento includitur fidelitas successori servanda *c. veritatis, eod tit.*

12 Juramentum in præiudicium alterius est ne licitum?

℞ Non, neque tenetur quisquam illud servare, & peccat adimplendo, *cap. venientes, de jure jurando*

13 Civitas potest ne statuere aliquid in præiudicium præeminentiæ superioris?

℞ Non, neque iuramentum supra hoc est adimplendum, quia est illicitum. *Abb. in cap. venientes de jurejurando num.* 1.

14 Christianus potest ne iurare per alienos Deos?

℞ Non, & peccat iurando *Abb. in c. & si Christus n.* 13. *eod tit.*

15 Juramentum potest ne extendi ad aliquas res non expressè iuratas?

℞ Non. ut si quis iuravit statuta edita,non tenetur servare edenda, nisi novo iuramento adstringatur *cap. clericus, de jure jurando*

16 Quis potest absolvere a Iuramento?

℞ Papa, & Episcopus. *Abb. in cap. quantò, eod tit. numero* 8.

17 In absolutione iuramenti, vel relaxatione quis est iudex competens?

℞ Prælatus, cum iuramentum sit res sacra, & ad Ecclesiasticum pertineat. *Abb.in cap.*2.*eod.tit.n.*3.

18 Quod est iuramentum, quod Papa, Episcopi, & in dignitate constituti faciunt?

℞ 1*mo*, quod erit fidelis Ecclesiæ,& Pontifici. 2*do*, quod servabit secretum sibi aPapa comissum.3*tio*, quod defendet Papam, & sedem Apostolicam. 4*to*, quod veniet ad synodum vocatus, si non habuerit legitimam causam. 5*to*, quod legatum

Papæ honorabit, & adiuvabit. 6to, quod limina Apostolorum visitabit tertiò quoque anno, & si Episcopus fuerit extra montes quinto quoque anno. *c. ego N. eod tit. de jure jur.*

19 Si monachi iurant stare apud inimicos in obsides, & pignus, & possunt fugere à carcere, tenentur ne stare?

℞ Tenentur, & servare iuramentum, & si fugiunt, sunt periuri, quia iuramentum semper est servandum, quotiescunque sine interitu salutis æternæ possit servari. *c. ex rescripto, de jurejur.*

20 Monachus iurando obligaturne naturaliter, vel civiliter?

℞ Naturaliter, & cum consensu sui superioris, civiliter, & naturaliter, sicut sæcularis. *cap. ex rescripto eod tit. Abb. ibi num. 1.*

21 Religiosi possunt ne iurare?

℞ Licitè, & ex causa possunt, ut in iudicio. *C. & si Christus, de jurejur.*

22 Prodigus obligatur ne iuramento?

℞ Licet a lege Prodigus æquipararetur insano, tamen obligatur iuramento; quia æquiparatio non est in iurando, sed in bonorum dilapidatione. *Abb. in cap. cum contingat, eod tit. num. 11.*

23 Qui frangit licitum iuramentum, qua pæna punitur?

℞ Est periurus, & eiicitur ab Ecclesia, qui non necessitate, sed voluntate frangit, & fit infamis, & potest deponi à beneficio, & ordine *c. querelam, eod tit. & Abb. ibi num. 1.*

24 Si quis iurat licite, ut defenderet Ecclesiam, & postea appellat, prodest ne illi appellatio?

℞ Talis non adimplendo periurus est, & appellatio illi nihil prodest, cum sit contra licitam rem. *c. brevi, de jurejurando.*

25 Si quis juravit dare decem aureos pauperibus, & postea ædificet Ecclesiam, frangit ne juramentum, si non dat decem aureos?

℞ Non frangit, quia in melius commutavit, *c. pervenit, de jurejur.*

26 Ad commutandum juramentum in rem meliorem requiritur ne auctoritas Episcopi, vel Superioris?

℞ Si res jurata concernat honorem Dei, vel Ecclesiæ, tunc requiritur auctoritas superioris, ne quis suo judicio decipiatur: si verò concernat utilitatem alicujus, tunc non requiritur superioris licentia. *c. Abb. in c. pervenit. il 2. eod. tit. num. 1. & 2.*

27 Si quis solvat pecuniam creditori creditoris sui, liberatur ne à solutione, & juramento?

℞ Si solvat ignorante suo creditore, vel volente, vel nolente ex mandato Judicis, tunc liberatur à debito, dummodo ejus creditor liberatus etiam existat: si verò solvit sua auctoritate, creditore suo contradicente, & tunc non liberatur à debito. *l. solvendo ff. de negot gestis.*

28 Si quis fecit duo juramenta inter se contraria quod est servandum?

℞ Illud, in quo est major justitia. *c. tu nos. eod. tit.*

29 Si jurem obedire meo superiori, & præcipiat aliquid injustum, vel contra juramentum, quod per vim feci, teneor ne obedire?

℞ Non, quia non sum obligatus ad injustum. *c. veniens de jurejur.*

30 Si quis juret aliquid licitè, & postea juret contrarium, quod etiam sit licitum, quod juramentum debet servari?

℞ Primum, quia fuit prima obligatio licita, *cap. veniens eod tit.*

31 Si quis jurat se soluturum decem Petro, & solvat Joanni per errorem, liberatur ne à juramento?

℞ Non, neq; à debito, sed tenetur iterum solvere vero creditori. *c. ex te eod tit.*

32 Si quis juret stare mandato alicujus, & ipse præcipiat iniqua, ut filium ex heredet, & mulierem repellat, tenetur ne parere?

℞ Non, neque adimplere juramentum, quia iniquum est mandatum, & juramentum debet continere licitum, & possibile. *cap. Quintualis de jurejurando.*

33 Qui juravit se contrahere cum muliere, si post juramentum mulier fornicetur cum alio, vel illi superveniat aliqua magna deformitas, ut amissio nasi, tenetur ne adimplere juramentum?

℞ Non, quia conditiones honestæ tacitè insunt juramento, licèt non exprimatur præcipuæ illæ conditiones, quæ si apparerent, ille homo non juraret sponsalia. *c. quemadmodum. eod. tit.*

34 Deceptus ultra dimidiam si juret, auditur ne postea?

℞ Absolutionem petendo auditur. *Abb. in cap. cum contingat. eod. tit. num. 23.*

35 Si quis juret se facturum aliquid, quod prohibitum est per leges, & Canones, tenetur ne adimplere tale juramentum?

℞ Distinguendo: si talis res prohibita est à lege, quia mala, iniqua, & nociva, ut interficere, non tenetur juramentum adimplere; si verò talis res est prohibita à lege non ut mala, sed ut aliquis particularis habeat utilitatem, ut prohibitum est renuntiare alimentis, donationibus factis inter virum, & uxorem, inter filios, & Patrem, in isto casu. *Bart in l. si quis pro eo, ff. de fidejussoribus tenet*, quod juramentum valet, & firmat donationem, quæ absq; juramento est invalida. sed Butrius tenet juramentum non valere, quia potest adimpleri sine dispendio animæ, sed non confirmare donationem, quæ facta est contra legem. *Abb. c. cum contingat num.* 30. *de jurejur.*

36 Si quis juret fidelitatem Principi, tenebitur ne consentire contra se, contra utilitatem, vel libertatem Ecclesiæ?

℞ Non obligatur, imò tenetur resistere, quantum potetit, & non erit perjurus. *c. petitio vestra de jurejur.*

37 Si quis solvat usuras, quia juravit, præsumitur ne velle donare tales usuras cum obligatione restituendi?

℞ Non, nisi ipse explicitè dicat, dono tibi has usuras. *Abb. c. debitores eod tit. num. 1.*

38 Si Clericus jurat Principi Laico fidelitatem, & obedientiam, tale juramentum tenet ne?

℞ In dependentibus à potestate Laici, tenetur illud adimplere sub pœna perjurij *Abbas c. petitio, eod tit num. 1.*

39 Jura-

39 Juramentum metu factum obligat ne?
℞ Non; si metus sit cadens in constantem virum, quia juramentum de sua natura debet esse liberum, & promissio libera, non vi extorta. *Abb. cap. 2. eod. tit. num. 2.*

40 Juramentum metu extortum est ne servandum?
℞ Est, si servari potest sine interitu salutis æternæ, tamen ad obviandum inconveniens, Ecclesia consvevit dare relaxationem. *c. si vero, eod tit.*

41 Si quis jurat per metum, & postea frangit juramentum absque Judicis absolutione, punitur ne pœna perjurij?
℞ Non. *c. verum eod. tit. quia* perjurus non sit, cum juramentum metu extortum, neque teneat, neque obliget.

42 Quis metus sufficit, ut dicatur juramentum metu extortum?
℞ Metus mortis, metus carceris, & amissionis rerum temporalium, & honoris *Abb. cap. verum, ubi sup. num. 1.*

43 Si quis juret se soluturum usuras, tenetur ne adimplere?
℞ Affirmativè, quia ex tali juramento nascitur obligatio naturalis contra jurantem, & licèt usurarius peccet recipiendo usuras, ego non pecco solvendo. *Abb. in c. ex administrationis num. 2. & c. debitores de jurejur. num. 1.*

44 Quod remedium potest quis ponere, quando juravit solvere usuras, ut eas non teneatur solvere?
℞ Primò, petere relaxationem à juramento, ut Judex compellat usurarium ad usuras non recipiendas, vel eas restituendas. *Abb. in c. eod. tit. nu. 6.*

45 Si quis sub juramento obligavit se facturum aliquam rem sub certa conditione & pacto, si tale pactum non adimpleatur, tenebitur ne ipse adimplere promissionem juratam?
℞ Non tenetur. Ratio est, quia juramentum fuit conditionale, & non absolutum, & dum conditio non adimpletur, juramentum non obligat, neq; habet ullam vim, ut habetur. *in c. pervenit, il 2. de jurejur. & ibi Abb. num. 3.*

46 Obligatio, & promissio usurarum quando tenet?
℞ Quando scriptura, & obligatio est vallata juramento, aliàs non tenet. ratio est, quia licèt percipere usuras sit peccatum mortale, solvere usuras nullum peccatum est, cum quis de suis bonis disponat, & juramentum habet hanc vim, quod semper debet adimpleri, quotiescunq; potest adimpleri sine dispendio animæ jurantis, & talis homo non obligatur ratione scripturæ, sed ratione juramenti.

47 Judex potest ne petere juramentum ab usurario, ut sic manifestet veritatem & condemnet eum ad restituendas usuras, vel ad non recipiendas?
℞ In quocunq; statu litis, poterit Judex Ecclesiasticus petere juramentum ab usurario: quia usura est magnum peccatum, agiturq; de evitando peccato, & de salvanda anima usurarij. *c. ex literis, de iurejurando.*

48 Si quis cum ira juret aliquid temerarium, vel illicitum, vel difficile, ut si dicat, si iterum lusero tecum, juro me Hierusalem, vel Romam nudis pedibus peregrinaturum, vel quid simile, obligatur ne tali juramento?
℞ Non obligatur; æquè enim se habet, ac si non jurasset; ratio est, quia juramentum, quod ex calore iracundiæ emanat, non obligat, & dicitur calor iracundiæ, quando quis incensus ira jurat id, quod aliàs in quiete non juraret, quod cognoscitur in eo, quòd translacto illo impetu, & ira homo pœnitet, & resipiscit, *Abbas in c. sicut ex literis, ist. titul. num. 2.*

49 Si quis juret se commissurum peccatum illicitum, & turpe, vel facturum rem nocivam alteri, tenetur ne servare tale juramentum?
℞ Si id juret sciens, quòd talis res est peccatum, & quòd non tenet adimplere juramentum super peccatum, tunc non tenetur adimplere, neq; juravit, neq; tenetur se absolvere à juramento: ratio est, quia juramentum de se nullum fuit, & sic non indiget absolutione exteriori, sed sacramentali interiori; si verò ignoret, quod juramentum de re illicita non obligat, imò existimat obligare, sicut de re licita, tunc tenetur se absolvere à juramento, & facere pœnitentiam, ut habetur in *c. qua ... de jurejur.*

50 Juramentum temerarium debet ne servari?
℞ Tale juramentum reijcitur ab Ecclesia, & non est servandum, & jurans est puniendus, ut si quis juret se volaturum per aerem, ambulaturum super mare, vel interfecturum centum Mauros, vel quid simile, quod viribus naturalibus videtur impossibile; ratio est, quia ad impossibile nemo obligatur, ut habetur *in c. una nos, de jurejur.*

51 Quis poterit revocare alienationem ab Episcopo factam de rebus suæ dignitatis & juratam?
℞ Successor ejus, & rem tanquam suam occupare. *Abb. in c. intellecto, de jurejur. num 2.*

52 Judex potestne ex officio inquirere super juribus Ecclesiæ?
℞ Potest, & tenetur inquirere. & ea defendere. *Abb. in c. ad nostram, il 2. num. 8. eod. tit.*

53 Si Episcopus alienet, & juret alienationem, valebit ne juramentum?
℞ Si alienatio fit ex re suæ mensæ, vel Ecclesiæ, aut dignitatis; juramentum non valet, quia in ingressu dignitatis juravit de non alienando, & primo juramento standum est, *c. intellecto eod. tit.*

54 Judex potestne ex officio inquirere de juribus particularium personarum?
℞ Non, nisi sint pauperes *Abb. in c. ad nostram, il 2. de jurejurando, num 9.*

55 In juramento quid debet Judex considerare?
℞ Quantitatem causæ; & dignitatem personæ, ut non pro re levi fiat juramentum. *c. Juramentum, eod. tit. §. sane, & ibi glossa.*

## CAPUT XXVII.
## De Exceptionibus.

1 Quid est exceptio?
℞ Est rei defensio, per quam se defendit ab actore, *Azo. in sum. tit. de exceptionibus sive præscriptionib. num. 1.*

2 Quot sunt genera exceptionum?

 ℞ Plura.

℞ Plura. 1mò, exceptio juris. 2dò, facti. 3tiò, temporalis,& dilatoria. 4tò, perpetua & peremptoria. 5to, odioſa, ut Macedoniani. 6to, favorabilis,ut Velleiani. 7mo, in rem, 8vo, in perſonam. 9no, anomala. 10mo, alia mixti. *l. 1. & 2. ff. de exceptionibus. Speculator. eod. tit.*

3 In quo differunt defenſio, & exceptio?

℞ In eo, quod defenſio propriè dicitur illa, quæ ipſo jure tollit actionem contrarij,& dirimit,ſicut ſolutio extingvit debitum: exceptio verò eſt quædam defenſio,quæ competit reo contra actorem,& excludit intentionem actoris. *Inſtit. quibus modis obligatio tollitur. §. item, ut refert Speculator. eod. tit. noſtrc. num. 4.*

4 Quæ eſt exceptio juris?

℞ Cum opponis mihi, ut ſolvam tibi debitum, ego verò excipio, aſſignando tempus, & ſi terminus ſolvendi non fuerit completus, non teneor. *l. 2 ff. de exceptionibus.*

5 Quæ eſt exceptio facti?

℞ Cum opponis,me feciſſe damnum in vinea tua at ego nego factum,aſſerendo,me potius tibi utile feciſſe, cum Suſtulerim lapides, eamq; meliùs coluerim. *l. 2. ff. eod. tit.*

6 Quæ eſt exceptio temporalis,& dilatoria?

℞ Quæ cauſam differt, ut ſi dicam habeo impedimentum non reſpondendi per duos menſes. *Inſtit. de exceptionibus. § appellantur. l. exceptiones, la prima, ff. de exceptionib.*

7 Quæ eſt exceptio declinatoria fori?

℞ Si ſum Clericus, & convenior coram Judice ſæculari,declino forum,& ſic differo judicium,& litem ad multum tempus diſtraho. *l. exceptionem. C. de probationibus.*

8 Quæ eſt exceptio perpetua,& peremptoria?

℞ Illa,quæ perimit litem, ut petis decem, ſolvo decem,vel attendo pactum de non petendo. *Joan Andr. c. 1. de lite conteſtata. lib. 6. l. 3. ff de exceptionibus,& inſt. de except. §. appellantur.*

9 Si excommunicatus impetret reſcriptum ſuper appellatione ab eo interpoſita,& non faciat mentionem excommunicationis, valet ne tale reſcriptum?

℞ Valet; ratio eſt, quia exiſtens in excommunicatione poteſt appellare, & proſequi appellationem. *c. final. de exceptionibus.*

10 Quæ eſt exceptio anomala?

℞ Quæ non ſequitur nomen aliarum exceptionum,& poteſt opponi ante litem conteſtatam, & poſt, ut exceptio excommunicationis. *Specul. lib. 2. de exceptionibus, num 7.*

11 Judex debet ne apponere terminum ad dilatorias exceptiones?

℞ Debet. *c. paſtoralis, de except.*

12 Exceptiones peremptoriæ quando poſſunt opponi?

℞ De jure uſque ad concluſionem,& facto juramento, quod de novo venerunt ad ſuam notitiam,uſq; ad definitivam. *Abbas cap. paſtoralis nu. 9. de exceptionibus.*

13 Exceptio falſi quando poteſt opponi?

℞ Poſt ſententiam, & uſque ad viginti annos, falſum facit corruere totum judicium, ſicut falſum fundamentum totam domum. *Abb. in c. cum venerabilis, eod. tit. num. 1.*

14 Contra teſtes poteſt ne opponi exceptio?

℞ Poſſunt opponi diverſæ exceptiones,videlicet, de infamia,de perjurio, de excommunicatione,& conſangvinitate, in quocunque ſtatu litis poſt præſentationem. *cap. 1. de exception.& ibi gloſſa.*

15 Si quis dolo deſijt poſſidere, quam pænam incurrit?

℞ Habetur pro poſſeſſore, & condemnatur, ut talis. *Abb in c. adverſario, de exceptionib.*

16 Quis debet probare dolum?

℞ Ille,qui allegat dolum. *Abb. in c. adverſario, de except. num. 6.*

17 Si quis habet plura beneficia,poteſt ne opponere ſuo contrario,quod ipſe habet plura beneficia?

℞ Non: quia replicatio paris criminis repellit excipientem. *c. cum Eccleſiaſtica, eod. tit.*

18 Exceptio de excommunicatione,ut quis repellatur ab agendo,debetne eſſe de majori, an de minori?

℞ De majori,quia excommunicatus minori, non eſt excluſus à Jure, ut agat, quia non eſt extra Eccleſiam. *c. à nobis, de exceptionib.& ibi glos.*

19 Exceptio excommunicationis privat ne excõmunicatum ab appellatione?

℞ Non,neq; à ſua legitima defenſione,ſed ſolùm ab agendo,& reconveniendo. *c. cum inter priorem, & c. ſignificavit. eod. tit.*

20 Si quis pro ſua Eccleſia ponat exceptionem excommunicationis,& ipſe ſit excommunicatus,vel perjurus,eſt ne audiendus?

℞ Exceptio debet admitti; quia cauſa non eſt opponentis habentis talem defectum, ſed Eccleſiæ,quæ non eſt,neq; poteſt eſſe excommunicata *c. dilecti, de except.*

21 Si quis opponat excommunicationem alteri,& non probet, quam pœnam incurrit?

℞ Condemnatur in expenſis. *capit. exceptionem. eodem tit.*

---

## CAPUT XXVIII.
## De Præſcriptionibus.

1 Quid eſt præſcriptio?

℞ Eſt quoddam Jus, & exceptio ex tempore ab auctoritate legum vim capiens, negligentibus pœnam,& finem litibus imponens. *Goffred. tit. de præſcriptionibus.*

2 Cenſus jure Eccleſiæ, fontes,prædia, ſubjugationes debenturne per ſolam conſvetudinem?

℞ Affirmativè,quia cum Eccleſia ſit res pia,& adminiſtratores ejus non ſuccedant ordine ſangvinis,ſed electionis; & præterea cum illa duraverint tempore ſedis vacantis, congruum eſt, quod ſufficiat ad probationem ſola conſvetudo. *c. ad audientiam, de præſcriptionibus,& ibi Abb. num. 2.*

3 Quid requiritur ad præſcriptionem?

℞ 1mo, titulus. 2do,poſſeſſio. 3tio, bona fides. 4to, ut res præſcribenda ſit præſcriptibilis. 5to, perſona præſcribens 6to,perſona,cõtra quã præſcribit.

4 Conſvetudo tam longa, ita ut de ejus initio non ſit memoria,quam vim habet?

℞ Vim

℟ Vim tituli,& privilegij,& sufficit, si sit centenaria ad præscribendum contra jura Imperatori debita. *Abb. in c. cum nobis,de præscript num. 4.*

5 Quæ jura acquiruntur per præscriptionem?

℟ Jus utile directum,& omnia necessaria ad possidendam rem tanquam suam propriam *Abb. in c. ad aures. num. 4. de præscriptionib.*

6 Quot sunt status præscriptionis?

℟ De jure; tres 1mo, aliquando præscriptio dormit,ut cum Ecclesia vacat. 2do, aliquando interrumpitur,ut per litem,& possessionem contrariã 3tiò, aliquando currit,ut cum quis possidet bona fide. *Abb.in c.illud autem, de præscriptionibus num. 5.*

7 Præscriptio potest ne extendi de vna re ad aliam similem?

℟ Non,sed tantum possessum, quantum præscriptum, neq; extendi potest, sive sit in juribus incorporalibus,sive in rebus corporalibus. *Abb. cap. in auditis, num. 9 eod tit nostro & in c. cum inter. de sent. & re judicata num. 16, & c.accedentibus, num. 7. de privileg.*

8 Quod tempus requiritur ad præscriptionem inter præsentes?

℟ Decem annorum. *Inst. in rubr. de usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus.*

9 Qui dicuntur præsẽtes in materia præscriptionis?

℟ Qui sunt in eadem civitate. *Abb.in c.de quarta, de præscript. num.* 30.

10 Quod tempus requiritur ad præscriptionem inter absentes?

℟ Viginti annorum. *Inst. de usucapionibus, super. citata.*

11 Quod tempus requiritur ad præscriptionem longissimi temporis?

℟ Triginta,vel quadraginta annorum *in l. unica, & ibi glos. C. de usucap. trasformanda, &c.*

12 Servitutes quo tempore præscribuntur?

℟ Spatio quadraginta annorum, dummodo sint res, quæ à jure non prohibentur præscribi.

13 Contra Romanam Ecclesiam quæ præscriptio requiritur?

℟ In juribus ejus centum annorum. *DD. in cap. auditis eod tit de præscrpt*

14 Ecclesia per quod tempus præscribit rem alicujus, hominis particularis?

℟ Cum titulo, & bona fide per spatium decem annorum: si sine titulo, per spatium triginta, si habeat bonam fidem: quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit *Abb. c. sanctorum. eod. tit, num. 1.*

15 Contra Ecclesias per quot tempora currit præscriptio?

℟ Per quadraginta annos. *auth. quas actiones C. de sacrosanct. Eccles.*

16 Contra Clericos per quot tempora præscribitur?

℟ Per tempus,per quod præscribitur contra sæculares. *Abb. ubi sup. n. 5. c. sanctorum, isto tit.*

17 Quomodo probatur mala fides?

℟ Per confessionem possidentis,per famam publicam,per denuntiationem, & reclamationem tempore, contractus,vel post factam, *Abb. c. sanctorum, de præscription. num. 4.*

18 Per quot tempora præscribitur contra Episcopum quarta funeralium,& decimarum?

℟ Per quadraginta annos, cessante solutione. *c. de quarta, de præscrip.*

19 Per quod tempus præscribitur contra prædia,& bona Ecclesiæ, vel contra legata pia, vel contra loca pia,ut Eremitarum, &c.

℟ Per tempus quadraginta annorum, quia reputantur ut ipsæ Ecclesiæ. *Abb. in cap. de quarta, eod. tit. num. 7.*

20 Ut præscribat una Ecclesia contra alteram,decimas,vel jura spiritualia, quod tempus requiritur?

℟ Quadraginta annorum; quia melior est conditio possidentis. *c. ad aures. eod. tit.*

21 Census debetur ne alicui ratione consvetudinis, si non habeat scripturam, etiam si sit persona laicalis?

℟ Affirmativè; dummodo talis consvetudo solvendi sit legitimè introducta,& probentur solutiones continuatæ per tantum tempus,quantum de illius initio sit memoria. *Abb. in c. ad audientiam, num. 2. de præscriptionibus.*

22 Mala fides interrumpitne præscriptionem?

℟ De Jure civili,& canonico bona fides in præscriptione requiritur, & ipsa deficiente, præscriptio corruit, quia detinere rem alienam, & eam possidere,ejusque fructibus frui,est peccatum mortale,quod nulli dat jus,imò imponit & obligationem restituendi,& Papa potest tollere jus civile, & annullare constitutiones in pertinentibus ad peccatum mortale. *capit. final. de præscriptionibus Abbas ibi num. 18.*

23 Si antecessor meus habuit malam fidem,& ego bonam,nocet ne mihi in præscriptione mala fides antecessoris mei?

℟ Non, sed non computabitur tempus in præscriptione,nisi illud, in quo habui bonam fidem. *Abb. in c. de quarta, de præscript. n. 19.*

24 Possessor malæ fidei quo tempore præscribit?

℟ Nullo tempore; ratio est, quia longinquitas temporis non solum non minuit peccatum, neque dat aliquod jus, sed auget malitiam peccati, ut habetur in *c. vigilanti, de præscrip.*

25 Quis dicitur possessor malæ fidei?

℟ Ille,qui scit rem esse alienam,vel scit non esse suam,quia nullum titulum in ea habet,& nihilominus eam possidet,& retinet,vel invito domino, & petenti vel non petenti;ratio est,quia ad hoc, ut quis sit bonæ fidei possessor, debet possidere rem cum aliquo titulo,vel cum secura cõscientia, vel saltem non debet habere scrupulum, neque conscientiam contrariam, quia tunc tenetur facere diligentiam,ut res proprio domino restituatur. *Abb. in c. vigilanti, de præscription. n. 1.*

26 Quomodo probatur mala fides?

℟ Pluribus modis. 1mò, per confessionem possidentis, dicentis se invenisse talem rem, & confitentis non esse suam. 2dò, per famam publicam, quæ erat in vicino oppido, vel in illo loco dicentem talem domum,vel talem agrum non esse illius hominis, quia tunc præsumitur, quòd talis fama pervenit ad aures possidentis, 4to, per denuntia-

nuntiationem factam ab aliquo ante Judicem. 4to,
per reclamationem etiam extrajudicialem factam
ab aliqua parte tempore contractus, vel poſt fa-
ctum contractum dicentem illam rem eſſe ſuam,
& non illius hominis, qui illam poſſidet. 5to, per
litis conteſtationem factam coram Judice, ut.
*Abb. in c. ſanctorum, de præſcrip. n. 4.*

27 Quæ res de jure præſcribi non poſſunt?

℞ Plurimæ. 1mo, res furto ablatæ, quamquam à
ſucceſſore latronis poſſideantur bona fide 2do, res
vi extortæ à ſuo domino. 3tio, res ſacræ, & reli-
gioſæ Deo ſacratæ, & bona Eccleſiarum. 4to, ſer-
vus fugitivus 5to, homo liber, licèt tanquam ſer-
vus poſt 20 annos poſſideatur, ut tenet. *Sylu. verb.
præſcriptio, 2. n. 6. cum ſeqq.*

28 In quibus caſibus non præſcribitur, vel dor-
mit præſcriptio?

℞ In viginti duobus. 1mo, in præſtando obedien-
tiam Prælato. 2do, in ſolvenda procuratione, &
ſuſtentatione viſitationis debita. 3tio, in decimis
à Laicis poſſeſſis 4to, in matrimonio, & impedi-
mento conſangvinitatis 5to, in tributis, ſive publi-
cis functionibus. 6to, tempore vacationis Eccleſiæ
7mo, tempore belli, vel peſtis. 8vo, neque contra
diſciplinam Eccleſiaſticam. 9no, in re, quæ de Ju-
re communi poſſideri non poteſt, neque præſcri-
bi. 10mo, in re ſpirituali injuſto titulo acquiſita.
11mo, in limitibus, & terminis diœceſis, 12mo,
neque in via publica. 13tio, neque contra Jus
publicum. 14to, in re ſacra, & Jure fiſcali. 15to,
inre præſidi data contra l. Juliam 16to, neque in
re pupillari. 17mo, item pupillo non currit præ-
ſcriptio. 18vo, neque in fundo dotali. 19no, ne-
que in re peculiari, item uxori non currit præ-
ſcriptio durante matrimonio 20mo, item in re-
bus, quæ ſub conditione debentur, durante con-
ditione, non currit præſcriptio. 21mo, neque tem-
pore ſuſpenſionis Prælati. 22do, neque filiofami-
lias, dum eſt in poteſtate patris. *Glos. in c. cum
non liceat, de præſcript. lit. C verb. non obſtante.*

29 Collatio beneficiorum, & Jus excommunicandi
poteſt ne concedi laicis?

℞ Per ſolum Papam poteſt, qui ſuprema pote-
ſtate poteſt eos facere capaces, vel melius cum
eis diſpenſare, ut obtineant jura iſta. *Abb. in c.
cauſam, de præſcript. n. 3.*

30 Quando agitur de agris, vel de menſura eorum,
quæ ſolemnitates debent fieri?

℞ Judex debet ponere agri menſores expertos,
& ab eis petere juramentum, & citare partes, ut
eos informent, & debent menſuras ſuper agros
extendere coram tabellione, ut depoſitiones eo-
rum accipiat fideliter. *Abb. in c. quia indecate, de
præſcrip. n. 5. & 6.*

31 Qui ſunt, qui præſcribere non poſſunt?

℞ 1mo, præcario tenentes. 2do, colonus. 3tio,
ille, qui nomine alieno poſſidet 4to, uſufructua-
rius. 5to, creditor non præſcribit pignus. *Gl. in c.
cum non liceat, eod. tit. lit. C. verbo, non obſtante, cir-
ca medium.*

32 Currit ne præſcriptio contra Eccleſiam vacan-
tem, vel habentem Epiſcopum hæreticum, vel cō-
tra pupillum habentem tutorem, vel contra jura
Imperij vacante Imperio, vel contra impeditum
legitimè ad agendum?

℞ Non, quia cum præſcriptio ſit inventa ad pu-
niendos negligentes, cum non habeant perſonas
habiles, non currit contra eos præſcriptio. *capit. 1.
eodem titul. & Abbas ibi. num. 1. 2. 3. & 4.*

33 Quando dicitur quis rectè poſſidere?

℞ Quando in judicio nihil ab eo petitur. *Abb. in
c. ſanctorum, de præſcriptionib. num. 2.*

34 In rebus invaſis vi, vel in bello currit ne præ-
ſcriptio?

℞ Non; quia non eſt in manu poſſidentis ea de-
fendere. *c. nihil. de præſcript.*

35 Quando dicitur quis ſincerè poſſidere?

℞ Quando habet bonam fidem, ideſt quando exi-
ſtimat rem eſſe ſuam, quia eam hæreditavit, emit,
vel lucratus eſt, vel permutavit cum altera re, *Abb
in c. ſanctorum. de præſcriptionibus, num. 2.*

36 Quid perrumpit præſcriptionem?

℞ Proclamatio ſynodalis, & alicujus particularis
ante Judicem, & conteſtatio litis. *c. ſanctorum, de
præſcriptionibus. in glos.*

37 Quis error interrumpit præſcriptionem?

℞ Error juris, ſed non facti, in quo homo culpam
non habet. *Abb. in c. de quarta, eod. tit. num. 12.*

38 Tempore belli, vel peſtis currit ne præſcriptio?

℞ Non; quia in illo tempore cum agitur de com-
muni ſalute, quis non poteſt commode petere ju-
ſtitiam, & ſic præſcriptio dormit. *c. ex tranſmiſſa,
de præſcriptionib. Abb. ibi. num. 7.*

39 Præſcriptio centum annorum, interrumpitur
ne bello, vel ſchiſmate?

℞ Affirmativè. *c. cum nobis, eodem titulo*; quia in bel-
lo agitur de communi periculo in ſchiſmate quæ-
ritur de cognoſcendo vero Pontifice, & repel-
lendo ſchiſmatico, & ſic præſcriptio tunc inter-
rumpitur, & dormit.

40 Interruptio, finito tempore præſcriptionis, no-
cet ne?

℞ Non; neque ſcientia, quòd res erat aliena, quia
actus iam erat conſumatus, & præſcriptim com-
pleta. *Abb. c. auditis, eod. tit num. 10.*

41 Præſcriptio rerum incorporalium quomodo in-
terrumpitur?

℞ Eodem modo, ac ſi fuiſſent corporalia per litis
conteſtationem per actus contrarios, per reclama-
tionem. *Abb. c. auditis. num. 13.*

42 In rebus incorporalibus ad præſcribendum re-
quiritur ne poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio?

℞ Non, ſed ſufficit ſcientia, & patientia adver-
ſarij. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 6.*

43 Uſucapio circa quas res verſatur, & quod tem-
pus requiritur?

℞ Circa res mobiles, & requiritur tempus trium
annorum. *Abb. in c. de quarta, de præſcriptionib. n. 13.*

44 Jura, quæ debentur legatis à Nuntijs Apoſtolicis,
ſediſq; Apoſtolicæ ſi per quadraginta annos, non
ſolvantur, poſſunt ne præſcribi?

℞ Non, quia de jure non ſunt res præſcriptibiles;
ratio eſt, quia his nuntijs utitur ſedes Apoſtolica
in neceſſitatibus Eccleſiæ, & ſi non ſe offerat, non
ideò perdidit jus, cum ſemper ſedes Apoſtolica
poſſideat habitu talem facultatem mittendi tales
nuntios,

nuntios,& faciendi tales sumptus. c. *accedens eod. tit.*

45 Papa,& Imperator,qui sunt Domini in universo,possunt ne præscribere bona subditorum?

℞ Non, quia non sunt Domini quoad possessioné rerum suorum subditorum;quilibet enim possidet agrum & domum suam, licet supra se habeat Papam,& Imperatorem. Abb.c.*si diligenti, eod.tit. n.* 2.

46 Potestne Episcopus prœscribere in suis Ecclesijs inferioribus aliqua jura?

℞ Affirmative, dummodo tempore præscriptionis tollatur tempus vacantis Ecclesiæ. *c. auditis eod.tit.*

47 Contra Episcopum potest ne alius Prælatus inferior jura Episcopalia præscribere?

℞ Potest præscribere jura decimarum & limitem diœcesis,& cognitionis matrimonij,sed jura, quæ sunt ordinis,non potest quis ea præscribere, quia de jure sunt imprœscriptibilia. *Abb. c. auditis. eod. tit. num.* 6.

48 Subditus potest ne præscribere non solvendo rationem procurationis & visitationis?

℞ Non potest subditus contra Episcopum, vel Vicarium, vel superiorem hoc præscribere, tanquam res ad gubernationem, & utilitatem subditorum multum necessaria; bene tamen potest unus subditus præscribere contra alium subditum æqualem hoc jus solvendi *c. cum ex offic. eod tit.*

49 Ecclesia, vel minor potest ne restitui à præscriptione contra ipsos facta?

℞ Potest. *Abb.* c. 1. *de præscript num.* 9.

50 Restitutio adversus præscriptionem datur ne majori?

℞ Datur propter ignorantiam inculpabilem. *Abb. ubi supra num.* 11.

51 Intra quod tempus Ecclesia, & minor legitimè ignorantes possunt petere restitutionem?

℞ Intra quadriennium, quo finito non datur ulterius restitutio. *Abb. ubi supra num.* 12.

52 Probatio præscriptionis debent ne esse in genere, vel in specie?

℞ In specie cum claritate, & scientia specialis rei, & non debet esse in genere; quia non valet de uno casu ad alterum. *Abb. in c. auditis, eod tit. num.* 25.

53 Quæ probatio præscriptionis est efficacior, per testes, vel instrumenta?

℞ De jure, æqualis probatio est per testes, ac per instrumenta. *l. in exercendis.* C. *de fide instrum.*

54 Si contra præscriptionem opponatur interruptio, quis debet probare?

℞ Uterque; unus præscriptionem, alter interruptionem c. *illud autem, eod. tit. de præscriptionib.*

55 Allegans interruptionem contra præscribentem, fatetur ne præscriptionem?

℞ Non: quia excipiens de jure non fatetur. *Abb. in c. illud autem. in tit. num.* 3.

56 Per libros potestne probari præpositio?

℞ Potest, unde libri antiqui probant divisionem diæcesum, si sint authentici, & libri publici alicujus capituli, vel communitatis scripti per Notarium, vel personam publicam. *Abb. c. ad audientiam, eodem tit. num.* 11.

57 Præscriptio centum annorum quomodo probatur?

℞ Per antiquissimos testes, qui dicunt se vidisse possessionem sua ætate,& audivisse à suis majoribus dictam possessionem eorum ætate fuisse nominando personas maiorum suorum in primo,& secundo ordine,eodem modo dicentium; ad hoc additur probatio per antiquissima instrumenta, quæ excedant centum annos cum qualificatione scripturarum per alias scripturas, quæ illis publice, & communiter dantur. *Abb. c. cum nobis, eod. tit num.* 5.

58 Si quis possideat rem bona fide toto tempore præscriptionis,& finita præscriptione certò sciat rem non esse suam, teneturne eam restituere?

℞ Non, neque in foro interiori, neq; exteriori quia per titulum, & bonam fidem complevit præscriptionem, & præscriptio dedit illi rem alienam justo titulo. *Abb. in c. vigilanti. eod. tit. nu* 6. *& in c. illud autem. num.* 2.

59 Laici possunt ne præscribere spiritualia?

℞ Non, quia sunt incapaces ea possidendi. *Abb cap. causam, eod. tit. nu.* 1. *&* 5.

60 Si quis gravetur a mensura facta per expertos, intra quod tempus debet querelam exponere?

℞ Intra annum, quo transacto mensura transit in rem judicatam *Abb. quia indicante, de præscript.n.*5.

61 Qui alieno nomine possidet, potest ne præscribere?

℞ Non, neque qui habet pignus; quia ipse non possidet, sed alius, in cujus nomine ipse possidet, *cap. si diligen, eod. tit.*

62 Si quis completa præscriptione petat à Principe privilegium talis rei,poterit ne se tueri præscriptione?

℞ Non imo, videtur renuntiare præscriptioni *c. veniens, eod. tit.*

63 Si quis dum currit tempus præscriptionis, petat privilegium a Principe, ut illud obtineat, juvat ne præscriptioni ab eo inceptæ?

℞ Ille talis per similem petitionem, constituitur in mala fide, & interrumpit suam præscriptionem, & finito tempore eam non poterit allegare, quia præscriptio, & privilegium sunt sibi ad inuicem contraria, cum præscriptio habeat firmitatem a jure mediante bona fide, & privilegium habeat firmitatem à liberalitate Principis, a quo quis petit illud, quod existimat non esse suum *c. veniens eod tit.*

64 Servitus prædiorum, & agrorum perditur ne per non usum?

℞ Si tu habebas servitutem discurrendi per agrum meum, & per multum tempus non adfuisti, præscripsi contra te talem servitutem, quia jus tuum consistebat in usu. *Abb. in c. fin. nu.* 8.

65 Si aliquis debet centum, & ignorat se debere & creditor non petat, præscribitur ne tale debitum?

℞ Si debitor non petat per triginta annos,& egonescio me debere, legitime præscribo debitum, & non tenor amplius ad solutionem. *Abb.* c *fin. nu.* 9. *eod. tit.*

66 Si quis in tempore, quo præscribit habeat notitiam, quod res non est sua, interrumpit ne præscriptionem?

Pppp ℞ Si

℞ Si habeat notitiam, quod res non eſt ſua, conſtituitur in mala fide, & illi non prodeſt totum tempus anterius ſuæ præſcriptionis, ſed ſi poſtea ex certiori ſcientia ſciat rem eſſe ſuam, in hoc caſu totum tempus pæſcriptionis illi eſt utile. *Abb. c. ſi. eod. tit. n. 33.*

67 Dubitans, an res ſit ſua, præſcribit ne?

℞ Affirmative, quia in dubio dicitur bonæ fidei poſſeſſor, cum in ejus utilitatem debeat res interpretari, ſed talis tenetur exhibere magnam diligentiam ad inveſtigandum, an ſi res non dilucidetur, ſed remaneat in dubitatione pro ipſo poſſidente eſt interpretandum *Abb. ſup. num.* 39.

## CAPUT XXIX.

### De ſententia & re judicata.

1 Hoc nomen ſententia, quas ſignificationes habet?

℞ Multas. *1mò.* ſententia dicitur cujuſcunq; orationis deciſio *2dò* cum pulchrum dictum continet in ſe aliquam ſubſtantiam. *3tiò*, dicitur opinio aliquorum DD. *4to*, ſumitur pro excommunicatione, vel interdicto. *5to*, pro deportatione. *6to*, pro ſententia judicis lata in aliqua lite *7mo*, pro quocunq; judicis præcepto. *Azor. in ſumm. tit. quomodo, & quando Judex, &c.*

2 Quotuplex eſt ſententia judicialis?

℞ Una eſt diſinitiva, alia interlocutoria, alia conventionalis *Azor. in ſum. eod. tit. ubi ſup.*

3 Quid eſt ſententia diffinitiva?

℞ Eſt diffinitio judicialis controverſiæ, continens finem, & imponens condemnationem, vel abſolutionem. *l. 1. ff. eod. tit. ut refert Azor. tit. quomodo, & quando, &c.*

4 Quæ eſt ſententia interlocutoria?

℞ Semiplena, quæ profertur à judice inter principium, & finem cauſæ, vel eſt quodcunq; dictum Judicis, quod profert interloquendo in cauſa, non imponens finem cauſæ. *Azor. in ſum. tit. de ſententiis, & interlocutionibus nu.* 7.

5 Quid eſt ſententia conventionalis?

℞ Eſt amicabilis compoſitio; ut quando Judex amicabiliter componit partes. *Goffred. in ſum. tit. de ſent. & re judicata*, Az*or tit. quomodo, & quando, &c.*

6 Quibus modis ſententia injuſta dicitur?

℞ Tribus. *1mo*, ex cauſa. *2do*, ex animo. *3tio*, ex ordine non ſervato. *glos. in cap. ſacro de ſent. excom. verbo, juſta.*

7 Sententia lata contra leges, & canones. valet nè?

℞ Non, neq; opus eſt ab ea appellari. *c. 1. de ſent. & re judic.*

8 Sententia juſtè lata debet nè confirmari ſine petitione partis?

℞ Sententia juſtè lata, ad petitionem partis confirmatur non ex officio Judicis, cum pars patiatur damnum particulare, cui poteſt, ſi vult, renuntiare, & Judex non tenetur ſuum officium, ſtudiumq; impertiri ad utilitatem privatam, ſi non poſtuletur. c. *ea quæ, de ſent. & re jud.*

9 Executio pænæ criminalis poteſtne fieri ſtatim, vel expectari terminus decem dierum?

℞ Si pæna ſit ſtatuta à lege, & executio fiat à jure, poteſt ſtatim exigi; ſi vero fiat ab homine, & in cauſis, in quibus de jure competit appellatio, debet expectari terminus decem dierum *Bar. in l. qui ultimo ſupplicio ff. de pænis, num.* 5.

10 Sententia per errorem lata poteſt ne revocari?

℞ Probato errore, debet revocari, etiam ſi ab ea non fuerit appellatum. *c. fraternitatis, de frigidis, & maleficiat, & ibi glos.*

11 Qui ſunt caſus, in quibus ſententia eſt nulla, licet error non ſit expreſſus?

℞ *1mo*, ex defectu juriſdictionis *2do*, ex defectu judicis, ut ſi Judex notarie ſit excommunicatus. *3tio*, ex defectu litigatorum, ut ſi ſit lata contra minorem ſine ſuo curatore *4to*, ratione temporis; quia fuit lata die feriata, vel nocturno tempore. *5to*. ratione loci, ut ſi fuit lata in Eccleſia, vel cæmeterio per Judicem ſæcularem. *Abb. in c. 1. de ſent. & re jud. nu* 5.

12 Sentenria lata contra legem habentem plures ſenſus, eſt ne tota ſententia ipſo jure nulla?

℞ Si ſit lata ſecundum aliquem ſenſum probabilem, & contra alium probabiliorem, non eſt ipſo jure nulla; quia licitum eſt opinionem probabalem ſequi relicta reliqua probabiliore. *Abb. ubi ſupr nu.* 9.

13 Sententia lata contra conſvetudinem, eſt ne nulla?

℞ Non, niſi ſit notoria conſvetudo, *Abb. c. 1. eod. tit. numero* 17.

14 Quando agitur de nullitate ſententiæ, eſt ne ſervandus ordo judicialis?

℞ Affirmative *Abb. in c. inter cæteras, eodem titulo numero* 2.

15 Si ſententia fuit injuſta, & abea non fuit appellatum, quid operatur?

℞ Si tranſit in rem judicatam, facit jus inter partes propter negligentiam non appellantis, idq; fit, ut litibus finis imponatur. *Abb. c. ea, quæ, eod. tit. nu.* 7. *de ſent. & re judic. & c. conquerenti, de reſt ſpol. nu.* 8.

16 Sententia lata in cauſa matrimoniali tranſit ne in rem judicatam?

℞ Non, propter periculum animæ, & ſic ſemper ſi conſtiterit de veritate, reſcindenda eſt, *c. lator præſentium, eod. tit.*

17 Ad ſententiam ſeparationis matrimonij, ſufficit ne ſola confeſſio conjugum?

℞ Non, ſed requiruntur alij teſtes, & probationes: quia iſta confeſſio poteſt eſſe falſa propter inimicitias inter ipſos *Abb. in c. lator num. 4. eod. tit.*

18 A ſententia lata, qui poteſt appellare?

℞ Reus, qui fuit condemnatus, & pars, quæ obtinuit victoriam, ſi de aliquo omiſſo gravatur, & tertius, cujus intereſt & omnes audiendi ſunt à judice à quo *c. cum ſuper eod. tit.*

19 Tempus datum à Jure ad appellandum quomodo currit?

℞ Legaliter de hora ad horam, de momento ad momentum, ſi poteſt haberi copia judicis a quo, & judicis ad quem, alias impedito nihil currit, ſed poteſt appellare extrajudicialiter coram teſtibus in cauſa, in qua copia judicis non poſſit haberi *Abb. in c quo ad conſultationem eod tit. num.* 3.

20 Qui terminus datur ad appellandū in crimialibus

℞ Decem

℞ Decem dierum. *Abb. cap. 2. ut sententia & re judi. is num. 3.*

21 Intra quod tempus debet quis prosequi appellationem ?

℞ Intra annum *c. cum super, eod tit. & ib. glos.*

22 Clausula, remota appellatione, quid operatur ?

℞ Ut non obstante, talis sententia exequatur, sed non tollit remedium appellationis in sententia notorie injusta. *Abb. in c. inter cæteras num. 5 eod. tit*

23 Si sententia præcipiat aliquid faciendum sub termino unius mensis, tempus ad appellandum currit ne à die sententiæ, vel finito mense?

℞ Tempus decem dierum datum a lege ad appellandum currit a die prolationis sententiæ, etiam finito mense, ne prorogentur lites calumnijs *c. quod eod. tit.*

24 Sententia iniqua potest ne retractari per superiorem, quando causa fuit comissa, amota appellatione ?

℞ Potest, quia commissa, amota appellatione, non intelligitur de sententia iniqua, sed de justa; id enim voluit Princeps. *c. inter cæteras eod. tit.*

25 Si sententia sit contra jus, & ab ea non appellatur intra decem dies, valebitne ?

℞ Si sit lata contra justitiam, scilicet quod in ea tollatur alicui prædium suum, & detur adversario suo, transit in rem judicatam, & valet; si vero sit contra Jus canonicum, vel leges, non valet, etiam si ab ea non appelletur in termino; sed transacto termino potest ab ea reclamari, & pars audiri. *c. cum inter eod tit.*

26 Ab executione datur ne appellatio ?

℞ Non; nisi in executione modus excedatur. *c. quod eod. tit. de sent. & re jud.*

27 Sententia est ne ferenda verbo, vel scriptura ?

℞ Scriptura, ut habeat majorem firmitatem. *Abb. in c. sicut nobis, eod. tit. num. 24.*

28 Judex, qui protulit sententiam nullam ipso jure, poterit ne idem judex aliam sententiam proferre, quæ sit justa, & teneat ?

℞ Si talis sit ordinarius, poterit, quia ejus jurisdictio est perpetua: si vero Judex sit delegatus, non poterit; quia cum primum sententiam tulit, functus est officio suo. *l. si præses. C. quomodo judex & l. 4. C. de accus.*

29 Si sint plures Judices in causa, & quilibet habeat suam opinionē, sententia lata eritne valida ?

℞ Ut valeat sententia, omnes judices, vel major pars debent esse concordes. *c. non potest, de sent. & re judicis & ibi glos.*

30 Judex merus executor sententiæ quas exceptiones potest admittere ?

℞ Exceptiones fraudis, & nullitatis sententiæ, sed super eas non poterit judicare, sed debet remittere judici, à quo emanavit sententia. *c. de cæteris, eod. tit.*

31 Sententia condemnatoria, potest ne proferri sub conditione ?

℞ Affirmative, ita ut Judex dicat; si Petrus non fecerit hoc, vel non demonstraverit talem scripturam intra tres dies, condemno eum decem aureis. *Abb. in c. quod ad consultationem, eod. tit. n. 2.*

32 Judex in quibus casibus tenetur exprimere rationem suæ sententiæ ?

℞ 1mo, cum Judex inferior sententiat causam, & debet comparere ante superiorem. 2do, ubi absolvitur reus propter ineptam petitionem actoris. 3tio, cum absolvitur reus ab instantia judicis. 4to, quando judex sententiando recedit a jure communi. 5to, quando absolvitur reus, quia non possidet rem. 6to, in sententia excommunicationis, quia procedit ex delicto, & contumacia *l. Andr. in c. sicut nobis eod. tit.*

33 Judex teneturne sequi consilium viri prudētis ?

℞ Si ipse sit doctor, non tenetur; si sit ignarus, tenetur, ut non erret. *Abb. c. sicut, eod. tit. nu. ult.*

34 Lites debent ne prorogari ?

℞ Non, imò celeriter terminari. *Abb. in c. 2. de sent. & re jud. num. 4.*

35 Consvetudo magnæ auctoritatis, præjudicat nè legibus, vel decretis canonicis Summi Pontificis ?

℞ Non; quia consvetudo est jus quoddam moribus introductum, quod observatur pro lege, deficiente lege, non verò contra legem. *cap. cum causa, eodem titulo.*

36 Si exprimatur causa in sententia, & talis causa sit falsa, talis sententia tenebit nè ?

℞ Probata falsitate non tenebit.

37 Si exprimantur duæ causæ, una falsa, & altera vera, tenebit nè talis sententia ?

℞ Maximè, quia falsa causa non inficit veram. *Abb. in c. sicut nobis, de sent. & re jud.*

38 Consvetudo Laicorum ligat nè Clericos ?

℞ Non, neque Ecclesias, quia Laicis non sunt subjecti. *Abb. in c. cum causa, eod. tit. nu. 3.*

39 Si quis per sententiam judicis ex primo decreto cogatur poni in possessionem, & reus non det illi talem possessionem finito anno, iste talis habebitur nè pro vero possessore ?

℞ Licèt realiter non possederit, habebitur pro vero possessore, quia per illum non stetit, & in isto casu fictio juris, facit factum verum, & veram validitatem. *c. contingit, de dolo, & contum.*

40 Judex in sententiando tenetur nè sequi consilium sapientis ?

℞ Si ipse sit doctor, vel Licentiatus, non tenetur; si vero sit idiota, vel ignarus, vel non sit graduatus in universitate approbata, tenetur, ut non erret. *Abb. in c. sicut de sent. & re jud. nu. ult.*

41 Si vigore literarum detur aliqua sententia, & ante pronuntiationem emanent literæ, in quibus omnia facta vigore primarum literarum revocantur, & tollitur jurisdictio tali judici, valebit nè tunc talis sententia ?

℞ Si literæ non fuerunt notificatæ judici ante prolationem sententiæ, valebit talis sententia, quasi jurisdictio non esset ablata; ratio est, quia in literis, & rescriptis, in quibus revocatur jurisdictio non attenditur tempus datæ, sed tempus notificationis, quia ille Judex in bona fide procedit usq; ad ejus notitiam juridicè veniat revocatio. *Abb. in c. audita, de rest. spol. nu. 2.*

42 Sententia potestne pronuntiari in ipso die, in quo citantur partes ad audiendam sententiam ?



℞ Non,

℞. Non, neq; in die sequenti, & si fiat, est nulla sententia; ratio est, quia requiritur tempus competens inter citationem & sententiam, ut partes informent, ut provideant juri suo, alias citatio esset vana, & nullius momenti. *l. sicut proponis, C. quomodo, & quando Judex.*

43 Judex, qui remittit negotium ad superiorem, cui debet tradere copiam processus, actori ne, vel reo?

℞. Potest tradere actori, & reo, & præfigere eis terminum ad comparendum coram superiore, & habet locum citationis, cum qua superior ad ulteriora procedit. Abb. *c. cum Bertold eod. tit. nu.* 2.

44 Si quis impetravit judicem, potest ne iterum illum recusare?

℞ Non. *Abb. eod. tit. n.* 3 *c. inter monasterium.*

45 Si lis sit super petitorio, & possessorio, potest nè Judex unum sine altero sententiare?

℞ Poterit sententiare possessorium, & relinquere petitorium *Abb. in c. juborta. eod. tit nu.* 7.

46 Si duo Judices ordinarij dent diversas sententias, unus pro reo, & alter pro actore, quæ sententia debet executioni mandari?

℞ Si Judices sint æqualis jurisdictionis, valet sententia pro reo, cui jus favet. *Abb. in c. fin. eod. tit. n.* 1.

47 Sententia habens plura capitula, si in uno sit errata, corruit nè tota sententia?

℞ Non, quia in cæteris capitulis est valida. *Abb. c.* 1. *eod. tit nu.* 8. ratio est, quia videntur esse tot determinationes, quot sunt capita, & utile non vitiatur per non utile, si sit distinctum?

48 Papa tenetur nè servare in sententijs proferendis juris ordinem, sicut alij judices inferiores?

℞ Non, propter supremam potestatem, quia ipse est supra jus, sed hodie de facto servat juris ordinem meliùs, quam Judices inferiores. *Abb. c. ea qua, eod. tit. nu.* 9. *& in c. in causis, nu.* 1. *eod. tit.*

49 Sententia Papæ, vel Principis lata in aliqua causa, facit nè jus, ita quòd in alijs similibus causis idem sit judicandum?

℞ Si talis sententia incorporetur in corpore juris, tunc facit jus sicut aliæ leges; si verò non incorporetur in corpore juris, non facit jus, licèt faciat scientibus exemplum ad imitandum. *Abb. in c. in causis. eod. tit. num.* 1.

59 Si Papa pronuntiavit sententiam in favorem alicujus, & postea conferat beneficium in favorem sui contrarij, erit nè valida talis collatio?

℞ Si in collatione non fiat mentio de pronuntiatione sententiæ, erit subreptitia, & non debet executioni mandari, *c. cum olim eod. tit.*

51 Si sententia feratur in scriptis, & postea scriptũ nõ appareat, poterit nè probari per testes idoneos?

℞ Maximè, licèt non reddant rationem de causis, quæ moverunt animum Judicis; quia ad hoc ipsi non tenentur, & sæpe Judex non exprimit causam in sententia. *c. sicut eod. tit.*

52 Quando sententia probatur per testes, tenentur nè deponere omnia verba à Judice prolata, & seriem sententiæ?

℞ Non, sed satis est, ut distinctè dicant substantiam sententiæ, quia illud magis est actus memoriæ, quàm veritatis, & fidelitatis. *Abb. in c. sicut nobis. eod. tit. num.* 5.

53 Sententia lata sine expressione causæ valet ne?

℞ Valet, immo cauti Judices solent non exprimere causam suæ sententiæ, ne ex illa expressione pars condemnata appellet volens probare non esse veram causam. *Abb. in c. sicut nobis. nu.* 1. *eod. tit.*

54 Sententia inter alios lata nocet ne tertio, si ipse faciat talem causam tractari?

℞ Non nocet, etiam si habeat scientiam causæ; quia ipse poterit petere suam justitiam, cum sibi bene visum fuerit; non enim est alligatus ad voluntatem, & commoditatem tertij, qui litigat. *Abb. in c. cum super eod. tit nu.* 5.

55 Si quis citetur ad sententiam, & ex legitimo impedimento non compareat, sententia tenet ne?

℞ Tenet, sed retractari debet probato legitimo impedimento, & poni in primo statu, & iterum pronuntiari. *c. cum Bertold. eod tit.*

56 Sententia, quæ dicit Titius non probavit, si verò probavit, ex hoc erit ne nulla?

℞ Non, si aliàs fuit justificata, quia præsumitur judicem in hoc errasse, & justitia ex alia parte constabit. *Abb. in cap. cum Bertold. eod tit. num.* 7.

57 Secunda sententia lata contra primam tenet ne in casu, in quo prima fuit iusta, & secunda revocans primam, si sit injusta?

℞ Si à secunda non appelletur in tempore, tenet & executioni mandatur, quia ex negligentia non appellantis datur jus unius partis alteri parti. *cap. inter monasterium eod tit.*

58 Conspiratores sunt ne admittendi in testes?

℞ Non, imò si admittantur, & Judex sequatur eorum dicta, sententia sic lata corruit, & debet revocari. *cap. cum Canonici eodem.*

59 Si quis habeat pignus, & sine sua culpa perdatur, vel furetur, tenetur ne creditor ad damnum?

℞ Non, quia hoc est periculum debitoris, quia creditor non potest habere majorem curam in re aliena, quàm in sua. *Abb. in cap. quamvis de sent. & re judicata, num.* 7.

60 Sententia lata contra privilegium tenet ne?

℞ Tenet, sive sit privilegium ostensum, sive non, si à tali sententia non appellatur. *c. suborta. eod tit.*

61 Contra privilegium admittitur ne probatio?

℞ Maximè, & testes recipiuntur, & exceptiones admittuntur. *Abb. c. suborta eod. tit. num.* 4.

62 Revocatâ sententia ex aliquo defectu, quid est agendum in causa?

℞ Iterum de causa principali debet agi servando ordinem juris. *cap. ad probandum eod. tit.*

63 Si duo habeant Jus ad aliquam rem, & unus litiget, & alter sciat, & consentiat, sententia lata contra primum nocet ne secundo?

℞ Licèt res inter alios lata non noceat tertio; tamen in isto casu nocet secundo sicut primo, cum jus sit unum. *c. quam vis de sent. & re jud.*

64 Si quis de delicto mortis condemnatus fuit injustè, & punitus sit, postea verus occisor appareat, debet ne etiam condemnari?

℞ Debet tanquam si primus condemnatus non fuisset, & primo facienda est restitutio honoris, & suis hæredibus bonorum, propter injustam mortem, quam passus est. *c. quamvis, eod tit. de sententia, & re judicata.*

65 Si mu

65 Si mulier habeat super dote,& emptor super re vendita sententiam latam contra se, præjudicat ne marito,vel venditori?
℞ Si sciant negotium tractari, in dubio eos præjudicat: si verò ignorent,non. *Abb. in c. quamvis. eod. tit. num.* 12.
66 Si venditor agat super re vendita, & socer super dote, præjudicat ne emptori, vel marito in sententia?
℞ Non, quia dominium talis rei non est penes venditorem,neq; socerum,sed penes emptorem,& maritum, & sic cum eis debet negotium agi. *Abb in cap. quamvis, nu.* 12. *eod. tit.*
67 In quibus casibus jus favet actori, & non reo?
℞ In quatuor. 1*mò*, in matrimonio. 2*dò*, in libertate. 3*tiò* in dote. 4*tò*, in testamento. *c. fin. de sent & re jud. & ibi glos.*

# CAPUT XXX.
## De Appellationibus, &c.

1 Appellatio quo jure est introducta?
℞ Jure naturali,& gentium,& etiam de jure divino, cum sit defensio, sed forma posita est de jure canonico,& civili.
2 Propter quid appellatur?
℞ Ut iniquitas, vel imperitia judicantium corrigatur. *c. cum speciali,de appellationibus,& ibi gl.*
3 Quid est appellatio?
℞ Est de minori Judice ad majorem provocatio. *c,* 2. *de consvetudine in* 6. *gl.* 4.
4 Quotuplex est appellatio?
℞ Duplex; judicialis, & extrajudicialis.
5 Quæ est judicialis?
℞ Quando quis appellat ante judicem.
6 Quæ est extrajudicialis?
℞ Quando quis per metum, vel aliam justam causam secretè appellat ante Notarium,& testes, 2. *q.* 6. *per totum, c. cum Romana, de appellationibus.* §. *si verò. in* 6.
7 Quotuplex est judicialis?
℞ Duplex; alia diffinitiva, alia interlocutoria.
8 Effectus appellationis quotuplex est?
℞ Duplex; devolutivus,& suspensivus.
9 Quid est appellatio ad effectum devolutivum?
℞ Illa,quæ non retardat executionem,sed devolvit negotium principale ad Judicem superiorem,super petitorio,vel possessorio.
10 Quæ est appellatio ad effectum suspensivum?
℞ Illa,quæ retardat executionem,& devoluit negotium ad Judicem superiorem, tàm in petitorio, quam in possessorio.
11 Facta post legitimam appellationem tenent ne?
℞ Non, imò debent revocari, & omnia reduci ad pristinum statum. *c. significavit, de appellationibus. & ibi gl.*
12 Quis potest appellare?
℞ Ille, cujus interest,& non alius. *Rota dec* 796. *p.* 2. *in novissimis.*
13 Appellans quid tenebitur probare?
℞ Se appellasse infra legitimum tempus, aliàs præsumitur se appellationi renuntiasse. *c.Romana.* §. *si verò,de appell. in* 6.
14 Appellationes,seu defensiones sunt ne auferendæ à Judice?
℞ Negativè. *Abb. in c. cum contingat, nu.* 29. *de foro comp.*
15 Appellatio quomodo potest admitti?
℞ In scriptis, & non aliter. *Quaranta in summa bul. verb. Archiepiscopi auctoritas.*
16 Appellans coram quo Judice tenetur exprimere causas suæ appellationis?
℞ Tenetur coram Judice à quo, sed eam debet probare ante Judicem ad quem. *c. ut debitus honor, de appellationibus.*
17 Si Judex à quo respuerit appellationem interpositam,quid debet agere pars gravata?
℞ Accurrere ad Metropolitanum per viam querelæ. *glos. in c. ad reprimendum, verb. suspenditur, in fin de offic. Ordin.*
18 Terminus decem dierum potest ne prolongari,vel abbreviari à Judice?
℞ Non,quia est legalis,& præfixus à lege.
19 Si Judex à quo post legitimam appellationem attentaverit aliquid, vel nagaverit tradere acta quid debet agere reus?
℞ Sumere testimonium,& appellare à mandato non tradenti acta,& Judex ad quem debet compellere Judicem,& Notarium, ut tradant acta,& reponere omnia facta per legitimā appellationē.
20 Causæ omnes Ecclesiasticæ, tam civiles, quàm criminales coram quo Judice debent terminari, & finiri in prima instantia?
℞ Coram Ordinario loci, & ab eo non potest appellari,nisi à sententia definitiva,vel à gravamine habente vim definitivæ, & quòd sit gravamen habens vim definitivæ infra dicemus in hoc capite;ratio est,ne appellationibus justitia defraudetur. *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 20. *de Ref.*
21 Appellatio à correctione, habilitatione, reprobatione, visitatione, & criminali causa, quando potest amitti à Metropolitano,Legato,vel Nuncio Apostolico,vel Judice superiore?
℞ Post sententiam definitivam,& non ante; ratio est, ne judicium Episcoporum appellationibus fiat illusorium, & ut Episcopi possint suum gregem in vitæ, ac morum honestate facilius continere *Conc. Trid. Sess.* 13. *c.* 1. *de Ref. in fin.*
22 Causa correctionis qualis dicitur?
℞ Quando Episcopus sine strepitu judiciali pro bono regimine aliquem Clericum corrigit, vel mittit in exilium, etiamsi Episcopus fecerit processum sibi secretum ad sui informationem,& in ista causa procedit Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus,& ab ejus decreto non datur appellatio, nec si quis appellaverit etiam ad sedem Apostolicam suspenditur executio talis correctionis factæ ab Episcopo. *ita Conc. Trid. Sess* 24. *c.* 10. *de Ref.*
23 Quæ dicitur causa inhabilitationis,& reprobationis?
℞ Plurimæ. 1*mò*, quando quis vult suscipere ordines majores,vel minores,& reprobatur ab examinatoribus synodalibus, vel ab Episcopo 2*do*, quando quis vult audire confessiones, & post examen reprobatur ab Episcopo. 3*tio*, quando, quis

quis vult concionatorium munus publicè exercere, & reprobatur ab examinatoribus, vel ab Epifcopo,five ob defectum fcientiæ,five ob defectum morum. 4to, quando quis vult legere in fcholis publicis,& ad id minimè idoneus reputatur. 5to, quando quis petit beneficium curatum, vel adminiftrationem Sacramentorum, & reprobatur;in omnibus his cafibus five reprobatio fiat ob defectum fcientiæ, vel ob defectum morum, vel ob aliquam caufam Epifcopo foli cognitam, & alijs occultam,five ad tollendum aliquod fcandalum, quod ex alia probatione poteft evenire, non datur appellatio,nec admittitur, nec appellatio fufpendit executionem talis reprobationis; ratio eft, quia cum ifti fint omnes oves Epifcopi,& fibi à Deo commiffæ,ipfe poteft ponere fubftitutos,qui fuæ confcientiæ fatisfaciant,& Judex fuperior non poteft,nec debet cogere Epifcopum, ut contra fuam confcientiam,& voluntatem ponat fubftitutum in ijs officijs, quæ propriè, & principaliter pertinent ad ipfum Epifcopum, & ad alios tanquam ad fubftitutos. *Conc. Trid. Seff.* 13. c. 1. & *Seff.* 14. c. 10 *de Ref.*

24 Quæ funt caufæ, quæ in vifitatione tractantur, de quibus non poteft dari appellatio ?

℞ De his dixi latè. *Lib.* 4. *c.* 25, *de Vifitatione.*

25 Quæ dicitur criminalis caufa, in qua non poteft appellari nifi poft fententiam definitivam ?

℞ Quotiefcumque judicialiter,& criminaliter,five ad inftantiam partis, five ad inftantiam fifci proceditur contra aliquem Clericum, vel fæcularem criminaliter, & cum forma judicij ; tunc enim ifte talis reus folùm poteft appellare à fententia definitiva, vel à gravamine habente vim definitivæ, & non antea. *Conc. Trid. Seff.* 13. c. 1. *de Ref.*

26 Si aliquis Clericus fit incorrigibilis, vel fcandalosè fe gerat,quam pœnam incurrit ?

℞ Poftquam Epifcopus eum fvaviter admonuerit fecundum legem Evangelicam, fi non fe emendaverit, atque incorrigibilis videbitur, Epifcopus poterit eum privare beneficijs,appellatione non obftante,& appellatio non fufpendit effectum privationis. *Conc. Trid. Seff.* 21. c. 6. *de Ref.*

27 Legati,Nuntij, Patriarchæ,Metropolitani,Judices fuperiores in admitteda appellatione quid debent fervare ?

℞ *Caput.* 1. *Seff.* 13. *Conc. Trid. de Ref.* & c. 10. *Seff.* 24. & *tex. in c. Romana, de appellationibus in* 6. *fic. illis præcipitur in capit.* 7. *feffion.* 12. *de Ref.*

28 Quid præcipitur dictis Superioribus in dicto cap. Romana ?

℞ Duo. 1mo, ut non admittant appellationem, nifi à definitiva, vel à gravamne habente vim definitivæ. 2do,ut poftquam fententiaverint tale gravamen,remittant caufam principalem Judici à quo,& inferiori, ut in fuo tribunali finiatur talis caufa;fic enim expresfè jubetur in Conftitutione *Innocent. IV. quæ incipit, Romana, & nos infra in cap. probabimus, num,* 72.

29 Si Judex dicat appellanti, do tibi terminum Juris quid intelligitur ?

℞ Triginta dierum terminum dare, intra quos appellans tenetur adire judicem fuperiorem.

30 Intra quod tempus debet quis profequi appellationem ?

℞ Intra annum, & ex caufa intra biennium *cap. præterea, de appellationibus, & ibi glos.*

31 Judex poteft ne limitare, & defignare tempus magis breve ad profequendam appellationem ?

℞ Poteft fecundum caufæ qualitatem *c. cum fit Romana, & c, ad aures, eod tit.*

32 Quæ dicuntur fatalia ?

℞ Biennium,quod datur ad profequendam appellationem. *Azon. in fum. Codi. tit. de temporibus, & reparationibus appel. n.* 2.

33 Fatalia poffuntne prorogari ?

℞ Poffunt ex legitima caufa. *Azon. ubi fupra n.* 3.

34 Intra quod tempus poteft appellari ?

℞ Intra decem dies à lata fententia. *c. Romana lib.* 6. *de apel. c. Anteriorum, q* 6.

35 Intra quod tempus debet notarius tradere proceffum appellanti,& fub qua pœna ?

℞ Intra menfem, aliàs fufpenditur ab officio arbitrio Judicis, & tenetur folvere duplum,& fructus penè dividitur inter pauperes,& partem appellantem *Conc. Trid. Seff* 24. c. 20. *de Ref.*

36 Qui funt Apoftoli ?

℞ Literæ,per quas Judex admittit, vel denegat appellationem. *in auth. hodie* §. *Apoftolos. C. de appellationib. & ibi glos.*

37 Quot funt genera Apoftolorum ;

℞ Tria,reverentiale,teftimoniale,& refutatorium. *Speculator.* §. 1. *nu.* 1. *titulo, de Apoftolis. nu.* 1.

38 Qui dicuntur Apoftoli reverentiales ?

℞ Quando Judex à quo ob reverentiam fedis Apoftolicæ,vel Judicis fuperioris,remittit caufam ad Judicem fuperiorem. *Speculator in titul. de Apoftolis, feu libell. dimis. nu.* 8.

39 Qui dicuntur Apoftoli teftimoniales ?

℞ Quando poft appellationem interpofitam ab honeftis viris petuntur. *Speculator, tit. de libellis dimifforijs, nu.* 1. & 11.

40 Qui dicuntur Apoftoli dimifforij ?

℞ Quando Judex à quo,fcribit literas dimifforias,cum quibus mittit appellationem Judici fuperiori. *Speculator, ubi fup. nu.* 1.

41 Qui funt Apoftoli refutatorij ?

℞ Quando Judex à quo,fcribit literas fuperiori fignificantes fe noluiffe admittere appellationem. *Speculator loco allegato, nu.* 6.

42 Apoftoli quomodo debent peti ;

℞ Inftantiffimè, & in fcriptis. *Speculator. ubi fupra num.* 12.

43 Elapfo biennio poteftne quis iterum litigare ?

℞ Si talis habuit caufam legitimam non litigandi,competit illi reftitutio in integrum, *c ex ratione, de appellationibus.*

44 Intra quot dies debent Apoftoli peti ?

℞ Intra triginta dies, five fint refutatorij, five dimifforij, five teftimoniales, aut reverentiales, aliter non habebit locum appellatio. *Speculator in tit. de Apoftolis & c. nu.* 13.

45 In extrajudiciali appellatione debent ne peti Apoftoli ;

℞ Affirmativè, fub conditione videlicet fi fit Judex,

Judex, qui possit Apostolos concedere, & si non sit Judex, qui illos dare possit, pars appellans debet protestare se petere, & quod iterum petet, cum fuerit illi data copia à Judice, *gl. in c. ut semper de appellationib. in 6. litera C. verbo ille.*

46 Quando appellans præsentat appellationem coram judice, & petit Apostolos, si judex nunquam respondeat, quid agendum?

℞ Censetur consensisse appellationi, & talis judex non potest amplius in tali causa se intromittere. *tenet Cardin. in clem. quamvis de appell.*

47 Quando judex ad quem facit actum dicens, admitto causam appellationis, tunc sunt ne necessarij Apostoli, vel concessio Apostolorum expressa?

℞ Quod talis pronunciatio est loco concessionis Apostolorum, & sic tunc non sunt necessarij, sed pars gaudet termino Apostolorum. *Paulus de Castro ff. de libellis dimissorijs in rubr.*

48 Quando necessario debet appellari in scriptis?

℞ Quando appellatur ab interlocutoria, sed quando verè appellatur à definitiva sententia, sufficit appellare verbo coram testibus dicens appello. *c. 1. de appellat. in 6. Archidiaconus in d. c. Butrius, de appellationibus, nu. 6.*

49 Quæ differentia est inter appellationem à definitiva, & inter appellationem ab interlocutoria?

℞ Quando appellans ab interlocutoria necessariò tenetur appellare in scriptis cum expressione causæ; appellans à definitiva sufficit appellare verbo coram testibus, & non tenetur exprimere causam coram Judice à quo, qui protulit sententiam, tamen necessariò illam debet exprimere coram Judice superiore ad quem appellat. *c. 1. de appellationibus, in 6. Archidiac. ibi nu. 12. Decius in c. consuluit, il 2, num. 8.*

50 Appellans à quocunq; gravamine in generali, vel ob elapsum biennium, quid tenetur agere?

℞ Admonito prius tenetur acta omnia suis expensis transferri ad Judicem superiorem, ut ipse ante inhibitionem faciendam judici inferiori judicet, angravamen sit tale, quòd per sententiam definitivam reparari non possit. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 20. de Ref.*

51 Cur appellans tenetur admonere Episcopum, vel ejus Vicarium?

℞ Ut, si velit, possit informare Judicem superiorem, & ut Judex superior auditis partibus faciat justitiam. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 20. de Ref.*

52 A sententia interlocutoria quando potest appellari?

℞ Quando contines gravamen, quod per definitivam reparari non potest. *gl. in l. 2. de recipiendis appellationibus. glos. in clem. 1. de hæreticis, verbo, ipso jure, capit. cum super, de sententia, & re judicata.*

53 Quando appellatur ab interlocutoria, quid debet facere appellans?

℞ Necessariò debet exprimere gravamen, à quo appellat referendo se ad acta, & præsentare se ante judicem superiorem, quæ omnia non sunt necessaria, quando quis appellat à definitiva sententia. *c. ut debitus honor, de appell.*

54 Quando articulus interlocutoriæ esset præjudicialis causæ principali, poterit ne ab eo appellari ante definitivam sententiam?

℞ Legitimè poterit appellari, quia est præjudicium factum causæ principali; sicuti esset, non admittere testes, denegare terminum parti, non scribere totam depositionem delinquentis vel testis ijsdem verbis, quibus ipse deponit, negare præsentationem scripturarum, vel negare defensiones, veluti negare Advocatum, vel Procuratorem, vel non facere publicationem testium, vel non dare transumptum libelli, vel accusationis suo tempore: hæc omnia, & his similia faciunt tantum præjudicium causæ principali ad defensionem reorũ, ut per definitivam reparari non possint. *l. intra utile ff. de minoribus, Barthol. & Bal. in l. arbitrio ff. qui satis dare cognantur Felyn. in cap. cum causa, de sententia, & re iudicata num. 6.*

55 In causa Ecclesiastica, sive civili, sive criminali, à quo gravamine potest appellari?

℞ Solùm à sententia definitiva, vel à gravamine habente vim definitivæ. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 20. de re format.*

56 Quod est gravamen, quod per definitivam reparari non potest, à quo licitè appellari posset?

℞ Hæc regula semper observanda est à judicibus, quod omnis actus irretractabilis, qui si mandetur executioni, pars grauata non sublevaretur per appellationem, quia jam de præsenti accipit tale damnum, talis actus est gravamen habens vim difinitivæ, & ab illo licitè appellatur. *Francus dec. 139. Bar. in l. 2. ff. de appellationibus recipiendis, num. 26.*

57 Quæ sunt ista gravamina in civilibus, & criminalibus?

℞ Indebita incarceratio, excommunicatio, suspensio, & interdictum, tortura, expoliatio, vel ablatio possessionis, denegatio termini, & alia posita supra *nu. 45.* & hoc voluit Concilium, quando dixit à gravamine habente vim definitivæ; quia ista omnia tantum damnum afferunt parti, quantum affert sententia definitiva, etenim per hanc sententiam definitivam tale damnum non reparatur, cum talis actus si sit missus executioni, est irretractabilis, quia quod semel est factum, impossibile est, quod factum non sit. *c. super eo cap. cum cessante, de appellationibus, Bart. l. 2. ff. de appellationibus recipiendis. Navarr. cons. 2. eod. tit. de appellat.*

58 Quando quis dicitur indebitè incarceratus, ita ut legitimè possit appellare ad superiorem à gravamine incarcerationis indebitæ?

℞ Distingvendum est, in civilibus, quando pars est incarcerata pro aliquo debito & offerat fidei jussionem, vel pignus sufficiens pro tali debito, & pro expensis litis; tunc dicitur indebita incarceratio, & ab eo ante sententiam diffinitivam licitè potest appellari. *DD. super c. 20, Sess 24.*

59 In criminalibns quando dicitur injvsta incarcereratio, ut ab illa juste appelletur?

℞ Quotiescunq; delictum, pro quo quis est incarceratus, habet de jure penam pecuniariam reus offert fidej jvssionem, vel pignus, vel depositum pecuniæ, tunc dicitur injvste incarceratus; quia carcer de jvre antiquo est custodia reorum, ne jvdicium illudatur.

60 Quando delictum habet pœnam corporalem, & simul

fimul pænam pecuniariam, tunc fi quis offerat fidei viffionem, poteritne reus appellare ab injufta incarceratione ?

℞ Non,neq; talis appellatio admittenda eft;quia non eft incarceratus pro pæna pecuniaria,fed pro pœna corporali,pro qua nullus poteft fidei jubere,quia anima, quæ peccaverit ipfa morietur, & ficut pater non portat iniquitatem filij,neq;contra ita unus non poteft portare pœnam alterius.

61 Quando quis non poterit appellare ab injufta incarceratione, licèt delictum habeat pœnam pecuniariam, & offerat fidei juffionem, vel depofitum ?

℞ Quando Judex juftè eum incarceravit,& nondum finivit informationes,& depofitiones contra eum faciendas; tunc enim licèt appellet,& offerat fidei juffionem , debet detineri in carceribus, ne teftes fubvertantur.

62 Quando Judex poterit aliquem licitè incarcerare, & detinere in carceribus, etiam fi appellet ab in jufta incarceratione ?

℞ In civilibus quotiefq; per fcripturam, vel per teftes apparet , quod quis debet folvere aliquam quantitatem, vel facere aliud opus mechanicum veluti aliquod ædificium, vel ueftem, tunc jufte Judex poteft eum incarcerare, quia non adimplet , quod promifit ; in criminalibus vero quotiefcumque contra aliquem præceffit accufatio partis , vel fifci, & unus teftis vel legitima indicia , vel quis invenitur in fragranti delicto, vel in fufpecto loco ; tunc jufte Judex poteft eum incarcerare , five tale delictum habeat pænam corporalem, five pecuniariam & juftè poteft eum detinere in carcere, ufquequo informationes finiantur , ac teftes repetantur , & ipfemet fuam depofitionem faciat, idq; fit , ne judicium illudatur, & juftitia habeat fuum locum. *DD. in c. qualiter, & quando, il 2. de accufationibus , & in c. omnipotens, eod. titulo.*

63 Quando quis pro debito civili non poterit incarcerari & fi incarceretur, jufte appellat ab indebita incarceratione ?

℞ 1*mò*, quando non eft obligatus perfonaliter, fed folùm in bonis. 2*dò*, quando etiam, fi fit obligatus perfonaliter poteft fieri executio in bonis; ratio eft , quia obligatio perfonalis eft in fubfidium ; & fic executio in perfona fieri non debet, ficut neq; excommunicatio; nifi in defectum, vel occultationem bonorum, ut jubetur in *Conc. Trid. Seff. 25. cap. 3.* 3*tiò* quando quis eft nobilis. licet fit obligatus in perfona, pro debito civili non poteft, neq; debet incarcerari, imo ex privilegio Gothorum , & Regum Hifpaniæ debent illi reftituere lectum , in quo dormit , Equum , & arma , quod privilegium non poteft renuntiari.

64 Incarceratio datur ne aliquando in pænam delicti criminalis ?

℞ Licet carcer de Jure antiquo fuerit folum cuftodia reorum , fed de jure novo eft pæna affiictiva corporis , & ideo multoties datur in pænam delicti;ratio eft , quia incarceratus amittit fuam libertatem, confumit pecunias, nec acquirit de novo, & patitur plurima incommoda *Covar. pract. quæft. cap. 11.*

65 Quare privilegium datum perfonis nobilibus renuntiari non poteft, & renuntiatio de eo facta eft nulla ?

℞ Quia cum privilegium fit commune , à particulari renuntiari non poteft , etiam in propria perfona, ne alijs ferat præjudicium. *Abb. in cap. Apoft. nu. 10. de reg.*

66 Clericus in delictis, & pæna pecuniaria pofita pro delictis, poterit ne incarcerari ?

℞ Poterit incarcerari, quia fi non poteft in bonis debet luere pænam in corpore,carcere vel exilio, & fic appellatio ab eo interpofita in debitæ incarcerrationis nulla eft, *l. fin, ff. de jus vocando.*

67 Clericus pro delicto civili , fi obligatus fit de bonis , & de perfona , poterit ne incarcerari , fi bona non fufficiant ad folutionem ?

℞ Licet Clericus fit miles cæleftis, & nobilis, & gaudeat omnibus privilegijs alijs nobilibuls conceffis, tamen hæc conlvetudo fervatur , quod fi Clericus ex fuo genere, & perfona fit nobilis non poterit incarcerari, quia gaudet privilegio, ficut cæteri nobiles, fi vero Clericus ex fuo genere, & perfona non fit nobilis , poterit incarcerari pro quovis delicto civili, ficut incarcerantur cæteri homines.

68 Si Judex fit recufatus, & declaret fe effe Judicem competentem à tali pronuntiatione, poterit ne legitimè appelari ?

℞ Poterit , quia eft gravamen portans fecum præjudicium, quod per definitivam reparari non poteft, *gloff. in authent. habita, C. ne filius pro parte Abb. in c. ex parte, il. 3. de refcriptis n. 6.*

69 Qui Judices debent cognofcere de gravamine in debitæ incarcerationis , vel de alio gravamine, quod per definitivam reparari non poteft?

℞ Legati & Nuncij Apoftolici, Patriarchæ, Primates , & Metropolitani. *Conc. Trid. Seff. 22. c. 7. de refor.*

70 Tales Judices fuperiores quando cognofcunt de gravamine indebitæ incarcerationis , vel de alio fimile, quem ordinem, & ritum debent fervare ?

℞ In principio non debent inhibere in totum Judicem à quo, fed debent dare fuas literas per tempus limitatum,& jubere,ut intra tale tempus expenfis portet acta , & pars appellans fuis proceffus in eo ftatu , quo fuit appellatum , & vifis actis ac auditis partibus debent judicare ,an talegravamen fit reparabile pere definitivam, vel non exiftente femper parte appellante incarcerata; & fi invenerint dictum gravamen, non effe gravamen vel cafu dato quod fit gravamen,poffe reparari per dfinitivam , in ifto cafu debent remittere proceffum ad Judicem , a quo fuit appellatum cum fua declaratione,ut faciant juftitiam. *Conc. Trid. Seff. 22. cap. 7. c. Roman. de ape'. in 6.*

71 Si dicti judices fuperiores judicaverint appellationem ab indebita incarcerationem effe juftam, quia talis non debeat effe incarceratus, vel quia

probavit

probavit suam innocentiam, vel quia delictum quod commisit, est leve, & non habet pœnam corporalem, & tale gravamen, vel aliud oppositum non posse reparari per definitivam, tales judices quid debent agere?

℞ Debent declarare incarcerationem esse injustam, jubere, ut talis excarceretur, & tale gravamen, vel aliud oppositum irreparabile esse per definitivam, & sic appellationem fuisse justam. *cap. Romana, de appellation. in 6. & c. 7 Sess. 22. Conc. Trid.*

72 Si Metropolitani, & dicti Judices superiores judicent, appellationem esse justam, & gravamen illatum a judice ordinario à quo esse irreparabile per definitivam, poterunt ne in isto casu retinere sibi causam principalem, & eam auferre à Judice ordinario à quo?

℞ Non poterunt retinere sibi causam principalem. 1mo. quia *Conc. Trid. Sess. 22. c. 7.* expresse jubetur, ut dicti Judices observent Constitutionem Innocentij IV. quæ incipit, *Romana*, & in dicta constitutione iubetur, vt dictus Iudex declarato gravamine remittat causam principalem, super quam nondum est sententiatum ad Judicem à quo, ut eam sententiet. 2do, quia si Metropolitanus, vel dictus Judex superior posset sententiare gravamen, & retinere causam principalem, haberet duas instantias, nempe ordinariam, & Metropolitani, quod in toto jure sibi non est concessum, imo prohibitum *in d. c. Rom:* 3tio, quia si ipse haberet, & sumeret sibi duas instantias, cum sit una, eademque persona, tolleret refugium appellationis. 4to, quia hoc expresse est contra dispositionem *Conc. Trid. in c. 20. Sess. 24.* ubi disponit, quod causæ omnes ad forum Ecclesiasticum pertinentes in prima instantia terminentur coram Ordinarijs locorum dumtaxat. 5to, quia Metropolitanus, & dicti Judices superiores non sunt Judices ordinarij locorum in diœcesibus Suffraganeorũ, sed tantum sunt judices in casibus à jure expressis, scilicet in illo articulo interlocutorio, in quo ad illos legitime fuit appellatum, & cum causa principalis nondum fuerit sententiata, necessariò debet remitti ad Episcopum ordinarium, ut eam sententiet. 6to, quia Romanus Pontifex, & Rota Romana quotiescunque ad eos appellatur de aliquo gravamine, vel articulo interlocutoria, nunquam sibi retinet causam principalem, sed eam remittunt Ordinario locorum, observando. *cap. 20. Sess. 24. & c. 7. Sess. 22. & tex. in c. Rom. de Apell. in 6.*

73 Si Metropolitanus, vel superior habeat consvetudinem immemorabilem, stylum, vel privilegium cognoscendi de gravamine, & simul retinendi sibi causam principalem, suffragaturne eis?

℞ Non, quia talis consvetudo immemorabilis sublata est per *Con. Trid. Sess. 22 c. 7.*

74 A Vicario Episcopi potest ne appellari ad Episcopum?

℞ Si Vicarius est generalis, appellandum est ad Metropolitanum, quia Vicarius generalis, & Episcopus una, eademque persona censetur; si vero appelletur à Vicario foraneo, potest ad Episcopum appellare. *gloss. in cap. Romana, de appel. in. 6.*

75 Quando appellans à sententia definitiva tenetur exprimere causam suæ appellationis, & eam probare?

℞ Quando sententia definitiva ita est justificata, ut de jure debeat executioni mandari, non obstante appellatione, ut est in delicto notorio, & in convicto, & confesso, in quibus de jure non admittitur appellatio, tunc appellans tenetur exprimere causam, & probare, quod confessus est per timorem, vel in tormentis, vel quod testes, cum quibus fuit convictus, non sunt idonei, *gloss. in c. Romana, de appellationibus in 6.*

76 Judex Metropolitanus, vel alij Judices superiores, ad quos appellatur, cum quibus personis acquirunt jurisdictionem?

℞ Solum acquirunt jurisdictionem inter appellatum, & appellantem; nam reliquas personas debent relinquere in potestate suorum Ordinariorum; *gloss. in c. Romana, de appell. in 6.*

77. Quis debet pronuntiare appellationem desertam, Judex à quo, vel Judex ad quem?

℞ Si processus fuit deductus ante Judicem ad quem, & in tempore à Jure statuto non fuit secutus à parte appellante, tunc ipse Judex ad quẽ ad petitionẽ partis appellatæ pronuntiat appellationem desertam; si autem appellatum fuit coram judice à quo, & nulla alia fuit facta diligentia, ipse judex à quo pronuntiat appellationem desertam. *capit. personas, c. sæpe contingit, de appel.*

78 Si appellans intra terminum sibi præscriptum juris non sequitur suam appellationem, quam pœnam incurrit?

℞ Debet parere sententiæ, & solvere parti expensas, *c. personas, c. sæpe contingit, c. reprehensibilis, de appellationibus.*

79 Appellans si non sequitur suam appellationem quid de eo præsumitur?

℞ Quòd sententia prima fuit justa, & quòd non habuit justam causam appellandi, & tunc justè pronuntiatur sententia desertionis. *Abb. in c. cum dilecti, de dolo, & contum. num. 3.*

80 Si quis appellat extrajudicialiter, tenetur ne adversarius ejus comparere in judicio?

℞ Non tenetur comparere, donec per citationem sibi factam legitimè constet illi de sua appellatione. *Abb. in c cum dilecti, de dolo, & contumacia. nu 11.*

81 Si quis non appellat, nec judicialiter, neq; extrajudicialiter, & post sententiam latam abripit iter ad Papam, vel ad Metrop. vel Judicem superiorem translacto termino decem dierum, videbitur nè consensisse sententiæ?

℞ Non, imò videtur legitimè, & expresè appellasse; ratio est, quia factum pro verbis reputatur, & in isto casu, si sententia desertionis feratur, nulla erit, si appellans se præsentavit in tempore habili, scilicet unius anni coram Summo Pont. vel superiori. *Abb. in c. cum olim, de dolo, & contumacia nu. 6.*

82 Appellationes desertæ revocant nè attentata?

℞ Si gesta sint ante desertionem revocant, si verò fiant post desertionem, non revocantur per appellationem desertam.

83 Agens ad revocationem attentatorum debet ne docere de bono Jure?

℞ Non eſt neceſſarium.

84 Si quis appellet coram Judice, & poſtea facit actum coram ipſo ſine proteſtatione, videtur ne recedere à ſua appellatione?

℞ Affirmative. *c. cum veniſſet, de teſtibus, nu.* 1.

85 Ab appellatione deſerta poteſtne quis in eadem cauſa iterum appellare?

℞ Poteſt, ſi gravetur. *Abb. c. directa, de appellationibus num.* 1.

86 Deſerta appellatione tenetur ne Judex de novo citare partes ad exequendam ſententiam?

℞ Non. *Abb. capit. directa citato. d. appellat. nu.* 7.

87 Si quis non appellavit legitimè, ad quem remittitur negotium?

℞ Ad Judicem à quo,& condemnatur in expenſis. *Abb. in c. ut debitus honor, de appell. nu.* 5.

88 Si appellatus compareat, quid agendum de expenſis?

℞ Si velit uti illo proceſſu, debet ſolvere medietatem appellanti. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reformatione.*

89 Notarius tenetur ne dare acta originalia appellanti?

℞ In prima inſtantia non, niſi ſit in actis aliqua ſuſpicio falſitatis;& tunc viſis actis per Judicem ſuperiorem tranſmitti debent ad Judicem primæ inſtantiæ,ut in ſuo archivo conſerventur.

90 Archiepiſcopus in diœceſi Suffraganei ſui poteritne determinare cauſas ad ſe relatas per appellationem?

℞ Poterit tàm per ſe, quàm per Vicarium,& Delegatum, & ad id poterit deputare Nuntium, Fiſcum, & Notarium, omniaque neceſſaria ad juriſdictionem exercendam. *capit. ut litigantes, in* 6. *de offic. ordinarij.*

91 In cauſis viſitationis, aut correctionis datur ne appellatio?

℞ Solùm quò ad effectum devolutivum, non autem ſuſpenſivum. *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 20. *de Ref. Seſſ.* 13. *c.* 1. *de Ref.*

92 Appellatio ab excommunicatione poſt ſententiam latam ſuſpendit ne effectum?

℞ Non,quia ſententia,niſi ſit conditionalis, portat executionem paratam.

93 Si quis appellavit ante notificationem ſententiæ excommunicationis, erit ne vitandus?

℞ Non quia talis appellatio habet effectum ſuſpenſivum, & non devolutivum, & talis non punitur, ſi celebret. *Decius, & Abb. in c. ad præſentationem noſtram. de appellationob.* 1. *&* 2.

94 Talis appellatio habet ne effectum ſuſpenſivū?

℞ Habet, quia legitimè appellavit, & talis non erit evitandus?

95 A ſententia,& mandato de reſidendo, poteſtne appellari?

℞ Non, obſtante quacunque inhibitione vel appellatione debet exequi tale mandatum. *Conc. Trid. Seſſ* 23. *c.* 1. *de Ref.*

96 Appellatio in cauſa reſidentiæ regularibns interpoſita,debet nè admitti?

℞ Talis cauſa, remota omni appellatione terminatur. *Conc. Trid. Seſſ.* 25, *c.* 13. *de regul.*

97 In crimine concubinatus appellatio debet ne admitti?

℞ Ordinarius procedere poteſt appellatione non obſtante, *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c.* 14. *de Ref.*

98 Religioſus à correctione Prælatorum poteſt ne appellare?

℞ Si correctio fiat ſecundum ſtatuta regulæ, non; ſi verò excedat, benè poterit. *c. ad noſtram, de appel. c. quia nos, c. eod. tit.*

99 A Judice arbitro poteſt ne appellari?

℞ Non, quia arbiter inventus eſt ad tollendas lites, & ſic ab arbitris non datur appellatio,imò ſemper in ſcriptura ponitur pœna appellanti. *l.* 1. *C. de arbitris.*

100 In notorio delicto poteſt ne appellari?

℞ Non, quia notorietas eſt loco probationis, *c. conſuluit, il* 1. *de appellationib.*

101 A Papa,Rege,vel Senatu poteſt ne appellari?

℞ Non, propter excellentiam perſonæ, & ſupremam poteſtatem. *l.* 1. *ff. à quibus appellare non licet.*

102 Si partes paciſcantur, quòd à ſententia alicujus Judicis non debeant appellare,poſtea poſſunt ne appellare?

℞ Non, *ff. à quibus appellare non licet.*

103 Si quis eſt contumax in ſolvendo, poterit ne appellare?

℞ Poterit, quia præſumitur non habere *l. creditor.* §. *miſſus. ff. de appell.*

104 A futuro gravamine poteſt ne generaliter appellare?

℞ Affirmativè;quia de gravamine facto,& non faciendo appellandum eſt, quia forte non fiet, & ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſi forte fiat gravamen, bene appellatum fuit, licet etiam poſtea ſit iterum appellandum. *Abb. & Innoc. in c. conſuluit, il* 2. *nu.* 4. *de appell. c. cum ceſſante, eod. tit.*

105 Appellatio judicialis,vel extrajudicialis poteſt ne annullari per pactum?

℞ Poterit,quia quilibet agit de ſuo damno.

106 A ſententia deſertionis poteſt nè appellari?

℞ Poteſt. *Bar. l.* 2. *C. de Epiſcopali audientia.*

107 Intra quot dies tenetur appellans comparere ante Judicem?

℞ Intra triginta, aliàs appellatio eſt nulla. *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *c. de Ref.*

108 Si Judex admittat articulos injuſtos, vel juſtos,& non admittat ad probationem faciendam, poterit ne appellari?

℞ Poterit. *Francus in c. interpoſitas. nu.* 4. *de appellationib. Maſcar. de prob. conſ.* 131. *nu.* 5.

109 Si Judex deneget copiam actorum, poterit ne appellari?

℞ Poterit. *l.* 2. *C. ut lite pendente. Azeued. lib* 3. *titul.* 18, *lib.* 4. quia negantur arma neceſſaria ad ſuam defenſionem

110 Per appellationem unius articuli ſuſpenditur ne juriſdictio in reliquis articulis?

℞ Affirmativè, & in tota cauſa. *c. meminimus cap. conſuluit, il* 1. *de appellat.*

CAPUT

# CAPUT XXXI.
## De Cofirmatione utili, vel inutili.

1 Quid est confirmatio?
℞ Est juris priùs habiti corroboratio, sicut fit quando post legitimam appellationem prima sententia per secundam confirmatur, *capit. inter dilectos, de fide instrumentorum*, & *Host. in sum tit. de confirm. util. vel inutil.*

2 Si quis regularis petat à Papa rescriptum administrandi justitiam in temporalibus, & criminalibus, valebit ne?
℞ Si non expressit se esse regularem, non valebit tale rescriptum; si vero expressit, potest contra illud opponi esse subreptitium, quia Papa non consvevit hoc concedere; quod si certe constat de voluntate Papæ, tunc valebit, & debet executioni mandari. *c. ad nostram de confirmatione utili, vel inutili.*

3 Quotuplex est confirmatio?
℞ Duplex, una in forma communi, alia ex certa scientia *Abb. c. venerabilis eod tit. num. 3.*

4 Confirmatio in forma communi, quid operatur?
℞ Dat aliquam habilitatem majorem contractui, sed non supplet defectus, nec dat majus partibus, quam illud, quod habent jure absq; confirmatione. *Abb. c. venerabilis, eod tit. num. 1.*

5 Confirmatio ex certa scientia, quid operatur?
℞ Summam firmitatem, quia talis contractus firmatus ex certa scientia tenet, & valet, etiam si alias aliqua de causa non haberet. *dicto. cap. ven.*

6 Quando in aliqua scriptura, transactione, vel contractu inter Episcopum, & Canonicos, vel inter alios ponitur, ut debeat a Summo Pontifice confirmari, de qua confirmatione intelligitur?
℞ De confirmatione ex certa scientia, & non de confirmatione in forma communi, quia illa supplet omnes defectus. *Abb. in dicto c. venerabilis num. 3. isto titulo.*

7 Sententia arbitrorum lata contra formam juris, vel contra, vel extra formam mandati, valet ne?
℞ Non, etiam si fuerit confirmata a Summo Pontifice in forma communi, quia fines mandati diligenter servandi sunt; & confirmatio Papæ in forma communi nihil operatur, cum non præsumatur Papam velle facere aliquid contra Jus, nisi in forma specialiter illud exprimat. *Abb. in c. examinata eod tit. num. 2.*

8 Si Papa confirmaverit aliquam sententiam, vel jus, Judex inferior poterit ne de ea cognoscere?
℞ Non; nisi confirmatio fuerit inutilis, & cum lite pendente, non faciendo mentionem de lite, cum per privilegium impetratum, vel confirmationem nunquam præsumitur, quod Papa, vel Princeps velit alicui tollere suum jus, sed justitiam æqualiter omnibus absque exceptione personæ servare *c. 1. eod. tit.*

9 Si quis petat confirmationem alicujus sententiæ, & taceat appellationem erit ne utilis, & bona confirmatio, vel non?
℞ Erit inutilis confirmatio, quia tacuit rem maxime necessariam, & sic erit confirmatio subreptitia *Abb. in c. bona, eod tit. num. 1.*

10 Confirmatio alicujus rei, puta, possessionis, vel legitimationis, potest ne peti a possidente nullo instigante, neq; petente, neque molestante?
℞ Non, quia inducit suspicionem, & malam fidem, & ideo solent advocati uti petitione iactantiæ dicentes, Petrus jactat meum agrum esse suum, volo de hac re cum eo contendere. *Abb. c. 1. eodem tit. num. 13.*

11 Innovatio privilegij dat ne novum Jus?
℞ Non, neq; diminuit, sed conservat jus, quod prius illi competebat *c. cum. dilecta, eod tit.*

12 Privilegium, quod legi non potest, debet ne renovari?
℞ Non, si legi non potest; debet renovari, si legi potest cum difficultate, quia in transumptione requiritur summa veritas, & uniformitas, & si non potest legi originale, non potest renovari. *Abb. ubi supra num. 16.*

13 Ubi plures lecturæ, & interpretationes colligi possunt ex uno textu, quæ est amplectenda?
℞ Illa, quæ magis convenit rubricæ, vel titulo *Abb. c. bona, eod tit. num. 5.*

14 Legatus a latere potest ne confirmare aliquid in præjudicium Diæcesani?
℞ Non, neque facere Ecclesiam sæcularem, religiosam, nec unire duas Ecclesias, neque unam alteri concedere, nec alienare rem acceptatam ad Romanum Pontificem, neque dividere unum Episcopatum in duos. *Abbas cap. final. eod tit. nu. 4. 5. & 6.*

# CAPUT XXXI.
## De Recusationibus.

1 Quid est recusatio?
℞ Est proponere, & habere aliquam causam sufficientem, propter quam Judex fit suspectus parti. *Speculator, in rub. de recusatione.*

2 Qui Judices possunt recusari?
℞ Omnes tàm ordinarij, quàm delegati. *c. ad hac c. si quis, de foro comp.*

3 Quæ sunt causæ recusationis?
℞ A jure non sunt expressæ, sed relinquuntur arbitrio Judicis: tamen DD. aliquas ponunt; nempè, si Judex est consangvineus, vel fuit advocatus partis, vel fecit aliquam injuriam parti vel accepit ab eo, si sit aliqua causa, ob quam quis possit reputari inimicus partis, si declaravit suum votum, si favet uni parti; & non alteri. *c. postremò. de appel. & Abb. c. cum speciali. eod. tit. nu. 7.*

4 Causæ recusationis corã quo Judice debent proponi
℞ Coram Judice recusato, sed probari coram arbitris, vel Judice superiori, sicut fit in Consilijs Hispaniæ; ratio est, quia Judex recusatus non potest cognoscere, de sua propria causa. *c. secundo requiris. c. cum speciali. de appellat. Abb. in c. inter monasterium, de sent. & re jud.*

5 Quis debet eligere hos arbitros, ut judicet causam recusationis?
℞ Ipsæ partes, & Judex. *c. secundo requiris. §. 3. eod, tit. de appell. & ibi gl. verbo. coram.*

6 Quis debet compellere partes, ut eligant arbitros, & conveniant in eos?
℞ Judex, & si intra legitimum tempus id non

 fecerint,

fecerint, Judex procedit. *Abb. in c. 2. requiris, de appellationibus.*

7 Si quis proponat plures exceptiones contra Judicem, & recusatur, tenetur ne omnes probare?

℞ Non, sed sufficit probare unam. *c. significat, eod. tit. de appell. & ibi gl.*

8 Si quis recusavit Judicem in una causa, manet ne recusatus in alia causa distincta?

℞ Manet, quia eadem ratio est. *c. significavit, de appellat.*

9 Quis debet solvere expensas in negotio recusationis?

℞ Pars recusans,& debet eas depositare.

10 Si Judex habeat causam similem cum aliquo ante alium Judicem, ex hoc poterit ne recusari?

℞ Poterit, & debet dari alius Judex; ratio est quia præsumitur, quòd erit favorabilis nimis tali parti;& etiam si prius fuit advocatus, & postulavit pro simili casu, poterit recusari, quia præsumitur, quòd non sententiabit contra suam opinionem, & allegationem, sed raro inveniuntur duæ lites, quæ in omnibus habeant identitatem, & similitudinem. *capit. causamque. il. 2. de judicijs,*

11 Si Judex recipit testes ante litis contestationē, poterit nè recusari?

℞ Poterit, & etiam si cognoscat de exceptionibus peremptorijs simul cum causa principali. *c. exhibita, de judicijs.*

# LIBER NONVS
## CONTINENS MATERIAS LIBRI TERTII DECRETALIUM
### De Quibus hactenus non est tractatum.

## CAPUT I.
### De Præbendis, & Dignitatibus.

1 Unde dicitur præbenda?

℞ A præbeo, quia præbet,& dat Canonico habenti præbendam, victum, vestitum, & congruam sustentationem sibi, suis famulis, & suis consanguineis, si non sint divites.

2 Quotupliciter sumitur hoc nomen, præbenda?

℞ Dupliciter. 1mo, largo modo, pro quaeunque portione,vel utilitate,quam quis ratione paupertatis, vel juris patronatus recipit de bonis Ecclesiæ. 2do, sumitur pro portione,quæ debetur Canonicis ratione sui Canonicatus,& ideò vocantur Canonici præbendati, & isto modo sumitur in hoc titulo; *ut in c. cum M. Ferrariensis, de constit. in gl. verb receperunt.*

3 Quid est præbenda?

℞ Est quoddam jus, quod competit alicui Canonico, percipiendi fructus in aliqua Ecclesia Cathedrali,vel Collegiata,tamquam uni de collegio ut habetur. *in c. relatum,de præbendis,& dignit.*

4 Præbenda, & Canonicatus in quibus rebus consistunt?

℞ In tribus, in grossa, in distributionibus quotidianis,& in manualibus.

5 Quæ dicitur grossa præbendæ?

℞ Sunt omnes fructus, introitus, & proventus, sive in pecunia numerata, sive in tritico, vino, & oleo, & fructibus terræ, qui proventus, seu grossa daturCanonicis singulis annis,simul in una vel pluribus solutionibus,& sic tota grossa,veluti mille aureorum,quæ pertinent ad unumCanonicum in toto illo anno vocatur massa, grossa, seu præbenda.

6 Canonici quanto tempore lucrantur grossam, seu massam suæ præbendæ?

℞ De hoc non potest generaliter certa regula assignari; quia hoc constat ex consvetudine, vel statuto cujuscunque Ecclesiæ; nam in aliquibus Ecclesijs Canonici lucrantur dictam massam, & grossam in residentia unius diei, veluti in die Sancti Michaelis, & ejus vigilia incipiendo à sono campanæ, seu ad Vesperas dictæ vigiliæ, ita quod si aliquis Canonicus moriatur post dictum sonum vesperarum lucratur totam massam, & præbendam anni venturi, in alijs Ecclesijs Canonici lucrantur dictam grossam per residentiam continuatam, vel distinctam trium mensium, vel quatuor mensium, & ideò quando consvetudo Ecclesiarum est varia, secundum earum statuta illa est observanda,

7 Hæc grossa præbendæ,quomodo solet vocari?

℞ In aliquibus Ecclesijs in Hispania vocatur vestuarium, quia datur hæc grossa ad hoc,ut Canonici se induant vestibus, & emant supellectilem congruam secundum suam dignitatem.

8 Unde sumitur hæc præbenda, seu grossa, massa, vel vestuarium,& quomodo dividitur?

℞ Sumitur ex omnibus fructibus, reditibus, & bonis, & proventibus illius Ecclesiæ, & postquam sunt locati,vel beneficiati, per O economosEcclesiæ in unam massam, & corpus colliguntur, & postea æqualiter dividuntur inter omnes Canonicos,ita quod non detur major pars,neq; minor uni,quam alteri,sed omnes æqualem partem recipiant in quantitate,& qualitate;& ratio est,quia omnes æqualiter servierunt, & ideò æqualem portionem debent percipere, cum omnes sint æqu ales,

æquales, & in aliquibus Ecclesijs est consvetudo ut fiant tot schedulæ, quot sunt Canonici, & forte quisq; percipiat, quod suum est. *Abb. c. extirpandæ, de præbendis, & dignitat. num. 1.*

9 Quare fructus, & redditus Ecclesiæ dantur, & distribuuntur in sustentationem Canonicorum?

℞ Quia bona Ecclesiæ Sunt communia ad sustentationem, & reparationem ipsarum Ecclesiarum, & ad sustentationem Episcoporum, Canonicorum, ministrorum, & pauperum, & sic de bonis Ecclesiæ, nemo debet uti tanquam de sangvine Iesu Christi, de quibus latè diximus, libro quinto, *capit. de bonis Clericorum*, & *est text. in cap. ratio nulla, de præbendis.*

10 Distributiones quotidianæ quid sunt, & unde sumuntur?

℞ Est quædam pecunia taxata in certa quantitate pro singulis horis, veluti in prima distribuitur inter residentes in unum aureum, & sic in singulis horis, & Canonici lucrantur has distributiones residendo personaliter in qualibet hora ita quòd si unus Canonicus non assistit, alter lucratur partem illius, qui perdidit, sicut latè diximus. *Lib. 4. c. 42. de distributionibus quotidianis*, & habetur *in Conc. Trid. Sess. 24. c. 12. & Sess. 25. c. 3. de Ref.*

11 Manualia, quæ vocantur?

℞ Manualia sunt distributiones incertæ, quæ dantur Canonicis pro assistentia, & residentia in aliquibus officijs, & missis relictis à fidelibus defunctis, & dicuntur manualia, quia sæpè dantur ibi ad manum, vel singulis mensibus, vel hæbdomadis secundum cõsvetudinẽ cujuscunq; Ecclesiæ

12 Manualia in qua differentia sunt?

℞ In duplici differentia, aliqua sunt certa, aliqua incerta, & quæ ex aliquo accidenti proveniunt, ut est sepelire defunctum, recitare officium defunctorum pro una vice; alia manualia sunt certa singulis annis, sicut aliquis fidelis relinquit agrum, vel census, ut illi dicantur singulis annis tot officia defunctorum.

13 Quis Canonicus lucratur ista manualia?

℞ Canonicus præsens, & absens ea amittit, & debet videre institutiones, & testamenta, quæ ea reliquerunt, quia in aliquibus testamentis dicitur, quòd non possint ea lucrari infirmi, neq; absentes etiam pro negotijs Ecclesiæ, & tunc servanda est ad vngvem institutio, & ultima voluntas testatoris.

14 Quæ differẽtia est inter grossam, seù vestuarium & distributiones quotidianas, & manuales?

℞ 1mò, quia de grossa omnes percipiunt æqualem quantitatem, de distributionibus quotidianis, & de manualibus non omnes percipiunt æqualiter, sed quilibet secundum tempus suæ residentiæ. 2dò, grossa, seù vestuarium lucratur à canonicis in uno die, vel in tempore parvo, vel limitato trium vel quatuor mensium; distributiones verò quotidianas, & manualia lucrantur per totum annum.

15 Præbenda potestne permutari, vel resignari?

℞ Præbenda, ut dicit Canonicatum, & dignitatem potest permutari, & resignari, sicut cætera beneficia, non auctoritate propria, sed auctoritate superioris, & propter causam legitimam, ut habetur. *in c. majoribus, de præb. & dignit.*

16 Quis potest augere in Ecclesia Cathedrali præbendas, & fructus Canonicorum, & dignitatum?

℞ Si præbendæ sint tenues, & Ecclesiæ Cathedrales insignes, Episcopus tanquam sedis Apostolicæ Delegatus potest augere dictas præbendas, uniendo eis beneficia simplicia, & capellanias, sed debet relinquere, qui satisfaciant missis, adimpleantq; onera posita in sua fundatione, ne suffragijs defraudetur. *c. exposuisti, de præb. & dign. & Conc. Trid. Sess. 24. c. 15. de Ref.*

17 Episcopus potestne minuere numerum Canonicorum, ut cæteri ditiores fiant, vel ut applicetur præbenda illius Canonici fabricæ Ecclesiæ?

℞ Si præbendæ sint tenues poterit minuere numerum Canonicorum, vel applicare aliquam portionem fabricæ si sit pauper, sed debet facere certiorem Summum Pont. ut confirmet talem suppressionem, & eam debet facere de consensu capituli. *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 15. citat.*

18 Si una præbenda sit grossa, poterit ne dividi in duas?

℞ Poterit, cum vacaverit, dividi in duas ab Episcopo, Si sit sufficiens ad sustentationem duorum, ratio est, quia Ecclesiæ melius servitur per duos ministros, quam per unum, & debet fieri certior Summus Pont. *c. vacante, de præb.* licet regulariter dividi non debeat, cum in majori præbenda homo majoris auctoritatis & scientiæ resideat, qui dat eleemosynas, & prodest Ecclesiæ, ut habetur. *in c. majoribus, de præb. & dign.*

19 Quid debet Episcopus considerare in facienda divisione præbendæ?

℞ 1mò, quòd præbenda sit nimis pingvis. 2dò, quòd per unum non bene serviatur. 3tiò, quòd cuique detur congrua sustentatio, & nihilominus rarò, vel nunquam debet fieri talis divisio; ratio est, quia in Ecclesia Dei sunt necessariæ præbendæ pingves, ut homines magnæ auctoritatis in genere, sangvine, & literis congruè sustententur, & defendant fidem Catholicam ab hæreticis & Ecclesiam Dei. sicut in bello quæruntur milites nobili genere nati, qui libentiùs se periculis objiciunt pro suo Rege, sic in Ecclesia Dei homines scientijs imbuti, & ex nobili genere nati libentiùs pro fide fundunt sangvinem. *c. vacante de præbendis, & de divisione* beneficiorum diximus. *Lib. 4 capit. 50. num. 33 34. & 36.*

20 Si præbenda injustè dividatur, quid debet fieri ad ejus integrationem?

℞ Debet juridicè ante superiorem peti damnum ab Episcopo dividente, quo probato tenetur illam reintegrare, sicut prius erat. ut *Abb. in c. cum causam, de præb. & dig. num. 5.*

21 Dignitas Ecclesiastica quid significat?

℞ Est quædam excellentia, quam persona ecclesiastica habet super reliquos Clericos, quæ sæpè sæpius vocatur in jure personatus, & semper datur cum aliquo particulari officio, tanquam personæ majoris confidentiæ, *ut habetur in c. administratoris, 23. quæst. 5.*

22 Hoc nomen, dignitas, quas ſignificationes habet?

℞ Plures. *1mò*, ſignificat præeminentiam,& excellentiam ſæcularem, quam habent Imperatores, Reges,& Principes. *2dò*, ſignificat dignitatem cujuscunque Judicis. *3tiò*, quandam præeminentiam Eccleſiæ militantis. *4ò*, prærogativum officium, & perſonatum alicujus perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ, veluti cum nominatur Decanus, vel Archidiaconus, *cap. adminiſtrat. 13. quæſt. 5.*

23 Dignitas, perſonatus,& officium, in quo differunt?

℞ Iſta in Jure ſunt ſynonyma,& idem ſignificant; nam quælibet dignitas habet prærogativam, & perſonatum magis dignum, quam alia dignitas,& habet aliquod officium diſtinctum in Eccleſia, ad quod fuit ſpecialiter inſtituta talis dignitas. *c. cum acceſſiſſent, de conſtitutionibus,& Abb. c. de multa, iſto tit. num. 21.*

24 Quælibet dignitas eccleſiaſtica, in quo cognoſci tur,& diſcernitur ab alijs dignitatibus?

℞ Aliquando in officio particulari, quod tali dignitati ſoli incumbit, ut Decano competit congregare capitulum, aliquando in præcedentia in choro,& capitulo, ut Archipresbyteri, qui præcedit omnes Canonicos,& presbyteros, aliquando in adminiſtratione alicujus officij vel fructus Eccleſiæ,& hæc adminiſtratio eſt quædam præeminentia, & dignitas, *Archidiac. in c. de conſuetudine, Lib. 6.*

25 Quare in Eccleſia Dei inſtitutæ ſunt dignitates ſuperiores,& inferiores?

℞ Ut Eccleſia militans imitetur triumphantem, in qua diſtincti ſunt Angelorum chori,& etiam, ut adjuvent Epiſcopum in regimine, & adminiſtratione Sacramentorum. *Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 17. & Canon. 6.*

26 Dignitas extingvitur ne aliquando morte obtinentis?

℞ Non, ſed eſt perpetua, & tranſit in alium ſucceſſorem legitimè intrantem. *Abb. in c. 1. de conſuetudine Lib. 6.*

27 In dignitatibus, canonicatibus,& beneficijs ſucceditur ne Jure ſangvinis?

℞ Non, ſed Jure virtutis,& literarum; nam in ſpiritualibus non habent locum hæreditarium ſucceſſionis,& ſic ſemper quærimus ſucceſſorem Petri piſcatoris,& non Cæſaris Imperatoris, *c. 1. c. venerabilis, de præb. & dign.*

28 Legata relicta alicui dignitati pereunt nè cum perſona obtinente dignitatem?

℞ Non ſed tranſeunt ad ſucceſſorem, ſicut ipſa dignitas, ſi relicta ſint nomine dignitatis, & non nomine Petri. *Abb in c. ſignificavit de reſcrip. n. 4.*

29 Dignitates in quo Jure debent eſſe docti, & unde debent alere ſe,& famulos ſuos?

℞ Regulariter debent eſſe docti in ſacra Theologia,& in Jure Canonico ſecundum qualitatem perſonæ,& de fructibus ſui beneficij debent alere ſe, ſuos famulos & ſuos conſangvineos ſecundum qualitatem perſonarum; dignus enim eſt operarius mercede ſua,& in Eccleſia Dei omnes ſunt æquales. *Abb. in cap. extirpandæ, de præbend. & dignit. num 3. & 4.*

30 Poteſt ne quis habere duas dignitates, vel duas Eccleſias?

℞ Non ſine diſpenſatione Apoſtolica. *c. quia in tantum, c. præterea, de præb. & dign.*

31 Per additionem ſecundæ dignitatis, vel beneficij, vacat ne prima dignitas, vel beneficium?

℞ Non, niſi per poſſeſſionem pacificam; ratio eſt, quia non eſt juſtum, ut quis relinqvat dignitatem, vel beneficium, de quo pacificè alitur, donec obtineat poſſeſſionem pacificam alterius beneficij pingvioris, alias eſſet relinquere certum, & accipere incertum. *Abb in c. cùm multa, de prabend. & dig. num. 6.*

32 Dignitates, Canonicatus, & beneficia, quæ obtinet Epiſcopus, quando vacant?

℞ Non poſt electionem, & confirmationem, ſed poſt conſecrationem,& adeptam pacificam poſſeſſionem, vel poſt quatuor menſes ad ſe conſecrandum *à Conc. Trid. datos tenet Abb. in c. de multa. n. 12. de præben & dignit*

33 Dignitas, ſi habeat beneficium curatum annexum, in quo loco tenetur reſidere, in Eccleſia Cathedrali, vel ſervire beneficio?

℞ Talis dignitas poterit reſidere in Eccleſia Cathedrali, & ſervire beneficio curato per ſubſtitutum; ratio eſt, quia annexum ſequitur naturam principalioris. *Abb. in c. extirpandæ, de præbendis §. qui vero, num. 5. & 28.*

34 Appellatione beneficij intelligitur ne dignitas rectoria, vel curatum?

℞ Non, quia dignitas, Canonicatus, vel rectoria habent nomina propria majoris excellentiæ, & ita ſolùm intelligitur beneficium ſimplex, *ut Abb. in c. ultimo. de præb. & dign. n. 1.*

35 Dignitate vacante, vel beneficio, quis poterit imponere onus,& quale?

℞ De jure antiquo Prælatus, & Capitulum in dignitatibus, præbendis,& canonicatibus, & Epiſcopus ſolus in beneficijs ſimplicibus,& curatis poterat imponere onus ſpirituale, veluti celebrare Miſſam, ſed non temporale, ut ſolvant talem penſionem, ſed poſt *Conc. Trid.* ſolus Papa poterit imponere beneficijs, Canonicatibus, & dignitatibus penſionem, vel onus, quod voluerit, ratio eſt, quia eſt dominus beneficiorum. *cap. ſignificatum, de præbendis, & dignit.*

36 Laicus poteſt nè habere dignitatem, & præbendam?

℞ De privilegio Papæ poterit habere fructus præbendæ, ſed non poterit eſſe Canonicus Eccleſiaſticus; ratio eſt, quia repugnat, quòd Laicus habeat canonicatum, qui debetur ſolis Clericis, & in Hiſpania in Eccleſ. Cathed. Legionenſi ex vetuſtiſſima conſvetudine, Rex Hiſpaniarum, Marchion de Aſtorga ſunt Canonici dictæ Eccleſiæ, & quando aſſiſtunt in dicta Eccleſia, ſedent in choro inter alios Canonicos,& datur illis portio, & ſtipendium ſicut & alijs Canonicis, & dicta Eccleſia obſervat dictam conſvetudinem in magnum Eccleſiæ honorem.

37 Regulares poſſuntne habere dignitates, vel beneficia in Eccleſia ſæculari, vel quibus modis Eccleſia ſæcularis poteſt ſpectare ad Regulares?

℞ Aliquis Regularis ex diſpenſatione Papæ poteſt obtinere Canonicatum, dignitatem, vel beneficium

ficium in Ecclesia sæculari,& etiam Ecclesia sæcularis quinque modis potest spectare ad Regulares in communi. *1mo*, quòad jus patronatus dumtaxat,ut si quis fundet aliquam Ecclesiam,& relinquat juspatronatus alicui monasterio, vel Abbati. *2do* quòad collationem,seu institutionem tituli alicujus beneficij, ut si quis fundet beneficium,& reliquat institutionem alicui monasterio. *3tio*, quòd institutionem auctorizabilem, ut si quis fundet beneficium,& relinquat institutionem,& nominationem, vel præsentationem suis parentibus tali conditione, ut talis institutus approbetur à superiore alicujus monasterij. *4to*, quòad temporalia tantùm,quando aliquod monasterium habet reservatos, & assignatos ad suam sustentationem fructus alicujus Ecclesiæ. *5to*,quòad temporalia,& spiritualia, scilicet, quando aliquod monasterium habet Ecclesiam parochialem sibi unitam,& cura animarum exercetur per monachos, & recipiunt fructus, & obventiones Parochorum; *Abb. in cap. de monachis. de prabendis,& dignitatibus, num 5.*

38 Si isti monachi habeant jus præsentandi in suis Ecclesijs Clericos in administranda Sacramenta, quid debet Episcopus facere?

℞ Non debet instituere talem præsentatum, nisi priùs à Monachis assignetur illi congrua portio, de qua assignatione Episcopus debet esse certus ante institutionem, ne postea talis cogatur mendicare. *capit. de monachis iste titulo.*

39 Ob quam causam datur alicui præbenda, vel fructus præbendæ?

℞ Ratione institutionis, servitij, laboris, & præsentiæ, *cap. cum Ferrariensis, de Constitutionibus in glossa.*

40 Dignitas, & præbenda quibus modis obtinetur?

℞ Duobus modis. *1mò*, in titulum per collationem factam à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, *2dò*, modo, in commendam, quando datur alicui personæ aliqua dignitas, & fructus dignitatis in commendam, qui non tenetur residere, neq; habere curam animarum, sed solum percipit honores, & fructus illius dignitatis absque aliquo onere vel gravamine. *Abbas cap. de Monachis, isto tit. num. 3.*

41 Isti Commendarij, qui habent Abbatias, & dignitates in commendam, ad quid tenentur?

℞ Ad Ecclesias construendas, & reparandas, ad alendum numerum sufficientem clericorum, vel monachorum, qui serviunt Ecclesijs, & administrent Sacramenta, & fructus, qui supersunt, possunt ipsi percipere; ratio est, quia quamvis non habeant onera supra suas personas, habeant dicta onera supra redditus illius Ecclesiæ, tenet *Abb. in cap.de monachis,num 3 de prabendis, & dignit.*

42 Potest ne aliquis Canonicus esse Canonicus, & habere Canonicatum,& non habere præbendam

℞ Quando aliquis Canonicus committit aliquod delictum, & per sententiam privatur fructibus sui Canonicatus, tunc habet Canonicatum, & honorem Canonici in actu, & præbendam, & perceptionem fructuum impeditam, & in potentia; nam sublato illo impedimento habebit Canonicatum, & præbendam simul, sicut alij de collegio Canonicorum. *tenet Abb. in cap. relatum, de prabendis, num. 5.*

43 Quis dicitur Canonicus supernumerarius?

℞ Ille, qui providetur à Papa in Canonicum alicujus Ecclesiæ supra numerum aliorum Canonicorum, & de præsenti non habet præbendam, neque fructus, sed debetur, illi præbenda primo vacatura *c. relatum, isto tit. in gloss.*

44 Si quis receptus sit in Canonicum de consensu Capituli, debetur ne illi prima præbenda, quæ vacaverit?

℞ Affirmativè; ratio est, quia prima receptio dat illi Jus, ut habetur *in cap. relatum, de prabendis, & dignit. cap. cum super, de concessione prabenda*

45 Si Papa provideat aliquem de beneficio, vel Canonicatu, vel præbenda primo vacatura, & post notificationem bullarum capitulum conferat alteri præbendam vacantem, quæ provisio tenet, provisio Papæ, an provisio capituli?

℞ Amovendus est à possessione provisus per Capitulum, & ponendus in Possessione provisus à Papa: ratio est, quia per notificationem bullarum factam Capitulo,sublata fuit facultas providendi dicto capitulo, cum Papa possit tollere Capitulo facultatem providendi. *tenet Abb. in cap. proposuit, de concessione prabenda, num. 10. & in c. relatum,num.7.& in c. inter cætera, num. 7. eod.tit.*

46 Qua pœna punitur capitulum, si præbendam primo vacaturam det alteri, & non pro uno à Papa in primo vacatura?

℞ Tenetur de suo dare fructus suæ præbendæ proviso à Papa, donec vacet alia præbenda, ut mandatum Papæ sortiatur plenarium effectum *c. dilectus filius, de prab. & dignit.*

47 Si quis impetravit primam dignitatem, vel Canonicatum vacaturum à Papa, & alius impetret postea certam dignitatem, si vacet illa certa dignitas, cui debetur?

℞ Primo impetranti. *c. ex parte, de officio judicis delegati. il. 1.*

48 Si quis impetrat à Papa gratiam, ut sibi ab Episcopo de beneficio certo, vel in certo provideatur, & non manifestet beneficium, quod ipse obtinet in bulla, tenebitur ne Episcopus obedire rescripto Papæ?

℞ Non tenetur, quia tales literæ sunt subreptitiæ, imo tenetur facere certiorem Papam de taciturnitate; ratio est, quia præsumitur, quod si Papa sciret illum habere beneficium congruum, non daret literas ad aliud beneficium, præcipue cum pluralitas beneficiorum reprobata sit in jure, & debeat à Papa dispensari, *cap. cum teneamur, de prabend. & dignit.*

49 Si duo provideantur de aliqua dignitate, & sit lis, & illam copromittant in Judices arbitros, quid possunt Judices facere?

℞ Poterunt uni dare præbendam, & alteri aliquam pensionem, & hoc debet à Papa confirmari, & hæc expeditio est ordinaria in Romana curia, cum sit ad tollendas lites, & ad statuendam pacem, *c. nisi essent, de prabend. & dignitat.*

# CAPUT II.

## De Institutionibus.

1 Quid est institutio ?

℞ Est personarum, vel Prælatorum collatio in beneficio. *Goffred. tit. de inst.*

2 Quotuplex est institutio ?

℞ Duplex, alia secundum legem, & est primus gradus omnium institutorum; alia secundum Canones, & est collatio Ecclesiæ, vel Ecclesiastici beneficij, in eum, qui jus habet. *l.* 1. *C. de liberis. præteritis, l.* 1. *ff. de vulgar. substitut.*

3 Qui dicuntur substituti in jure civili ?

℞ Illi, qui in locum primorum institutorum substituuntur, & vocantur ad illam hæreditatem, idest post mortem primorum institutorum, *ut in rubrica. ff. de vulgari substit. l.* 1.

4 Investitura quid est in jure canonico ?

℞ Traditio, vel quasi traditio rei, quod fit per annulum, biretum, vel librum, cum quo Significatur, quod talis homo mittitur per superiorem in possessionem corporalem talis rei.

5 Institutio beneficiorum de jure ad quem spectat?

℞ Ad Episcopum, vel ejus officiales, quia est res pertinens ad ejus jurisdictionem, *c. ex sequentibus de instit.*

6 Custodia beneficiorum vacantium ad quem pertinet ?

℞ De jure communi ad Episcopum loci, *Abb. c. cum venissent num.* 2. *eod tit. de institutionibus*

7 Potest ne institutio beneficij pertinere ad non Episcopum;

℞ Potest, si hoc cautum sit à fundatore in prima beneficij fundatione. *c. cum venissent, eod tit. ut dixi c. de jure patronatus.*

8 Aliquis Prælatus inferior Episcopo potest ne habere institutionem, & nominationem dignitatum, & Canonicatuum in aliqua Ecclesia Cathedrali ?

℞ De jure Papali poterit habere, sed non de jure communi, *Abb. c. fin. de institutionibus num.* 3.

9 Si quis possit instituere, vel nominare in aliqua dignitate alium, poteritne nominare & instituere se ipsum ?

℞ Non, quia debet esse differentia inter nominantem, & accipientem, nisi hoc in fundatione concessum sit. *c. ultimo. de instit. & Abb. ibi nu.* 1.

10 Si quis habet potestatem instituendi, vel nominandi in aliquo beneficio, poteritne nominare filium suum ?

℞ Poterit & parentem, & fratrem, & etiam famulos. *Abb. c. fin. eod tit. num.* 4.

11 Si velit Se ipsum nominare, quid debet facere?

℞ Petere nominationem à Summo Pontifice in suam personam. *Abb. c. fin. num.* 6. *eod. tit.*

12 Quis numerus Canonicorum debet institui, creari, & nominari in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis ?

℞ Ille numerus, qui commode, & honorifice possit sustentari de redditibus Ecclesiæ, advertendo, quod non sunt pauperes, *c.* 1. *de instit.*

13 Si Canonici sint numerati, & instituti, & post multum tempus crescant redditus Ecclesiæ, debet ne augeri numerus Canonicorum ?

℞ Si crescant in magna, & notabili quantitate redditus Ecclesiæ, & tale augmentum non fit ex aliquo accidente, sed perpetuum, & fixum, poterit Summus Pontifex augere numerum Canonicorum: si vero augmentum fit mediocre, vel incertum, tunc non est amplificandus numerus Canonicorum. *Abb. c.* 1. *eod tit. num.* 1. *de institution.*

14 Si sit certus numerus Canonicorum, debet ne minui, si redditus Ecclesiæ minuatur ?

℞ Non, sed adimpleri, nisi forte ita minuantur, ut sustentari nequeant, tunc de licentia Summi Pontificis facta relatione, & informatione ab Episcopo possunt minui, *c. in Ecclesia, de inst.*

15 Laicus potest ne esse Canonicus ?

℞ Repugnat jus Canonicatus in laicum, cum institutus sit incapax talis servitij. *c. in Ecclesia, eod tit.*

16 Si aliquis obtineat beneficium sine institutione Canonica Episcopi, vel Papæ, vel si obtineat cum institutione alicujus, qui eam non potest dare, quam pænam incurrit ?

℞ Excommunicatur per sententiam. *Abb. c. ex frequentibus, de instit. num.* 5. *c. benef. de reg. jur. in* 6.

17 Si Clericus obtineat beneficium sine legitimo titulo, vel institutione, tenetur ne ad restitutionem ?

℞ Cum distinctione; si fuit justo errore ductus non tenetur; si vero id fuit malitiosè, & cum fraude, vel cum crassa ignorantia, tenetur ad restitutionem fructuum. *Abb. cap. ex frequent. nu.* 11. *eod tit.*

18 Successio hæreditaria debet ne esse in Ecclesia ?

℞ Non, sed institui debent, qui sint plus idonei non habita ratione originis, neq; loci, nisi ex privilegio, vel fundatione sint vocati nativi alicujus civitatis, vel originis, & alibi exclusi, *cap. ad decorem, eod tit.*

19 Si quis sit nativus alicujus loci, & petat beneficium, & alius extraneus etiam petat, & sint pares, & idonei, cui conferendum est tale beneficium ?

℞ Si sint pares in scientia, moribus, & dignitate, conferendum est nativo, & naturali illius loci, adjuvat eum patria, & natura. *Abb. c. ad decor. num.* 4. *eod tit.*

# CAPUT III.

## De concessione præbendæ.

1 Quid est concessio ?

℞ Est Aliqua gratuita datio alicujus rei, quæ respicit meritum, & personam illius, cui conceditur, & non rem ipsam. *Abb. c. cum venerabilis, de exceptionibus num.* 11.

2 Concessio alicujus rei gratuita, pervenit ne ad successores illius, cui conceditur ?

℞ Non, nisi in illa concessione declaretur, quod datur illi, & successoribus. *Abb. ubi supra num.* 11.

3 Quid est præbenda ?

℞ Est

℞ Est jus percipiendi fructus, & proventus in Ecclesia Cathedrali, vel collegiata competens alicui tanquam uni de collegio, vel de Canonicis *cap. relatum, de prabend. ut late dixi cap. 1. de prabend. & dignit.*

4 Quis dicitur intrusus?

℞ Ille, qui fuit provisus a non habente facultatem providendi, vel ille, qui possidet sine titulo *Abb. in cap. quid diversitat. num. ae concessione prabenda*

5 Electio & confirmatio potest ne fieri unico actu?

℞ Aliquando potest, licet communiter sint duo actus distincti. *Abb. c. dilectus, de concess. prabend n.* 3.

6 Quibus personis potest competere collatio beneficiorum?

℞ Soli Episcopo, & potest competere soli capitulo, & utrique simul, quia isti omnes sunt capaces de Jure ad conferendum. *Abb. cap postulasti, eod tit. num.* 2.

7 Unus potest ne gerere vices plurium personarum?

℞ Potest, quia hoc non repugnat. *Abb. ubi supra. nu. 4. in c. postulastis, de con essione prab. nda.*

8 In Ecclesijs (ubi collatio præbendarum pertinet ad Episcopum, & capitulum conjunctim) ex aliqua causa, si per sex menses non fiat collatio, ad quem devoluitur?

℞ Ad superiorem, & non ad Episcopum, neque Capitulum, quia in isto casu non est superior, sed sicut unus ex Canonicis. *cap. post., eod tit.*

9 Episcopus potest ne conferre beneficium viventis?

℞ Non, nisi solus Papa, & ipse non consvevit facere, nisi quis per suum delictum, illud amiserit *Abb. c. 1. eod tit. num.* 2.

10 Beneficia vacantia, intra quot menses debent conferri?

℞ Intra sex menses ab ejus obitu, & scientia: ut si sint ad provisionem Capituli ipsis sex mensibus elapsis, devolvitur collatio ad Episcopum, si vero sint ad provisionem Episcopi, devoluitur collatio ad Summum Pontificem; quia per negligentiam collatores perdunt suum Jus, ut Ecclesiæ de ministris, & pastoribus provideantur. *cap. nulla eod tit.*

11 Si quis habeat facultatem conferendi, poterit ne eam subdelegare?

℞ Poterit, quia est quid jurisdictionis *c. constitutus, eod. tit. concessione prabenda.*

12 Si Episcopus sit impeditus suspensione, vel alio impedimento, & in spatio sex mensium non faciat provisionem beneficij, devolvitur ne collatio ad superiorem?

℞ Non, quia legitimè impedito non currit pæna, sicut suspenso, & excommunicato, infirmo ignorante, & ideo sex menses currunt a die notitiæ *cap. quia de concessione prabend.*

13 Episcopus vacans, intra quod tempus debet provideri?

℞ Non habet tempus limitatum; quia in Lateranensi Concil. (ut beneficia intra sex menses conferantur,) non intelligitur Episcopatus. *cap. dilectus, de concessione prabend.*

14 Qui reponitur in beneficium alterius adhuc viventis, qua pæna punitur?

℞ Si scienter consentiat se reponi, excommunicatur per sententiam, quia committit magnum delictum contra viventem *cap. 1. eod tit. de conces. prabenda.*

15 Beneficia non vacantia debent ne alicui conferri, licet possessor sit desperatus à medicis?

℞ Non, neque promitti, ne detur occasio alicui captandi mortem. *Abb. c. nulla. eod tit. nu.* 4.

16 Licet ne promittere beneficium alicui, cum facultas se obtulerit?

℞ Licet, sed non promittere tale beneficium cum primo vacaverit, quia datur occasio captandi mortem in particulari. *cap. accidens, eod tit.*

17 Jus patronatus potest ne esse apud sæculares?

℞ Potest, & etiam pænes fæminam nobilem, vel ignobilem. *Abb. c. fin. eod. tit. num.* 2.

18 Patronus poterit ne dare alicui facultatem præsentandi, antequam vacet beneficium aliquod tertium?

℞ Non, sicut non potest promittere alicui beneficium, antequam vacet, sic neque potest dare alicui mandatum, & potestatem, ut præsentet ante vacationem, sed post vacationem *cap. final. eod. tit.*

19 Patronus poterit ne dare generalem potestatem alicui præsentandi omnia beneficia sui patronatus, antequam vacent?

℞ Poterit illam dare cui vult, quia in generalitate non continetur vitium, sicut in beneficio speciali *Abb cap. fin. eod tit. num.* 4.

20 Quis præferendus erit præsentatus à pupillo, vel præsentatus à tutore?

℞ Præsentatus à pupillo, qui est Dominus præsentationis, & excluditur præsentatus à tutore. *Abb. cap. fin. num. 9. eod. tit.*

21 Papa potest ne conferre omnia beneficia mundi?

℞ Potest, & concurrere cū omnibus collatoribus, licet ex benignitate nunquam consvevit auferre ordinarijs potestatem conferendi. *Abb. cap. quia diversitatem, eod. tit. num.* 5

22. Legitimè dispensatus ad omnes dignitates, censetur ne dispensatus ad Episcopatum?

℞ Non, quia cum requirantur majores qualitates ad Episcopatum, quam ad cæteras dignitates, requiritur expressa mentio. *Abb. c. dilect. n. 2. eod. tit.*

23 Si quis impetret beneficium, & non faciat relationem, quod alius titulo colorato, vel nullo titulo illud possidet, erit ne bona impetratio?

℞ Non, sed subreptitia, quia tacet rem essentialem. *Abb. c. cum nostris, eod tit. num.* 5.

## CAPUT IV.

## Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

1 Quid est diminutio?

℞ Est pars illa, quæ à toto ablata, sive sit parva, sive magna, minuit summam principalem, ideo hic agitur, ut beneficia, sive parvi, sive magni laboris integre, & sine diminutione conferantur, ut in rubrica, vel Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

2 Conferre beneficium cum pensione, est ne diminuere beneficium?

℞ Affirmativè, quia durante vita penſionarij, proprietarius, ad quem collatum fuit beneficium, cum diminutione illud percipit.

3 Quis poteſt imponere penſionem ſine collatione beneficiorum?

℞ Solus Papa, qui non tenetur lege a ſe condita, neque legibus ſuorum anteceſſorum, quas ipſe poterrit derogare, vel confirmare, vel augere. *Abb. cap. unico, eod. tit. noſtro.*

4 Conferens beneficium poteſt ne facere pactum de lucrando aliquid?

℞ Non; quia committitur ſimonia, ſed debet illud integrum conferre. *Abb. cap. unico, eod. tit. num.* 14.

5 Poteſt ne Epiſcopus applicare alicui fructus beneficij vacantis?

℞ Si non ſit conſvetudo, ut eos percipiat ſucceſſor in beneficio, ſicut contingit in beneficijs ſimplicibus, poterit Epiſcopus eos applicare fabricæ Eccleſiæ, operæ piæ, vel redimendis captivis, vel alicui uſui laudabili *Abb ubi ſupra n.* 15.

6 Fructus beneficij vacantis poſſunt ne deputari in ſolvendis debitis Eccleſiæ?

℞ Epiſcopus cum conſilio Capituli poterit eos adjudicare ad ſolvenda debita Eccleſiæ *Abb, ubi ſupr. num.* 20.

7 Epiſcopus poteſt ne emere rem Eccleſiæ ſuæ, ſi vendatur cum ſolemnitatibus?

℞ Poteſt, ſi publice emat, & omnes ſolemnitates juris ſerventur in venditione, vel poterit ponere perſonam, quæ emat, dummodo fraus non ſit, & his conditionibus tutor poterit emere rem pupilli ſui, quia cum venditio ſit publica, ceſſat omnis ſuſpitio. *l. pupillus ff. de auct. tutorem. Abb. unico, ubi ſupra, ut Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*

# CAPUT V.
## De Precarijs.

1 Unde dicitur precarium?

℞ A precor precaris. *Azor. in ſum. tit. de precario, & Salviano. interdicto.*

2 Quid eſt precarium?

℞ Id, quod precibus aliqui conceditur: ut eo utatur ut creditor, ſi habet pignus, & concedit debitori, ut utatur. *Azor. ubi ſupra num.* 1. *l.* 1. *ff. de precario.*

3 Quotuplex eſt precarium?

℞ Duplex. 1*mo*, neutrius generis 2*do*, fæminini generis 3*tio*, precarie, quod conceſſum, vel venditum, vel alienatum fuit. *Abb. cap.* 1. *de precarijs, num.* 1.

4 Si quis precarius poſſidet aliquam rem, quando debet renovare contractum ad eam poſſidendam

℞ De Jure Canonico; quolibet quinquennio, ut recognoſcat, ſe eam prece poſſidere, & non eſſe ſuam. *cap.* 1. *eod tit. noſtro.*

5 In precario, quod dominium transfertur?

℞ In recipiente transfertur dominium utile, tamdiu, quamdiu durat voluntas dantis. *Abb. cap. fin. de precarijs num.* 7. *&* 8.

6 In quo differunt precarium fæminini generis, neutrius generis, & precarie conceſſum?

℞ In eo, quod precarium fæminini generis datur ad certum tempus, & ſtante illo tempore revocari non poteſt; precarium vero neutrius generis datur ſine limitatione temporis pro voluntate donatis; precarie, quod conceſſum eſt, quando aliquid venditur precibus alicujus. *Abb. cap.* 1. *eod. tit. num.* 1.

7 Quanto tempore durat precarium, vel uſus illius rei, quæ precibus conſecuta eſt, ut quis ea uti licite poſſit?

℞ Durat toto tempore, quo durat voluntas concedentis expreſſa, vel tacita. *Goffr. in ſum. tit. de precarijs l. quæſitum ff. eod. tit.*

8 Quando extingvitur, & ſolvitur precarium?

℞ 1*mo*, voluntate dantis. 2*do*. voluntate hæredis, & morte dantis. 3*tio*. ſi quis alienavit rem, quam precibus obtinuit, ut ipſa utatur *c. final. de precarijs.*

9 Si aliquis precarie dedit aliquam rem, vel agrum alicui, ſucceſſor, vel hæres ejus poterit ne revocare, & reſumere ſibi talem rem?

℞ Poterit, quia ſucceſſit in voluntate primi dantis, ſicut in hæreditate. *Abb. c.* 2. *eod. tit. n.* 1. *&* 2.

10 Si quis precarie vendit aliquam rem, poterit ne illam revocare ipſe, vel ejus ſucceſſor?

℞ Non, quia iſte contractus licet precibus fuerit factus, eſt contractus venditionis, & accidentaliter fuit precarie factus, & precarium ibi tranſibit in naturam alterius contractus *Abb. c. fin. eod. tit. num* 5.

11 Si Petrus poſſideat agrum precarie, & Petrus moriatur, revocatur ne precarium?

℞ Non: ſed tranſit ad ejus hæredes, quia non revocatur morte accipientis, ſed ſolum morte dantis. *Abb. c fin. num.* 6. *tit. noſtro.*

12 Precariũ fæmininũ datum ad certum tempus, poterit ne nõ finito tempore revocari à domino?

℞ Poterit revocari; quia ex eo, quod quis concedit per unum annum uti precario, non obligatur aliquo contractu ex utroque obligatorio, cum nihil aliud interveniat in contractu precario, niſi voluntas dantis. *Abb. ubi ſupra num.* 11.

13 Si quis precarie per duos annos conceſſit gratuito agrum Petro, & Petrus ſeminat ante perceptum fructum, poterit ne revocari talis conceſſio precaria?

℞ Si revocetur actione doli, Petrus poterit repetere expenſas fructuum, & damnum ſibi illatum *Abb. ubi ſupra num.* 13.

14 Si Prædeceſſor fecit contractum male geſtum, obligatur ne ſucceſſor?

℞ Non; imo tenetur illum revocare. *Abb. cap.* 2. *eod. tit. num.* 2.

15 In quo differunt precarium, & commodatum?

℞ In eo, quod commodatum non poteſt auferri toto illo tempore, in quo eſt commodatum conceſſum; precarium vero aufertur quotieſcumq; ceſſaverit voluntas ejus, qui precibus rem conceſſit, niſi ſignet tempus, quo alter illo uti debet, & tunc precarium convertitur in commodatum. *Azor. in ſum. eod tit. num.* 1.

16 Si

16 Si quis tenet rem precariam, & eam non bene gerat, & conservet quam pœnam incurrit?

℞ Tenetur de lata culpa. *l. quæsitum. §. illud. ff. eod. tit. de preca:ijs*

17 Si quis habeat rem commodatam, & eam non servet, qua pœna punitur?

℞ Tenetur iste de levissima culpa eam restituere *l. quæsitum ff. eod. tit. de precarijs*

18 Quæ ratio differentiæ, quare precarius tenetur restituere rem de lata culpa, & qui habet rem commodatam; tenetur de levissima culpa?

℞ Quia precarium pendet ex mera liberalitate dantis, & super a dante potest revocari; qui vero habet rem commodatam, ab eo non potest auferri; nisi finito tempore commodati, ideo si per culpam levissimam res diminuatur, aufertur ab eo, & debet eam restituere, ne male utatur liberalitate alterius. *l. quæsitum § illud ff. eod tit. Abb. c. fin. num. 1. tit. de precarijs.*

## CAPUT VI.
## De Commodato.

1 Quid est commodatum?

℞ Res illa aliena, quæ alicui datur, ut per aliquod tempus illa utatur, licet non sit sua. *Ioann. And. in cap, unico, de commodato.*

2 Quid est commodatum?

℞ Illud, quod ad utilitatem alicuius fit, vel datur. Azor *in summa de commodato, nu.* 1.

3 Quis dicitur commodatarius?

℞ Ille, cui datur aliqua res, ut ea utatur in sui utilitatem. Azor *ubi supra num* 1. & 2.

4 Quotuplex est actio commodati?

℞ Triplex. 1*ma*, directa 2*da*, utilis. 3*tia*, contraria. *l. in commodato.* §. 1 *ff. eod. tit.* & Azor. *ubi supra num.* 7. & 8.

5 Quæ est actio directa commodati?

℞ Illa, quam habet, qui commodavit rem adversus eum, cui accomodavit, ut ille sibi restituat *l. in commodato.* §. *ult. ff. eod. tit. de commodato.*

6 Quæ est actio utilis commodati?

℞ Illa quam habet, qui recipit rem commodatam toto illo tempore, quo datur ad utendum *l. si is qui.* § *si libero, ff. eod. tit.* & *Bart. ibi.*

7 Actio commodati utilis, competit ne, ubi non est verum commodatum?

℞ Competit, ut si quis utatur aliqua re sui amici ipso ignorante, fultus ea ratione, quod si ipse sciret, daret, & gauderet, vel utatur aliqua re sui amici, quam accepit ipso vidente, & tacente. *l. si is qui* §. *ult. ff. eod. tit de commodato.*

8 Quæ est actio contraria commodati?

℞ Illa, quæ competit ei, qui accepit rem commodatam adversus proprium Dominum ad petendas expensas, & meliorationes, quas fecit in re commodata. *l. in rebus. ff. commodati.*

9 Commodatum in quibus rebus invenitur?

℞ Propriè in rebus mobilibus, ut in vestimentis, equis & alijs, quia in immobilibus proprie dicitur precarium *l. 1. ff. commodati.* & *Azor. ubi sup. num.* 3.

10 Commodatum potest ne revocari ad omnem voluntatem commodantis?

℞ Non, nisi completo tēpore, pro quo illud cōmodavit, ratio est, quia quod à principio liberum fuit post factum fit necessarium. *Azor. ubi supra num.* 2.

11 Si quis accepit rem à commodante, non potuit uti illa tempore sibi præfixo, transacto tempore, poterit ne cogi ad iterum cōmodandā rem illam?

℞ Non, quia finito tempore finitur actio venditi; in libertate.n. commodantis est iterum dandi, vel non, imò, transacto tempore, si illa commodatarius utatur, vel depravetur ipso usu, tenetur de damno, cum utatur re aliena extra voluntatem domini. *Abb, in c.* 1, *num.* 7. *de commodato.*

12 Si res commodata pereat, tenetur ne eam solvere ille, cui commodata fuit?

℞ Si sua culpa gravi res pereat, tenetur cū restituere, si verò sua culpa levissima pereat, non tenetur. *c. unico. eod. tit.*

13 In quibus casibus tenebitur ille, qui utitur re commodata, solvere rem, si pereat sua culpa levissima?

℞ In tribus. 1*mò*, si rem non restituat, & fuerit in mora, præfixo tempore. 2*dò*, si sua culpa pereat talis res. 3*tiò*, si fuit in pacta non perdendi rem *glos. in c.* 1. *de commodato.*

14 Furtum quādo numeratur inter casus fortuitos?

℞ Quando violenter à te sublata est res; si verò res occultè à te sublata fuit, adhuc distinguendum est; si posuisti tantam diligentiam in re aliena, quantam in tua propria, non teneris restituere *Abb. in cap.* 1. *de commodato. num.* 16.

15 Si aliqua res commodata casu fortuito pereat, commodatarius tenetur ne restituere eam?

℞ Non, sed Dominus perdidit rem illam, tanquā si esset in sua potestate; quia casus fortuiti non sunt in manu hominis. *Abb. in c.* 1. *eod. tit, num.* 17.

16 Qui sunt casus fortuiti?

℞ Inopinati rei eventus, qui præveniri à sapiente non possunt, ut tempestas, ruina, & maris fluctus, & alia similia, *Abb. cap.* 1. *ut supra, de commodato. num.* 15.

## CAPUT VII.
## De Deposito

1 Quid est depositum?

℞ Aliquid alicui datum ad custodiendum. *Hostien. in sum, tit. de deposito num.* 1.

2 Quid est depositarius?

℞ Persona fidelis, apud quem deponitur res aliqua custodienda *in authent. in iam, Cod. depositi.*

3 Actio depositi quotuplex est?

℞ Duplex; una directa, quæ competit illi, qui rem depositavit, ut illam repetat; & alia contraria, quæ competit illi, apud quem est res deposita ut petat expensas *l.* 1. *ff. de positi.* §. *ait Prætor* & *Azod. in summa num.* 20. 21. & 42. *tit. de deposito.*

4 Contra quem contrahitur obligatio in deposito?

℞ Contra depositarium, ut illud custodiat, & servet, & tradat suo tempore. *Instit. quib. modis re contrahitur obligatio.* §. *penult.*

5 Quid est contractus depositi?

℞ Contractus bonæ fidei, quia confido de fide depositarij. *c.* 2. *de deposito,* & *ibi gloss.*

6 Quis retinet dominium rei depositatæ?

℞ Non depositarius, sed ille, qui depositavit. *l. rei commodatæ ff. commodati.*

7 In quo differunt pono, & depono?

℞ Pono est simpliciter ad meam voluntatem aliquid ponere; depono est seorsim ad custodiendum in potestate alterius deponere. *leg. prima, ff. depositi.*

8 In quo differt depositum à sequestro?

℞ In eo, quòd depositarius tenetur rem tradere illi, qui rem deposuit, sed qui tenet sequestrum, non tenetur restituere certæ personæ, sed solum illi, qui vicerit litem. *l. 1. ff. eod. tit. & Azor. in sum. eod. tit. num. 8.*

9 Quando potest repeti depositum?

℞ Quando voluerit ille, qui depositavit rem, quia illi competit actio repetendi. *c. 1. eod. tit. in gloss.*

10 In qua differentia sunt depositarij?

℞ In duplici. 1mò, sunt depositarij, qui aliquid recipiunt pro custodia, & isti tenentur dolo, & culpa. 2dò, sunt alij depositarij, qui nihil recipiunt pro deposito, & isti tales tenentur de dolo, non de culpa levi, nec levissima. *c. 2. de deposito. in gl.*

11 Depositarius tenetur ne de casu fortuito?

℞ Non, neque qui recipit aliquid pro custodia. *cap. 2. ubi supr.*

12 Si culpa, vel mora præcesserit casum fortuitum, ut si potuit merces ante pluviam servare, tenebitur ne?

℞ Tenebitur, quia mora, & culpa quasi æquiparantur dolo. *c. 2. eod. tit. in gloss.*

13 Depositarius potestne compensare debitum, quod illi justè debetur cum deposito sibi tradito?

℞ Non, quia hoc non fert fides Depositarij; nam semper debet habere in manu depositum, cum non possit poscente domino ulla ex causa, nec actione, depositum apud se retinere. *cap. 2. de deposito. l. 1. & 2. C. eod. tit.*

## CAPUT VIII.
## De emptione, & venditione.

1 Quid est emptio?

℞ Est contractus emendi rem pretio convento. *Instit. de emptione. §. 1.*

2 Quæ requiruntur ad emptionem perfectam?

℞ Consensus emptoris, & venditoris, & quod ambo conveniant de pretio. *l. 2. ff. de contrahenda emption. & vend. & l. 1. §. ult. eod. tit. & l. empt. ff. de rescindenda vendit.*

3 Quis dicitur emptor bonæ fidei?

℞ Ille, qui emit rem, & existimat esse illius, à quo emit, vel habere legitimam facultatem eam vendendi. *l, nec ullam, §. quid si quis ff. de petitione hæreditatis.*

4 Quis dicitur emptor malæ fidei?

℞ Ille, qui emit à latrone, vel à persona, quam scit non posse vendere talem rem. *Azor. in sum. tit. de agricolis. & censitis colonis, num. 8.*

5 Si quis vendat rem, in quibus casibus non tenetur de evictione?

℞ In tribus. 1mò, si emptor non moneat venditorem de lite. 2dò, si emptor abfuit contumaciter tempore litis, & sententiæ, ita ut per suam absentiam lis pereat. 3tiò, si per injuriam, & injustitiam Judicis sententia lata fuit contra emptorem. *cap. fin. eod. tit.*

6 Si in contractu non explicetur, quòd venditor teneatur de evictione, tenetur ne?

℞ Affirmativè, quia evictio inest intrinsecè contractui venditionis, & sic ut non teneatur, debet in contractu dici, quòd emptor non teneatur de evictione. *Abb. in capit. ultimo, eod tit. num. 10.*

7 Emptor molestatus de re empta, quando debet denuntiare debitori, ut possit petere auctionem?

℞ In principio litis, vel antequam judicium finiatur, alias perdit actionem evictionis sua culpa. *Abb. c. fin. eod. tit. num. 2.*

8 Venditor tenetur ne de evictione, si emptor extrajudicialiter perdit, vel dat rem de sua auctoritate?

℞ Non, quia solùm tenetur, quando judicialiter aufertur ab illo res, ubi præsumitur justitia. *Abb. in c fin. eod. tit. nu. 7.*

9 Venditor teneturne ad omnes expensas factas per ipsum ad defensionem rei venditæ?

℞ Tenetur, sicut ad ipsam rem. *Abb. ubi. sup. num. final.*

10 Ecclesia tenetur ne de evictione in rebus, quas vendit, vel locat?

℞ Affirmativè, cum sit actio justa. *Abb. ubi sup. nu. 4.*

11 Clericus, qui vendit rem Laico, tenebitur ne illam defendere requisitus ab emptore in foro sæculari?

℞ Affirmativè; quia sedui forum, ubi talis emptor molestatur, licitum est, sed debet petere licentiam à suo Prælato. *Abb. ubi sup. cap. finali isto tit. nu. 8.*

12 Potest ne quis pluris vendere itinerantibus, quam illic cohabitantibus?

℞ Non, quia est species doli, & usuræ, & ideò de hoc cognoscit Episcopus *c. 1. eod tit. nostro.*

13 Potestne quis vendere res pluris, quam valent?

℞ Non, quia est dolus, & peccatum. *Abb. c. 1. eod. tit. nu. 3.*

14 Quando sterilis est annona, tenetur ne quis vendere triticum, vinum, vel carnes?

℞ Tenetur quolibet tempore necessitatis, vel famis. *Abb. cap. 1. eod. tit. nu. 6.*

15 Prætium rei qua ratione sumendum est?

℞ Ex eo, quòd communiter vendi potest, nam ex pecuniaria rei, & temporis necessitate pretium majus sumi potest; nam si communiter apud omnes, vel plures aliqua res venditur decem argenteis, illa eadem mutato tempore venditur viginti argenteis; tempus enim, vel penuria justificaverunt pretium, *Abb. c. 1. de empt. & venditione, n. 3.*

16 Si quis exponat ad vendendum triticum justo pretio, potestne prosua libertate ponere, & constituere pretium?

℞ Non, sed cogitur à judicibus, quorum interest, ut vendat communi, & justo pretio. *Abb. ubi supr. num. 4.*

17 Fraudans mensuras, qua pæna punitur?

℞ Pœna statuta in qualibet civitate, & debet compelli eas sine fraude habere. *Abb. in c. ut mensura. eod. tit. nu. 3.*

18 Si res

18 Si res vendatur in dimidio justi pretij, quæ actio competit venditori?

℞ Potest petere læsionem, & restitutionem medietatis pretij, vel ipsam rem, si sibi placuerit. *Abb. in c. 3. eod. tit. num. 2.*

19 Si stante matrimonio vir de consensu uxoris alienet bona dotis, soluto matrimonio, tenet ne illa alienatio?

℞ Affirmativè, quia fuit facta ad sustentanda onera matrimonij de consensu utriusque. *c. pervenit, eodem tit.*

20 Si maritus habeat propria bona, quib. possit sustinere onera matrimonij, si vendiderit bona mulieris, emptor (soluto matrimonio) poterit ne mole stari?

℞ Non; quia bona viri, & mulieris durante matrimonio reputantur, ac si essent viri *Abb. in cap. pervenit, eod. tit.*

21 Si in venditione ponatur pactum de retrovendendo, erit ne contractus venditionis verus, vel non?

℞ Talis contractus magis præsupponitur pignorativus, quam venditionis; quia soluto pretio retroceditur res ad proprium Dominum. *cap. ad nostram, eod tit.*

22 Donator quando tenetur de euictione?

℞ Quando id promisit in contractu, vel quando dolo donavit. *Abb. in cap. fin. de emptione, & venditione. num. 10.*

## CAPUT IX.
## De Locato, & conducto.

1 Quid est locatio?

℞ Rei, vel personæ ad usum tantùm concessio, cũ pacto de tanta (pro labore) pecunia solvenda. *Azor de locato, & conducto nu. 1.*

2 Conductor quis dicitur?

℞ Ille, qui rem aliquam, vel domum ab aliquo data mercede, vel promissa accipit utendam.

3 Quando dicitur statim, & celeriter purgata mora?

℞ Hoc relinquitur arbitrio judicis. *Abb. in cap. potuit, de locato, & conducto, num. 6.*

4 Locatus & Conductus, in quo differunt?

℞ Sunt Synonyma, & idem significant. *Azor. in sum. eod. tit. num 2.*

5 Si emphyteuta Ecclesiæ per biennium quis non solverit, qua pæna punitur?

℞ Perdit rem, & Ecclesia bona recuperat. *cap. potuit, de locato, & conducto.*

6 Super conductione domorum, vel rerum possunt ne ferri leges, vel statuta?

℞ Possunt, & debent observari ad ungvem, quia latæ sunt ad bonam gubernationem, & propter eximium pretium, quod petunt illi, qui conducunt domos. *c. 1. de locato, & conducto.*

7 Si Ecclesia, vel Dominus rei non monet per duos annos emphyteutam, ut solvat, talis non solvens cadit ne in commissum?

℞ Affirmativè, quia tempus solutionis interpellat pro homine. *c. potuit, de locato, & conducto.*

8 Cui competit actio conducti?

℞ Locatario contra illum, a quo locavit, ut liceat sibi uti domo, vel locato, & ad petendas expensas necessarias factas in re conducta. *Azor. in sum. tit. eod. num. 29.*

9 Prædia, domus, & aliæ res Ecclesiæ possunt ne relocari?

℞ Possunt si Ecclesia accipiat utilitatem, & per triennium, ne perpetuentur, & alienentur. *cap. 2. eod. tit.*

10 Quod dicitur longum tempus?

℞ Decem annorum, & non minus, & ideo prohibitum fuit Ecclesijs, ut non locarent ad longum tempus, sed solum ad triennum. *Abb. in cap. propter, de locato, & conducto, num. 17.*

11 Si clericus per triennium locet fructus sui beneficij, vel prædia, tenetur ne petere licentiam a suo Episcopo?

℞ Non; quia quando aliquid licite potest fieri, nõ tenetur concessus alterius adhiberi ad illam rem faciendam. *Abb. cap. vestra, de locato, & conducto, num. 4.*

12 Successor in beneficio tenetur ne stare pro locatione facta à prædecessore?

℞ Si locatio fuit facta sine fraude, & cum debita solennitate, & ad modicum tempus, tenetur stare; si vero fuit facta cum fraude, vel ad ultra triennium, non tenetur stare. *Abb. in cap. querelam, nu. 5.* ne Prælati vices suas.

13 Locans domum, vel agrum, in quo casu non finito tempore potest a re locata expelli?

℞ Si tempore statuto pensionem non solvat, vel si rem dilapidet, diminuat, vel peiorem faciat. *Abb. in cap. propter, eod tit. num. 2.*

14 Propter quas causas potest petere ille, cui locata sunt prædia Ecclesiæ, ut remittantur sibi fructus, quos illo anno debeat solvere, vel aliquæ partes fructuum?

℞ Propter sterilitatem, vel incendium agrorum, seu alium casum fortuitum, & talis debet se obligare, quod sequenti anno, si multum abundaverit, restituet Ecclesiæ, quod ab illa accepit, quæ abundantia debet esse maxima, *cap. propter de locato, & cond.*

15 Si locavit domum, vel agrum, propter qvas causas potest de sua auctoritate illam, vel illum dimittere, & non solvere pensionem?

℞ Propter pestem supervenientem, incendium, & ruinam notabilem, licet teneatur, si sine periculo fieri potest, monere Dominum. *Abb. in c. propter eod. tit. n. 8.*

16 Emphyteuta, si vult vendere alicui dominium utile, quid tenetur facere?

℞ Quærere Dominum directi dominij, si velit rem pro eadem quantitate, & ut accipiat jus sibi debitum ex venditione, alias cadit in commissum *c. potuit. eod. tit.*

17 Emphyteuta potest ne sine scientia Domini rem sibi datam in Emphyteusim alteri donare?

℞ Maximè, quia donatio est contractus liberalis, & non intervenit pecunia, sed mera voluntas donantis, & in ea non habet jus aliquod dominus rei, & idem est in hærede legitimo emphyteuta *Abb. c. potuit. eod, tit. nu. 8.*

18 Emphyteuta liberatur ne a solutione Canonis propter sterilitatem?

℞ Non, quia ea non Semper eſt res parva, & emphyteuta eſt Dominus utilis dominij, & abundantia, & ſterilitas ſuccedunt in favorem, vel damnum Domini utilis dominij. *Abb. in c. potuit eod. tit. nu.* 17.

19 Emphyteuta propter bellum poteſt ne ceſſare à ſolutione penſionis?

℞ Non, niſi in caſu, in quo omnis ſpes agrum recuperandi ceſſaverit, quia tunc, & dominus perdit directum, & emphyteuta utile. *Abb. in c. potuit, eod. tit. nu.* 18.

20 Emphyteuta habet ne dominium directum, & utile?

℞ Non, ſed ſolum utile, nam directum ſemper eſt penes dominum rei. *Azor. in ſum. de jure emphyteuta. num.* 13.

21 Si emphyteuta per triennium non ſolvat; & antequam ante Judicem petatur in commiſſum, celeriter purgat moram, & ſolvat, perdet ne rē?

℞ Non; quia ante judicium purgavit moram, ſecus vero ſi in introitu judicij pecuniam depoſitet. *Abb. in cap. potuit, nu.* 5. *de locato, & conducto.*

## CAPUT X.

### De rerum permutatione.

1 Quid eſt permutatio?

℞ Eſt unius rei pro alia ſubalternata datio, vel præſtatio; ut ſi habeo rem mihi non utilem, & tibi neceſſariam, & tu habes rem mihi utilem, unam rem pro alia permuto. *Azor. in ſum. tit. de rer. permutat. num.* 1.

2 Contractus permutationis, qui contractus eſt?

℞ Innominatus, do, ut des. *l, quoniam C. de rer. permutat.*

3 Permutatio facta ſine debita ſolennitate, à quo poteſt revocari?

℞ A Succeſſore in dignitate, vel adminiſtratione Eccleſiæ. *cap. ut cum mutationes, eod. tit.*

4 Poteſt ne Epiſcopus facere commutationem præbendarum, & perſonarum?

℞ Ex legitima cauſa poterit mutare perſonas de uno loco ad alterum, ſcilicet propter inimicitias, vel conſvetudinem turpem cum aliqua muliere etiam putativa, vel propter aliquod ſcandalum. *cap. quæſitum eod. tit.*

5 Princeps poteſt ne rem immobilem permutare pro re immobili Eccleſiæ, & ſic eam acquirere?

℞ Affirmative, ſi res, quæ datur Eccleſiæ, ſit melior, vel ſaltem æqualis, ita tamen quod Eccleſia non lædatur. *c.* 1. *eod. tit.*

6 Si Prælatus contradicit permutationi inter Principem, & Eccleſiam factæ de re æquali, erit ne contractus validus?

℞ Affirmative immo Prælatus poteſt cogi ad conſentiendum, quia in re æquali eſt favor conceſſus à jure Principi. Principes enim non æquali menſura metiuntur cum alijs inferioribus, & ideo inferior in permutatione debet dare Eccleſiæ rem meliorem; Princeps vero ſufficit, ut æqualem det *Abb. in c.* 1. *eod. tit. num.* 1.

7 Una Eccleſia poteſtne cum alia permutare jura & poſſeſſiones, & ſupplere defectum pretij?

℞ Poteſt ob majorem Eccleſiæ utilitatem cum licentia Epiſcopi facta, in re neceſſaria, inquiſitione, ita quod nulla Eccleſia damnum recipiat. *cap. ad quæſtiones, de rerum permutat.*

8 Quid dicitur Princeps propriè?

℞ Imperator, Reges, Domini, ſuperiorem in temporalibus non habentes *Abb. in cap. fin. de rerum permutat num.* 2.

9 Inter duas Eccleſias, valet ne permutatio æqualis?

℞ Affirmativè, quia cedit in privilegium Eccleſiæ *Abbas c.* 1. *num.* 5. *eod. tit.*

10 Servi Eccleſiæ poſſunt ne permutari?

℞ Non niſi ſint fugitivi, quia non debet in profanos uſus converti *c. mancipia, c. injuſtum, eod. tit.*

11 Præbendæ poſſunt ne permutari?

℞ Cum licentia Papæ, poſſunt, & nullo pacto illicito præcedente.

12 Quam pænam incurrit Clericus, qui propria voluntate, & auctoritate permutat ſuum beneficium?

℞ Perdit illud & Epiſcopus poterit alteri conferre. *c. cum olim eod. tit.*

13 Si permutatio ex una parte compleatur, & ex altera non, ille, qui adimplevit; perdit ne ſuum beneficium?

℞ Non, ſed recuperat ſuum beneficium, quia jura ſubveniunt deceptis, non vero decipientibus, *c. cum univerſorum. eod. tit.*

14 Poteſt ne permutari temporale pro ſpirituali?

℞ Non; quia eſt ſimonia. *c. fin. eod. tit.*

## CAPUT XI.

### De Feudis.

1 Unde dicitur feudum, vel feudatarius?

℞ A fide ſervanda, quia tenetur jurare ſe ſervaturum fidem Domino ſuo. *Hoſtienſis in ſummo tit. de feudis num.* 2.

2 Quid eſt feudum?

℞ donatio alicujus rei, interv eniente inveſtitura *Hoſtien. in Sum: n.* 2.

3 Quid eſt homagium?

℞ Idem quod fidelitas *Specul. eod. tit. in lib. de feudis & Hoſtiens. ubi ſupra num.* 10.

4 In feudo directum dominium apud quem manet?

℞ Apud concedentem, & utile apud illum, cui feudum conceditur. *Abb. in cap. ad audientiam. num.* 14. *de præſcription.*

5 Qui recuſat jurare fidelitatem, debet ne ei dari feudum?

℞ Non, quia de intrinſeca ratione feudi eſt, ut recipiens feudum juret, & obſervet fidelitatem ei, qui conceſſit feudum *cap. ex diligenti, de ſimonia.*

6 In quibus caſibus feudum revertitur ad Eccleſiã?

℞ 1mò, ſi Vaſallus alienat ſine licentia Domini. 2dò, ſi per mortem, ut ſi ſine ſucceſſione legitima virili moriatur. 3tiò, ſi non ſolvat per duos annos recognitionem feudi, & directi dominij. *cap. fin, de feudis.*

7 Si Vaſallus alienat partem aliquam feudi, perdit ne totum feudum?

℞ Non; ſed ſolam partem, quam alienavit, quia jus ac-

jus accrescendi non habet locū in feudum, neque emhpyteusim, cum sit odiosum, & pænale. *Abb. c. fin. de feudis num. 7. & 8.*

8 Propter delictum patris perdit ne filius feudum?

℞ Cum distinctione: si pater fuit primus, qui acquisivit, perdit filius feudum; si avus, vel antecessor acquisivit, non perdit filius, quia per delictum patris non debet perdere ipse, quod pater non acquisivit, & sic sufficit perdere, quod ipse acquisivit. *Abb. in c. fin. eod. tit. num. 9. citans pro Bart. in l. cum, ff. de interdictis, & relegatione, l. juris jurandi, §. si liberi, ff. de opera libera.*

9 Clericus excluditur ne à successione feudorum, vel majoratuum?

℞ Non, quia statutum (quod agnati excludant fæminas) habet locum, si Clericus sit agnatus. *Abb, in c. 1, de novi operis nuntiatione, num. 8.*

10 Si Vassallus alienet, irrequisito domino, sed cum clausula (salvo jure dominij) quam pænam incurrit?

℞ Perdit feudum; quia clausula eum non relevat, nam per eam dominus non potest venire in cognitionem venditionis, & petere laudemium. *Abb. cap. fin. de feud: num. 10.*

11 Si feudatarius dedit feudum in pignus domino suo propter aliquam pecuniam, tunc debent ne computari fructus in sortem principalem?

℞ Non, quia tunc feudatarius nullum laborem ponit in feudo, neque illum beneficat, & sic fructus non computantur in sortem principalem. *cap. 1. de feudis.*

12 Emphyteuta, & Vassallus possunt ne relinquere, & renuntiare feudum, ut se liberent à servitio domini?

℞ Non, sine licentia domini feudi. *Abb. cap. 1. de feudis num. 4.*

13 Juramentum de non infeudando, & non alienando, res Ecclesiæ, præstitum ab Episcopo, quid comprehendit?

℞ Omnes illas res, in quibus Ecclesia habet utile, & directum, dominium; & non illas, in quibus habet solum directum dominium, licet non possit directum dominium alienare. *And. cap. fin. eod. tit. num 3.*

14 Juramentum, quod faciunt Prælati, & dignitates de non feudando, ad quid extenditur?

℞ Ad feuda, quæ de novo debent dari, non ad antiqua feuda, quæ iam data sunt antiquitus, si ad Ecclesiam forte revertantur. *c. ex parte tua de feudis.*

15 Episcopus poterit ne dare consangvineo obtinenti tale feudum?

℞ Poterit, seu alteri, ita ut prospiciat majori utilitati Ecclesiæ *c. fin. de feud.*

16 Si quis habeat feudum, & revertatur ad Ecclesiam, poterit ne Episcopus illud de novo alteri infeudare?

℞ Poterit. *cap. fin. de feudis.*

# CAPUT XII.
## De Pignoribus, & alijs Cautionibus.

1 Quid est pignus?

℞ Res mobilis à debitore tradita creditori ad præstandam securitatem de solvendo debito, vel adimplendo promissum. *Azor. in sum. tit. de pignor. nu. 1.*

2 Unde dicitur pignus?

℞ Quod manu, vel pugno traditur à debitore creditori, & est quasi hypotheca. *Azor. in sum. eod. tit. num 1.*

3 Quid est cautio?

℞ Est in aliquo negotio cavere, & dicitur à caveo, hoc est, in tali negotio cautione reddo me magis securum, ut probatur ex. *leg. 1. Cod. de procuratoribus.*

4 Quotuplex est pignus?

℞ Duplex: prætorium vel judiciale. Prætorium est, quando actor mittitur in possessionem rei petitæ propter contumaciam rei non comparentis: Judiciale est, quando actor post sententiam mittitur in possessionem rei alicujus, quæ auctoritate Judicis fuit deposita in pignus, & securitatem talis debiti, & non solutionem pecuniæ, mittitur actor in possessionem talis rei. *l. si decreto, C. qui potiores in pignore habentur.*

5 Quid est pignoratitia actio?

℞ Actio, quæ datur creditori non solum adversus pignus, sed directe adversus personam debitoris ad hoc, ut constringatur ad solum debitum eadem actio pignoratitia debitori adversus creditorem, ut teneatur diligenter custodire rem in pignus acceptam. *c. Institut, quibus modis contrahitur obligatio §. final.*

6 Quid est in pignus comitti?

℞ Est quando rem sub conditione pignoravi, & tempore debito non solvi; tunc propriè dicitur in pignus committi, idest quod pignus amittitur ob non solutionem.

7 Quibus modis alicui traditur aliqua res in pignus?

℞ 1mo modo, simpliciter, ut, cum dico, do tibi pallium meum, vel vas argenteum, in pignus, & securitatem, donec reddam tibi viginti aureos quos mihi gratuito accomodas. 2do, sub conditione, ut cum dico, tu mihi accomoda decem aureos, do tibi in pignus vas argenteum, quod valet viginti aureos, & si intra duos menses decem aureos tibi nō reddidero, ego perdam vas argenteum, tuque illud acquiras. 3tio, sub alia conditione, nempe commoda mihi centum aureos, & do tibi in pignus meum eqvum, vel meam hæreditatem, ea conditione, ut ego utar tuis pecunijs & tu utaris in tuam utilitatem meo equo, vel meo agro; & cum ego restituam tibi centum aureos, & tu restitues mihi meum agrum in eo statu, in quo tibi illum tradidi.

8 Qui habet in pignus agrum, vel domum, & ex illorum usu, vel locatione, vel meo labore recipio tantam pecuniam, ista pecunia debet ne computari in sortem principalem?

℞ Affir.

℞ Affirmativè; quia fructus pignoris computantur in sortem principalem, alias esset usura manifesta *cap. cum contra de pignor. & a.iis cautionibus, & ibi glossa.*

9 Pignus alienum in qua quantitate possum illud pignorare?

℞ Solum in ea quantitate, vel minori, in qua ego illud habeo; sed non majori. *Abb. c. cum contra eod. tit. num.* 45. & 7.

10 Si aliquis emat rem cum pacto restituendi,& restituta majori pecunia retrovendat,erit ne usura?

℞ Affirmativè, etiam si ex tali re, vel ex proventu talis rei recipiat aliquid ultra sortem principalem, talis contractus est usurarius, *cap. illo vos eod. tit.*

11 Quæ probatio requiritur ad probandam usuram?

℞ Sufficiunt conjecturæ, & nudæ præsumptiones quia est delictum occultum. *Abbas c. illo vos, eod, tit. num.* 4.

12 Si quis pignoret rem cum pacto commissorio; scilicet quòd,si intra annum nō restituat pecuniam, amittat pignus, tale pactum valet ne?

℞ Non, sed finito anno poterit solvere pecuniam, & restituere suum pignus, quia iniquum est ex parva quantitate, ut quis perdat magnum pignus. *c. significante eod. tit.* sed si pignus non valeat plus, quam pecunia, erit bonus contractus.

13 Ad quem Judicem spectat facere, ut quis computet fructus pignoris in sortem principalem?

℞ Ad Judicem Ecclesiasticum, quia est quæstio de usura. *Abb. cap. significante, eod. tit. num.* 2.

14 Usufructuarius quomodo potest uti rebus sibi in usum fructuum datis,vel commodatis?

℞ Tenetur uti salva rerum substantia, alias tenetur reddere æstimationem, & valorem talis rei arbitrio boni viri, & ad hoc debet dare cautionem. *Abb. c. fin. de pignor. nu.* 1.

15 Si quis juramento renuntiet forum, & privilegium. *c. Odoardus*, vel cessionem bonorum, valet ne talis renuntiatio?

℞ Non, quia hoc esset renuntiare suam libertatem, & homo non est Dominus membrorum suorum, nec suæ libertatis. *Abb. c. lator, eod tit. num.* 2.

16 Si quis juret, quod finito anno amplius non petet suum pignus, valebit ne tale juramentum?

℞ Tale juramentum non firmat contractum, quia factum est contra legem, sed jurans tenetur adimplere; ratio est, quia quoties juramentum est contra dispositionem alicujus legis, vel Canonmis, quæ disponit aliquid in favore jurantis, & in damnum, vel pænam alterius, jurans tenetur adimplere: quia,potest renuntiare favori suo, nam juramentum semper est adimplendum, quoties potest sine peccato adimpleri. *Abbas, c. significante, de pignoribus, num.* 4.

17 Rector Ecclesiæ si pignorat rem Ecclesiæ in suum commodum, ad quid tenetur hæres ejus?

℞ Ad solvendum debitum, & clericus, si existat, punitur pæna gravi, quia facit, quod Episcopus non potest facere. *cap. ex præsen. eod. tit.*

18 Hæres tenetur ne solvere debitum ejus, qui requirit hæreditatem?

℞ Tenetur actione reali, si fecit inventarium, quo ad vires hæreditarias, sed non tenetur actione personali; non enim poterit incarcerari. *cap. ex præsentium, eod. tit.*

19 Successor in beneficio tenetur ne solvere debitum Jus antecessoris?

℞ Cum distinctione: si contraxit debitum pro necessitate Ecclesiæ, tenetur; si vero pro sua non tenetur, nisi beneficium fuisset tam tenue, quod non posset sustentari antecessor, & tale debitum fuit contractum ad sustentationem, & firmitatem antecessoris, dum serviebat Ecclesiæ, tunc etiam tenebitur successor. *Abbas cap. ex præsent. eod. tit. nu.* 5.

20 Bona clericorum patrimonialia gaudent ne privilegio Ecclesiastico?

℞ Gaudent, sicut bona Ecclesiæ, quia accessorium sequitur suum principale. *Abb. cap. ex lit. eod. tit. nu.* 2.

21 Si res in pignus data furetur in potestate creditoris, tenetur ne creditor eam restituere?

℞ Cum distinctione;si adhibuit exactam diligentiam, scilicet illam, quam in suis rebus adhibet, non tenetur illam restituere; & nihilominus potest repetere suum debitum; si vero sua culpa pereat, vel furetur, tenetur solvere pignus. *Instit. quibus modis re contrahitur obligatio* §. *fin.*

22 Si quis mittit rem commodatam per nuntium, vel famulum & talis fugiat,quis tenetur solvere talem rem?

℞ Ille, qui misit famulum non fidelem: *Abb. c. significante de pignorib. nu.* 8.

23 Pignus si deterioretur, quis tenetur solvere deteriorationem?

℞ Creditor, quia habet in sua potestate pignus. sicut locator tenetur de damno rei locatæ, vel commodatæ. *Abb. cap. cum contra, eod. tit. nu.* 11.

24 Si finito tempore pecunia non restituatur creditori, quid potest facere talis creditor de pignore?

℞ Comparere ante Judicem, citare debitorem, & si non solverit,publice vendere pignus cum auctoritate Judicis & accipere suam pecuniam cum expensis, & quod superest, reddere Domino pignoris, vel depositare. *DD. cap. significante, de pignoribus.*

25 In casu, quod pignus vendatur, creditor poterit ne emere illud?

℞ Si publice vendatur, & cum auctoritate Judicis, emendo nemini facit fraudem *DD. cap. significante eod. tit.*

26 Homo liber potest ne pignorari?

℞ Non: sed potest obligari ex bonis, & persona *cap. 1. lator. de pignoribus.*

27 Si homo liber sit in carcere & velit cedere bonis, debet ne retineri incarceratus?

℞ Non, quia quamdiu est in carcere, licet detineatur ejus persona, non detinetur ratione personæ, sed ratione suorum bonorum, quibus cessit creditoribus, debet à carcere liberari; homo enim liber non potest renuntiare privilegio libertatis *l. 1. C. qui bonis cedere possunt,*

28 Si aliquis debitor sit suspectus de fuga,potest ne capi ante diem solutionis.

℞ Potest

℞ Poteſt, donec det fidei juſſionem. *Abb. c. lator, de pignoribus, num*, 4.

29 Si aliquis pignoret rem alienam, proprius Dominus poteſt ne illam vindicare?

℞ Poteſt, etiam non ſatisfacto creditore. *Abb. cap. ex præſentium, eod, tit. num.* 7.

30 Eccleſiæ quādo, & quibus debent impignorari?

℞ Quando urget neceſſitas, & Clericis, ſi fieri poteſt: his deficientibus, Laicis, *c.* 1. *de pignoribus*.

31 In quibus caſibus res Eccleſiæ poſſunt vendi, & conſumari, & impignorari?

℞ In redimendis captivis, ædificandis Eccleſijs ſuſtentandis pauperibus tempore famis, tunc Eccleſia tenetur ſubvenire in quantum poſſunt ſuæ facultates *Abb. c.* 1. *de pignorib. num.* 5.

32 Qui nam habent bona obligata ad malam administrationem tacita hypotheca, etiam ſi per ſcripturam non ſint obligati?

℞ Epiſcopus, tutor conditor vectigalium, Judices, gubernatores tacite ſine ulla ſpeciali hypotheca habent ſua bona obligata, conſtituta quaſi in pignus ad ſolvendam malam adminiſtrationem culpa factam in bonis Eccleſiæ, minoris, Regis, Reipub *Abb. c. ex literis, eod. tit. nu.* 10.

33 Pignus mihi obligatum, poſſum ne ego alijs obligare?

℞ Affirmative, licet ego tenear ad conſervationem, & reſtitutionem. *c. cum contra, eod. tit.*

## CAPUT XIII.
## De Dote.

1 Quid eſt dos?

℞ Eſt omne illud, quod datur à muliere marito ad ſuſtentanda onera matrimonij, vel datur à Patre, vel extraneo ad eleemoſinam, vel ad opera pia *Azor. in ſum. C. de jure dotium num.* 1.

2 Quare datur dos marito?

℞ Propter onera matrimonij ad ſuſtentationem mulieris, & liberorum. *Blad. in l.* 1. *C. de privil. dotium l. pro oneribus C. de jure dotium*,

3 Dotis promiſſio quomodo fit?

℞ Per ſtipulationem. *Azor. ubi ſupra num.* 7.

4 Cauſa dotis eſt ne favorabilior cauſa alimentorū?

℞ Affirmative; ratio eſt, quia dos includit in ſe alimenta, & vinculum matrimonij, uſque ad mortem. *Blad. in l. C. de cond. inſer. & Abb. cap. pervenit, de arbitris. num* 1.

5 Fructus dotis ad quem pertinet?

℞ Ad maritum ſuſtinentem onera matrimonij. *l. pro oneribus C. de jure dotium*

6 Per quod tempus poteſt maritus retinere dotem?

℞ Per tempus, quo datur matrimonium, ſed ſoluto matrimonio dos debet redire ad uxorem, vel ejus hæredes. *l. penult. C. de pactis conventis* ſuper dotem *cap.* 1. *&* 2. *de don. inter vir. & uxor.*

7 Maritus ad recipiendam dotem tenetur ne dare fidei juſſionem?

℞ Non, duabus rationibus 1*ma.* quia cui traditur in poteſtate mulier, bene poteſt tradi dos, cum ſit minus 2*da*, quia cum ſit una caro, & perſona cum muliere, dos efficitur res propria, & de re propria nullus dat fidei juſſionem *l.* 1. *per tot. C. de jure dotium.*

8 In quo tempore debet reſtitui dos?

℞ Si bona ſint mobilia ſtatim, ac ſolvitur matrimonium, immobilia vero uſque ad annum nō tenetur reſtituere, & tunc tenetur reſtituere hæredibus uxoris medietatem bonorum acquiſitorum durante matrimonio. *Abb. in c. prudentiam nu.* 5. *de donat. inter vir & uxor.*

9 Si maritus diſſipet dotem, vel veniat ad inopiam, poteſt ne peti ab eo, ut det fidei juſſionem de dote?

℞ Poteſt, vel tolli ab eo adminiſtratio. *l.* 1. *ubi ſupra C. de jure dot.*

10 Si Maritus veniat ad inopiam, mulier poterit ne vendicare donationem dotalem?

℞ Poterit, ſicut ſi eſſet vidua. *l. donationem. C. de jure dotium*

11 Si vir diſſipet dotem, vel ſua culpa veniat ad inopiam, & non poteſt dare cautionem dotis, quid agendum?

℞ Dos debet poni apud mercatorem, ut ex fructibus, & lucris honeſtis ſuſtententur vir, & uxor. *cap. per veſtras, de donat. inter vir & uxor.*

12 Si vir ad paupertatem pervenit, & non poteſt præſtare fidei juſſionem, ad quid tenetur?

℞ Ad præſtandam juratoriam cautionem, quia in re impoſſibili ponitur remedium poſſibile. *Abb. in c. per veſtras, num.* 5. *de donationibus inter virum, & uxorem.*

13 Quibus modis acquirunt vir, & mulier?

℞ Per contractus per donationes factas utriuſq; per conſervationem. & augumentationem bonorum, & ſoluto matrimonio vir tenetur ſolvere medietatem mulieri. *Abb. in c.* 2. *eod. tit n.* 3 *c.* 1. *&* 2. *eod. tit.*

14 Mulier pro dote, contra quem poteſt agere?

℞ Contra Eccleſiam, & contra quemlibet detinentem bona mariti, quia cauſa dotis eſt privilegiata. *c. ex literis, de pignoribus.*

15 Si filia nubat ſine conſenſu patris, vel contra eius voluntatem, vel eo contradicente, tenebitur ne eam dotare?

℞ De Jure antiquo civili non tenetur eam dotare, ſive nubat cum equali, vel cum inferiori; ratio eſt, quia de jure civili antiquo conſenſus patris requirebatur, ſed ſubſtantia matrimonij, ut tenet Joannes Enotymus *l. de actionibus. §. furat, fol.* 4. *de* Jure vero Canonico aliter dicendum eſt, nempe patrem teneri dotare filiam, etiam ſi nubet contra ejus voluntatem; ratio eſt, quia conſenſus patris non requiritur de neceſſitate matrimonij, ſed ſolum de honeſtate, ut habetur, *in cap. ſufficiat* 27. *q.* 2. *c. honorantur*, 32. *q.* 2. *Panor. in cap. cum cauſam, de raptoribus. nu.* 5.

16 Si filia nubet contra voluntatem patris viro indigno contra honeſtatem familiæ, veluti mulier nobilis nubet cum infami, vel cum viro deſcendenti ex ſangvine Judæorum, tunc tenebitur ne pater dotare talem filiam?

℞ Tunc non tenebitur eam dotare; ratio eſt, quia ſicut in gratus propter in gratitudinem perdit donationem, ſic iſta filia reputatur, ut in grata, quia dat dedecorem, & infamiam familiæ ſuæ tenet. *Abb. in cap.* 1. *nu.* 6. *de deſponſatione impubs-*

*impuberum*, *& cap. accedens de procur. num. 6.*

17 Si filia nubet contra voluntatem patris viro nobili, vel ignobili, tenebitur ne pater eam dotare?

℞ Non; immo si eam dotet, promissio erit nulla; ratio est, quia dos non debet constitui in fraudem creditoris. 2do, quia ad impossibile nemo obligatur, cum non entis nullæ sint qualitates, & dos debet promitti rebus possibilibus. *l. ait prætor, & l. fin. ff. quæ in fraudem creditorum, & l. quære, & l. cum post ff. de jure dotium.*

18 Si filia sit ingrata patri, veluti faciendo ei aliquam gravem injuriam, vel non adjuvando illum in sua necessitate, vel accusando illum de aliquo crimine vel inferendo in illum manus violentas, eum percutiendo, vel intentando illum occidere, veneno, vel gladio, tenebitur ne pater dotare talem filiam?

℞ Non tenebitur eam dotare; ratio est, quia ingratitudo tollit debitum naturæ, ita ut propter eam filius possit exhæredari instituta, de exhæredatione liberorum. *Panor. in c. fin. de don. n. 1. & 2.*

19 Si filia iam sit dotata, poterit ne ex causa ingratitudinis repeti dos?

℞ Licet in gratitudo sit ventus urens, & siccans fontem misericordiæ, rorem pietatis, & fructum gratiæ tamen si dos fuit iam recepta, propter ingratitudinem non revocatur; ratio est, quia donatio dotis fuit libera absque aliqua conditione, & si sit recepta, repeti non potest; & in gratitudo tollit recipienda de futuro, non recepta de præterito. tenet Ioannes Enotomus *lib. 3. de action. §. fuerat tit. 4. verb. qui dotare tenet.*

20 Quando filia est dives, & habet bona adventitia, tenetur ne pater illam dotare?

℞ Non tenetur eam dotare; ratio est, quia licet pater teneatur alere filios, quos genuit, tamen si filij sint divites, & habeant bona adventitia vel habeant officia, ex quibus laborando possunt se alere, pater non tenetur eos alere, & sic multo minus tenebitur dotare filiam divitem ex bonis adventitijs, ut eleganter tenet. *Bal. in l. si pater, nu. 1. C. de dotis promissione l. si quis a liberis ff. de liberis agnoscend.*

21 Quæ dicuntur bona adventitia?

℞ Illa bona, quæ non ex hæreditate necessaria, sed aliunde arte, labore, vel casu adveniunt hominibus, veluti ex donationibus factis ab extraneis, ex mercatura, vel ex bello, vel ex labore suo, vel arte, & dicuntur adventitia, quia non necessario veniunt, sed ex voluntate alterius, vel ex industria, vel bona fortuna proprij hominis, vel mulieris.

22 Quæ, dicuntur bona profectitia?

℞ Illa bona, quæ veniunt hominibus ex necessaria hæreditate absq; aliqua sua industria, ut hæreditas patris, vel avi, & dicuntur profectitia, quasi proficiscantur ex fonte necessario absq; aliquo labore.

23 Filia, in qua ætate debet nubere?

℞ Pater debet curare, ut ante vigesimum quintum annum nubat, quia est magnum periculum amittendi castitatem, & quanto citius, nubit, eo est securius. *Abb. in cap. ex literis de divortijs, nu. 8.*

24 Si filia sit meretrix tenebitur ne pater eam dotare?

℞ Cum distinctione, si pater distulit filiæ nuptias, ultra 25. annum, vel si mulier meretrix, convertatur, & agat pænitentiam; tunc pater tenetur eam dotare; ratio est, quia patria potestas debet imitari DEI clementiam, sed interroganti Petro, si frater meus peccaverit in me, quoties parcam ei septies? Respondit Christus Dominus septuagies septies, ubi ponitur numerus finitus pro infinito, & sic licet fuerit meretrix, dum convertitur, pater multo fortius tenetur eam dotare, si vero mulier ante 25 annum fuerit meretrix, & non convertitur a suo peccato, tunc pater non tenetur eam dotare, imo potest illam exhæredare, quia abutitur corpore suo, & amittit suam pudicitiam, & dat infamiam sibi, & patri, & parentibus, ut tenet Campeggius in tractatu dotis in prima parte *Quæst. 13. num. 3, l. si filiam C. de inofficioso testamento Authentica sed si potest, C. de inofficioso testamento, & ibi Paulus de Castro, Speculator, in tit. qui filij sint. legit. num. 16. Abbas ubi supra.*

25 Si filia sit hæretica, vel Judæa pater catholicus tenebitur ne eam dotare?

℞ Non tenetur eam dotare, licet si virgo honesta moribus, & virtutibus moralibus; ratio est, quia deficit in fide, quæ fides est fundamentum virtutum, & bonorum operum, sine qua quis non potest salvari ut habetur *in gloss. singularis in l. si vero, ff. de in rem verso l. cognovimus C. de hæreticis*

26 Pater naturalis tenetur ne dotare filiam naturalem?

℞ Cum distinctione, si filia naturalis habeat bona, & sit dives pater naturalis, non tenetur eam dotare; ratio est, quia non obligatur tantum, quantum pater legitimus; sed si filia sit pauper, tenetur eam dotare, sicut compellitur præstare ei alimenta; ut sustentetur, vel si eam non vult dotare, debet eam perpetuo alimentare, quia hoc positum est in voluntate patris. *Campegius 1. parte tractatu de dote, quæst. 15. in l. uxorem. §. pater naturalis ff. delegatis 3. Bal. l. fin. C. de dotis promissione.*

27 Mater potest ne compelli ad dotandam filiam?

℞ Mater non tenetur dotare filiam; ratio est, quia hoc est officium paternum, sicut alere filios. *l. neq; mater C. jure dotium.*

28 Quibus in casibus mater tenetur dotare filiam, & filios alere?

℞ Mater tenetur dotare filiam & filios alere. 1mò, quando pater est pauper, & mater dives, tunc succedit in officium patris *l. si quis à liberis §. ergo & matrem, ff. de liberis agnoscendis.* 2dò, si mater sit Judæa, vel hæretica, tunc cogitur filiam Christianam dotare. *glossa. in l. neque mater supra allegata, l. cognovimus C. de hæreticis.*

29 Filius tenetur ne dotare matrem viduam?

℞ Tenetur, si mater sit inops, & non habet unde se dotet; ratio est, quia filius tenetur alere matrem,

matrem, & patrem pauperes. *l. 1. C. de alendis liberis ex vinculo naturali.*

30 Si pater in testamento assignavit agrum, vnde dotari debeat ejus filia, in isto casu ad quid tenetur frater talis mulieris?

℞ Frater non solum tenetur dotare suam sororem in isto casu, sed etiam tenetur dotare illam in illo particulari fundo, & dum non constituit, & tradidit dotem, non debent illi numerari alimenta, sed gratis tenetur eam alere ut tenent *Bar. in l. qui filium, ff. ubi pupi educari debeant gloss. in l. tam dementis super verbo, nobiliores, C. de Episcopali audientia.*

31 Actio dotis contra quem datur?

℞ *1mò.* contra uxorem, quæ dotem promisit pro se marito. *l. si extraneus 11. de jure dotium 2dò,* contra patrem uxoris, & contra socerum ex dicta. *l. si extraneus 3tiò,* contra hæredes soceri, vel patris. *ex l. si pro te C. de dote promissa. 4tò.* contra extraneum, qui promisit dotem, *l si extraneus* & tandem datur contra omnes, qui promiserunt dotem, *l. promittendo 11. de jure dot.*

32 Si uxor non habeat unde vivat, a quo debet alimentari?

℞ Ab hæredibus mariti, donec dos integra restituatur *Abb. in cap. de prudentia, num. 5. eod tit.*

33 Si quis committit delictum, ex quo perdit omnia sua bona, dos mulieris includitur ne tali pæna?

℞ Non, sed semper debet esse salva, & in tacta, etiam contra fiscum. *Abb. in c. ex literis, num. 2. de pignoribus & alijs cautionibus.*

34 Quotuplex est dos?

℞ Duplex; una profectitia, alia adventitia. *l. profectitia, ff. de jure dot.*

35 Quæ est dos profectitia?

℞ Illa, quæ procedit à patre, avo, vel necessariò hærede. *l. profectitia. ff. eod. tit.*

36 Si gener alienet agrum, quod datum est sibi in dotem, talis alienatio valet ne?

℞ Si ager non fuit æstimatus, talis alienatio non valet, etiam si facta sit constante matrimonio, quia eo soluto debet restitui patri sine filijs; si verò ager æstimatus fuit peccunia, debet restitui ager, vel ejus æstimatio, & valebit alienatio facta, cum nõ sit in damnũ patris *l. rem quam. C. de jure dotium.*

37 Quæ est dos adventitia?

℞ Illa, quæ ab extraneo pervenit, ut ab opera pia *l. filiæ dotem. C. de coll.*

38 Si quis promitit agrum in dotem filiæ suæ, tenetur ne de evictione?

℞ Si post traditionem tollatur marito per litem tale fundum, potest petere à patre mulieris actionem evictionis, ut certum faciat agrum, vel pretium ejus, quia dos debet esse certa. *l. 1. C. de jure dot.*

39 Si res dotalis auferatur, quis tenetur petere eam, qui dedit, vel maritus?

℞ Maritus, quia habet jus directum, & utile *l. de ijs, qua. C, de jure dot.*

40 Dos quomodo probatur?

℞ Per instrumenta, & si amittat, per testes, & legitimas præsumptiones *l. cum citra fidem. Cod. de jure dot.*

41 Si quis det proprietatem in dotem retento usufructu, poterit nè eam vendere in præjudicium proprietarij?

℞ Non, quia dos est privilegiata *l. res quas. Cod. de jure dot.*

42 Si sit lis inter dotem mulieris, & fiscum, quis est præferendus?

℞ Paria sunt jura, & ideo attendenda est data scripturæ, & anterior in datta præfertur. *l. dotis. sua. C. de jure dot.*

43 Pater potest ne dotare filiam ex bonis, vel dote uxoris suæ

℞ Non; nisi consentiente uxore, quia talia bona sunt propria uxoris, dum vivit *l. neq; mater pro filia. C. de jure dotium.*

44 Si soror habeat bona indivisa cum fratribus, poterit ne pacem suam in dotem dare?

℞ Affirmative, etiam fratribus ignorantibus, vel invitis, quia disponit de bonis suis iu suam utilitatem *l. ante divisionem. C. de jure dot.*

45 Uxor potest ne vendere prædium dotale?

℞ Non, marito non consentiente; quia illa non habet liberam administrationem dotis, sed simul cum marito, qui est caput mulieris. *leg. si prædium. Codic. eod.*

46 Si culpa mulieris dos perdatur, vel minuatur, debet nè reverti (soluto matrimonio) ad eum, qui dedit dotem?

℞ Non, *l. si dotem. C. eodem de jure dotium,* nisi id expressè fuerit stipulatum?

47 Pater potest nè stipulare dotem filiæ suæ, ut soluto matrimonio, extraneo reddatur?

℞ Non. *l. si genero C. eod.*

48 Si mulier sit minor quomodo poterit constituere dotem?

℞ Auctoritate tutoris, & curatoris sui. *l. ubi adhuc. C. eod.*

49 Servus dotalis poteritne per virum manumitti?

℞ Non, licet possit vendi, & locari *l. & si dotis, C. de jure dot.*

50 Si dos mulieris sit data in hypothecam creditoribus mariti, mulier petens dotem, quem locum habet?

℞ Primum, quia agit in re propria *l. in rebus dotalibus. C. de jure dot.*

51 Fructus decimarum possunt ne in dotem concedi?

℞ Non, licet possint vendi, & locari. *Abb. in c. pervenit, de arbitris, nu. 2.*

52 Mulier potest ne dare in dotem futura sibi pertinentia?

℞ Si expresse scriptura dicat, quod dat in dotem talem fundum, & omnia bona futura; ad ipsam pertinentia, tunc poterit dare futura; si vero nõ dicat expresse in universali clausula, futura bona non intelliguntur *l. nulla. C. de jur. dot.*

53 Si in dotem detur marito fundus æstimatus, tenetur nè mulier, vel pater ejus ad conservationem talis fundi, & pretij?

℞ Non, sed augmentum pretij fundi, & diminutiones

tiones fructuum cedunt in utilitatem, vel damnum mariti; quia mulier, vel pater ejus solùm tenetur non facere fraudem tempore traditionis fundi. *l. cum dotem æstimatam.* C. *de jure dot.*

54 Si ex numerata peccunia ematur ager à marito erit nè res dotalis?

℞ Non; & si mulier petat restitutionem, debet petere peccuniam, & non agrum; ratio est quia maritus non tenetur, nisi ad illud, quod accepit, & emptiones, & venditiones sunt cum periculo, & commodo mariti. *l. ex pecunia dotali.* C. *de jur. dot.*

55 Cum ager æstimatur, & in dotem datur, quid datur in dotem, ager, an æstimatio?

℞ Ager, tamen tempore restitutionis, si deterioretur culpa viri, debet restitui juxta æstimationem. *l. si inter virum.* C. *eod. tit. de jure dot.*

56 Mater potest ne dare dotem filiæ suæ de substantia aliorum filiorum?

℞ Non, quia hæc bona sunt aliena, & de alienis quis dotare non potest. *l. si à matre vestra.* C. *eod. tit. de jure dotium.*

57 Donatio propter nuptias excedens legitimam quantitatem indiget nè insinuatione?

℞ Affirmative, quia insinuatio respicit utilitatem dantis, ne liberalitate fiat deterioris conditionis, non vero recipientis *l. cum quidam.* C. *eod titulo de jure dotium.*

58 Si pater usurarius dederit dotem filiæ suæ, potest ne dos repeti à creditoribus ipsius usurarij?

℞ Distingvendum, si dos data sit in pecunia numerata, non potest repeti; ratio est, quia pecunia non habet signum si, vero detur fundus extortus ex usuris, potest repeti, quia cognoscitur, ut res usuraria, & aliena. *Ang. in l. lutius, ff. quibus modis pignus, vel, hypoth.*

59 Si maritus mittatur in exilium, mulier poterit ne repetere dotem à marito?

℞ Poterit; quia, qui exulatur, æquiparatur mortuo. *Abb. in c. ex literis, de pignor. nu 6.*

60 Frater Clericus tenetur ne dotare sororem pauperem?

℞ Tenetur, & si non habeat aliunde, de decimis sui beneficij. *Abb. in c. pervenit. num. 1. de arbitris, & cap. 1. de cohab. Clr. & mulier.*

61 Quo casu perdit dotem mulier?

℞ Si sit adultera, & propter adulterium a viro separatur *c. plerumque, de donat inter vir & uxor.*

62 Si maritus propria auctoritate expellat mulierem, lucratur ne dotem?

℞ Si adulterium est publicum, propria auctoritate expulsa muliere lucratur; si vero non sit publicum, lucratur post sententiam Judicis. *Abb. in cap. plerum que, nu. 4. eod. tit.*

63 Maritus potest ne repellere uxorem, si dos promissa non solvatur illi?

℞ Affirmativè; quia in hoc casu fit injuria, & fraus marito, dando illi uxorem, de qua vivat, quia non soluta dote non tenetur maritus ad onera matrimonij, cum dos instituta fuerit ad ea supportanda. *Abb. in cap. per vestras num. 4. 5. & 6. eod tit. de don. inter vir & uxor.*

64 Repetitio dotis ad quem judicem pertinet?

℞ Incidenter ad Judicem Ecclesiasticum.

65 Delegatus in causa matrimoniali, si pronuntiet divortium, potest ne pronuntiare super restitutione dotis?

℞ Affirmative, quia hæc sunt annexa, & unum sequitur ex alio. *c. de præd. vestra de donat. inter* virum, & uxorem.

66 Si delegatus in causa matrimoniali det sententiã super matrimonio, est ne functus officio suo?

℞ Non; donec pronuntiet super dote; quia licet commissio de dote nihil loquatur intelligitur tanquam quid accessorium ad matrimonium. *Abb. in cap. de donation. inter vir & uxor.*

## CAPUT XIV, De Fidejussoribus.

1 Quis est fidejussor?

℞ Ille, qui alienam obligationem suam propriam facit, & pro alio promittit se soluturum, & ex ista promissione efficitur debitor, sicut pars principalis *inst. de fide jussoribus in principio & l. 1. & 2. ff. eod. tit. & Azor. in sum. tit. de fide jussoribus*

2 Quotuplex est fidejussor?

℞ Duplex; in re aliena, ut supra est definitum, & re propria, ut cum quis fide jubet suo procuratori se soluturum, judicatur à Judice, & quod damnum non patietur ut. *l. si defunctus, ff. de procur.*

3 Fidejussio fit ne verbo, vel scripto?

℞ Utroque modo; & verbo quis promittit, & scripto se solvere pro altero coram testibus, qui faciant fidem. *Azor in sum. tit. de fide jussoribus n. 5.*

4 Quibus prohibitum est, fidejubere?

℞ Clericis ratio est, ne summittant se in potestate alterius, & minoribus, qui sunt in alieno dominio. *c. 1. eod. tit. nostro.*

5 Clericus potest ne fidejubere pro laico paupere de judicio tertij?

℞ Non, quia Judex sæcularis est in capax cognoscendi de Clerico *Abb. in cap. 1. de fide jussoribus n. 3.*

6 Quod periculum in currit ille, qui fidejubet per alios?

℞ Salomon in proverbio *c. 6.* dicit fili si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus, fac ergo, quod dico fili mi, temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ, eruere quasi avis de manu aucupis.

7 Si monasterium expendat peccunias mutuatas suo religioso in pompas, vel res superfluas, tenetur nè monasterium, vel Ab. successor ad solvendum?

℞ Affirmativè, quia quod benè, vel malè, vel superfluè expendatur, nõ est in culpa illius, qui dedit peccunias, nec illius, qui accepit mutuo, sed Abbatis, qui fecit expensas. *Abb. in c. quod quibusdam de fidejuss. num. 9.*

8 Clericus potest nè fidejubere pro alio Clerico?

℞ Potest, cum sint ambo ejusdem jurisdictionis, & fidejubere sit bonum, quia est alium adjuvare. *Abb. in c. pervenit, de fidejuss. nu. 1.*

9 Quo

9 Quo casu potest Clericus fidejubere pro paupere?
℞ In casu charitatis Abb. c.n. 3. ed tit.
10 Si quis se obligat dare fide jussorem, liberatur ne ab obligatione dando Clericum ?
℞ Non, quia obligatio talis intelligitur de persona habili.
11 Si Clericus fide jubeat, debet ne satisfacere de redditibus sui beneficij, vel patrimonij ?
℞ Primum de patrimonio, & si non habeat, de redditibus beneficij sui, sed non potest post mortem relinquere beneficium obligatum creditoribus. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 2.*
12 Si religiosus fide jubeat, tenetur ne ad solutionem, vel recipiat mutuo ?
℞ Non, nisi fidejussio conversa sit in utilitatem Ecclesiæ, vel conventus, vel si talis religiosus habeat speciale mandatum ad recipiendum mutuum à mercatoribus, & tunc monasterium tenetur *c. quod quibusdam, eod tit.*
13 Quis tenetur probare talem pecuniam conversam esse in utilitatem Ecclesiarum, vel monasterij ?
℞ Ille, qui petit mutuum, vel religiosus, qui accepit, & non monasterium, neq; Ecclesia. *Abb. in cap. quod quibusdam, de fide jussor. nu. 4.*
14 Abbas, qui succedit in monasterio, vel quælibet alia dignitas tenetur ne ad debita sui prædecessoris ?
℞ Non; nisi probentur contracta, & expensæ in utilitatem Ecclesiæ *Abb. in cap. quod quibusdam eod. tit. num. 7.*
15 Si quis fide jubeat pro Clerico, ad quid tenetur Clericus ?
℞ Ad servandum illum, ut non sit læsus etiam cum bonis sui beneficij. *c. pervenit, eod. tit.*
16 Fide jussor si solvat pro principali, contra quem habet actionem ?
℞ Contra principalem, pro quo solvit debitum, & habet justissimam actionem in via executiva, tam pro principali, quam pro expensis. *Abb. in c. pervenit, num. 2. eod. tit.*
17 Si sint plures fide jussores pro uno debito insolidum, & unus solvat, ille contra quos habet actionem ?
℞ Contra principalem debitorem, & contra suos socios, qui omnes debent solvere partem suam ratam pro quantitate, facta divisione inter eos, & est in potestate illius, qui solvit, petere à principali debitore, vel ab alijs suis socijs, vel ab uno socio; ratio est, quia ille, qui solvit, succedit in jus creditoris, & sicut creditor potest petere ab uno, & ab omnibus, sic ille, qui solvit pro alijs, quia in suam utilitatem ceduntur actiones à creditore. *Abb. in cap. pervenit, num. eod. tit.*
18 Fideiussor cogitur ne solvere non facta discussione cum principali, pro quo fideiussit?
℞ Non; nisi fortè scriptura renunciavit beneficiũ authent. præsente. *C. de fidejussoribus, Abb. in cap. pervenit, eod. tit. num. 6.*
19 Fideiussor quando potest petere à principali, ut liberet illum à fidejussione ?
℞ 1mò, finito tempore solutionis, & solutione facta, vel non facta. 2dò, si molestetur à creditore ipse fideiussor ante solutionem, potest petere à principali debitore, ut ipsum liberet. 3tiò, si debitor bona dissipare incipiat. 4to, post solutionẽ ab ipso factam recuperata cessione actionum & in his casibus Judex debet omni remedio compellere principalem, ut liberet fideiussorem à molestijs. *c. fin. eod. tit. de fideiuss.*
20 Si principalis debitor obtineat prorogationem à suo creditore, potest ne ista prorogatione fidejussor petere à principali debitore, ut eum liberet à fidejussione ?
℞ Poterit; quia ipse fidejussit ad certum tempus, quo translacto licitè petere potest, ut liberetur à periculo, & in illo tempore potest principalis fieri deterioris conditionis, quòd si accedat, periculum est pro creditore, qui in dilatione data se præjudicavit. *Abb. in c. constitutus, n. 11. de fidejuss.*
21 Creditor cum recuperat suum debitum à fidejussore, tenetur ne cedere actiones tali fidejussori?
℞ Tenetur, & Judex debet eum compellere. *Abb. in cap. pervenit eodem tit. num. ult*
22 Si creditor non petat debitum finito tempore scripturæ, vel si differat solutionẽ, fidejussor liberatur ne finito tempore constituto ad solutionẽ?
℞ Si fidejussio fuit generaliter facta, fidejussor non liberatur à solutione finito tempore constituto in scriptura; ratio est, quia tempus solutionis interpellat pro creditore, & sic ex eo, quod creditor facit beneficium debitori expectando, vel tacendo, non debet fieri pejoris conditionis, sed si forsan fidejussor cautè in scriptura stipulavit, quod tale debitum debeat peti tali tempore, quo transacto, ipse liberetur ab obligatione, tunc talis conditio servanda est; ratio est, quia nemo tenetur ultra id quod promisit. *Abb. c. fin. de fidejussor. num. 1.*

# CAPUT XV.
## De Solutionibus.

1 Quid est solutio ?
℞ Rei, quæ debetur, redditio & obligationis liberatio *Goffr. in sum. tit. de. solut.*
2 Quibus modis fit solutio ?
℞ Quinque modis. 1mo, per innovationem. 2do, per delegationem, seucessionem. 3tio, per acceptilationem. 4to, per compensationem. 5to, per realem solutionem *Goffred. in sum. tit. de solut.*
3 Quæ est solutio per innovationem ?
℞ Quando aliquis debet Petro viginti solvendos in die S. Joannis, & ex consensu utriusque partis ista scriptura innovatur, quòd debitor solvat triginta in anno sequenti, tunc ista innovatio scripturæ facit solutionem viginti argenteos, & irritat illam scripturam. *Goffred. ubi sup.*
4 Quæ est solutio per compensationem ?
℞ Quando tu dedisti mihi decem argenteos, & ego dedi tibi ensem, & unum debitum computatur cum alio, quia æstimatur ensis in decem argenteos, tunc dicitur solutio per compensationem *Goffr. ubi sup.*
5 Si res sit diversi generis, potestne compensare unum debitum cum alio ?


℞ Benè

℞ Benè poteſt, veluti ſi dediſti mihi decem modios tritici, ego dedi tibi decem menſuras olei, iſta duo debita benè inter ſe compenſantur, licèt ſint diverſi generis, imò quando ſunt ejuſdem generis, propriè non dicitur compenſatio, ſed ſolutio, ut ſi dediſti mihi decem menſuras olei, ego dedi tibi ſex menſuras olei, reſto tibi debitor in quatuor menſuras, quia ſolvi ſex.

6 Si aliquis accommodavit alicui pecunias, & ille fodit vineam alterius, vel fecit ei veſtem, poterit ne compenſari labor perſonalis cum pecunijs accommodatis?

℞ Etiamſi nullum pactum interveniat inter ipſos, bene poteſt compenſari labor perſonalis cum pecunijs accommodatis; ratio eſt, quia labor perſonalis pretio eſt æſtimabilis.

7 Judex quid debet facere, ut faciat compenſatio nem cum altera re, ſi ſint diverſi generis?

℞ Vocare peritos illius artis, & facta taxatione, deducere rem, & pretium pecuniarium, & ſic facere compenſationem inter partes, & hæc electio peritorum debet fieri partibus conſentientibus, & ſi non conſenſerint, eſt facienda electio peritorum ex officio liberali Judicis.

8 Quæ eſt ſolutio per delegationem, ſeu ceſſionem debiti?

℞ Quando Petrus debet Ioanni decem aureos, & Joannes cedit hoc debitum Titio, tunc Petrus ſoluit Joanni per illam ceſſionem, & Joannes non poteſt amplius petere illud debitum, ſed reſtat debitor Titio, cui tenetur ſuo tempore ſolvere. *Goffr. ubi ſup.*

9 Quæ eſt acceptilatio, & quomodo quis ſolvit per acceptilationem?

℞ Acceptilatio eſt ſolemnium verborum liberatio, & ſolutio per acceptilationem fit, quando Petrus debet Titio decem aureos, & Titius dicit coram teſtibus, acceptum, & ratum habeo, ut non ſolvas mihi illos decem aureos, tunc dicitur in Jure ſolutio per acceptilationem, ſed Petrus tenetur probare legitimis teſtibus, vel ſcripturis talem acceptilationem. *l.* 1. C. *de acceptilationibus. & gloſ. ibi cum l. ſequenti.*

10 Quæ eſt realis ſolutio, & quomodo fit?

℞ Realis ſolutio eſt ſolvere realiter, & cum effectu, & coram teſtibus, & cettæ parti illam pecuniam, vel illud triticum, quod realiter debetur, & præſente tabellione, qui det fidem dictæ ſolutioni. *Goffr. ubi ſup.*

11 Quotuplex eſt obligatio?

℞ Duplex alia civilis; alia naturalis, ſeu gratuita. *Goffred. ubi ſup.*

12 Solutione illius, quod debetur, à qua obligatione quis liberatur?

℞ Si ſit homo nobilis ſolùm liberatur ab obligatione civili: non verò à naturali, vel gratuita, quia ſemper reſtat debitor illius beneficij, cùm grato nova beneficia debeantur; ſi verò ſit homo infamis ſolutione ejus, quod debetur, liberatur ab obligatione civili, & gratuita. *Goffr. in ſum. tit. de ſolution.*

13 Obligatio quibus modis contrahitur, & quotuplex eſt?

℞ Tribus modis, ſcriptura, verbis, & re, & eſt duplex, vel corporalis, vel realis *Goffr. ubi ſup.*

14 Quomodo fit obligatio per ſcripturam?

℞ Quando quis ante tabellionem, vel notarium, & teſtes obligat ſe, & ſua bona, & ſuam perſonam ſolvere Titio decem aureos propter talem cauſam tali tempore, & hæc obligatio eſt ſolemnis. *Goffred. ubi ſupra.*

15 Quomodo quis obligatur verbis?

℞ Quando Titius coram teſtibus obligat ſe ſoluturum Joanni decem aureos abſque aliqua ſcriptura.

16 Quomodo quis obligatur re?

℞ Quando ego do ſutori veſtem, & nullum facio pactum, vel porto operarios in vineam meam abſque ulla conventione; tunc enim ex uno ſervitio facto in utilitatem meam ſum obligatus re, & teneor ſolvere. *Goffr. ubi ſup.*

17 Quæ differentia eſt inter has tres obligationes?

℞ Magna, quia obligatio per ſcripturam portat executionem paratam contra debitorem abſque alia ſolennitate; at verò obligatio verborum, vel re non portat executionem paratam, donec coram Judice teſtes examinentur, & probetur talem eſſe obligatum, & tunc per ſententiam Judicis tenetur quis ſolvere; ratio eſt; quia creditori aſſerenti, quòd ſibi debentur decem, non creditur ſine teſtibus; ſcripturæ verò datur integra fides propter auctoritatem tabellionis. *Goffr. ubi ſup.*

18 Qui obligatur ſolùm in bonis, poteſt nè capi de perſona, & incarcerari?

℞ Non, niſi expreſsè ſit obligatus in perſona, & tunc debet incarcerari deficientibus bonis: ratio eſt, quia obligatio perſonæ ſemper eſt in ſubſidium, cum homo ſit liber, & libertas ſit res favorabilis. *l ob æs alienum, C. de obligat. & actionib.*

19 Quam pœnam incurrit, qui incarcerat, & detinet hominem, quando non eſt obligatus de perſona, ſed ſolum de bonis?

℞ Perdit, & amittit debitum, & non habet actionem amplius petendi 2dò, tenetur ſolvere tali homini damnum, & intereſſe & expenſas, quas fecit, & illud, quod ipſe poterat lucrari, ſi eſſet liber; ratio eſt, quia libertas hominis magis æſtimatur, quam bona hominis & pretio emi non poteſt *l. ob æs alienum.C. de obligat. & action.*

20 Debitor quando debet luere in corpore, ſi non ſolvat in bonis?

℞ Quando vixit luxurioſè, & diſſipavit malitioſe bona ſua, ea intentione, ut non ſolveret creditionibus, tunc propter ingratitudinem, & malitiam debet luere in corpore illud, quod non ſoluit in bonis. *Abb. in cap. Oduardus num* 5. *de ſolut.*

21 Succeſſor in beneficio quando tenetur ſolvere pro anteceſſore?

℞ Quando debitum contractum fuit pro neceſſitate Eccleſiæ, ratio eſt, quia neceſſitas habet tractum ſucceſſivum, tam adverſus præſentem, quam adverſus ſuccedentem c. 1. *de ſolut.*

22 Prælatus poteſt ne obligare Eccleſiam pro propria ſuſtentatione?

℞ Si Prælatus indigeat, poterit obligare redditus Eccleſiæ

Ecclesiæ pro congrua sui sustentatione; ratio est, quia inter prælatum, & Ecclesiam est vinculum, & pactum, sicut inter sponsum, & sponsam, scilicet quod prælatus tenetur regere, & defendere Ecclesiam, & pro ea mori, si necesse fuit, & Ecclesia tenetur eum alere, sicut se ipsam. *Abb. in cap. si quorundam, de solut. nu.* 2.

23 Quam pœnam incurrit Prælatus, qui obligat suam Ecclesiam pro alienis debitis, vel proprijs?

℞ Talis obligatio nulla est, & Ecclesia non tenetur ad solutionem, & Prælatus in pœnam suspenditur ab administratione temporali bonorum quia punitur in eo, in quo deliquit *c. si quorundam, de solutionibus.*

24 Filius quando tenetur solvere debitum patris?

℞ Quando est obligatus ex contractu, vel quando est hæres patris in quantitate debiti *c. de solution. in gloss. verb. Filius*

25 Hæres, qui non fecit inventarium, & acceptavit hæreditatem sine beneficio inventarij, ad quid tenetur?

℞ In foro exteriori ad omnia debita defuncti, in foro interiori non tenetur ultra vires hæreditarias. *in c. eod. tit num.* 4.

26 Filius, qui non fecit inventarium, tenetur ne satisfacere creditor de sua legitima?

℞ Non, quia legitima illi debetur, etiam si in inventarium non fiat, etiam si pater moriatur ab intestato *Abb. ubi supra num.* 5.

27 Ecclesiæ hæres si non confecit inventarium, tenetur ne ultra vires hæreditarias solvere in foro exteriori?

℞ Non per particulare privilegiū *Abb. ubi sup.n.*6.

28 Clericus, qui non habet, unde solvat, debet ne excommunicari?

℞ Non, neque incarcerari quia gaudet beneficio *c. Oduardus de solution. licet teneatur facere juramentum, quod solvet, quando habuerit.*

29 Si quis solvat peccuniam alicui per errorem existimans se illi debere, cum nihil debeat, cui incumbit onus probandi?

℞ Illi, qui solvit, incumbit probare indebite solvisse, ut restituatur illi peccunia. *Abb. in cap. fin. de solutione n.* 1.

30 Solvens scienter debitum potest ne illud repetere?

℞ Non, quia videtur illud donasse *Abb. ubi sup. num.* 15.

31 Clericus pauper tenetur ne satisfacere creditoribus non reservata sibi congrua sustentatione?

℞ Non, immò prius debet illi dari congrua substentatio secundum suam qualitatem, & de reliquis est creditoribus satisfaciendum,& si nihil superfuerit, nihil est dandum creditoribus. *Abb. And. & Anch. in c. veniens de transact.*

# CAPUT XVI.
## De Donationibus.

1 Unde dicitur donatio?

℞ Dicitur quasi gratis contractu datio. *l. Senatus, ff. de donationibus causa mortis. §. donatio.*

2 Quid est donatio?

℞ Rei licitæ nullo jure cogente mera liberalitate facta collatio. *Azor. in sum. tit. de donationibus. lege donari ff. eod. tit.*

3 In donationibus est ne servanda æquitas, & unde sumitur?

℞ Affirmativè, & æquitas sumitur ex quantitate, & qualitate donantis, & ejus, cui donatur,& ex ratione, propter quam donatur. *cap. Apostolicæ, de donat. in glos.*

4 In donationibus, quæ interpretatio est facienda?

℞ Est regula generalis,quod in contractibus,plena; in testamentis, plenior, in beneficialibus, & donationibus plenissima. *c. cum dilecti, de donat.*

5 Quæ conditiones requiruntur in donatione?

℞ 1*mò*, ut qui donat,sit capax ad donandum. 2*dò*, ut donet liberè,& non coactè. 3*tiò*, ut donet rem suam. 4*tò*, ut insinuet donationem, si excedat quantitatem à lege₅positam,&c,ut ille,cui donatur, acceptet donationem. *Azor. in sum.eod.tit.de donat.*

6 Si quis donet uni plures donationes paucas, & minimas, sed simul cumulatæ faciant magnam quantitatem, requiritur ne in istis donationibus insinuatio?

℞ Si omnes junctæ excedant summam, quæ donari non potest sine insinuatione, requiritur insinuatio, alias non valent, tanquam factæ in fraudem legis. *Ab. in c. Apostolicæ, eod. tit. nu.* 5.

7 Donator potest nè unam rem donatam uni, alteri donare?

℞ Non, quia prima donatio valet. *l. possessionem, C. de revoc. donat.*

8 Si instrumenta sint combusta,valet ne donatio?

℞ Si per testes probari potest,valet; quia donatio est amplissimè interpretanda, & defendenda *l. si apud provinciæ C. de revoc. donat.*

9 Quot sunt species donationis?

℞ Quindecim 1*ma*, est donatio licita 2*da*, illicita 3*ta*, simplex, 4*ta*, perfecta,& pura. 5*ta*, conditinalis, & imperfecta. 6*ta*, irrevocabilis. 7*ma*, revocabilis ad voluntatem donantis. 8*va* inter vivos. 9*na*, causa mortis. 10*ma*,sponsalia. 11*ma*,propter nuptias. 12*ma*, inter virum, & uxorem. 13*tia*, inter parentes, filios, & cognatos. 14*ta*, ad suscipiendos ordines. 15*ta*, causa gratitudinis. *Azor in summa isto tit, & eod.ff.tit.de not. per totum.*

10 Quæ est donatio licita?

℞ Quando quis donat rem propriam *l. donat: ff. eod. tit. de don.*

11 Quæ est donatio illicita?

℞ Quando quis donat rem alienam, vel quando donat aliquid, quod non potest donare,quia non est sui juris, ut minor, servus, vel Monachus. *Azor in tit. de don. nu.* 4. *&* 5.

12 Quæ est donatio simplex?

℞ Illa, quæ nullam causam donandi habet, & tamen donans non vult ad se redire, quod donat *l.* 1. *ff. eod. tit. & Azor. ubi supra nu.* 2.

13 Quæ est donatio mera?

℞ Est eadem cum simplici, si quando inter vivos donatio fit. *Azor in sum. eod. tit.*

14 Quæ est donatio ex pura liberalitate?

℞ Quando nulla est causa donandi anterior; nam

 si sit

ſi fit aliquod beneficium, vel cauſa,magis dicitur remuneratio,quam donatio. *Azor.ubi ſupr. in annotationibus*

15 Quæ eſt donatio perpetua, & pura ?

℞ Quædam ſpecies donationis ſimplicis, quando purè,& perfectè res ſtatim traditur. *l. 1 ff. de don.*

16 Quæ eſt donatio imperfecta, & conditionalis?

℞ Eſt ſpecies ſimplicis donationis, ſed data cum aliqua conditione,& modo,vel in aliquem,diem ut dono tibi domum meam,ſi feceris hoc. *l.1.C.donationibus, quæ fiunt ſub modo, & conditione.*

17 Quæ eſt donatio irrevocabilis ?

℞ Illa, quæ fit inter vivos cum aliqua juſta cauſa, & in ea exprimitur, quod ſit irrevocabilis. *Azor in ſumma tit. de don.*

18 Quæ eſt donatio revocabilis ?

℞ Donatio ſimplex procedens à ſola voluntate donantis, quæ ſine aliqua juſta cauſa fit. *DD. in l. 1. ff. eod. tit.*

19 Quæ eſt donatio inter vivos ?

℞ Quando ego volo alterum habere bona mea magis, quam ipſummet. *l. 1. ff. eod. tit.*

20 Quæ eſt donatio cauſa mortis ?

℞ Timore mortis imminentis,vel futuræ alicujus rei providè,& liberaliter facta collatio. *Hoſtienſis in ſum. tit. de donation. §. 1. & Azor. in ſumma eodem tit. num. 3.*

21 Quot ſunt ſpecies donationis cauſa mortis ?

℞ Tres. 1*mà*, cum quis donat mortis futuræ metu, licèt ſit ſanus. 2*dà*, cum quis donat metu mortis ſtatim futuræ, quia non habet ſpem convaleſcentiæ. 3*tià*, cum quis donat ideò,quia vult magis habere talia bona donatarium, quam ſe ipſum. *l. Senatus §. mortis 1. & 2. ff. de donat. cauſa mortis.*

22 Quæ eſt donatio ſponſalitia ?

℞ Illa, quæ à ſponſo ſponte fit, vel è contra. *Azor. in ſum. C. de donat. ante nuptias. nu. 1. l. ſi à ſponſo. C. eod. tit. de don. ante nuptias.*

23 Quis eſt promptior ad donandum ſponſus, vel ſponſa ?

℞ Sponſus, quia fœmineum genus avariſſimum eſt ad donandum. *l. ſed ſi ego. in fin. ff. ad Velleianum. in gl. in ver don.*

24 Quæ eſt donatio propter nuptias ?

℞ Illa,quam fecit ſponſus ſponſæ, vel alius, ſive affinis, ſive extraneus, & eſt fortiſſima in Jure donatio; quia eſt ad ſubſtentationem oneris matrimonij. *Azor.in ſum. C. de donat. ante nuptias,n. 1.*

25 Si quis donet propter nuptias,& poſtea matrimonium non ſequatur,valebit ne talis donatio?

℞ Non, quia ſicut dos aſſignata eſt nulla, non ſecuto matrimonio, ita donatio eſt nulla. *l. fin. C. de donationibus.*

26 Si quis donat aliquid,ut Maria Petro nubat,& poſtea nubit Ioanni,talis donatio erit ne valida?

℞ Attendenda ſunt verba donationis; ſi abſolutè dicat,dono centum,ut Maria nubat,tunc non attenditur perſona ſi dicat,ut nubat Petro,& nubit Ioanni,tunc nulla erit donatio, quia talis donatio reſtricta eſt ad talem perſonam. *DD. in l. fin. C. de donationibus.*

27 Quæ eſt donatio inter virum,& uxorem ?

℞ Illa, quæ fit conſtante matrimonio,quæ pluribus rationibus ſecundum leges eſt prohibita. *l.1. C. de donat. inter vir, & uxor.*

28 Quæ eſt donatio inter parentes,& liberos ?

℞ Eſt ſimilis donationi inter virum,& uxorem, & ſic omnia,quæ dicuntur,& prohibentur in donationibus inter virum,& uxorem,ſunt prohibita inter parentes,& liberos. *Azor. in ſum. C. de donationibus inter virum, & uxorem, n. 4. & 27.*

29 Quæ donationes valent inter patres,& filios ?

℞ De alimentis,de aliquo uſufructu,de pecunijs, ut quis vadat in caſtra, vel ad univerſitates ſtudiorum cauſa, vel ut nubat, & ſuſtentet onera matrimonij,vel ad Doctoratus gradum. *l. prima, C. de inofficioſa donatione,& ibi DD,*

30 Quæ eſt donatio ad ſuſcipiendos ordines ?

℞ Illa,quæ fit à patre,vel à parente, vel alio, ut aliquis habeat patrimonium, & congruam ſuſtentationem ad ſuſcipiendos ordines, de qua ſatis. dictum eſt *Lib. 1. de patrimonio, ad cujus titulum quis ordinatur.*

31 Quæ eſt donatio ab gratitudinem ?

℞ Illa, quæ fit ad remuneranda aliqua beneficia, & hæc donatio magis dici poteſt remuneratio, vel ſolutio beneficij accepti, quam donatio. *Azor. in ſum. tit. de donat. num. 1.*

32 Prælatus poteſt ne donare fructus ſui beneficij?

℞ Partem ſuam poteſt liberè donare ſine licentia Capituli, licèt debeat advertere in donatione, quòd non ſit prodigus. *Abb. in cap. cæterum, num. fin. de donationib.*

33 Prælatus, & Abbas poſſunt ne donare aliquid de rebus Eccleſiæ ?

℞ Poſſunt ob liberam adminiſtrationem, quam habent in rebus Eccleſiæ; Eccleſia enim non eſt miſera,& ſic poterit in moderata quantitate donare ſervientibus Eccleſiæ. *Abb. ubi ſup. num. 2. in d. c. cæterum. de donation.*

34 Quid debet conſiderari in donationibus factis ab Epiſcopo,ut poſſint eo mortuo revocari,ſi ſint exceſſivæ,& in damnum Eccleſiæ ?

℞ Quantitatas rei donatæ, & conſvetudo loci arbitrio ſucceſſoris,quia major,vel minor quantitas faciunt danationem licitam, vel illicitam. *Abb. ubi ſup. c. cæterum, de donationibus, n. 1.*

35 Donatio facta à Prælato alicui amico, vel conſangvineo, vel famulo valet ne ?

℞ Si ſit conſvetudo, quòd poſſit donare, valet: tales enim non ſunt peioris conditionis. *Abb ubi ſup. num. 3.*

36 In quo caſu Prælatus,& Abbas poſſunt donare aliquid ſine conſenſu Capituli ?

℞ In caſu, quo res ſit parvi valoris; quia in re magni momenti ( licèt ſit conſvetudo ) non poterit donare. *Abb. ubi ſup. num, 4.*

37 Donatio facta à Prælato in damnum Eccleſiæ, vel ſine conſenſu Capituli,valet ne ?

℞ Non, quia Prælatus eſt procurator ad meliorandam Eccleſiam, & non dominus ad deteriorandam, *c. fraternitatem,eod tit noſtro.*

38 Quis poteſt reſtituere rem Eccleſiæ à prædeceſſore malè donatam ?

℞ Succeſſor eſt Judex competens, & poteſt propria

pria auctoritate eam revocare. *Abb. in c. fraternitatem, eod. tit. num.* 3.

# CAPUT XVII.
## De Revocatione donationis.

1 Donatio perfecta potest ne rescindi ?

℟ Non. *l. si donationem.* C. *de revocand. donation.*

2 Donatarius ex quibus causis poterit revocare donationem ?

℟ Ex pluribus. 1*mà*, ob ingratitudinem. 2*dà*, si donatarius injecit manus in suum donantem. 3*tià* si dixit illi atroces injurias. 4*tà*, si paravit illi periculum mortis. 5*tà*, si excessit modum in donando. *l fin.* C. *de donat. revoc. c. propter. eod. tit. de donat.*

3 Causæ ingratitudinis à quo debent probari ?

℟ A revocante donationem. *l. fin.* C. *de revocand. donat.*

4 Successor donantis poterit ne revocare donationem ob dictas causas ?

℟ Non, quia præsumitur, quòd suus antecessor dictas causas renuntiavit, dum non revocavit donationem à se factam, & hæc actio datur injuriato, & non successori. *c. propter, de donat.*

5 Donatio remuneratoria revocatur ne ingratitudinis causa ?

℟ Non, quia habet plus de solutione, & compensatione, quam de donatione. *Abb. in c. propter. de donat. num.* 11.

6 Libertus, si sit ingratus, quid perdit ?

℟ Res sibi donatas; secus si hæres liberti sit ingratus, quia onus gratitudinis non transit ad hæredes. *l.* 1. C, *de revoc. donation.*

7 Ad revocandam donationem potest ne quis allegare se illam per fraudē fecisse, & non intentione adimplendi ?

℟ Non admittitur fraus propria, sed aliena. *l. cum profitearis.* C. *eod. tit.*

8 Donatio facta monasterio, vel Ecclesiæ, potest ne revocari propter ingratitudinem Episcopi, Abbatis, vel Monachorum ?

℟ Non, quia illis non est donatum, sed Ecclesiæ; sed tales repellendi sunt à monasterio propter delictum. *Abb. in cap. propter, de donat. num.* 12.

9 Filius ingratus tenetur ne succurrere parentibus ultra vires suas ?

℟ Non, quia ad impossibile nemo tenetur.

10 Mater poterit ne revocare donationem factam filio ingrato ?

℟ Poterit. *l. his solis C. de revoc. don.*

11 Quibus in casibus mater non poterit revocare donationem factam filio ingrato ?

℟ Si mater vivat luxoriose, vel transeat ad secundas nuptias *l. his solis* C. *eod. tit.*

12 Si quis sit sine liberis, & faciat donationem liberto suo, & post ejus mortem nascatur posthumus, revocaturne talis donatio per supervenientem posthumum ?

℟ Affirmative, quia præsumitur, quod si habuisset liberos, non donaret bona sua alijs, & sic cum posthumus sit filius; licet natus post humationem patris revocatur talis donatio, *l. si unquam C. de revo. don.*

13 Collator beneficiorum potest ne revocare donationem propter ingratitudinem ?

℟ Non, quia ipse non donat suum, sed confert illud, quod est Ecclesiæ, tanquam minister. *Abb. in c. propter, de don. num.* 9.

# CAPUT XVIII.
## De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

1 Quid est testamentum ?

℟ Voluntatis nostræ declaratio juxta sententiam, de eo quod quis post mortem suam fieri vult, vel est testatio, & declaratio mentis. *l.* 1. *ff. de test.*

2 Quare dicitur testamentum ?

℟ Quia non videtur, neque habet vim, nisi post mortem testatoris. *Isidor lib.* 1. *ethimolog. c.* 24.

3 In qua lingva potest quis testari ?

℟ In quacunque *l. hoc inter liberos* §. *fin.* C. *de test.*

4 Filius, qui est in potestate patris, potest ne testari cum licentia patris ?

℟ Non, neque facere codicillum, etiam si habeat quinquaginta annos ætatis, poterit tamen de licentia expressa patris facere donationem causa mortis. *l. si filius familias ff. de donat.* §. *patri. l. qui in potestate ff. de testamentis.*

5 Filius familias de quibus bonis potest testari sine licentia patris ?

℟ De bonis castrensibus, vel quasi castrensibus lege *Macedoniani* C. *ad Macedonianum*, quia talia bona accquisita sunt proprio sangvine in bello.

6 Impubes non habens patrem, nec matrem cum licentia tutoris poterit ne testari ?

℟ Non, propter defectum judicij, & discretionis, quia ultima voluntas non debet dependere ex alieno arbitrio, & tutor datur, ut consulat pupillo viventi, & non morienti, quia præsumitur, quod impubes non habet ullam voluntatem propter defectum judicij *l. si frater C. qui testam. nta facere possunt. inst. quibus non est permissum facere testamentum.* § *praterea.*

7 In qua ætate potest quis facere testementum, si non habeat patrem, sed matrem ?

℟ Si sit vir in ætate quatuordecim annorum completorum, si vero sit fœmina, in ætate duodecim annorum, licet ultimus dies anni incæptus habeatur, ut completus, quia est favorabilis. *l. qua atate ff. de testam. l. si frater C. eod. tit.*

8 Pater, vel mater possunt ne gravare filium in sua legitima in suo testamento ?

℟ Non, neq; avus, quia filij jure naturæ habent actionem in talibus bonis, *c. Raynutius, de test.*

9 Testator poterit ne imponere pænam hæredi ?

℟ Poterit, & exequenda est semper *c. Raynaldus eod. tit. de testam.*

10 Testamentum factum inter vivos, potest ne revocari per secundum testamentum ?

℟ Potest si secundum sit solemne, & in eo testator dicat se velle revocare primum coram septem testibus *l. hoc inter liberos* C. *de testamentis*

11 In quo casu testamentum secundum imperfectū annullat, & tollit primū testamentū perfectū?

℟ Quan-

℞ Quando concurrunt tria; scilicet, quod in primo fuerunt extranei instituti,& in secundo fuerunt instituti venientes ab intestato ; & quando in secundo fuerunt quinque testes: & tamen non valet testamentum, sed ut voluntas ab intestato. *l. hoc inter liberos §. si quis C. de testam.*

12 Ambiguitas verborum, vel transpositio ordinis vitiat ne testamentum ?

℞ Non, *l. ambiguitates C. de test.*

13 Testamentum secundum tollit ne primum, si de eo nulla fit mentio ?

℞ Affirmative, nisi in primo cautum sit, quod non possit revocari, nisi de eo non fiat mentio, vel tale signum. *Paulus de Castro l. sancimus C. de test.*

## CAPUT XIX.

## De generibus testamentorum.

1 Quot sunt genera testamentorum, & quomodo nominantur in jure ?

℞ Quatuordecim 1*mò*, testamentum in pace. 2*dò*, testamentum procinctum. 3*tiò*, per æs,& libram, 4*tò*, de jure civili. 5*tò*. de jure prætorio. 6*tò*, holographum 7*mò*, nuncupativum. 8*vò*, scriptum 9*nò*, non scriptum 10*mò*, militis 11*mo*, per signa 12*mo*, irritum 13*tio*, subreptitium 14*to*, inofficiosum. *Goffr. in tit de test.*

2 Quod est testamentum in pace ?

℞ Appellabatur antiquitus calatis comitijs à nomine græco calos, idest bonus, & comicus, pax calatis comitis,quia fiebat in pace *institution.de testament. §. 1.*

3 Quod est testamentum procinctum

℞ Testamentum bellicum, quod fiebat tempore præliorum in procinctu *inst. de test. §. sed ut nihil antiquitatis.*

4 Quod est testamentum per æs, & libram ?

℞ Quod fiebat per quandam imaginariam venditionem; & requirebantur quinque testes, & præsentia æstimatoris bonorum. *institut de testamento §. sed illa.*

5 Quod est testamentum de jure civili ?

℞ Ad exprimendas morientium voluntates, & in eo requiruntur septem testes *instit. de test, §. fin.*

6 Quod est testamentum de jure prætorio ?

℞ Quod prætor instituit, & in eo requiruntur septem testes,& sigilla testium *instit.ubi supra.§.fin.*

7 Quod est holographum testamentum?

℞ Quod totum scriptum est manu testatoris. *Isidor l. 5. æthimologiæ. c. 24.*

8 Quod est testamentum nuncupativum ?

℞ Quod consistit in sola nominatione testatoris, & non in solemnitate scripturæ, & in eo requiruntur septem testes, & nominatio hæredis *inst. de testam. §. fin. l. hoc. inter liberos §. per nuncupationem C. eo tit. de test.*

9 In testamento nuncupativo est ne necesse, ut testator dicat testibus ob quam causam sunt vocati ?

℞ Non, sed sufficit, quod coram eis declaret suam voluntatem, bene tamen est necessarium in testamento cæci, ubi major cautela requiritur *Paulus de Castro l. in testamentis. C. eod. tit. de test.*

10 Quod est testamentum non scriptum ?

℞ Quod in voce fit coram tabellione, & testibus, & est quasi nuncupativum. *l. hac consultissima C. eod. §. non scriptum.*

11 Quod est testamentum scriptum, & quotuplex?

℞ Quando quis exprimit in scriptis suam voluntatem, vel alienam, & si fuerit aliena debet se ipsum subscribere ; & est duplex, apertum, & clausum, in clauso requiruntur septem testes, qui simul una die, & hora se scribant, cum tabellione, & quod testator coram illis dicat sic esse ultimam voluntatem, & ultimum testamentum *l. hac consultissima C. eod. tit.*

12 Quod est testamentum per signa ?

℞ Quod fit signo intelligibili coram tabellione, & testibus, qui certificent illum velle talem instituere hæredem, ut contigit in muto, vel in eo, qui gravitate infirmitatis loquelam perdit. *l. hac consultissima C. eod. tit. & Azor, in sum. C. qui test. facere possunt, num. 7. & 8.*

13 Quod est testamentum militis?

℞ Quod fit à milite tempore belli, vel dum est in castris, vel dum est in domo, dummodo fiat tempore, quo ipse militat, dicitur testamentum militis, quod & privilegiatum, *l. milites. la seconda C. de militari testamento.*

14 Si quis scribat suum testamentum manu propria, vel aliena, & præsentet illud ante tabellionem, & dicat illam esse suam ultimam voluntatem, quam fidem faciet tale testamentum ?

℞ Integram in favorem testantium, & ultimarum voluntatum, quia in ijs scripturis non requiritur aliud pro substantia nisi libera testatoris voluntas *Abb.in c. si instrumenta.de fid.inst.n.10.*

15 Si quis coram tabellione dicat, quod ea omnia, quæ inventa fuerunt in tali memoriali scripta manu propria, vel aliena, valeant, hæc scriptura post mortem illius quam fidem faciet ?

℞ In isto casu tabellio debet propria manu signare tale memoriale numerare, folia, & rubricare, & ea omnia, quæ fuerunt scripta post mortem talis personæ habebunt fidem sicut ipsum testamentum. *Abb. c. si instrumenta eod. num. 10. de fide instrumentorum*

16 Si quis coram testibus dicat suam voluntatem esse Petrum instituere hæredem, vel facere tale legatum & moriatur sine testamento scripto, quid agendum ?

℞ Tunc illi testes ante Judicem debent deponere ultimam voluntatem illius defuncti, & iste depositiones supplebunt vicem testamenti ; sed si ante depositionem isti testes moriantur, hoc genus testamenti corruit,quia per auditum non probatur in hoc casu ultima voluntas illius, qui decessit sine testamento. *Abb. in cap. ult. eod. tit. num 10 de fide instrum.*

17 Quod est testamentum irritum ?

℞ Quando ex defectu personæ, vel ex defectu solemnitatis non valet, & irritatur, ut si testator sit capite diminutus, ut captivus, vel si fiat contra leges *Isidor. lib. 5. æthimolog. c. 14.*

18 Quod est testamentum subreptitium ;

℞ Quod

℞ Quod in fraudem hæredum, liberorum, vel legatorum occultatur, & non palam prolatum est *Isidor ubi supra.*

19 Quod est testamentum inofficiosum?

℞ Quando quis sine officio naturalis pietatis relictis filijs, instituit hæredes extraneos *Isid. ubi sup*

20 Testamentum factum coram Parocho, & duobus testibus tenet ne?

℞ Tenet de jure *Can. secus de jure civil. c. cum esses de testam.*

## CAPUT XX.

### De Solemnitatibus Testamentorum.

1 Quæ differentia est inter publicare, & aperire testamentum?

℞ Apertio testamenti debet fieri secundum forum, ubi fit apertio, & testes vocari debent ut sint coram Judice, si haberi possunt, totidem vocentur viri honestæ famæ, coram quibus aperiatur. *ut in l. 2. C. quemadmodum testamenta aperiantur*; cum vero testamenta publicantur, omnes testes debent citari, & partes, quarum interest, & dicta eorum debent redigi in publica instrumenta cum auctoritate Judicis, & tunc publicatur testamentum. *Bar. in l. publicati de test. nu. 1.*

2 Intra quot menses testamentum clausum insinuari debeat à Judice?

℞ Intra quatuor menses, & testator non potest tollere hoc statutum, cum positum sit ad tollendas falsitates.

3 In testamento in scriptis clauso, quæ solemnitates requiruntur?

℞ Ut sint simul eodem die, & tempore septem testes, & coram ipsis, & tabellione, dicat testator illam esse ultimam suam voluntatem, & quod omnes testes se subscribant simul, & tabellio, & testator. *l. hac consultissima C. de testam.*

4 Si testamentum fiat in scriptis cum omnibus solemnitatibus, & postea revocetur per secundum testamentum, quod non fuit factum in scriptis & in eo fuit Princeps institutus hæres, valeret ne talis revocatio?

℞ Non, quia testamentum magis solemne non revocatur per minus solemne. *l. nolumus C. de test.*

5 Testamentum imperfectum clausum, vel apertū ratione solemnitatis inter quas personas valet?

℞ Solum inter liberos, quibus solis a jure hoc datur privilegium, & inter eos sufficiunt duo testes. *l. hac consultissima. §. ex imperfecto C. de test.*

6 Testamentum, coram quo judice debet aperiri, exequi, & insinuari?

℞ De jure civili coram judice sæculari. *l. hac consultissima C. de test.*

7 In quibus casibus potest judex Ecclesiasticus intromittere se in executione testamenti?

℞ Cum in testamento agitur de peccato purgando ut si erat usurarius. *c. quamquam de usuris lib 6.* vel cum agitur, quod institutus hæres erat filius incestuosus, & in legatis pijs, & in missis dicendis

8 Causa testamenti ad quem pertinet?

℞ In legatis Ecclesiæ, vel pijs causis, ad Ecclesiasticum, qui secundum canones, & non leges debet judicare, in alijs vero ad secularem *c. relatum il. 1. eod tit. de test. & ibi glos.*

9 Si testator expresse dicat, quod non vult quod Episcopus habeat aliquam jurisdictionem in executione sui testamenti, quid agendum?

℞ Talis dispositio nulla erit, quia est contra jus, & nihilominus Episcopus poterit executores ad pia legata compellere *c. Raynutius de test.*

10 Si testator fecit testamentum clausum, & postea rumpat sigilla, vel filum, quo clausum est, valebit ne tale testamentum?

℞ Non, quia tota fides testamenti pendet ex sigillo. *Paul. de Castr. l. nostram provisionem C. de test.*

11 Quando jus Canonicum contradicit juri legali, cui testandum est?

℞ Juri Canonico *c. cum esses, eod. tit. de testamentis & ibi glos.*

12 Generalis consvetudo, quam vim habet in testamentis?

℞ Legis *c. cum esses, de test. juncta. gl.*

## CAPUT XXI.

### De Testibus in testamento necessarijs.

1 Quot testes requiruntur in testamento de jure civili?

℞ Septem. *l. hac consultissima C. de test. & instit. de test. ordinandis, §. fin.*

2 Si deficiat unus ex septem testib. quid agendum?

℞ Notarius potest se mittere tanquam testem. *Bar. in l. hac consultissima C. de testam.*

3 Si omnes testes nesciant scribere, nec facile reperiuntur, qui sciant quid agendum?

℞ Ille qui scit scribere, scribat pro alijs *l. & ab antiquis C. de test.*

4 Si quis moriatur in agro, & non reperiantur septem testes, sed solum quinque, valebit ne testamentum?

℞ Credo, quod valebit, quia hoc privilegium datum est rusticis, dum in villis moriuntur, & similiter debet dari alijs hominibus, qui moriuntur in agris, vel tempore necessitatis, vel tempore pestis, cum eadem sit ratio *l. final. C. de test. & Paulus de Castro ibi.*

5 Testis excommunicatus valet ne in testamento?

℞ Si tempore, quo missus fuit in testamento, reputabatur excommunicatus, non valet. *Bar. l. 1 C. de test. nec servus, nec infamis. §. testis autem instit. l. de testament.*

6 Testes debent ne esse in conspectu testatoris, vel sufficit, ut sit aliqua cortina in medio, & quod audiant testamentum, licet testator eos non videat?

℞ Debent esse in conspectu testatoris, ita quod testator eos possit videre, nisi sit aliqua consvetudo Provinciæ, vel Civitatis, tunc enim est observanda. *Bar. in si non speciale, C. de testam.*

7 Testamentum factum coram Principe, vel coram Judice ordinario, quo numero testium potest approbari?

℞ Duorum testium, quia auctoritas Principis, vel Judicis

Judicis ſupplet alias ſolemnitates. *l. omnium C. de teſtam. militis.*

8 In teſtamento clauſo teſtes quam ætatem debent habere ?

℞ Debent eſſe majores quatuordecim annis, & cives illius civitatis. *l. hac conſultiſſima C. de teſt.*

9 In teſtamento militis quot teſtes requiruntur ?

℞ Similes, ſi ſit in ingreſſu prælij, nullus teſtis, nulla ſolemnitas requiritur; ſi ſit in caſtris, ad minus duo requiruntur duo teſtes, ſi ſit domi, omnes requiruntur ſolemnitates; ut in alio homine *l. milites C. de teſt.*

10 Quot teſtes requiruntur in teſtamento nuncupativo ?

℞ Septem, & nominatio hæredis *inſtit. de teſt. §. fin.*

11 Quod eſt teſtamentum nuncupativum ?

℞ Quod conſiſtit in ſola nominatione, & nuncupatione teſtatoris, & non in alia ſolemnitate ſcripturæ. *inſt. de teſt. §. fin.*

12 De Jure Canonico quot teſtes requiruntur in teſtamento relicto ad pias cauſas ?

℞ Duo teſtes *c. relatum il. 1. de teſt.*

13 Legatarij, & fidei commiſſarij, & horum conjuncti, & qui ſunt in eorum poteſtate, poſſunt ne eſſe teſtes in teſtamento, in quo requiruntur teſtes executores ?

℞ Poſſunt, quia non ſunt ſucceſſores à lege. *§. legatarij inſt. de teſtamen.*

14 Si ſervus fuerit teſtis in aliquo teſtamento exiſtimatus ab omnibus, ut libertus, vitiabit ne teſtamentum ?

℞ Non; quia communis error jus facit. *§. ſed cum inſtit. eod tit. de teſtam.*

15 Teſtes deponentes in validitate teſtamenti, vel revocatione, coram quo debent examinari ?

℞ Coram Judice teſtatoris. *leg. hoc inter liberos §. ſi quis autem C. eod. tit.*

16 Poſſunt ne relinqui legata dictatori, vel teſtibus teſtamenti ?

℞ Poſſunt. *l. dictantibus. C. eod. tit.*

17 In teſtamento ad pias cauſas, vel inter liberos, quot teſtes requiruntur ?

℞ Sufficiunt duo *c. relatum, l. 1. de teſtamnetis & ibi. DD.*

18 Statutum, quod fiat teſtamentum coram duobus, vel tribus teſtibus, valebit ne ?

℞ Non. *l. & ab antiquis C. de teſt.*

## CAPUT XXII.

## De Tabellione, & executore Teſtamenti.

1 Si deficiat Notarius, & ſcriba, quid agendum in teſtamento ?

℞ Ponantur octo teſtes, & unus faciat officium ſcribæ, & erit validum teſtamentum. *l. hac conſultiſſima C. de teſt.*

2 Scribæ vel tabellioni, qui ſcribit teſtamentum, poteſt ne relinqui legatum, vel inſtitui hæres ?

℞ Non, imo haberent pænam falſarij, licet, qui ſcribit, eſſet perſona particularis *l. 2. C. de his, qui ſibi adſcribunt in teſt. Iaſon l. dictantibus C. de teſtam.*

3 Religioſus poteſt ne eſſe executor teſtamenti?

℞ Poteſt de licentia ſui ſuperioris. *c. religioſus de teſtamen. in 6. ſed non poteſt inſtitui tutor c. Cyprianus 21. quæſt. 3.*

4 Si plures executores relinquantur in teſtamento, vel longe abſint, vel repudient officium, & unus remaneat, quid agendum ?

℞ Ille ſolus ſupplere vices omnium poteſt, niſi à teſtatore aliud cautum ſit *c. religioſus de teſt. in 6.*

Monachus, vel Clericus poſſunt ne in teſtamento inſtitui tutores ?

℞ De jur. Can. non *c. Cyprianus 21. q. 3.*

6 Si teſtamentarius fuit impeditus, & intra annum non potuit exequi teſtamentum, ad quem devolvitur poteſtas exequendi ?

℞ Ad Epiſcopum, ne dilatetur impleri voluntas defuncti, & patiatur ejus anima in purgatorio *Abb. in cap quia num. 3. de conceſſ. prabenda.*

## CAPUT XXIII.

## De his, qui non poſſunt condere Teſtamentum.

1 Qui non poſſunt de jure teſtari ?

℞ Filius familias, niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, furioſus, & mente captus, prodigus; mutus, & ſurdus, ſi ſciant ſcribere, poſſunt ſcribere teſtamentum, qui dubitat, an ſit liber, vel ſervus, pro crimine famoſo damnatus, ut pro crimine contra naturam. Monachus, Canonicus regularis, hæreticus, & qui commiſit crimen læſæ majeſtatis. *Inſtituta quibus permiſſum facere teſtamentum § 1. & ſeqq.*

2 Epiſcopus poteſt ne condere teſtamentum ?

℞ De bonis acquiſitis ante conſecrationem poteſt de acquiſitis vero poſt conſecrationem non poteſt. *c. de teſt.*

3 De quibus bonis poteſt filius familias teſtari?

℞ De peculio caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi; ratio eſt, quia ſunt bona acquiſita ſuo labore, & non procedunt de ſubſtantia patris nec de bonis ejus *l. 1. C. de caſtrenſi peculio libro 12.*

4 Quod eſt peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe & quam poteſtatem habet pater in bonis filij familias in vita, & in morte ?

℞ Dixi late lib. 10. *cap. 4. de patria poteſtate nu. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20.* ubi poſui differentiam peculiorum, & in quibus bonis filiusfamilias poſſit vivo patre condere teſtamentum.

5 Monialis, vel Monachus poſſunt ne teſtari de re, quam habent communiter cum alijs ?

℞ Monialis vel Monachus nō poſſunt teſtari, neque de re cōmuni, neque de re propria; ratio eſt, quia in recōmuni ſolum habent uſu fructū, dū vivunt cum licentia ſuperioris, & ſic teſtarentur de re aliena, & de re propria etiam non poſſunt teſtari: ratio eſt, quia Monachus, qui habet proprium, eſt excommunicatus, & in loco ſacro ſepeliri non poteſt. *l. 1. C. qui teſtamenta facere poſſunt, glos. in cap. quia de teſt.*

6 Monachus poteſt ne teſtari de actionibus, & ſucceſſionibus, quæ poſt mortem ſuorum parentum poſſunt illi venire ?

℞ Non poteſt teſtari de ſucceſſionibus ſibi pertinentibus

nentibus, nisi ante factam professionem ; ratio est, quia per professionem Monachus habetur ut mortuus, & in ejus locum succedit monasterium, etiam si Monachus non fecit tastamentum ante suam professionem , & monasterium per solam professionem acquirit jus & succedit, & subrogatur in locum, & in omnibus iuribus talis loci.

7 Furiosus potest ne testari ?

℞ Dum est in furia non potest testari, quia non est sui juris, neq; habet mentem , neque libertatem necessariam ad testandum ; at vero dum non est in furia, bene poterit testari; ratio est, quia sublato impedimento tollitur jurisdictio. *Instituta*, quibus non est permissum facere testamentum. §. *furiosi*, & per totum tit, de ijs, qui non possunt condere testamentum, ibi DD. communiter.

8 Si furiosus faciat testamentum, dum non est in furia, quas solemnitates debet habere , ut sit validum ?

℞ Tabellio , vel scriba testamenti , & testes debent facere fidem , quod talis homo licet aliquando sit furiosus tempore, quo condit testamentum, non est in furia, sed in sana mente, & ut id cautius fiat, debent melius facere informationem ante judicem cum medicis, & peritis & de licentia judicis condere tale testamentum; judex enim sua auctoritate supplet omnem suspicionem sic tenent , & consulunt DD. loco allegato.

9 Mulier potest ne testari vivente marito ?

℞ Poterit; ratio est, quia mulier per matrimonium non perdit libertatem testandi, & disponendi de suis bonis, cum hoc in jure illi non sit prohibitum, neque obstat, quod vivente marito ipsa non potest disponere de bonis suis sine consensu mariti; ratio est, quia in testamento disponit de suis bonis post ejus mortem quando solutum est iam matrimonium , ut habetur *in gloss. c. indicante, de test.*

10 Potest ne quis facere testamentum per commissionem datam alteri ?

℞ Poterit, si constet de mandato, & talis non dicitur decessisse intestatus de benignitate Canonica, quia quod quis potest facere per se ipsum, poterit facere per procuratorem.*c.cum tibi. de test.*

11 Condemnatus capitali pæna potest ne testari ?

℞ Non, postquam consensit sententiæ, sed bona ejus ad hæredem ab in testato pertinent, quia talis est servus pænæ, & sicut servus non potest testari, quia non est sui juris, sic neque condemnatus *Abb. c. accendens. de procurato num.* 3.

12 Clerici posunt ne condere testamentum ?

℞ Licet ex jure antiquo ex bonis acquisitis ab Ecclesia non poterant; de consvetudine in omnibus regnis Hispaniæ possunt , sicut seculares, & in una quaque Provincia circa hoc servatur consvetudo. *c. cum in officijs eod. tit. de test. cap. quia, in secundo eod. tit.*

13 Servus potest ne condere testamentum ?

℞ Non, *cap. illud* 13. *q.* 2.

14 Qui habent rem indivisam communem cum alijs possunt ne de illa re facere testamentum ?

℞ Possunt quantum ad dispositionem partis suæ. *Bartol. in leg. prima, Cod. qui testamenta ita facere possunt.*

15 Si quis se interficit desperatione aliqua ductus, testamentum, quod antea condiderat, valet ne?

℞ Valet; nisi illud fecerit metu, & dolo futuræ pænæ. *l.* 2. *C. qui test. fac possibi Bart.*

16 Cæcus potest ne condere testamenta ?

℞ Potest, si serventur solemnitates juris, scilicet quod cæcus dicat nomina , cognomina , signa hæredis coram tabellione, & testibus voce intelligibili ; ratio est, quia ubi est majus periculum, debet esse majus consilium , & omnes testes , & tabellarius debent se subscribere , & si non inveniatur tabellarius, ponatur octavus testis *Bart. l. hac consultissima C. de testam.*

17 Cæcus, qui testatur inter liberos , tenetur ne servare solemnitates. in lege hac co nsultissima ?

℞ Non, sed sufficiunt duo testes, quia cessat timor falsitatis , cum filij alias ab intestato succedant, sed si cæcus faciat testamentum ad causas pias non sufficiunt duo testes *in l. hac consultissima l.s. ibi, & cum esse eod. tit.*

18 Surdus & mutus possunt ne condere testatestamentum ?

℞ Naturaliter non possunt, si sint a nativitate, secus autem si accidentaliter, si sciant scribere, quia possunt exprimere suam voluntatem *Instit. quibus non est permissum facere testamentum § item.* Surdus, *sed Surdus tantum potest facere testamentum.*

19 Episcopus de quibus bonis potest condere testamentum ?

℞ Dixi late de hoc, & de inventario faciendo ab Episcopo, de bonis Episcoporum, & Clericorum, & quibus personis possint relinquere. *lib.* 5. *c.* 3. *de peculio Episcoporum.*

## CAPUT XXIV.
## De institutione, & substitutione hæredis.

1 Quid est institutio ?

℞ In primo gradu aliquem instituere. *l.* 1. *C. de liberi præterit.* sed de jure Canonico, est collatio alicujus Ecclesiæ, vel beneficij.

2 Quæ est institutio vulgaris , & quotuplex ?

℞ Quæ à vulgo, & à quolibet fieri potest, dum tamen testator testari , & institutus recipere possit; & est duplex expressa , & tacita , ut si quis dicat, Titius , & sui successores sint hæredes in meis bonis , si Titius repudiabit meam hereditatem, ejus successores tacitè sunt instituti in mea hæreditate.

3 Quando quis instituit aliquem sub conditione, non impleta conditione , valebit ne talis institutio ?

℞ Distingvendo ; aut conditio est impossibilis, vel non est in potestate instituti ; plures enim sunt conditiones , scilicet , impossibilis ,

vel turpis, & hæc habetur pro non apposita, & est conditio casualis, quæ pendet a casu, & fato, & est conditio, quæ pendet ex voluntate alterius & facta sufficienti diligentia, & si non adimpleatur, hæreditas non vitiatur; aut pendet ex sola voluntate hæredis, & tunc adimpleri debet: aut est mixta, quæ pendet ex voluntate hæredis, & alterius, & tunc facta diligentia si per alium steterit, non vitiat, neque tollit hæreditatem. *l.* 1. *C. de instit. & Paulo de Castro ibi.*

4 Si quis dicat instituo mulierem meam hæredem, dum vitam vidualem fecerit, & post ejus mortem substituat Franciscum, postea nubat mulier; quæro, an Franciscus habeat hæreditatem statim, vel post ejus mortem?

℟ Statim, quia ex intentione testatoris sunt verba æquipollentia, & idem significant facere vitam vidualem, & non nubere, & contrario sensu nubere & non facere vitam vidualem, & ideo cum primum nubit, debet Franciscus secundus substitutus adire hæreditatem. *Paul. de Castr. l. si mater. C. de instit. & substit. num.* 3.

5 Pater potest ne instituere hæredem filium sub conditione, quod non sit sub ejus potestate, vel sub conditione casuali, vel mixta?

℟ Non, sed filius poterit tunc adire hæreditatem, ut ab intestato *l. si Pater C. de Instit. & subst. & ibi Paulus de castro.*

6 Si quis instituit aliquem hæredem ea conditione, ut in & monasterium, & ipse intravit, & non fecit professionem, & postea exivit, debet ne habere hæreditatem?

℟ Non. *Paulus de Castro in l. si quis hæredem C. de instit. & substit num.* 1.

7 Si quis dicat in suo testamento; quod vult instituere hæredem sub certis conditionibus, & postea non apponat conditiones, valebit ne testamentum?

℟ Non, quia accidentia, & deficientia non vitiant testamentum. *l. si testamentum C. eod. tit. de i st. & substit.*

8 In institutione, & substitutione, ex hæreditatione, & successione, est ne in Jure aliqua differentia inter filios, & filias?

℟ Antiquitus erat quia filius non poterat exhæredari, nisi nominaretur nomine proprio filia vero sub vocabulo comuni; & si fiebat testamentum, plus debeat relinqui masculis; hodie vero fæminæ, & nepotes in successione parentum non sunt deterioris conditionis, sed eodem gaudent privilegio, & statuta in contrarium non valet, *Paul. de Castro. l. maximum C. de lib. præteritis, vel hæreditatis, num.* 2.

9 Quid est substitutio?

℟ Secunda institutio cum aliqua conditione. *glos. in l. qui liberis, ff de vulg. & pupill.*

10 Quod sunt substitutiones?

Plures; substitutio obliqua, directa, vulgaris, expressa, tacita, pupillaris, compendiosa, breviloqua, seu reciproca, sive exmplaris, obliqua, sive non directa.

11 Quæ est substitutio obliqua?

℟ Quando quis mediante aliquo hæreditatem cap. *l. restituta ff. ad senatus consul. ad Trebellianum.*

12 Quæ est substitutio directa?

℟ Quando quis capit hæreditatem sua propria auctoritate?

13 Quæ est substitutio pupillaris, & quotu plex?

℟ Illa, quæ soli pupillo, & impuberi fit; & est duplex, tacita, & expressa; tacita est, quando non exprimit personam, sed omnia subintelliguntur, ut si dicas, si filius meus impubes non sit hæres, sit Titius: expressa est, quæ expressis verbis fit, ut si dicas, filius meus impubes sit hæres.

14 Quæ est substitutio compensa, ut si dicas, fili mi hæres esto, quandocunque decesseris, Titius hæres erit. *l. præcibus. C. de impuber & alijs substitution.*

15 Quæ est substitutio breviloqua, sive reciproca?

℟ Quæ continet duas vulgares, & duas pupillares substitutiones, ut si dicas, Seium, & Titium filios meos hæredes instituo.

16 Quæ est substitutio exemplaris?

℟ Illa, quæ fit ad exemplum pupillaris substitutionis, ut si dicas, substituo filium meum furiosum quia sicut pater provident filio impuberi, ad ejus exemplum providet filio furioso.

17 Hæres in testamento quomodo debet institui?

℟ Debet inscribi manu propria testatoris, vel nominari à testatore voce intelligibili, ita ut testes intelligant, quis sit nominatus hæres, alias nulla est institutio *l. jubemus C. de test.*

18 Si hæres negligens fuerit in adimplendo voluntatem testatoris, quid agendum?

℟ Episcopus tanquam vniversalis executor debet compellere hæredem, interdicere res cum fructibus, donec hæres fecerit conditum à testatore *Abb. in cap, in literis. de raptoribus, n.* 1.

19 Error in proprio nomine vitiat ne institutionem hæredis?

℟ Si talis error ponat difficultatem in eligendo hæredem, non vitiat: si autem ponat difficultatem, quia plures sunt, qui vocantur eo nomine, & deficiat probatio, quis eorum fuerit institutus, tunc vitiat testamentum. *l. si in nomine C. de test. l.* 2. *sunt Tritij ff. de testamentaria tutella*

20 Intra quod tempus debet hæres adimplere legata pia?

℟ Intra annum à die monitionis, alias Episcopus, ut generalis executor testamentorum à jure, potest adimplere. *c. nos quidem, de test.*

21 Si quis instituat Petrum filium suum hæredem, & probatur Petrum non esse filium suum, valet ne talis institutio?

℟ Non, quia deficit in illo qualitas, propter quam institutus fuit hæres. *l. nequot professio C. de testamen.*

22 Si quis in testamento instituat hæredem sub conditione impossibili, vel sub conditione, quæ pendet ab altera voluntate, ut dicens, instituo Petrum meum hæredem, si ducat uxorem Mariam filiam talis ducis, non impleta conditione, valebit ne talis institutio?

℟ Habetur pro impossibili, habetur, pro opposita; si vero conditio pendet ab altera voluntate

luntate, facta sufficienti diligentia institutio valet. *l. obtinuit ff. de cond. & demonstr. instit. de hered. instit. §. impossibilis.*

23 Si quis acceptat hæreditatem, tenebitur ne ad omnia legata, & solvenda debita testatoris?

℞ Affirmative *l. non dubium C. de test.* sed in Regnis Hispaniæ cautum est, quod quis possit acceptare cum beneficio inventarij; tunc enim non tenebitur ad debita, & legata ultra quantitatem hæreditatis.

24 Hæres quando tenetur ultra vires hereditarias?

℞ Quando non facit inventarium, vel illud facit fraudulenter occultando bona; ratio est, quia nemo ex malitia debet accipere commodum, tenet. *Abb. c. ex literis, de raptorib. n. 3.*

25 Si quis est in exilio, potest ne institui hæres?

℞ Non, quia est persona in capax, & habetur pro mortuo *l. 1. C. de hered. instit.* & hæreditas non pertinet, nisi ad parentes testatoris.

26 Bannitus, si instituatur hæres, valebit ne institutio.

℞ Distingvendum: si testamentum fiat secundum jus municipale illius civitatis, institutio nulla erit; si vero fiat testamentum secundum jus commune: non amittit hæreditatem, quia bannitus gaudet privilegijs illius civitatis, tanquam hostis. *Iason. C. de hered. instit.*

27 Si quis instituat filium spurium in tertia parte bonorum suorum & in residuo hæreditatis suæ instituat Petrum amicum suum, habebit ne Petrus totam hæreditatem, quia filius spurius non est capax hæreditatis?

℞ Affirmative, quia in residuo totum continetur. *Pater tuus C. de hæredib. instituen. & ibi Paulus de Castro.*

28 Si quis instituat hæredem servum, valebit ne institutio?

℞ Si existimat esse liberum, non valebit; si vero existimat esse servum, valebit Institutio quia videtur tacite illi donare libertatem. *Paulus Castren. l. cum proponas C. eod tit. de hered. instituen.*

29 Dominus servi potest ne acquirere hæreditatem datam servo, absque eo, quod servus habet hæreditatem, & eam possideat?

℞ Non, quia servus poterit permittere spoliari, & occidi, & non adire hæreditatem ratio est, quia hæreditas, & bona non sunt Domini, nisi prius in servi potestate sint *Paulus de Castr. l. cum proponas C. de heredit. instit.*

30 Poterit ne Monasterium acquirere hæreditatem Monachi absq; eo, quod illam habeat, & possideat monachus?

℞ Poterit; & ratio differentiæ est, quia subjectio monachi non est servitus, neq; monachus comparatur servo, sed filio familias, & servire Deo regnare est. *Paul. de Castr. in l. cum proponas,* & sicut Pater potest adire hæreditatem absq; filij voluntate, ideo monasterium absque voluntate monachi.

31 Si quis instituat aliquem hæredem fratrem filium vel uxorem, & postea appareat, quod non sit frater filius vel uxor, valebit ne hæreditas?

℞ Non, quia error in affinitate tollit hæreditatem, sed talis discedit ab intestato. *Paul. de Cast. in l. si pater tuus C. de hered. instiut.*

32 Si testator debitor sit alicui mille ducatorum, & instituat illum hæredem in dimidia patre bonorum suorum animo compensandi debitum, poterit ne ille adire hæreditatem, & petere debitum?

℞ Si testator dicat, quod animo compensandi totum debitum illum instituit, non poterit petere, si autem dicat solum, quod animo compensandi, poterit adire hæreditatem, & petere residuum. *Paul. de Cast. l. si compensandi. C. de hered. inst.*

33 Si quis sit incapax alicujus hæreditatis, quia est spurius, & servus ejus instituatur hæres, poterit ne capere illam hæreditatem?

℞ Non, quia ille, qui est incapax per se, etiam est incapax per alium. *Paul. de Cast. l. neque per se C. de hered. inst.*

34 Incognitus, & extraneus possunt ne institui?

℞ Possunt *l. extraneum C. de hered. instit.*

35 Civitas, & communitates, possunt ne institui hæredes?

℞ Possunt, & capere sibi legata. *l. hæreditatis. C. de hered. instit.*

36 Si quis erret in suo nomine proprio, ut cum vocetur Ioannes, dicat filius Petri hæres esto, valebit ne talis institutio?

℞ Non, quia nemo videtur errare suum proprium nomen. *l. cum in liberis C. de hered. instit.*

37 Si Pater vel mater instituat filium mente captum, & illi substituant Titium, si filius acquirat sanitatem, & mentem bonam, & talis discedat, substitutio valebit ne?

℞ Non, sed quia accepit sanam mentem. poterit relinquere sua bona, sicut si non haberet substitutum; ratio est, quia substitutio fuit facta mente capto, sed non filio sano. *l. humanitatis C. de impub. & alijs substit.*

38 Si quis dicat instituo duos filios impuberes hæredes; & si uterque decesserit in pupillari, institutio Titium, & unus decessit, quid agendum?

℞ Quod Titius substitutus non habebit illam partem, sed cohæredes illam habebunt; ratio est, quia non est impleta omnimoda conditio. *l. cum quidam C. de necess. servis hered. inst.*

39 Si quis dicat, patrem, & filium, & Titium hæredes instituo, pater & filius habebunt ne unam portionem vel duas?

℞ Unam, quia pater, & filius censetur pro una persona *l. fin. C. de impub. & alijs subst.*

40 Si quis habet plura debita, quam bona, poterit ne instituere servũ suũ in hæredem necessariũ, ut ille liber remaneat in fraudẽ creditorũ?

℞ Si servus non sit obligatus specialiter creditoribus poterit, quia licet creditores in uno incommodum recipiant, in alio recipiunt commodum, quia habent hæredem, a quo petant debita sua, & servus tenebitur acceptare *l. 1. C. de necessaris servis instituendis.*

41 Si quis in testamento dicat, Titium libertum meum instituo, & Titius servus ejus sit, acquirit ne libertatem?



℞ Affirm-

℞ Affirmative in favorem teſtamenti *l.* I. *cum ſervi. C. de neceſſ. ſervi hæred. inſtit.*

41 Si tale legatum fecerit aliquis miles, valebit ne talis libertas?

℞ Affirmativè, in favorem militis *l. ex ijs verbis C. de teſtam. militis.*

43 Si quis in legato dicat, Titio liberto meo lego decem, & Titius non ſit libertus, ſed ſervus ejus, acquirit ne libertatem?

℞ Non, quia verba denuntiativa favorabilia ſunt in teſtamento, in quo inducunt diſpoſitionem, & iſte eſt error in re ſubſtantiali. *ſup. l. cum ſervi C. de neceſſarijs ſervis hæredib. inſtit.*

44 Tutor poteſt ne inſtituere hæredem neceſſarium ſervum pupilli ſui,& talis ſervus manebit ne liber?

℞ Non, habebit hæreditatem *l. ſi tutor. C. neceſſ. ſerv. hæred. inſtit. ratio. eſt*, quia tutor non potuit dare libertatem ſervo alieno: & etiam non habebit hæreditatem, quia teſtator exiſtimavit talis remanere liber & non ſervus.

45 Si quis inſtituat ſervum ſuum hæredem, vel conſtituat tutorem filiorum ſuorum non facta mentione de libertate, ſed poſtea in condicillo faciat legatum, & donet ſervum alicui, iſte talis manebit ne liber vel ſervus?

℞ Manebit liber, & hæres, vel tutor, quia majorem vim habet, teſtamentum, quam *l. quidam. C. de neceſſ. ſervis inſtit.*

46 Si quis neſciat Titium eſſe monachum & Titium hæredē inſtituit, valebit ne talis inſtitutio?

℞ Valebit, & eam conſequetur in favorem Eccleſiæ cum conditio religionis non ſit peior,ſed melior, *Paulus. de Caſtr. in leg ſi tutor C. de neceſſ. ſeu inſtitut.*

47 Si quis dicat filium meum hæredem inſtituo, & ſi hæres non erit, ſubſtituo, Titium, quæro ſi filius ejus habuit hæreditatem, & deceſſit, ad quem pertinebit talis hæreditas, ad Titium, vel ad hæredes legitimos filij?

℞ Ad hæredes legitimos talis filij, quia ſubſtitutio fuit vulgaris ſub conditione,ſi hæres non fuerit, aliter judicandum erit, ſi ſubſtitutio fuiſſet pupillaris, & teſtator diceret, ſi filius meus hæres fuerit, vel non fuerit ſubſtituo Titium *l. precibus C. de impub. & alis ſubſtan.*

48 Si teſtator inſtituat filium ſuum hæredem ſub aliqua conditione, non impleta conditione, erit ne hæres?

℞ Si conditio ſit poteſtativa; non impleta conditione non erit hæres; ſi vero ſit caſualis, ut ſi venerit ex Hiſpania, debet expectari eventus qui ſi fuerit impoſſibilis habetur pro non appoſita, & erit liber, & hæres. C. *de hæred. inſtit. l. fin.*

49 Si quis inſtituat tres hæredes unum in decem, alium in viginti, tertium in quadraginta, & dicat vos ad invicem ſubſtituo; ſi forſan ille, qui habuit quadraginta repudiet hæreditatem; quæro duo primi ſubſtituti habebunt ne quadraginta pro partibus æqualibus?

℞ Non; ſed quilibet habebit ſecudum rationem partis, ſicut qui fuit in decem, habebit minus, quam ille, qui fuit in viginti; ratio eſt, quia quod declaratum fuit in inſtitutione, videtur neceſſario adiectum, & expreſſum in ſubſtitutione *l.* I. *C. de impub. & alijs ſubſtitu.*

# CAPUT XXV.

## De Teſtamento rupto.

1 Teſtamentum contra tenorem legum valebit ne?

℞ Non, quia licet quiſq; in ſuo teſtamento poſſit diſponere ſicut vult, hoc intelligendum eſt de peccunia, & re propria, non ideo habet teſtator facultatem mutandi leges, vel tranſgrediendi formam juris *l. ſi quando C, de inofficios. teſt. l. teſtandi C. de teſt.*

℞ Reſcriptum Regis, vel Principis poteſt ne reſcindere teſtamentum jure factum?

℞ Non, *l. ſi teſtamentum C. de teſtam.*

3 Si teſtamentum in aliqua parte raſum ſit, vel interlineatum, & infra non fuerit ſalvatum, vitiabit ne totum teſtamentum, vel ſolam illam partem?

℞ Diſtingvendo; ſi raſura ſit in parte ſubſtantiali, ut in annis Domini, vel inſtitutione, vel in nomine, vel ſubſcriptione teſtatoris, tunc vitiabit totum teſtamentum. ut in *l. ſi unus C. de teſtam.* ſi vero raſura ſit in loco ordinario, & communi, ut in uno legato, de quo non dependet totum teſtamentum, tunc non vitiabit alias partes teſtamenti *l. ſi ex falſis C. de tranſactionib.*

4 Si quis legavit in teſtamento rem alienam ad quid tenetur hæres?

℞ Ad ſolvendam æſtimationem de bonis defuncti legatario; ratio eſt, quia licet teſtator non habeat facultatem ſupra rem alienam in individuo, habet, facultatem ſupra valorem talis rei ſolutum de ſuis proprijs bonis, ne legatarius defraudetur à benficio teſtatoris. *c. filius noſter, de teſt. juncta gloſſa.*

5 Teſtamentum ſcriptum in tabulis, vel in lapidibus valebit ne?

℞ In teſtamento non inſpicitur materia, in qua ſcriptum eſt, ſed ſolum ſolemnitates, & ita valebit *l.* I. *ff. de. tabul. exhibendis.*

6 Si quis fecit donationem inter vivos in favorem alicujus, & poſtea in ſuo teſtamento ſe nihil donaſſe, talis enuntiatio quid operatur contra donatarium?

℞ Nihil præjudicat, quia eum teſtator gravare non poteſt, quia jam acquiſivit jus per donationem, ſecus autem dicendum, ſi teſtator poteſt gravare donatarium *l. verba C. de teſtam.*

7 Error ſcribentis in re ſubſtantiali, vitiat ne teſtamentum?

℞ Non. *l. ſi librarius ff. de reg. jur. l. errore. C. de teſtam.*

8 Hic error quomodo probabitur?

℞ Per duos teſtes *l. errore C. de teſtam.*

9 Si quis furetur teſtamentum, tale furtum vitiabit ne illud?

℞ Non, quia hoc accidentale, & extrinſecum eſt teſtamento. *l. non id circo C. de teſtam.*

10 Ratione poſt humorum rumpitur ne teſtamentum?

℞ Affirma-

℞ Affirmativè, sed si moriatur vivo testatore, convalescit testamentum. *l. posthumus ff. de injusto rupto & irrito facto testamento.*

11 Testamentum imperfectum ratione voluntatis, puta cum quis cæpit condere testamentum, & ante subscriptionem supervenit furor, valebit ne inter liberos ?

℞ Non, quia defecit voluntas, quod est substantiale. *l. hac consultissima §. ex imperfecto, C. de testam.*

12 Si quis faciat testamentum, & prætermittat aliquem filium suum, valebit ne testamentum ?

℞ Non, quia prætermissio rumpit testamentum. *l. inter cætera ff de liberis & posthumis.*

13 Si nepos in testamento reperiatur præteritus, talis rumpet ne testamentum ?

℞ Affirmativè, quia habet suitatem cum patre suo. *l. si avus C. de liberis. præteritis.*

14 Si quis faciat testamentum, & in eo cum causa, vel sine causa exhæredat filium suum, valebit ne testamentum ?

℞ Valebit, quia non deficit in solennitate, licet exhæredatio sine causa nulla fiat. §. *causas autem authen. ut cum de appell. cognosc.*

15 Si quis dicat, volo filium meum esse alienum à mea substantia, talis erit ne exhæredatus, an præteritus ?

℞ Exhæredatus; quia interpretatio debet fieri ad sensum, & non ad verba. *l. si quis C. de lib. præter.*

## CAPUT XXVI.
## De causis Exhæredationis.

1 Ex quibus causis potest pater exhæredare filium suum ?

℞ Ex causis ingratitudinis, & hæc sunt quatuordecim. *1ma.* si in patre manus intulerit. *2da*, si gravamen, & injuriam ei fecerit. *3tia*, si eum accusavit in criminali causa. *4ta*, si cum maleficis hominibus, ut maleficus versaretur. *5ta*, si per venenum tentaverit occidere parentes. *6ta*, si per se miscuerit novercæ, aut concubinæ patris *7ma*, si delator contra parentes extiterit. *8va*, si pater sit inclusus in carcere, & filius noluerit esse fidejussor pro persona, aut pro debito, & hæc solum comprehendit masculos. *9na.* si quis prohibuerit parentes facere testamentum. *10ma*, si filius præter voluntatem parentum inter arenarios commoretur (qui hodie vocantur comici) nisi parentes ejusdem fuerint professionis. *11ma*, si fæmina magis elegerit scortum fieri, & luxuriose vivere, quam accipere dotem, & maritum à patre datum; hæc vero deficit; si pater distulerit usq; ad viginti quinque annos filiam marito copulare. *12ma*, si filius neglexerit curare patrem furiosum, & postea factus sanæ mentis, poterit instituere extraneos *13tia*, si pater fuerit captus, & filius eum possit redimere, & non redimit. *14ta*, si filius sit hæreticus. auth. ut cum de appellatione cognoscitur, §. aliud quoque, & §. sive igitur. *c. Quintuallis, de jurejur. & Abb. ibi.*

2 In quibus casibus potest pater negare alimenta filio ?

℞ In omnibus, in quibus potest eum exhæredare. *Abb. ubi supra num. 5.*

3 Filia si luxuriose vivat potest ne petere alimenta à patre ?

℞ Si pænituit, debet ali à patre propter fragilitatem humanæ naturæ. *Abb. ubi supra num. 6.*

4 Propter quas causas potest filius exhæredare suos parentes ?

℞ Propter easdem causas, propter quas parentes possunt exhæredare filium. authent. ut cum de apellatione cognoscitur supra alleg.

5 Ad quem pertinet probare dictas causas ?

℞ Ad hæredem, & etiam ad hæredem ab intestato *Paul. de Castro. l. non licet. C. de lib. præteritis, & l. ex causa, eodem.*

6 Si causa exprimatur in testamento, & postea probetur contra aliquem, filius manebit ne exhæredatus ?

℞ Non, quia causa debet expressè exprimi in testamento, & similiter exhæredatio, alias videtur filium fecisse satisfactionem, & patrem condemnâsse injuriam. *l. non licet. C. de lib. præterit.*

## CAPUT XXVII.
## De Legatis pijs.

1 Legatum pium quid est ?

℞ Est aliqua dispositio facta à testatore in testamento, codicillo, vel coram parocho, & duobus testibus ad pias causas, sive de novo fundandas, sive fundatas augendas, ut quando relinquitur aliquid in bonum propriæ animæ ad dicenda suffragia pro se, aut pro alijs fidelibus defunctis, vel quando relinquitur eleemosyna pauperibus etiam consangvineis, Ecclesiæ, monasterio, aut in redemptionem captivorum ad, aut orphanas, aut in augumentum Divini cultus. *DD. in cap. relatum, il 1. cap. cum esses, de testamen.*

2 Dispositio ad pias causas quodupliciter fit ?

℞ Dupliciter. *1mo*, quando in testamento; vel codicillo, pia causa, instituitur hæres, vel loco hæredis. *2do*, quando alius instituitur hæres, & in dicto testamento fit aliquod legatum Ecclesiæ, vel operæ piæ. *DD. in c. relatum, il. 1. de testam. Emanuel. de Costa. p. 1. verb. in suo testamento. num. 8.*

3 Dispositiones ad pias causas in quanam sunt differentia ?

℞ Tam testamentum, quàm codicillum, quàm dispositio coram Parocho, & duobus, vel tribus, vel alia dispositio manu propria scripta, sunt in duplici differentia, aut sunt dispositiones, & testamenta perfecta. *Molin. tom. 1. de just. & jur. disp. 134. §. verum.*

4 Quæ sunt dispositiones perfectæ ?

℞ Testamentum clausum, vel apertum, codicillum, donationes factæ cum testibus, & solemnitatibus à jure civili, vel Canonico positis, nempe de jure civili requiruntur septem testes. ut l. hac consultissima, §. ex imperfecto. C. *de testam.* sed inter liberos sufficiunt duo testes; de jure vero Canonico sufficit scriba, vel notarius, & duo testes,

duo testes,& in favorem operæ piæ sufficit Parochus cum duobus testibus, coram quibus poterit facere dispositionem per verba de præsenti.

5 Quæ sunt dispositiones imperfectæ

℞ *1mò*, quando ex aliquo accidenti deficit aliqua solemnitas, ut si deficerent testes, vel si testator incepisset testamentum, aut codicillum verbo,aut scripto,& aliqua disposuisset,& morte præventus non potuerit illud subscribere, neque absolvere. *2dò*, quando testator animum haberet disponendi de suis bonis ad pias causas & id declararet coram uno, duobus, vel tribus testibus, vel haberet instructionem propria manu scriptam, & vocaret tabellionem, & morte præventus fuit; tunc enim ista dispositio dicitur imperfecta, *ut tenet Julius Clarus. q. 54. §. testamentum, & alibi.*

6 Testamentum factum in favorem causæ, si sit imperfectum secundo modo, erit ne validum?

℞ Ex opinione omnium DD. tale testamentum etiam in favorem causæ piæ non est validum,sed succedunt hœredes ab intestato ex pluribus rationibus. *1mà*, quia talis dispositio non est testamentum, imò potius est præparatio ad testamentum. *2dà*, quia verba enuntiativa sunt in triplici differentia, vel sunt de præterito,ut si quis dicat, meam domum dedi Ecclesiæ, vel de præsenti, ut si quis dicat coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus, vel coram tabellione, meam domum do Ecclesiæ, & ista dicitur perfecta dispositio; aut sunt de futuro, ut si quis coram testibus dicat, domum meam volo relinquere Ecclesiæ, vel volo instituere Petrum hæredem, ut ipse ex meis bonis ædificet Ecclesiam, tunc talis dispositio nulla est, nec inducit aliquam obligationem, quia verbum, volo junctũ infinito, nullam inducit obligationem,cum volo vovere, non est vovere, nec volo dare, sed est quædam dispositio, & præparatio ad id faciendum, ut tenent omnes. *DD. in l. si quis stipulatus, ff. de verb. oblig. Menoch. lib. 4. præsumpt. 100.*

7 Dispositio imperfecta primo modo ( scilicet quando quis cæpit facere testamentum,& tabellio cæpit scribere,& mandavit aliqua legata pia, & moriatur ) valebit ne in favorem operæ piæ?

℞ In isto casu sunt variæ. *DD. opiniones*; *partem affirmativam tenet Molin. de just. & jur disp. 104. §. verum, tom. 1. cum Covar. c. relatum. num. 10. Bart. & Panorm.* ab eo relatis, & fultus ratione, quia de Jure naturali nullæ solemnitates requirebantur ad validitatem testamenti, sed sola expressa voluntas testatoris, hic satis exprimitur,& hoc sufficit in favorem operæ piæ,ut talis dispositio sit perfecta;sed partem negativam tenet, *Jul. Clar. q. 7. §. testamentum. Gomez ad l. 33. Tauri. num. 18.* pluribus rationibus. *1mà*, quia talis actus fuit imperfectus, & talis dispositio,neq; est recepta de jure Canonico, neq; de jure civili,cum in eo deficiant omnes solemnitates. *2dà*, quia ille testator potuit mutare suam voluntatem, antequam finiret testamentum, & sic relinqui debet in suo libero arbitrio usque ad finem mortis,& usque ad perfectionem testamenti. *3tià*, quia solemnitates testamentorum institutæ sunt ad evitandas plures fraudes, quæ in tali casu possunt succedere. *4tà*, quia licèt de jur: nat: nullæ solemnitates requirerentur in testamento, tamen de jure positivo justis de causis, positæ sunt certæ solemnitates ad validitatem testamenti, & iste semper sunt servandæ cum pertineant ad bonam reipublicæ gubernationem. *5tà*, quia in favorem operæ piæ à jure positivo,& Canonico jam est datum privilegium, ut coram parocho, & duobus testibus valeat testamentum, quod non valet in favorem personæ sæcularis,& in nullo text. neq;Canonico expresse invenitur, quòd dicta dispositio imperfecta valeat ad verum testamentum in favoré operæ piæ. *6tà*,quia incæpisse disponere nõ est finisse dispositioné & quis nõ obligatur nisi per dispositioé perfectã. Ultima,ne de facili tollatur jus hæredibus ab intestato, quod necessariũ est ad conservationem Reipublicæ.

8 Si infirmus amittat vocem, & per signa faciat testamentum ad pias causas,erit ne validum?

℞ Erit, si sint duo testes, & parochus, & omnes concordent ante Judicem signis voluisse talem testatorem instituere Ecclesiam hæredem, & dare legatum pium pauperibus, sed non valebit deficiente uno teste vel parocho; ratio est quia voluntas testatoris, & prædictæ solemnitates faciunt verum testamentum ut tenet Julius Clarus in practic. criminal. quæstione 6. §. *testemantum, & cap. relatum, tl. 1. de testam.*

9 Potest ne quis testari per procuratore ad pias causas

℞ Potest, licet in mandato, vel procura detur ei facultas absoluta, vel limitata, ut post ejus mortem de futuro faciat suum testamentum *Iul. Clar. quæst. 6. §. testam.*

10 Si quis habeat facultatem ab alio solum ad testandum ad pias causas, & excedens facultatem aliqua legata non ad pias causas relinquat tale testamentum erit ne validum?

℞ Distingvendo, quo ad pias causas erit validum, sed quo ad non pias causas non erit validum, non ex defectu testamenti, sed ex defectu facultatis, quia fines mandati transgredi non debet. ut tenet *Iulius Clar. ubi supra.*

11 Talia legata,ad non pias causas, in isto casu accrescent ne operæ piæ, an hæredi ab intestato?

℞ Cum distinctione, si mandatum dicat, quod omnia sua bona relinquantur pauperibus, vel pro sua anima, tunc legata non pia accrescent legatis pijs libra pro soldo, vel rata pro quantitate; si vero mandatum fuit limitatum in mille aureos, tunc accrescent hæredi ab intestato, quia opera pia non habet jus accrescendi, sed debet contineri intra terminos limitatos. *Molin.de just.& jur.tom.1.tract 2.disp.134.§.quan.fin.*

12 In testamento ad pias causas requiritur necessario institutio hæredis?

℞ Non, quia hoc est privilegium speciale in favroem causæ piæ, cum alijs pluribus privilegijs. *Molin. ubi sup.*

13 In testamento, relinquo animam meam hæredem, vel Iesum Christum, vel Beatam Virginem

nem, vel pauperes, tunc quid erit agendum ?

℞ Tale testamentum erit validum, & executor erit Ordinarius, & in ejus defectu disponet illa bona ad causas pias magis necessarias, & utiles, ut tenet *Molin ubi supra.*

14 Testes in testamento ad pias causas, quales debent esse ?

℞ Sufficit, ut sint servi, fæminæ, domestici, vel conjuncti, dummodo sint capaces, & non patiantur aliquem defectum positum à jure, quem debet probare ille, qui intelligit non esse legitimum testamentum, quia de Jure imponenti incumbit probatio, *Molin. ubi supra.*

15 Quarta *falcidia* unde dicitur & quare introducta sit ?

℞ Dicitur à *falce*, quia resecat legata, vel secundum *Bartol. super. instit. tit. de lege Falcid. à Caio* Falcidio Tribuno plebis, qui eam instituit, & introducta fuit ea ratione, quia secundum legem 12. tabularum cuilibet licitum erat omnia sua bona in legata pia, vel non pia distribuere, unde accidebat, ut multi decederent sine hærede, quia hæredes nolebant hæreditatem acceptare, cum haberent paucum, vel nullum lucrum, ideo lex Falcidia jussit *ut nullus possit testari in legatis ultra dodrantem, idest ultra novem partes suorum bonorum*, quia necessario debebant hæredi relinquere quartam partem suorum bonorum. *ita Bartol. instit. de lege Falcidia.*

16 Quando quis disponit in suo testamento ultra dodrantem, idest ultra novem partes suorum bonorum, quomodo sumitur quarta falcidia, & in qua quantitate ?

℞ Æs dividitur in duodecim partes, ad cujus similitudinem hæreditas distribuitur in duodecim partes, non licet testatori distribuere in legata ultra partes novem; quod si contrarium fecerit, in ea quantitate, vel parva, vel magna, in quanon reli querit quartam partem integram hæredi, legata debent eam supplere rata pro quantitate, vel soldo pro libra, ita quod si hæres habuerit solum duas partes, omnia legata debent ei dare aliam partem, ut habeat quartam partem integram hæreditatis. §. 1. *& fin. de l. falcid.*

17 Si hæres non faciat inventarium intra tempus à lege constitutum, vel illud faciat fraudulenter, vel sua culpa diminutum, poterit ne petere falcidiam ?

℞ Non, quia sua culpa perdidit eam actionem. *glos. fin. instit. de leg. falcid. Bart. in authen. sed cum testator. n.* 8. *C ad l. falcid,*

18 Quarta falcidia quomodo deducitur ab hæreditate ?

℞ Si hæres institutus non habeat quartam partem totius hæreditatis, tunc sublato ære alieno, & funerali, legata debent supplere illam partem, quæ deficit hæredi ad consequendam pro suo labore quartam falcidiam: ratio est, quia æs alienum non sunt bona defuncti, & funerale est necessarium defuncto secundum qualitatem personæ; quia est ultimus honor hujus vitæ *Inst. de lege quarta falcidia.& ibi glos.*

19 Quarta falcidia debet ne tolli a legatis pijs ?

℞ Non, tollitur à legatis pijs, nec in testamento militis habet locū quarta falcidia; ratio est, quia militia cælestis, & terrena est nimis in jure privilegiata, neq; tollitur à legitima, nec à dote mulieris, quando maritus legat uxori suam dotem: ratio est, quia legitima, & dos mulieris non computantur, sicut bona testatoris, etiam non tollitur à libertate servorum; cum servitus introducta sit de jure gentium, & jus favet nimium libertati, quia servitus est nimium nociva, cum sit contra jus naturale. *Inst. de quarta falcidia in gloss. ult. l. testamento gloss.* 2. *C. ad legem Falcid. & auth. de hæredibus, & falcidia. §. hinc. nobis collat.* 1.

20 Si quis instituat Titium, & Sejum hæredes in partes æquales, & Titium legatis paucis gravet ita, quòd apud Titium remaneat quarta falcidia integra respectu totius hæreditatis, tam suæ partis, quam partis Seij; Sejum verò ita gravet in legatis in sua medietate, ut remaneat apud eum quarta falcidia, nec respectu totius hæreditatis, nec respectu suæ medietatis: in isto casu poterit ne Sejus petere quartam falcidiam, sicut habuit Titius ?

℞ Sejus poterit deducere quartam falcidiam à legatis sibi commissis secundum medietatem hæreditatis, in qua fuit institutus; ratio est, quia licèt hæc hæreditas sit una respectu testatoris, reputantur ut duæ hæreditates distinctæ respectu duorum hæredum, & quælibet ex his duabus hæreditatibus dividitur in duodecim partes, & licet Titius habuerit septem partes ex duodecim, hoc non obstat, quin Sejus debeat habere quartam partem respectu medietatis, in qua fuit institutus hæres; quia tot sunt hæreditates, quot sunt hæredes, & idem dicendum est, si fuerint quatuor, vel plures hæredes, quilibet hæres in ea quantitate, in qua fuit hæres, debet dividere hæreditatem suam in duodecim partes, & retinere sibi à suis legatis quartam falcidiam respectu suæ hæreditatis, non obstante, quod alij hæredes habuerint quartam falcidiam respectu totius hæreditatis; ratio fundamentalis est, quia tot reputantur hæreditates distinctæ; quot sunt hæredes ad deducendam quartam falcidiam, *Instit. de lege Falcid. §. & cum quæsitum.*

21 Testamentum factum à parocho presbytero coram duobus vel tribus testibus, valebit ne etiamsi non adsint solemnitates legales ?

℞ Valebit solum quo ad pias causas, & in legatis relictis pauperibus, & Ecclesijs, sed non in institutione hæredis, neque in legatis relictis suis parentibus; ratio est, quia in favorem piæ causæ judicatur testamentum secundum jus Canonicum, & non secundum jus civile.

22 Legatum pium, in quo Missæ relinquuntur, potest ne acceptari à quacunque Ecclesia, vel Clerico sine licentia sui Episcopi ?

℞ Si legatum pium relictum fuerit Clerico sæculari, vel Ecclesiæ sæculari ante acceptationem, debet præcedere licentiā Episcopi, in scri-

ptis; ſi vero relictum fuerit regularibus, vel Eccleſiæ regularium, debet præcedere licentia ſui Generalis, vel Provincialis ex decreto noviſſime edito Urbani VIII, 21. die Junij 1625 de celebratione Miſſarum.

24 Epiſcopus, vel ejus Vicarius, vel Generalis, vel Provincialis, quas diligentias debet ne facere ad dandam cum ſecura conſcientia licentiam acceptandi legata Miſſarum?

℞ Debent inquirere diligenter, an tales Sacerdotes poſſint ſatisfacere oneri de novo ſibi imponendo, & inquirere, an ſatisfaciant oneribus ſibi ante impoſitis, calculando, & computando numerum Miſſarum, quas debent dicere, eſſe dies liberos ad dicendas novas Miſſas, vel numerum Sacerdotum illius Eccleſiæ, vel numerum Miſſarum, quas Eccleſia tenetur ſingulis annis dicere, & etiam debet conſiderare, an legatum ſit pingve ad tales Miſſas dicendas, advertendo, quot ſufficiant ad ſuſtentationem congruam ſacerdotis pauperis juxta conſtitutiones ſynodales illius Provinciæ, ita quod Eccleſia, vel ſacerdotes non accipiant ſupra ſe onus, quod non poſſint commode portare, ut habetur in dicto decreto Vrbani VIII.

25 Sacerdos, qui accipit eleemoſynam pro celebranda Miſſa, poterit ne aliqua parte ſibi retenta de dicta eleemoſyna committere alteri ſacerdoti, ut Miſſam pro illo celebret?

℞ Non, ratio eſt ut omne damnabile lucrum ab Eccleſia removeatur, & ita prohibitum eſt per decretum Vrbani VIII. Summi Pontificis editum 21. Junij 1625.

26 Si quis habeat beneficium curatum, vel ſimplex cum onere, ut dicat decem, vel octo Miſſas, & tale beneficium ſi pingve, & ex infirmitate, vel alio impedimento non poſſit ipſe celebrare, tenebiturne dare Clerico celebranti pro illo totam illam portionem quæ rata pro quantitate competit tali Miſſæ virtute, & vigore dicti decreti?

℞ Dictum decretum exprſſe loquitur de eleemoſynis receptis à Sacerdote, non de beneficijs, & capellanijs pingvibus, & de jure extendi non debet ad res non contentas in dicto decreto, & ſi talis capellanus, vel Parochus, qui per ſe celebrare non poterit, videtur, quod ſatisfaciat dando eleemoſynam pingvem ſecundum conſvetudinem illius terræ taxatam per ſynodum Clerico pro ſe celebranti, & ratio eſt, quia beneficium, & capellania non ſolum inſtituta eſt pro celebratione Miſſarum, ſed pro ſuſtentatione, & honore talis capellani, vel beneficiati, & ſemper habent alia onera, & officia præter Miſſas.

27 Si teſtator dedit alicui, vel ſuo confeſſori aurum, ut poſt ejus mortem daret pauperibus, vel ſibi ſumeret, & non eſſent duo teſtes præſentes, & moriatur ſine teſtamento, vel illud non explicet, in teſtamento quid agendum?

℞ Diſtingvendo: in foro exteriori talis obligatur à quocunque Judice reſtituere tale donum hæredibus ab inteſtamento; ſed in foro conſcientiæ ſunt variæ opiniones. *Molin. diſputat.* 144. §. *quinto*, tenet licite poſſe retinere tale donum, & diſponere de tali re, ſicut teſtator juſſit fultus ea ratione, quod de jure naturæ non requiruntur ſolemnitates iſti teſtamento introductæ à jur. civ. & can. aliqui vero. DD tenent, quod etiam in foro conſcientiæ debet reſtituere tale donum hæredibus ratio eſt, quia *in c. relatum, il.* 1*mo, de teſtam.* data eſt forma teſtamenti etiam, quo ad pias cauſas, ſcilicet præſentia parochi, & duorum teſtium, & defficiente tali forma, veniunt in favorem hæredis ab inteſtato tam in foro exteriori, quam in foro conſcientiæ.

28 Si in teſtamento minus ſolenni, ſed valido relinquatur pium onus in hæredem, & legatum alicui amico, erit ne validum in favorem amici?

℞ Erit, quia videtur acceſſorium ſequi naturam principalioris, ut tenet *Emauuel de Coſta, ubi ſup.*

29 Quando in aliquo teſtamento hæres ſæcularis, & relinquuntur legata pia, antequem judicem debent peti?

℞ Poſſunt peti ante judicem ſæcularem, vel Eccleſiaſticum; ratio eſt, quia hæres eſt ſæcularis, & legatum ſpirituale & ſic cauſa eſt mixti fori, ut tenent DD. in c. relatum, *l.* 1. *ce teſtam.* & *Molin. ubi ſupr.*

## CAPUT XXVIII.

## De aliquibus dubijs in materia Teſtamentorum.

1 Si quis legat vina, videtur ne legare vaſa, in quo condita ſunt?

℞ Affirmative, quia ſine illis conſervari non poſſunt *l. nam quod liquida, ff. de pen. legata.*

2 Si annus, & menſis teſtamenti à tabellione ſcribantur in cyphra, & abbreviatura, valebit ne teſtamentum?

℞ Non; ſed ſunt aliqui caſus, in quibus valet, nempe in milte, & in teſtamento ad pias cauſas *Bar. l. quod ſine. C. de teſt. gloſſ. in l. ſed cum Patrono*, §. *fin. ff. de bonor. poſſeſſionibus.*

3 Si quis teſtamentum tempore paupertatis, & inſtituit Titium hæredem, & poſt quadraginta annos ſit ditiſſimus, & moriatur abſq; alio teſtamento, hæres debebit ne illam magnam hæreditatem?

℞ Affirmative, quia teſtamentum diſcurſu, & longitudine teſtatoris non infirmatur, neque cenſetur voluntas immutata. *Paul. de Caſtr. l. ſancimus C. de teſtam. num.* 2.

4 Si iſte ditiſſimus tempore ſuæ mortis habeat magnas inimicitias cum illo hærede, & incipiat facere aliud teſtamentum cum intentione tollendi hæredem, & non perficiat, ſed moriatur, hæres vigore primi teſtamenti, habebit ne hæreditatem?

℞ Affirmative, quia valet primum teſtamentum, & non rumpitur per teſtamentum incæptum, & non fi-

non finitum. *Paulus. de Caſtro. l. cum antiquitas C. de teſtam. num. 1.*

5 Si quis dicat volo nominare tres hæredes, & nominato primo, abſque nominatione ſecundi, & tertij moriatur, valebit ne teſtamentum, & hæreditas adjudicatur ne hæredi nominato ſaltem pro tertia parte?

℟ Non valebit teſtamentum, neque tertia pars adjudicatur hæredi nominato; quia teſtator defecit in parte ſubſtantiali ſuæ voluntatis, & non perfecit teſtamentum; ſi vero nominato primo hærede abſq; nominatione aliorum perfecit teſtamentum, & illud ſubſcripſit, tunc tale teſtamentum non vitiatur quo ad hæredem ſcriptum, ſed ſolum quo ad hæredes non ſcriptos, *Paulus de Caſtro. in l. jubemus C. de teſt. num. 3.*

6 Si teſtator in teſtamento aperto delineat aliqua verba, vel legatum, irritabitur ne totum teſtamentum?

℟ Non; ſed ſolum quo ad partem delineatam, *l. noſtram C. de teſtam.*

7 Si teſtator facit teſtamentum coram Notario publico, & ipſe poſuit illud in ſuo protoculo, & dedit teſtatori tranſumptum, & teſtator rupit tale tranſumptum, & cancellavit ſed non cancellavit protoculum, ſi talis moriatur abſque alio teſtamento, valebit ne protoculum illud?

℟ Cum *Bart. & Paul. de Caſt.* quod non valebit; quia talis ruptio teſtamenti fuit ruptio, & cancellatio talis protoculli, cum utrumque pendeat ex voluntate teſtatoris *l. noſtram. C. de teſtam.*

8 Quare in teſtamento requiritur major ſolemnitas, quam in alijs contractibus inter vivos?

℟ Quia ſæpe fiunt ab infirmis, quibus vires mentis, & corporis deficiunt, & ſic ut fraudes tollantur, major ſolemnitas ponitur à lege. *Paul. de Caſtr. l. jubemus C. de teſtam. num. 7.*

9 Si mercator dicat in ſuo libro, Titius debebat mihi centum, & ab eo accipio pro reſiduo decem, & poſtea dictus mercator, vel hæres petat à Titio nonaginta, & Titius non poſſit probare ſolutionem nonagintorum, quid agendum?

℟ Titius liberabitur; quia in verbo illo, reſiduo, nonaginta continetur. *l. ex. ff. de ſolutionib.*

## CAPUT XXIX.

## De Succeſſionibus ab inteſtato.

1 Quid eſt ſucceſſio ab inteſtato?

℟ Quando quis claudit ultimum diem ſine teſtamento, vel cum teſtamento rupto vel invalido. *Hoſtien. in ſum. tit. de ſucceſſionibus ab inteſtato, & gl. c. 1. eod.*

2 Clericus poteſt ne teſtari?

℟ Poteſt, tam de bonis proprijs patrimonialibus, quam acquiſitis intuitu ſui beneficij, & poterit inſtituere hæredes, ſicut laicus *c. 1. eod. tit.*

3 Si Clericus diſcedat inteſtatus, quis ſuccedit in bonis ejus?

℟ Hæredes legitimi, & his deficientibus, conſangvinei, & ſi non ſint, Eccleſia, in qua eſt beneficiatus, vel cui eſt adſcrptus. *c. 1. eod. tit. de ſucceſſionibus ab inteſtato.*

4 Clericus tenetur ne ex proprijs bonis aliquid relinquere Eccleſiæ, cui ſervit?

℟ Non, ſed bonum eſſet ei aliquid relinquere; quia habetur loco matris. *Abb. in c. cum dilectus eod. tit. num. 2. de ſucceſſ ab inteſtato.*

5 Bona patrimonialia Clerici, ſi diſcedat ſine teſtamento, ad quem pertinent?

℟ Ad Eccleſiam, cum ſerviebat tempore mortis. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 1.*

6 Si talis non ſerviat alicui Eccleſiæ tempore mortis, & diſcedat inteſtatus, ad quem pertinent bona illius?

℟ Ad Epiſcopum, non ut ipſe his bonis fruatur, vel convertat in ſuos uſus, ſed ut det pauperibus, & operibus pijs. *Abb. ubi ſup.*

7 Subſtantia Clerici morientis ab inteſtato, quomodo dividitur?

℟ Debet dividi ab Epiſcopo in quatuor partes. 1*ma*, Epiſcopo. 2*da*, Eccleſiæ. 3*tia*, pauperibus. 4*ta*, parentibus idoneis *c ſancto, eod. tit. & ibi gloſſ.*

8 Sufficit ne unus teſtis ad probandam validitatem teſtamenti?

℟ In favorem Eccleſiæ, vel operæ piæ unus teſtis cum alijs adminiculis vehementibus ſufficit, ſed in favorem ſæcularium non ſufficit. *cap. cum dilectus, de ſucceſſionibus ab inteſtato, & ibi gloſſ.*

9 Si parentes Clerici morientis ſint hæretici, poteſt aliquid illis donare, vel hæredes eos inſtituere?

℟ Non, quia delictum hæreſis privat eos omni commodo, & tales ſunt excommunicati à jure. *gloſſ. in cap. ſancto, eod. tit.*

10 Si Clericus de facto inſtituat hæreticum hæredem, quid agendum?

℟ Talis reputatur quaſi deceſſiſſet ab inteſtato licet ille ignoraverit talem eſſe hæreticum. *cap. ſancto, eod. tit. & Abb. ibi.*

11 Teſtamentum factum per verba enunciativa valet ne?

℟ Valet quo ad pias cauſas, & in favorem Eccleſiæ. *c. cum dilectus. eod. tit.*

12 Quæ ſunt verba enunciativa?

℟ Illa, quæ exprimunt voluntatem per verba de præterito, vel de præſenti, non autem de futuro; ut ſi quis dicat bona mea donavi monaſterio, vel de præſenti dono, & non dicat, vel volo donare *c. cum dilectus eodem tit.*

13 Si quis alieno ore, & non ſuo, voluntatem ſuam teſtamento enuntiet, valebit ne tale teſtamentum?

℟ Ad pias cauſas, & in favorem Eccleſiæ valebit. *Abb. in c. cum dilectus, eod. tit. ut ſupra num. 1.*

14 Verba enunciativa per alium prolata, habent ne vim teſtamenti?

℟ Solùm ad pias cauſas; & in teſtamento militis hoc à jure conceſſum eſt in favorem militiæ, ubi notarij non ſunt. *Abbas in capit. cum dilectus. eod. tit. numero 14.*

15 In teſtamento poteſt ne quis facere contractum vel delictum confiteri?

℟ Affirmativè, quia habet libertatem ſicut in alijs contractibus. *Abb. ubi ſup. num. 4.*

16 Si quis confiteatur in suo testamento, se habuisse bona aliena, & quod restituantur, si postea convalescat, poterit ne compelli ad restituendum?

℞ Distinguendo; si pars fuit præsens, vel notarius, vel talis confessio fuit jurata, poterit compelli: si verò nihil harum rerum fuit, non poterit, sed requiritur alia probatio. *Abb. ubi sup. num. 19. in c. cum dilectus.*

17 Si furiosus sit semel furiosus, & faciat testamentum in sana mente, quis debet probare sanitatem illius?

℞ Ille, quem instituit hæredem; quia semel furiosus de jure semper præsumitur furiosus, cum sit infirmitas difficilis curæ. *Abb. ubi sup. in cap. cum dilectus, num. 20.*

# CAPUT XXX.

## De Sepulturis.

1 Quid est sepultura Ecclesiastica?

℞ Est locus, vel sepulchrum in loco sacro, vel cæmeterio, ubi corpora defunctorum requiescunt, usq; in diem judicij. *Vgolin. de offi. & pot. sta. Episcopi tract. 1. c. 16.*

2 Sepultura, vel jus habendi, & ponendi in tali loco sedilia, potest ne vendi?

℞ Non; neq; de illa re transferri dominium directum, ita ut emptor Dominus fiat, quia locus sacer est, & alienari nequit. *l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de verb. oblig. l. in tantum. § sacræ. ff. de rerum divisione;* neque auctoritate Episcopi hæc alienari possunt. *Abb. in c. abolendæ, de sepulturis, numero 1.*

3 Facultas sepeliendi aliquem, & ponendi sellam, vel scamnum in certo loco potest ne dari, & à quo?

℞ Potest, & à quocumque parocho, ita quod nullum jus transferatur, & possit hæc facultas ab ipso parocho adimi ad arbitrium suum; non enim præscribi potest locus in Ecclesia. *Abb. ubi sup. num. 5. & Navar. cons. 1. vod. tit. nostro.*

4 Quis debet sepelire mortuos, & facere officium presbyteri in processione defuncti?

℞ Parochus proprius illius defuncti, vel alter Clericus de licentia parochi. *Clement. dudum, de sepultur. & c. ex parte, il 1. eod. tit.*

5 Quæ privilegia excipiuntur ab hac revocatione generali facta. *à Conc. Trid. Sess. 25. de Ref. c. 13.* supra quartam funeralem?

℞ Excipiuntur monasteria illa, quæ habent privilegium per quadraginta annos ante publicationem Concilij accipiendi quartam funeralium.

6 Potest ne parochus petere, vel accipere aliquid pro sepeliendis mortuis?

℞ Non, nisi sit consvetudo. *Abb. ubi supra num. 6. & c. ad. apostolicam, de simonia,*

7 Quando quis eligit sepulturam in aliqua Ecclesia, quæ non est sua parochia, quid debet percipere proprius parochus?

℞ Quartam funeralem. *Clem. dudum, de sepult. §. verum; & ibi glos.*

8 Quæ est quarta funeralium?

℞ Quarta pars missarum, & piorum legatorum, vel eleemosynarum, quas defunctus reliquit pro anima sua. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 13. ut latè dixi lib. 4. c. 45. de parochis.*

9 Quando quis extra suam parochiam sepelitur, vel jubet extra suam parochiam dici suffragia, cui debetur de jure quarta funeralium?

℞ Ecclesiæ Cathedrali, vel parochiali, etiam si ex privilegio talis quarta funeralium concessa fuerit alicui monasterio, vel hospitali, quia talia privilegia revocata fuerunt, & etiam si sint contenta in Mari magno per *Conc. Trid. Sess. 25. c. 13.*

10 Si sit consvetudo in aliqua Ecclesia percipiendi tertiam partem, vel medietatem funeralium, debet ne servari?

℞ Talis consvetudo servanda est. *Bal. in cons. 70. quem refert. & sequitur Tus. us littera Q conclusione 23. & 30.*

11 Si oriatur lis inter monasterium, & parochum super quarta funeralium, cui incumbit onus probandi?

℞ Si monasterium sit in possessione, vel quasi percipiendi quartam funeralium, parocho; si verò monasterium non sit in possessione monasterio. ita. *DD. super. capit. 13. Sess. 25. Conc. Trid. de hoc dixi latè libro 6. capit. 12. de sepultura in Ecclesijs regularium.*

12 Si aliquod monasterium habeat privilegium percipiendi quartam funeralium, & tale privilegium non sit in usu, quid agendum?

℞ Non, poterit amplius uti tali privilegio, neque percipere quartam funeralium; ratio est, quia jam est derogatum tale privilegium, & data quarta funeralis Rectori parochiæ. *per Conc. Trid. Sess. 25. cap. 13. de Ref.*

13 Poterit ne quis libere sibi eligere sepulturam in Ecclesia, in qua voluerit?

℞ Potest, *cap. 1. de sepultur. & cap. cum. quis. §. si quis eodem titul. in 6.*

14 Si quis moriatur in altera parochia, vel ex testamento in alia sepeliatur quid agendũ?

℞ Si moriatur in aliena, vel in conventu à proprio parocho, usque ad Ecclesiam deducendus est, *c. 1 & c. licet, de sepultu. is. in 6.*

15 Cum aliquis sepellitur in Ecclesia regularium, possunt ne regulares ingredi in parochiã alienam cum cruce invito parocho?

℞ Licet variæ fuerint opiniones, hæc difficultas jam sublata fuit, & sicut dicti regulares etiam prætextu consvetudinis non intrent in parochiam alienam processionaliter cum cruce ad deferenda corpora defunctorum, nisi vocato proprio defuncti parocho, & eo præsente, nisi ipse det licentiam ad contrarium faciendum. *Steph. Quaranta in sum. Bulla:* ubi refert hoc decretum, & de hac materia dixi *lib. 6. cap. 12. per totum.*

16 Si quis habeat sepulchrum suorum majorum & moriatur, & non eligat sibi specialem sepulturam, ubi sepeliendus est?

℞ In sepulchro suorum majorum c. 1. de sepulturis, tamen quarta funeralium parochiæ debetur.

17 Si quis relinquat anniversarium perpetuum, & non dicat in qua Ecclesia, ubi dici debet?

℞ In

℞ In Ecclesia, in qua sepultus fuerit *Cuman. cons. 5. Tulc. pract. quæst. con. 337. lit.* A.

18 Inducentes aliquem, ut sepeliatur in tali Ecclesia, quæ non est sua parochia, quam pænam incurrunt?

℞ Si sint fratres religiosi, vel clerici sæculares, suspenduntur per *clem. fin. de pœnis § fin.*

19 Beneficiatus, monachus, uxor, & Peregrinus si non eligant sepulturam, ubi sepelliri debent?

℞ Beneficiatus in Ecclesia sui beneficij, monachus, in monasterio, uxor in sepultura sui mariti, peregrinus in parochia, ubi moritur. *c. fin. de de sepultur. lib 6. Tusc. concl. 277. l.* P.

20 Si uxor habuit plures viros, cum quo sepelletur?

R Cum ultimo. *Tusc. ubi sup.*

21 Si creditor petat, ut aliquod corpus defuncti sui debitoris, ut pinus quoddam sequestretur, & non sepeliatur, donec peccunia debita ei solvatur, quid debet ordinare judex Ecclesiasticus?

℞ Debet dare licentiam, ut tale corpus sepelliatur, non obstante petitione creditoris. auth: ut cum de appellatione cognoscitur. *DD. in l. cum sit injustum* C. *de sepul. violat.* & hanc esse communem opinionem testatur Vivius in sua Sylva. opin. 171 & quamquam creditor apellet, non est audiendus. *DD & gl. in c. ex parte, ilo 1mo, de sepul. l. fin.* C. *de appellat. Farinac. lib.* 1. *var. quæst. crim. tit. de delictis. & pœnis q. 20. num.* 139.

22 Creditor, qui hoc petit, quam pænam incurrit?

℞ Varias, pænas & etiam ille, qui tempore ægritudinis debitorem molestia afficit, quas recenset Farin. ut supra, & Monachus, de arbitr. judicijs. & auth. item qui, C *de sepul. violato.*

23 Qui carent sepultura Ecclesiastica, ita ut in loco sacro sepeliri non debeant, & sepulturi ab eo extrahi possint?

℞ Plurimi. 1mo, qui in torneamentis moriuntur. c. 1. *&* 2. *de* torneamen. 2do, qui in duello. *Trident. Synod, Sess.* 25. *c.* 19. *de reform.* 3tio, qui semel in anno non est confessus, neque sumpsit Eucharistiam, nisi de consilio sacerdotis prorogasset *c. omnis depænit.* 4to, monachus, qui cum peculio sine licentia Abbatis mortuus est *c. monachi, de statu mon chorum* 5to, usurarij manifesti, nisi prius satisfacerint, vel jusserint satisfieri *c. quia de usurpat.* 6to, qui Deum maledixerunt, si pænitentiam non egerunt. c. 2. *de maledictis* 7mo. excommunicati notarij, & denuntiati *Stephan. Quaranta tract. de censuris. tabul.* 2. *c.* 9. 8vo, interdicti notorij, & denuntiati. *Quaranta ubi supr. c.* 3. *tabul.* 9no, publici peccatores, qui pænitentiam non egetur. 10mo, qui in articulo mortis requisiti noluerunt confiteri sua peccata, nec dant signa contritionis, & qui se ipsos occiderunt animo desperandi, sed non effugiendo aliud majus periculum, ut qui laqueo se suspendent, propter desperationem, hoc intelligitur, si sint mentis compotes, non autem si sint insani. c. placuit, 23. q. 5. *& alij relati à gloss. in c. ex parte, il. 2. de sepultur. Navar. cons. 7. eod. tit. Trid. Syn. sess.* 25 *c.* 19. 11. Hæretici, fautores, defensores hæreticorum. *c. quicunque de hæreticis in* 6.

24 Suffragia, & Missæ, vel eleemosynæ, seu orationes quis debet curare, ut fiant pro defunctis?

℞ Episcopus, & parochus ejus loci. *Trid. Syn. Sess.* 25. *de purgator.*

25 Corpora defunctorum possunt ne transferri in aliam Ecclesiam?

℞ Non: sine licentia superioris, & jussa causa ruinæ Ecclesiæ, nisi fuissent deposita; tunc enim portari possunt sine licentia *l.* 1. *C. de religiosis, sumptibus funerum.*

26 Potest ne Episcopus, vel judex Ecclesiasticus concedere licentiam judici sæculari exhumandi corpus defuncti ad finem capiendi informationes?

℞ Potest absque metu irregularitatis, quia actus, qui requiritur ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, debet esse proximus, & directus in mortem alicujus, sed iste actus est causa remota *Soto de just. & jur. l.* 5. *quæst.* 1. *art.* 9. *Navar. in manual. c.* 27. *num.* 207.

27 Quam pænam incurrunt sepelientes excommunicatum in loco sacro?

℞ Si scienter hoc faciant sunt ipso facto excommunicati, etiam si sint Religiosi exempti; ratio est, quia pro excommunicato non orat Ecclesia, & est quasi membrum putridum Ecclesiæ, ut *Abb. in c. ad hæc, de privilegijs, n.* 1.

28 Quam pœnam incurrunt sepelientes corpus alicujus Christiani occultè extra Ecclesiam propter aliquem finem?

℞ De Jure civili habet pœnam mortis, quia semper hoc fit ad occultandum aliquod magnum delictum, vel ad occultandam pestem, ut tempore pestis sæpè contigit, ne eorum bona igne cremarentur; de Jure verò canonico ipso facto excommunicantur.

29 Quam pœnam incurrunt, qui exhumant corpora fidelium, ut ea spolient vestibus, vel anulo, vel ex alia causa sive justa, sive injusta?

℞ Si id faciant sine licentia Judicis Ecclesiastici, de Jure civili habent pœnam mortis, de Jure verò Canonico excomunicantur; ratio est, quia corpus fidelis defuncti habetur in Ecclesia, & sepulchro, sicut in sua requie, usque ad diem ultimi Judicij, & violatur illud tabernaculum, & domus defuncti, & ideo habent pœnam violatoris, & pœnam sacrilegi, cum talis violatio, & vis fiat in loco sacro, ut habetur *in l. Prætor ait ff. de sepulchro violato. §. adversus eos, & tenet Iulius Clarus lib,* 5. *quest.* 68. §. *ultim. num.* 45. *tenet. Mona h. lib.* 2 *de arbitrarijs casu,* 264.

30 Quando aliquis defunctus depositatur in aliqua Ecclesia, ut inde transferatur ad aliam, ut solent facere magni Principes, qui extra suam patriam viam universæ carnis ingrediuntur, quid est faciendum in translatione?

℞ Quando sepelitur, debet fieri testimonium authenticum, quod talis non sepelitur, sed depositatur & tempore translationis hoc instrumentum debet præsentari ante Judicem Ecclesiasticum, & ab eo datur licentia, ut transferatur secundum voluntatem defuncti, & hæc licentia

centia debet notificari Parocho, vel majori talis Ecclesiæ, & tunc, dicta Missa de requie, potest transferri illud corpus in proprium sepulchrum.

31 Si Ecclesia vetustate sit diruta, vel in aliquo loco fiat Ecclesia nova, cum qua licentia possunt corpora defunctorum transferri in Ecclesiam novam?

℞ Cum licentia Ordinarij illius loci; ratio est, quia hoc est mutare sepulchrum, sed illud renovare.

## CAPUT XXXI.
## De Decimis.

1 Quid est decima?

℞ Est Quædam portio, & quota fructuum terræ debita Deo, tam divino, quam humano jure, ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ *Godff. eod. in sum. & DD. in cap. ad Apostolica de decimis n. 1.*

2 Quot sunt species decimarum?

℞ Tres; prædiales, personalis, & mixta.

3 Quæ est decima prædialis?

℞ Decima pars fructuum tritici, & hordei collecti ex prædio *c. ad Apostolica, de Decimis, & ibi glos.*

4 Quæ est personalis?

℞ Decima pars peccuniæ, quæ acquiritur industria & labore personæ. *c. ad Apostolica. eod. tit. nostro, & ibi gloss.*

5 Quæ est mixta?

℞ Fructus ille, qui acquiritur partim ex labore personæ, quæ dantur ex pecudibus, & ovibus *c. non est in potestate, & c. pastoralis, eod. tit. de decim.*

6 Decimæ prædiales cui debentur?

℞ Ecclesiæ, in qua est prædium c. cum sint homines, de decimis.

7 Decimæ personales cui debentur?

℞ Illi Ecclesiæ, in qua quis sumit Sacramentum *c. ad Apostolica de decimis, & ibi gloss. in cap. cum homines. ibi gloss eod. tit. nostro.*

8 Decimæ possunt ne remitti laicis?

℞ Possunt, sed solum per Papam *Abb. in cap. prohibemus, eod. tit. num. 1.*

9 Qui impedit solutionem decimarum qua pæna punitur?

℞ Excommunicatur, & qui integre non solvit, non absolvitur, usque ad integram restitutionem. *Trid. Syn. Sess. 25. c. 12. de reform.*

10 Decimæ cui debentur?

℞ De jure, Parochijs ex privilegio, & bullis Apostolicis, Cathedralibus Ecclesijs, & alijs beneficijs pro rata cuilibet concessa, per totum de decimis. *Trid. ubi sup.*

11 Laici sunt ne capaces decimarum?

℞ Non, sed sunt capaces præscribendi libertatem, non solvendi decimas *Nau. cons. 2. n, 5. de decim.*

12 De agro navali debentur ne decimæ?

℞ Debentur.

13 Ubi est præscriptum, ut non solvatur decima personalis, tenetur ne quis eam solvere?

℞ Non, quia tales jus præscribi potest.

14 Potest ne quota decimarum præscribi, ita ut pro decima solvatur aliqua certa quota pro sustentatione Clerici, vel detur illi prædium ad ejus sustentationem?

℞ Potest, quia tale jus est præscriptibile, ut dictum est.

15 Decimæ præscribuntur ne ab una Ecclesia contra aliam?

℞ Affirmative.

16 Quid est præscriptio:

℞ Acquisitio dominij rei immobilis per continuationem possesionis cum bona fide propter à jure definito. *Hostiens. in sum. de præscriptione rerum immobilium, n. 1.*

17 Regulares tenentur ne solvere decimas?

℞ Tenetur solvere de prædijs, quæ ab alijs conduxerunt, vel ad eos pervenerunt; dummodo prædia ab initio decimas solverint. *c. dilecti filij c. commissum. de decimis. Abb. c. de decim.*

18 Clerici tenentur ne solvere decimas?

℞ Tenentur de prædijs sui patrimonij. *c. dilecti filij eod. tit. & ibi glos. Abb. in cap. 2. de decim.*

19 Judæi tenentur ne solvere decimas?

℞ Tenentur de terris, quas colunt in civitatibus christianorum *c. de terris de decim.*

20 Decimæ debent ne solvi in principio anni, vel in fine?

℞ Prædiales, quando fructus colliguntur, personales in fine anni?

21 Fructus decimarũ possunt ne concedi in dotẽ?

℞ Non, licet possint vendi, & locari. *Abb. in c. pervenit. de arbitr. num. 2.*

22 Decimæ sunt ne solvendæ exceptis & seminibus?

℞ Licet in quantitate, & qualitate, & expensa solutionis decimarum, & in l. ubi decimæ solvi debent, consvetudo semper servanda sit, & habeat magnam vim, cum sit optima legum interpres, tamen de jure decimæ *integræ solvendæ* sunt absq; eo quod tollantur expensæ, seu semina, quia *integræ debentur.* Deo, sed in personalibus deduci debent expensæ, quia tantum de lucro solvendæ sunt. *glos. in cap. cum homines, cap. non est c. tua nobis de decimis.*

## CAPUT XXXII.
## De conversione Infidelium.

1 Quis dicitur infidelis?

℞ Ille, qui non servat fidem, vel qui frangit fidem Deo vel hominibus.

2 Quoduplex est infidelis?

℞ 1*mo*, dicitur ille infidelis, qui non habuit unquam fidem christianam. 2*do*, ille, qui negat fidem, quam professus est in baptismo. 3*tio* qui machinatur in Regem, vel suum Principem, vel negat obedientiam. 4*to*, ille, qui aliquid præmittit, & postea non adimplet, & frangit fidem.

3 Matrimonium tenet ne inter habentes diversam fidem?

℞ Non, nisi post factum matrimonium ambo ad eam fidem convertantur *Abb. c. 1. de conversione infidelium. num. 3.*

4 Si duo infideles habeant filios, & unus convertatur, & alius non; cui debent assignari filij.

℞ Personæ

℞ Personæ conversæ in favorem fidei, & majorem utilitatem filiorum, ne morentur filij apud suspectas personas. *c. fin. de convers. infidel.*

5 Si aliquis fidelis capiatur in bello licito, efficitur ne servus?

℞ Licet de jure efficiatur servus, tamen de consvetudine efficitur obses, & detinetur quandiu solvat aliquam pecuniam proportionatam qualitati suæ personæ *Abb. in c. 1. eod. tit. num.*

6 Homo cui debet plus patriæ, vel parentibus?

℞ Magis debet patriæ, quam parentibus, & ideo quis poterit occidere suum patrem, si in bello pugnat contra suam patriam, & potest similiter occidere suum patrem bannitum; quia bannitus hostis est patriæ, licet Advocatus magis in lite teneatur postulare pro suo patre, quam pro sua patria, vel civitate, quia hoc non tangit conservationem universi sed privatam utilitatem, ut dixi in titulo de postulando *Abb. c. 1. de conver. infidelium, num. 9.*

7 Quando dicitur abusio?

℞ Propriè quando quis utitur aliqua re contra naturam talis rei. *Abb. c. fin. eod. tit. num. 2.*

# CAPUT XXXIIII.

## De Jure patronatus

1 Hoc nomen patronus, quas significationes habet?

℞ *1mo.* In jure civili, Advocatus dicitur patronus, quia causas patrocinatur. *l. rem non novam.* § patroni. C. *de judicijs 2do*, dominus respectu servi dicitur patronus; in jure vero Canonico, qui Ecclesiam extruxit: quia sicut pater ducit filium de non esse ad esse, sic patronus deducit Ecclesiam ad esse. *Abbas in rubr. de jure patronatus, num. 2.*

2 Quæ differentia est inter præsentationem, & nominationem?

℞ Nominatus propriè dicitur antequam præsentetur ante superiorem; præsentatus vero dicitur quando quis personaliter est præsentatus coram Episcopo, & sic quis absens poterit nominari, sed non præsentari. *Franc. c. fin. de jur. patronatus num. 6. not. Gloss. in coment. dudum, de sepultur. verbo præsentari.*

3 Quod est officium patroni, cum beneficium vacat?

℞ Nominare, & præsentare, & si sit juris patronatus Ecclesiastici, instituere. *Trid. Synod. Seß. 24. c. 18. de reformat.*

4 Qui dicuntur instituti?

℞ Secundum leges sunt hæredes ab aliquo in hæreditatem ducti, & hoc in primo gradu. *l. 1. ff. de vulg. substit.*

5 Substituti, qui dicuntur?

℞ Illi, qui succedunt in loco primorum institutorum in secundo gradu, quia primi mortui sunt *instit. de pup. subst. in princ.*

6 Quid est nominatio?

℞ Quando patronus laicus nominat aliquem Clericum virtute privilegij; quod habet ad aliquod beneficium, sive simplex, sive curatum.

7 Quid est præsentatio?

℞ Quædam præpositio, quam facit patronus Episcopo de aliquo idoneo clerico, ut Episcopus eum instituat in tali beneficio. *Geffred. in sum. tit. de jure patronat.*

8 Quid est institutio?

℞ Secundum leges, est primus gradus institutorum. *l. 1. C. de liber. præter.* sed secundum Canones est collatio beneficij, Ecclesiastici habentis jus per præsentationem *Geffred. ubi supra*

9 Quid est collatio beneficij, vel præbendæ?

℞ Conferre alicui aliquod beneficium, vel eum in beneficium introducere *Geffred. ubi sup.*

10 Quid est investitura?

℞ Additio possessionis, & ultimus effectus collationis, & communiter fit per traditionem, & & apprehensionem alicujus rei, veluti per impositionem pilei, per claves, vel per librum, & tale signum significat possessionem corporalem, quam institutus apprehendit *Geffred. ubi supr.*

11 Quid competit patrono ratione juris patronatus?

℞ Onus, honor, & utilitas. *c. nobis de jur. patronatus Ioan Andr. c. 1. eod. tit.*

12 Quod est onus, quod competit patrono?

℞ Tenetur Ecclesiam defendere ab omnibus oppressionibus, & eam reædificare. *c. quia Clerici, de jure patronatus, & Abb. ibi num. 4.*

13 Qualis est honor, qui competit patrono?

℞ Ire primus in processionibus, habere locum separatum commodiorem, & eminentiorem in in Ecclesia *c. bonis, de jur. patronatus glo. in c. unico, de jure patronatus in 6.*

14 Quæ utilitas competit patrono?

℞ Præsentare aliquando suos consangvineos, vel familiares, & si venerit in paupertatem debet ali moderate de bonis Ecclesiæ. *Abb. in rubr. de jur. patronatus, num. 5. c. nobis, eod, tit.*

15 Potest ne aliquis institui sine præsentatione?

℞ Non, alias institutio erit nulla. *6. q. 2. cap. 1.*

16 Quotuplex est jus patronatus?

℞ Duplex, Ecclesiasticum, & Laicum *c. unico. de jur. patronatus, libr. 6.*

17 In quo differunt jus patronatus Ecclesiasticum, & laicum?

℞ *1mo*, in eo, quod jus patronatus Ecclesiasticum est institutum ex proprijs bonis Ecclesiæ, & laicum ex bonis sæcularibus *2do*, patronus laicus habet quatuor menses ad præsentandum, patronatus Ecclesiasticus habet sex *3tio*, laicus potest præsentare plures, vel unum post alterum, & variare; Ecclesiasticus vero non potest variare, quia majorè habet scientiam. *c. unico, de jure patronatus lib. 6. Trid. Synod. seß. 14. c. 12. seß. 25. c. 9. de refor.*

18 In quo consistit, quod sit jus patronatus Ecclesiasticum, vel laicum?

℞ Non in eo, quod fundator sit Clericus, vel laicus, sed in eo, quod fundatio fiat ex bonis Ecclesiasticis, ut patrimonialibus taliter, quod, si Episcopus ex bonis patrimonialibus fundet Ecclesiam, dicetur jus patronatus laicorum, & si laicus ex bonis Ecclesiæ, veluti ex aliquo beneficio dotet Ecclesiam, dicetur jus patronatus Ecclesiasticum *Achill. de Graß. inc. 1. de jure patronatus*

*patronatus Mandoſius in tit. de jure patronatus.*

19 Quot ſunt ſpecies juris patronatus, & quas differentias inter ſe habent, de quibus loquitur *Trid. Syn. Seſſ.* 24, *l.* 18.

℞ Quinque 1mo, eſt jus patronatus in aliquibus Eccleſijs receptivis nuncupatis. 2do, jus patronatus Eccleſiaſticum, in quo Epiſcopus habet inſtitutionem. 3tio, jus patronatus, in quo Epiſcopus non habet inſtitutionem 4to, jus patronatus laicorum. 5to, jus patronatus mixtum. *Trid. Syn. Seſſ.* 24. *c.* 18. *de refor.*

20 Quod eſt jus patronatus in Eccleſijs nuncupatis receptivis ?

℞ Quando in aliqua Eccleſia non poſſunt recipi ad beneficia curata, & ſimplicia, niſi homines nati in illa diæceſi, vel oppido, & ideo dicitur jus patronatus, quia habet jus quaſi hæditarium à patribus, ut nulli alij recipiantur in illa Eccleſia, ſicut in Hiſpania, in Epiſcopatu Calagurritano, & in Archiepiſcopatu, & in Epiſcopatu Palentino, & Burgenſi, & de hoc loquitur *C. Trid.* & de beneficijs in quibus Epiſcopus ſolus poteſt providere, & qui jus patronatus habet *c.* 18. *Seſſ.* 24. *ſup. cit.*

21 In athoc jure patronatus, ſi vacat beneficium curatum, vel in beneficij s, in quibus Epiſcopus ſolus poteſt providere, quid debet agere, & quas ſolennitates debet ſervare ?

℞ Habita notitia vacationis Epiſcopus ſolus debet providere Vicarium, qui gubernet Eccleſiam cum congrua portione ejus arbitrio aſſignanda ex fructibus beneficij, deinde infra decem dies debet ponere edicta publica, tranſactoque tempore edictorum ipſe, vel ejus Vicarius ad minus cum tribus examinatoribus Synodalibus, vel pluribꝰ examinare omnes ſcriptos, & inter eos quos examinatores Synod: idoneos judicaverint, Epiſcopus ſolus debet eligere magis idoneum, & illi, & non alteri facere collationem. *Trid. Syn. Seſſ.* 24. *c.* 18. *de refor.*

22 Quod eſt jus patronatus Eccleſiaſticum, de quo loquitur *Conc. Trid. Seſſ.* 24. *c.* 18. §. *ſi vero juris patronatus*?

℞ Quando aliquis de bonis Eccleſiaſticis fundat aliquod beneficium curatum, & relinquit patronum Eccleſiaſticum, ſed dignitatem alicujus Eccleſiæ, vel Abbatem alicujus monaſterij, vel moniales; & ſi inſtitutio hujus beneficij pertinet ad Epiſcopum diæceſanum; tunc vero dicitur jus patronatus Ecclſiaſticum, & de hoc loquiur *Conc. Trid. in* §. *ſi vero d. Seſſ. ubi ſup.*

23 Quando vacat beneficium curatum juris Eccleſiaſtici, quid debent facere Epiſcopus, & patronus?

℞ Ponere edicta, examinare omnes ſcriptos cum Synodalibus, ſicut ſupra, & inter eos, quos examinatores Synodales idoneos reputaverint, Patronus ſolus magis idoneum eligat, & Epiſcopus ei, & non alteri inſtitutionem faciat. *Trid. Syn ubi ſupra.*

24 Si vacaverit beneficium juris patronatus, in quo Epiſcopus collationem non habet, quid debent facere Epiſcopus, patronus, & collator inferior ?

℞ Ponere edicta, examinare cum Synodalibus omnes volentes examinari, & ex approbatis ab examinatoribus, Epiſcopus ſolus eligat magis idoneum, & eum tradat patrono, patronus præſentat inferiori collatori, & ipſe illi, & non alteri facit collationem. *Trid. Syn. Seſſ.* 24. *c.* 18. *ut ſup.*

25 Quod eſt jus patronatus laicorum ?

℞ Quando aliquis ex bonis patrimonialibus fundat aliquod beneficium curatum, ſive relinquat patronum Eccleſiaſticum, ſive laicum. *Abb. in rubr. de jur. patr. num.* 6.

26 Si vacaverit beneficiũ curatũ juris patronatus, Laicorũ quid debet facere Patronus & Epiſcopus?

℞ Patronus præſentare unum vel plures: ſi unum præſentet, examinatores, ſi illum idoneum invenerint, Epiſcopus debet facere illi collationem; ſi vero plures præſentet, inter illos ſolos debet fieri concurſus, & inter eos, quos examinatores idoneos invenerint, Epiſcopus debet eligere magis idoneum, & illi facere collationem *Trid. Syn. Seſſ.* 24. *c.* 18. *ubi ſup.*

27 Quod eſt jus patronatus mixtum ?

℞ Quando quis dotavit beneficium curatum, partim ex bonis Eccleſiaſticis, partim, ex bonis patrimonialibus.

28 Si vacaverit beneficium juris patronatus mixti quid debet facere Epiſcopus, & quid patronus?

℞ Concurſus eſt faciendus, & omnia ſervanda, ſicut in beneficio juris patronatus Eccleſiaſtici, quia acceſſorium ſequitur naturã ſui principalis.

29 Inſtitutio ad quem pertinet, poſtquam patronus præſentavit ?

℞ Ad Epiſcopũ ſolum. *Trid. Syn. Seſſ.* 24. *c.* 18. *ut ſupra.*

30 Quomodo conſequitur aliquis jus patronatus?

℞ 1mo, fundatione facta ex ſuis proprijs bonis de conſenſu Epiſcopi 2do, dotatione, ut ſi quis dotet Eccleſiam de ſuis bonis 3tio, emptione, ut quando venditur, vel alienatur jus patronatus. 4to, donatione. *Trid. Syn. Seſſ.* 25. *c.* 9. *de refor. Abb. c. illud, de jure patronatus, & in rubr. nu.* 6. *eod. tit. c. quicunque* 17. *q.* 4. *c. filiis,* 16 *q.* 7.

31 Si plures idonei præſententur Epiſcopo, quis eorum debet eligi ?

℞ Ille quem Epiſcopus judicaverit magis idoneum; & ſi omnes æqualiter ſint idonei, quem ipſe voluerit *Conc. Trid. Seſſ,* 24. *c.* 18. *de refor. & ſeſſ.* 25. *c.* 9. *Ugolin. de offic. & poteſt. Epiſcop. fol.* 137

32 Quis debet approbare & confirmare jus patronatus, quando de novo fit ?

℞ Epiſcopus, quia ſui muneris, & juriſdictionis eſt *c. unico, de jure patronatus lib.* 6. *Ugol. de offic. & poteſt. Epiſcop. fol.* 131. *p.* 2.

33 Quibus modis amittitur jus patronatus ?

℞ Pluribus 1mo, venditione. 2do, uſurpatione bonorum Eccleſiæ 3tio, ſi probari non poſſit per inſtrumentum authenticum, vel per multiplices præſentationes 4to, ſi quis per ſe, vel per alium occiderit Rectorem in beneficio juris patronatus; quia ſua malitia non debet conſequi commodum. 5to. propter hæreſim. *Conc. Trid. Seſſ.* 25. *c. de refor. Abb. in c. in quibuſdam, pænis*

34 Quibus modis amittitur jus patronatus, ad tempus, vel pro una vice ?

℞ Alijs

℞ Alijs quinq; modis 1mo, si legatus à latere sibi reservaverit aliquā præsentationem. 2do, quando quis præsentavit indignum, si est laicus patronus, præsentatio devolvitur ad quem collatio pertinebat, nisi probet ignorantiam : si sit Clericus patronus, non excusatur ignorantia. 3tio, si intra tempus non præsentavit. 4to, quando est patronus excommunicatus, & denuntiatus 5to, si lis oriatur supra jus præsentandi, & Patronus non sit in possessione. *c. cum vos, de offic. ord. Ugol. de offic. & potest. Episc. p. 2 fol.* 340.

35 Si dubitetur de jure patronatus, & beneficium vacet, quid debet facere Episcopus durante lite?

℞ Ponere edicta, examinare, dare fidem magis idoneo, ut recurrat ad sedem Apostolicam.

36 Jus Patronatus potest ne acquiri in Ecclesia jam constructa, & consecrata ?

℞ Si Ecclesia sit absque dote sufficienti, & aliquis ex consensu Episcopi eam dotet sufficienter, potest acquirere jus patronatus propter majus bonum Ecclesiæ *Innocent. in rubr. de jure patronatus Rot. decis.* 528. *p.* 1. *divers.*

37 Quanta dos Ecclesiæ constitui debet à patronis, ut jus patronatus acquiratur ?

℞ Si Ecclesia sit Cathedralis, vel Collegiata, debet constitui tanta dos, ut commodæ sint dignitates, Canonici, Capellani, servientes musicæ, luminaria, & omnia necessaria ad cultum Ecclesiæ; si vero sit Monasterium, tanta dos, ut possint sustentari Presbyteri, Diaconi, & cantores, lectores, hospites recipi, & jura Episcopalia solvi, & cæteri omnes. *Gl. in c. cum sicut de consecratione Ecclesiæ*; si vero sit aliqua Ecclesia, quæ nō sit Collegiata, tanta dos, ut possit sustentari unus Presbyter cum suo Ministro. *Gl. in c. ut quisque, de vita, & honestate Clericorum*; si vero sit capella eremitica, ad minus requiritur, ut habeat dotem ad reparationem beneficij, & ad sustentandum unum ministrum, qui eam claudat.

38 In Jure patronatus quæ requiruntur, ut sit perfectus ?

℞ Præsentatio, admissio, & institutio.

39 Præsentatio ad quem pertinet ?

℞ Ad patronum, admissio vero, vel institutio ad Episcopum, vel collatorem.

40 In jure patronatus quid est magis attendendum?

℞ Sive jus patronatus sit laicorum, sive Ecclesiasticorum, semper est attendenda forma juris patronatus, & conditiones ejus; quia patronus cum consensu Episcopi poterit ponere quamcumque legem in fundatione *c. verum de conditionibus apposit. Lamber. lib.* 1. *par.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *n.* 1. *& Abb c.* 1. *& c. gravis, de censibus, n.* 1.

41 Patronus in qua ætate debet esse, ut præsentet?

℞ Major septennio *Calder. in cons* 8. *de jure patronatus*

42 Procurator cum mandato poterit ne præsentare?

℞ Si mandatum sit speciale, tutor, tutrix, & procurator possunt præsentare. *Cald. ubi sup.*

43 Si Patronus moriatur, & relinquat uxorem gravidam, poterit ne uxor nomine viventis in utero præsentare, cum talis habeatur pro nato. *ex l. qui in utero ff. de statu hominum* ?

℞ Non poterit præsentare; ratio est, quia in præsentatione de commodo Ecclesiæ agitur, non de commodo hominis, de quo loquitur talis lex & licet etiam sit commodum hominis non nati posse præsentare, sicut acquirere alia jura, & possessiones, tamen præfertur commodum Ecclesiæ, & sic præsentatio debet fieri ab homine habente usum rationis. *Ugolin. folio.* 135. *par.* 2.

44 Jus patronatus descendit ne per capita, vel per stirpem ?

℞ Per stirpem : exempli gratia, si duo fratres habent jus patronatus, & unus habuit decem filios, & alius habuit unum: illi decem filij habebunt unam vocem, & ille unus aliam vocem æqualem, quia hæc successio regulatur ad instar successionis hæreditatis, in qua successio locum habet stirpis, scilicet, quod quatuor filij descendentes ab uno fratre tantum hæreditabunt de bonis avi, sicut unus filius descendens ab altero fratre, cum inter duos illos fratres debeat æqualiter dividi hæreditas avi nulla habita ratione filiorum, & hæc successio vocatur per stirpem. *Clemen. c.* 2. *de jur. patr. c.* 1 *eod. tit. Innoc ibi.*

45 Si aliquis patronus in præsentatione committat simoniam, vitiat ne præsentationes aliorum patronorum ?

℞ Si præsentationes sint diversæ, & distinctæ, non vitiat, si vero non sint distinctæ, vitiat; & si præsentatus ignarus sit, dictæ simoniæ habebit titulum coloratum, & gaudebit beneficio *reg. de triennali*; nam plures patroni communiter, & non singulariter debent præsentare, ne vitientur præsentationes. *Ant. Burg. in c. cum omnes, tom.* 2 *de const. n.* 337.

46 Cum. *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 18. *§. cum vero*, dicit (cum verò institutio ab alio quam ab Episcopo erit facienda) de quo collatore intelligitur ?

℞ De collatore inferiori Episcopo, nō de superiori

47 Patronus potest ne se ipsum præsentare ?

℞ De jure, non, sed potest præsentari à compatrono, quia debet esse differentia inter præsentante, & præsentatum, & si in fundatione cautum sit, ut patronus possit se ipsum præsentare, fundatio erit observanda, quia fundationibus non est derogatum per. *Concil. Trid. Abb. in c. consuluit, de jure patron.*

48 Quos potest patronus præsentare ?

℞ Filium suum, familiarem, extraneum, absentem, unum, vel plures servando semper institutionem, & quod præsentatus sit idoneus. & habeat qualitates in fundatione requisitas. *Ugol. de offic. & potest. Episc. p.* 2. *fol.* 136.

49 Si quis Episcopus jure devolutivo provideat parochialem, quia patronus non præsentavit intra menses sibi à jure permissos, quomodo debet procedere ?

℞ Faciendo concursum; quia in hoc patronus non læditur, & justitia fit, & Conciliū observatur.

50 Præsentationes plures dicentur nè continuatæ, si una intermediatè reperiatur, quæ non fuerit sortita suum effectum ?

℞ Tunc non erit sufficiens probatio, quia id ponitur *à Conc. Trid. pro specifica forma Sess.* 25. *c.* 9. *& ideo*

*& ideò est adimplenda lex. l. qui hæredis. ff. condictionib. & demonstr.*

51 Quando Concilium dicit, quòd nemo possit gaudere jure patronatus, nisi illud dotaverit proprijs bonis, debet nè intelligi de dotatis ante Concilium, vel post Concilium?

℞ De dotatis post Concilium; nam lex ponitur de futuris, derogatio de præteritis.

52 Si patronus præsentet plures cumulativè ad parochialem Ecclesiam, quid debet Episcopus agere?

℞ Facere inter eos concursum, & servare formã.

53 Si jus patronatus sit ex dote mulieris, quis debet præsentare vir, an mulier?

℞ Mulier est domina suæ dotis, vt ante matrimonium. *l. in. rebus.* C. *de jure dotium*, & vir durante matrimonio est Dominus rerum dotalium juris fictione: & ideò in isto casu vir debet præsentare consentiente muliere.

54 Si Laicus variet, & præsentet primum, & postea secundum, quid agendum?

℞ Tunc relinquitur arbitrio Episcopi, quis eorum præferatur. *c. quod autem, de jur. patr.*

55 Patronus, etiam si sit Clericus, poterit nè habere jus instituendi, vel destituendi?

℞ Non, neque administrandi bona, sed tantùm præsentandi, ista enim officia sunt inter se distincta, & competunt distinctis personis, nempe patrono præsentatio, & præsentato administratio bonorum, de quibus debet sustentari. Abb. *in c. cum autem, eod. tit. nu. 3.*

56 Si vacaverit beneficium juris patronatus Ecclesiastici in mensibus sedi Apostolicæ reservatis, quid debet Episcopus agere?

℞ Ponere edicta, facere concursum, magis idoneum eligere, illiq; dare fidem suæ approbationis, ut à Summo Pontifice instituatur, nulla habita ratione patronorum; quia in hoc casu nihil habent, cum concurrant cum Summo Pontifice. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 18. de Ref.*

57 Si capitulum habeat institutionem, quid est agendum?

℞ Episcopus solus debet eligere dignorem inter approbatos, & debet illum, & non alterum instituere.

58 Si institutio alicujus beneficij pertineat ad Episcopum, & præsentatio ad capitulum, quid agendũ?

℞ Capitulum debet præsentare Episcopo digniorem inter approbatos ab examinatoribus, ut ab eo instituatur. *DD. super c. 18. Sess. 24. de Ref.*

59 PatrõusLaicus debet ne nominare, aut præsẽtare?

℞ Debet præsentare. *Achill. de Grass. de jure patr.*

60 Si Ecclesia fuerit de jure patronatus Laicorum, & in fundatione habeat facultatem patronus, ut possit præsentare Episcopo, quem ipse voluerit, quid debet in hoc casu Episcopus agere?

℞ Tunc præsantatus examinetur ab examinatoribus synodalibus, & si fuerit idoneus admittatur ab Episcopo. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 18.*

61 Potest nè patronus Laicus præsentare primum, & postea variare, secundumq; præsentare recedendo à primo?

℞ Non, sed cumulativè; quia tunc Episcopus habet electionem inter præsentatos.

62 Si parochialis sit juris patronatus Laicorum; debet nè provideri prævio concursu?

℞ Tunc sufficit, ut solus deputatus à patronis examinetur à synodalibus, & non debent admitti alij, & si idoneus judicetur, ei debet fieri collatio. *Conc. Trid. Sess. 24. cit. c. 18.*

63 Potest nè Laicus præsentare, vel instituere aliquem ad beneficium, vel capellam sine interventione Episcopi?

℞ Non, imò debet interven ire in tali præsentatione cum Episcopo, ad quem pertinebat provisio talis beneficij, & patronus laicus non habet jus patronatus, & talis præsentatio sine hac solemnitate erit nulla. *Conc. Trid. Sess. 13 c. 14. de ref.*

64 Si Laicus, & Clericus præsentaverint Titium, & postea laicus variaverit, & præsentaverit Seium quis eorum confirmandus est?

℞ *1mo*, præsentatus quia habet præsentationem Clerici.

65 Si pupillus habeat septem annos, & præsentet unum, & ejus tutor præsentet alterum, quis est præferendus?

℞ Præsentatus à Pupillo.

66 Si aliquis erat in possessione juris patronatus, & præsentavit aliquem, & fuit juridice institutus, & postea per sententiam perdidit jus patronatus; institutus debet ne remanere?

℞ Affirmative; quia actus præsentationis fuit legitimus.

67 Si patronus Ecclesiasticus elegerit digniorem inter approbatos, Episcopus poteritne eligere illum, & reicere alium?

℞ Non, sed necessario debet illum instituere.

68 Si duo æque idonei ab examinatoribus fuerint judicati, patronus Ecclesiasticus poterit ne eligere, quem voluerit?

℞ Poterit, sicut Episcopus potest quando electio ad eum competit.

69 Si quis habet jus patronatus solo pr ivilegio poterit ne post Conc. Trid. illo gaudere?

℞ Non, quia per. *Conc. Trid. Sess. 25. derogatum est tale privilegium.*

70 Si quis velit probare immemorabilem consvetudinem, usque ad quod tempus debet illam probare?

℞ Usque ad tempus litis.

71 Si quis habeat jus patronatus solo privilegio, & vult probare immemorabilem consvetudinem, debet ne audiri?

℞ Affirmativè.

72 Si Episcopus dissimulavit aliquem patronum præsentare contra formam Concilij, hæc permissio excusabit ne patronum à nullitate actus, ab excommunicatione posita *c. præterea, de jure. patronatus*?

℞ Non excusat permissio, nec ignorantia patronum quia quis non excusatur alieno defectu.

73 Jus patronatus quomodo probatur?

℞ Fundatione, dotatione, instrumento authentico, multiplicatis præsentationibus per tam longum, tempus, quod memoriam hominum excedat *Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. de refor.*

74 Si quis probet jus patronatus per alias præsen-

tationes

tationes, quas qualitates debet habere, ut illi prosint?

℞ Debent esse cum causæ cognitione, & servata forma *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 9. *cit.*

75 Probatio juris patronatus debet ne fieri per testes, an necessario per scripturas authenticas pluribus continuatis præsentationibus, quæ omnes sortitæ fuerint suum effectum?

℞ Regulariter excludi debet probatio per testes, & in raro casu admitti.

76 In universitatibus, vel personis ita potentibus, in quibus magis præsumitur jus patronatus usurpatum, quam justo titulo acquisitum, quæ probatio requiritur?

℞ Plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum, quam in alijs particularibus personis, & immemorabilis consvetudo debet probari per tempus quadraginta annorum, & per multiplices præsentationes, quæ omnes sortitæ fuerint suum effectum. *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 9. *de refor.*

77 Jus patronatus poteſtne probari per plures præsentationes, si non appareat ullum instrumentum fundationis, vel donationis?

℞ Si præsentationes fuerint factæ per tempus supra hominum memoriam, erit sufficiens probatio, etiam si in præsumptionibus nulla fiat mentio de fundatione, vel dotatione.

78 Si plures fuerint præsentati ad unum beneficium, quid agendum?

℞ Episcopus faciat concursum de omnibus præsentatis, & ex illis eligat digniorem, faciat ei collationem, sive isti fuerint præsentati ab uno patrono, sive à pluribus.

79 Per quod tempus debent esse præsentationes, ut jus patronatus probetur absque titulo fundationis vel dotationis?

℞ Per quadraginta annos, & debet probare, quod omnes fuerint continuatæ, & sortitæ suum effectum.

80 Si beneficium curatum sit jus patronatus Ecclesiæ, quomodo debet provideri?

℞ Prævio concursu, & examinare, & debent intervenire examinatores Synodales, sicut in alijs beneficijs, quæ non sunt de jure patronatus.

81 Probatio juris patronatus posita à *Conc. Trid. Sess.* 25. habet ne locum in petitorio, vel possessorio?

℞ Præscripta forma debet observari, tam in petitoria, quam in possessorio.

82 Jus patronatus, & unio beneficiorum facta Cathedralibus Ecclesijs, Regibus, & Principibus jura Imperij tenentibus, debent ne probari per multiplices præsentationes per tempus quadraginta annorum?

℞ Non, est eadem regula observanda, cum universitatibus, & alijs personis: quia in illis propter eorum magnam dignitatem non præsumitur fraus, dolus, & sic excipiuntur à *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 9. *cit.*

83 Si aliqua Ecclesia collegialis ex sua institutione habeat jus præsentandi canonicos, poterit ne Episcopus virtute *Conc. Trid. c.* 9. *Sess.* 25. eam consvetudinem tollere, & sibi assumere?

℞ Non, quia collegialis Ecclesia est capax beneficiorum, & juris Ecclesiastici, cum sit corpus Ecclesiasticum *Conc. Trid. Sess.* 25. c. 9.

84 Si Episcopus admiserit aliquam præsentationem, poterit ne postea patrono jus patronatus tolli, si forte non habeat illud secundum formam Concilij?

℞ Talis Episcopus se fecit incapacem in possessorio præsentatione admissâ, sed poterit litigare in petitoria, ne sua dignitas patiatur detrimentum

85 Si voluerint concurrere ad examen beneficij curati aliqui non præsentati à patrono, sunt ne admittendi?

℞ Omnes sunt admittendi, quia agitur de bono Ecclesiæ; & de eligendo magis idoneo. *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 18. *de refor.*

86 Quando jus patronatus pro duabus partibus pertinet ad laicos, & pro una tantum ad Ecclesiasticum, debet ne fieri concursus?

℞ Si beneficium sit curatum, debent fieri concursus, & servari forma posita à *Conc. Trid. Sess.* 24. *c.* 18.

87 Qui præsentatur ad beneficium curatum, vel simplex ab aliquo patrono, à quo debet examinari?

℞ Si sit curatum, à Synodalibus examinatoribus, si sit simplex non est necesse, ut à Synodalibus examinetur *Conc. Trid. Sess.* 7. c. 13. *de refor.*

88 Si in fundatione juris patronatus posita sit expressa, clausula quod Episcopus non debet examinare præsentatum, debet ne observari?

℞ Non; quia est contra jus; ratio est, quia universalis cura animarum de jure pertinet ad Episcopum, & ex consequenti ad ipsum pertinet constituere idoneum substitutum in ea, & eum examinare, & approbare; & ideò datur ei facultas, ut possit examinare, & approbare omnes curam habentes in sua diœcesi. *Conc. Trid. Sess.* 24. c. 18. *de Ref.*

89 Si quis patronus Laicus, vel Abbas præsentavit aliquem ad beneficium simplex, debet nè examinari ab Episcopo?

℞ Debet, licèt non sit necessarium facere concursum, neque vocare synodales, alias institutio nulla erit.

90 In jure patronatus Laicorum requiritur ne concursus?

℞ Non, sed si unus præsentetur, examinetur à synodalibus, & si plures præsententur, examinentur, & ex illius solis, Episcopus eligat digniorem, & collatio fiat.

91 Si jus patronatus sit universitatis, vel collegij generalium studiorum præsentatus, vel electus à tali universitate, vel collegio, debet ne examinari à Synodalibus?

℞ Non, quia expressè excipiuntur, tanquam notoriè docti in *Conc. Trid. Sess.* 7. *de Ref.*

92 Si in examine timeantur rixæ, inimicitiæ graves, vel nemo sit, qui velit se subjicere exàmini, quid faciendum?

℞ Tunc Ordinarius pro sua conscientia de consensu examinatorum poterit facere secretum examen & conferre beneficium tali personæ ad evitandum damnum. *Conc. Trid. Sess.* 24. c. 18. *de Ref.*

93 Si statuto die quis ex scriptis non compareat ad examen, quid erit faciendum?

℞ Sine illo fiet exmen, & proviso, & erit valida, quia Concilium quando dicit, quòd omnes adscripti examinentur, intelligitur, si statuto die comparuerint.

94 Si quis contra formam Concilij provideat, quā pœnam incurrit?

℞ Provisio erit nulla, & appellatio non admittitur quòad effectum suspensivum. *Conc. Trid. Sess.* 24. c. 18. *de Ref.*

95 Excommunicatio posita in *c.* 9. *Sess.* 24. contra eos, qui jus patronatus contra canonicas sanctiones transferre præsumunt, extenditur ne solùm ad alienantes bona immobilia, verùm etiam ad usurpantes fructus?

℞ Ad utrosque, & eam incurrunt, & ipso jure privati sunt dicto patronatu.

96 Clerici si institutionem accipiant à Laicis, quam pœnam incurrunt?

℞ Excommunicantur, & si non dimittant, deponuntur. *c. præterea, de jure patr.*

97 Poterit ne Episcopus prorogare tempus patronis ad præsentandum?

℞ Poterit, quia hic non agitur de præjudicio alterius, & quando DD. dubitant, an terminus præfixus à Jure possit prorogari, intelligitur, quando factum tangit jus partium. *Abb. in c. cum sit Romana, de appell.*

98 Si patronus intrà quatuor menses non præsentet, quid agendum?

℞ Episcopus per devolutionem provideat. *c. quoniam, de jure patr.*

99 Si sint duo patroni unus Clericus, & alter laicus, quot tempus habent ad præsentandum?

℞ Sex menses, quia favor est ampliandus.

100. Qui debet instituere aliquem præsentatum, habet ne tempus à Jure præfixum?

℞ Non; sed intra breve tempus si non fecerit institutionem, recurrendum est ad judicem superiorem, ut ille præfigat tempus

101 Intra quod tempus debet Episcopus conferre beneficium facta præsentatione à patrono?

℞ Intra duos menses à die præsentationis, quod si non fecerit, patronus poterit appellare ad Summum Pontificem, vel ad Metropolitanum, vel ad Episcopum viciniorem, & ipse tunc faciat collationem. *Bulla Pij V.* 32. *in num.*

102 Si quis relinquat in suo testamento; quod ejus hæres eligat Sacerdotem, qui pro sua anima singulis mensibus dicat certas Missas, tenebitur ne talis hæres, postquam nominavit Sacerdotem, eum præsentare Episcopo?

℞ Non, sed sufficit eligere Sacerdotem approbatum, quia huic non imminet cura animarum.

103 Si patronus apellaverit ex eo, quod non admittuntur præsentati ab illo, concursus est ne impediendus?

℞ Non, quia talis appellatio non habet effectum suspensivum, imò si concursus fuerit legitimè factus, debet fieri institutio digniori, non obstante appellatione.

104 Si quis sit præsentatus à patrono dignus, & Prælatus nolit eum instituere, quid potest agere?

℞ Poterit litigare cum alio instituto à falso patrono, vel appellare à sententia Episcopi nolentis eum instituere. *c. cum. Bertold. de sent. & re jud. c. decernimus,* 16. *q.* 7.

105 Si patronus variavit, & præsentavit secundum, quia Episcopus distulit instituere primum, iste primus poterit ne litigare contra secundum iam institutum?

℞ Non, sed contra Episcopum, & petere, ut det illi aliud beneficium propter damnum. *c. pastoralis, de jure patronatus.*

106 Quando institutio non erit facienda ab Episcopo, sed ab alio inferiori collatore, quid est faciendum?

℞ Tunc solus Episcopus inter approbatos eligat digniorem, quia melius cognoscit personas, & eum tradat patrono, ut ipse præsentet eum collatori, ut eum instituat, sive sit Abbas, sive Papa.

107 Si collatio pertineat ad Archidiaconum, vel ad alium inferiorem collatorem quid debet Episcopus facere?

℞ Ponere edicta, examinare, eligere digniorem, & illi, & non alteri collator faciat collationem.

108 Patronus, qui præsentavit, potest ne amovere Rectorem semel deputatum in Parochiali?

℞ Non, etiam quacunque consvetudine contraria. *Abb. in c. quærimoniam, de jure. patron. n.* 6.

109 Patronus potest ne administrare bona juris patronatus?

℞ Non, sive sit patronus cujuscunque qualitatis, vel dignitatis, sed solùm Rector, seu Beneficiatus Ecclesiæ. *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 9. *de Ref.*

110 Si aliquis relinquat Ecclesiam hæredem suorum bonorum, & bona sint pretij, ut ex eis possit Ecclesia sufficienter dotari, ex hoc acquiritur ne solum jus patronatus?

℞ Non, quia videtur esse legatum, & ad jus patronatus requiritur expressa concessio Episcopi, scriptura fundationis hoc explicans ut patet ex *Conc. Trid Sess.* 25. *c.* 9. *de refor.*

111 Si jus patronatus habeat onus celebrandi Missas, ex hoc intelligitur ne, quod necessario institutus tempore collationis debeat esse Sacerdos?

℞ Non requiritur, nisi expresse in fundatione apposita sit clausula, quod debeat esse Sacerdos, quia per alium poterit satisfacere Missis. reg. qui per alium, *de regul. jur. in* 6, *Card. c. de mulcta, de prabend.*

112 Si in fundatione juris patronatus dicatur, quod succedant omnes descendentes per viam masculinam, illegitimus poterit ne succedere?

℞ Non, quia illegitimi non dicuntur esse de parentela. *Navar. cons. de filijs presbyt. si vero fuerit legitimatus, poterit succedere l.* 3. *ff. de natalibus restit.*

113 Si quis habeat beneficium Juris patronatus, poterit ne libere renuntiare?

℞ Non, sed requiritur consensus patroni, vel saltem quod faciat, & taceat, vel quod approbet post renuntiationem; si vero contradicat, renuntiatio erit nulla, *Archid. in c. unico, de jur patr. in* 6.

114 Potest ne quis in præjudicium suorum filiorum alienare jus patronatus?

℞ Cum

℞ Cum distinctione: si illud fundavit, poterit; *Archid. in c. uniso de jure patr. in 6.*

115 In partitione bonorum, poterit ne Judex ad judicare jus patronatus uni hæredi?

℞ Non quia Ecclesia multitudine patronorum potius levatur, & Clem. plures. de jure patron. patitur plures patronos *Abb. in cap. querimoniam, num. 2. eod. tit. Host, in summ. eod. tit. §. qualiter, vers. novus hæres.*

116 Si lis oriatur inter duos præsentatos, poterit ne unus dare alteri aliquam peccuniam, ut distat à lite?

℞ Si præsentatus habuerit institutionem, & possessionem, & sit certus se habere jus in beneficio, & quod adversarius non habet jus, poterit pro redimenda vexatione, & pro expensis litis dare adversario aliquam peccuniam absque labe simoniæ. *c. dilectus, il. 1. de simonia, gl. in c. cum pridem, de pactis, & ibi Abb. num. 2. Sylvestr. in summa verb. renuntiatio, num. 6.*

117 Capellania fundata per laicum de proprijs bonis sine consensu Episcopi diæcesani, est ne beneficium Ecclesiasticum?

℞ Non, & hæredes possunt sine auctoritate Episcopi capellaniam cuilibet conferre *Guid. Papa. q. 341.*

118 Per confiscationem generalē bonorum à Judice sæculari factam, perdit ne quis jus patronatus?

℞ Non *Gl. in vers. subiecta §. rursus c. pastoralis, in Clem. de sent. & re jud.*

119 Poterit ne transferri gratuito jus patronatus?

℞ Poterit; quia habet annexum quid spirituale. *c. cum sæculum, de jure patronatus, ibi gloss.*

120 Si quis habet jus patronatus in Ecclesia, & dicat dono Ecclesiam Titio, videtur donasse jus patronatus, quod in ea habet?

℞ Affirmativè, quia Ecclesia supponit pro jure patronatus, *c. quod autem de jure patron.*

121 Si sint plures patroni, & discordent, quid est agendum?

℞ Episcopus potest privare eos a divinis officijs, donec ad concordiam redeant. *c. 1. eod. tit.*

122 Si sint plures patroni, eorum suffragia quomodo sunt numeranda?

℞ De jure major pars prævalet. *c. quoniam, eod. tit. de jur. patron.*

123 Jus patronatus transit ne in fæminas?

℞ Affirmativè per stirpes, sed non per capita. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 5.*

124 Patroni possunt ne inter se conventionē, facere ut unus præsentet hac vice, alter & altera vice?

℞ Possunt, quia non repugnat, ut adinuicem sibi cedant jura sua, *Abb. ubi sup. num. 6. & gl. ibi.*

125 Jus patronatus competit ne infanti?

℞ Competit, & etiam existenti in utero matris. *Ioan. Andr. c. cum ex eo, de elect. lib. 6.*

## CAPUT XXXIV.
## De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

1 A Quo consecratur Ecclesia, benedicitur, & reconciliatur?



℞ Ab Episcopo *c. proposuisti de cosecratione Ecclesiæ, vel altaris*

2 Quomodo consecratur Ecclesia?

℞ Episcopus indutus pontificalibus servat formam positam in ceremonial. *in c. de consecratione Ecclesiæ.*

3 In quibus diebus potest Episcopus consecrare Ecclesiam habentem sufficientem dotem?

℞ Diebus feriatis, & festivis, ut sibi placuerit. *c. tua de consecratione Ecclesiæ vel. altaris.*

4 Cardinales in aliena diæcesi possunt ne consecrare Ecclesias, vel altaria?

℞ Non; nisi de licentia proprij Episcopi, vel comissione Summi Pont. ratio est, quia consecratio, vel benedictio Ecclesiarum est actus jurisdictionis pertinens ad proprium pastorem, & ex eo solum, quod quis sit Cardinalis, non ideo est proprius pastor Ecclesiarum, neque est Episcopus; solus enim Summus Pontif. post ejus electionem est universalis Pastor totius Ecclesiæ Catholicæ tenent. *DD. in c. tua, isto tit. nostro.*

5 Potest ne Episcopus consecrare Ecclesiam, si dotē non habeat?

℞ Non, & licet consecratio teneret, malefaceret, & puniretur à Sum. Pontif. ratio est, quia consecratio est quid perpetuum Deo dicatum, & ad conservandum templum necessario requiritur dos, ne postea veniat in vilipendium, vel in rem profanam locus Deo consecratus *c. cum sicut eod. tit.*

6 Quibus in casibus potest Ecclesia consecrata iterum consecrari?

℞ *1mo*, ubi dubitatur, an consecrata sit. *c. solemnitates, il. 1. de consecratione inst. 1.* *2do*, ubi tota corruit, & de novo refecta fuit, ita ut alia Ecclesia, & non eadem dicatur, vel in forma, vel in materia, videlicet si eadem forma servetur in ædificio, & petra, & ligna de novo ponantur, quia prima vetustate erant consumpta, tunc de novo debet consecrari Ecclesia *ex agel. legis, quid tam:n. ff.* quibus modis vsus fructus amittatur. *3tio*, si per patres paulatim refecta sit, ut si in uno pariete alius paries constructus sit supra illum, ita ut Ecclesia per altitudinem formam perdat, & alia Ecclesia appareat. *gl. in c. proposuisti, in isto tit. 4to*, quando parietes Ecccelsiæ combusti sunt *c. Ecclesijs, de consecratione dist. 1.* ratio est, quia quando consecratur Ecclesia consecratur unum corpus individuum materiale, & consecratio est sicut anima vivificans illud corpus, & destructo corpore, anima amplius non restat, sic destructa Ecclesia consecratio perditur, & in in casibus positis, *c. 36. num. 3. lib.*

7 Ecclesia benedicta potest ne consecrari?

℞ Poterit; ratio est, quia consecratio est altioris ordinis, Cum Ecclesia consecrata ungatur Oleo Sancto: sed Ecclesia consecrata non debet iterum benedici, quia includit in seminus.

8 Episcopus poterit ne delegare consecrationem Ecclesiæ simplici Sacerdoti, vel Abbati benedicto, vel si Ecclesia consecrata polluatur, poterit ne delegare ejus reconciliationem?

℞ Non poterit delegare simplici Sacerdoti, neque reconcilia-

reconciliationem Ecclesiæ consecratæ, sed necessariò debet eam delegare Episcopo habenti commissionem Sedis Apostolicæ, & hoc per instrumentum authenticum, & subscriptum; ratio est, quia consecratio Ecclesiæ est ministerium ordinis, & non jurisdictionis.

9 Si Ecclesia consecrata de facto polluatur, pro aliquibus casibus positis. *cap. 36. istius lib.* sufficit nè illam benedicere propter temporis angustias & propter magnas cæremonias, quæ fiunt in consecratione?

℟ Non, sed necessariò debet servari forma posita in cæremon. Romano ad eam reconciliandam, quæ est distincta à reconciliatione Ecclesiæ benedictæ.

10 Quomodo benedicitur Ecclesia, vel capella eremitica?

℟ Servando ordinem positum in ceremonial. Rom. & Episcopus debet esse indutus pluviali, mitra, & ornamentis pontificalibus cum assistentibus, & clero cum cruce.

11 Ecclesia benedicta si polluatur, quomodo reconciliatur?

℟ Episcopus indutus pontificalibus cum omni apparatu, sicut quando benedicit Ecclesiam, utitur aqua benedicta mixta, vino, & cinere, & dicit orationes, & commemorationes positas in cæremoniale Romano, ut habetur in *c. propositi de consecr. Eccles. vel altaris.*

12 Quare in reconciliatione Ecclesiæ benedictæ vtitur Ecclesia Romana aqua benedicta, vino, & cinere?

℟ Aqua benedicta utitur ad fugandos dæmones, vino ad demonstrandum, quod levat vulnus Ecclesiæ datum, cinere ad ostendendam lugubrem tristitiam, quam habet pro delicto commisso in Ecclesia, & pro offensa Ecclesiæ facta, & ideo vestimenta Episcopi sunt coloris nigri, vel violacei, & crux Episcopalis debet esse cooperta velo nigro.

13 Quoties Ecclesia benedicta reconcilianda est?

℟ Quotiescunq, in ea effunditur sangvis humanus injuste, & in sex casibus positis *c. 36. n. 3. istius libri*, in quibus vere poluitur Ecclesia, ut habetur in *c.* Ecclesiæ, de consecratione dist. 1. *ibi gl. & tenet. Navar. in man. c. 27. num. 256.*

14 Episcopus potest ne delegare simplici Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ benedictæ?

℟ Affirmative, per instrumentum subscriptum, sed melius est, ut hanc facultatem suo Archidiacono, vel personæ in dignitate costitutæ deleget, & talis utitur aqua benedicta sine mixtione vini, & cineris, & dictis orationibus solitis eam reconciliabit, ut habetur in *c. si. gl. de conlecrat. Eccles. vel. altaris.*

15 Quis debet consecrare campanas, & quomodo?

℟ Episcopus indutus pontificalibus vestimentis coloris violacei eas ungit Oleo Sancto, & servat formam positam in cærem Roman. *Durand. in rationali lib. 1. c. 4. campanis.*

16 Campanæ benedictæ. quam virtutem habent?

℟ Fugant dæmones, & expellunt, & sedant tempestates, & ideo tempore tonitrui tanguntur, ut servent fructus terræ, & homines a dæmonibus, qui in aere ambulant. tenet. *Durand. loco. alleg.*

17 Campanæ ad quos usus debent servire?

℟ 1mo, ad vocandum populum ad divina officia, ad Missas, & conciones. 2do, ad celebrandas Dei & Virginis Mariæ, & Sanctorum festivitates, sicut musica in convivijs 3tio, ut tempore vespertino fideles ea audientes recitent pro defunctis, & in laudem Virginis orationem Angelicam, ut de nocte liberentur a dæmonum incursu. 4to. ad sepellienda corpora defunctorum, ut homines qui non possunt venire personaliter ad officium charitatis, pro eis orent tenet. *Durand. in rationali libro 1. loco, allegato.*

18 Campanis possunt ne fideles uti ad profanum usum, veluti ad vocandum populum ad seditionem, vel machinationem contra Principem, vel machinationem contra Principem, vel ad incitandum populum ad rebellionem?

℟ Non, imo si quis ad hos usus profanos campanis utatur, habet pænam mortis; ratio est, quia destinata sunt ad divina officia, & laudes Dei *tenet. Durand. loco allegat.*

19 Quid significat altare, seu Ara?

℟ Crucem Christi, & sicut in ara crucis fuit oblatum illud cruentum sacrificium, sic in altari offertur sacrificium Missæ pro vivis, & Defunctis Deo in commemorationem passionis Christi domini.

20 Quotuplicia sunt altaria?

℟ Duplicia; est altare portatile factum ex petra minima, & est altare stabile factum ex una petra fixa, quæ compræhendit totum altaris pavimentum, *c. altaria, tl. 1. de conlecrat. dist. 1.*

21 A quo consecratur, & quibus cæremonijs?

℟ Ab Episcopo cum aqua benedicta, vino, sale, cinere, oleo sancto, thure cremato, candelis incensis, reliquijs positis in modum sepulchri in medio altaris, & servatis plurimis cæremonijs positis in ceremon. Roman.

22 Quando altaria perdunt benedictionem, & indigent nova consecratione?

℟ Quando tollitur sigillum, ubi reliquiæ interius positæ, vel quando altare frangitur, vel quando mutat frormam, tunc enim indiget nova consecratione *c. altaria, tl. 2. de consecr. dist. 1. Abb. in c. ligneis, de coſecratione Ecclesiæ, vel altaris, n. 2.*

23 Quis debet consecrare calices, & patenas, & quomodo?

℟ Episcopus cum oleo sancto servatis cæremonijs positis in cærem. *Roman.*

24 Quibus modis consecrantur calices, & patenæ, & perdunt consecrationem, & benedictionem?

℟ Quoties confracti, vel combusti sunt, vel quoties mutant formam, ut si ex calice tollatur pes, & fiat vas ad bibendum, vel quoties superficies de aurata in totum, vel in partem magnam perdat aurum, indigeat nova de auratione, vel quoties de novo deaurantur, etiam si antea candidi fuerint, & consecrati post deaurationem de novo sunt consecrandi, ut habetur. *c. unico, de sacra unctione.*

25 Quis debet tangere calices, & vasa sacra?

℟ Solum

℞ Solum ille, qui in ſacro ordine initiatus ad hoc munus electus eſt; ratio eſt, quia in conſecratione intervenit Oleum Sanctum, & quando tanguntur à ſæcularibus propter neceſſitatem, debent eſſe cum magna reverentia, mediante panno ſerico, vel lineo *c. in ſancta, de conſecrat. diſt.* 1.

26 Si Excommunicatus, vel infidelis, vel degradatus, vel hæreticus utatur calice Sacro ad potandum, patena ad comedendum, veſtibus ſacris ad indumentum quotidianum, ut his temporibus contingit pro noſtris peccatis in bello hæreticorum, ſi poſtea recuperentur à Chriſtianis, indigent ne nova conſecratione, & benedictione?

℞ Non; ratio eſt, quia ex malo uſu non perdunt formam, & ſic non perdunt benedictionem, licet, hoc ſit magnum peccatum, & hoc remanet in committentibus, ſed non in vaſis, ut habetur in *cap.* 2. *de Sacramentis non iterandis.*

27 Veſtimenta Sacra, veluti caſula, manipulum, ſtola, & cingulum, à quo debent benedici?

℞ Ab Epiſcopo, vel ab Abbate habente ſpeciale privilegium Apoſtolicum; ratio eſt, quia iſtæ ſunt functiones ordinis ſolis Epiſcopis commiſſæ, & non ſimplicibus Sacerdotibus ſine privilegio Apoſtolico. *Durand. ubi ſup. Navar conſ.* 2. *c.* 3. *de conſecr. Eccleſ. vel Altaris.*

28 Facultas benedicendi ſacras veſtes poteſt nè ſubdelegari ſimplici Sacerdoti?

℞ Non quia ſolus Papa poteſt delegare; *Nav. conſ.* 2. *de conſecr. Eccleſ.*

29 Quando dicta veſtimenta ſacra, ſunt iterum benedicenda?

℞ Quoties, ſi propter vetuſtatem reficiantur, de novo ſerico plus additum eſt, quam habeant de veteri, vel quoties mutant formam, ut ſi de pluviali fiat caſula, vel de caſula manipulum. *c. Eccleſijs, & c. Altaris, de conſecr. diſt.* 1.

30 Veſtimenta ſacra, poſtquam diruta ſunt, poſſunt ne in alios uſus converti?

℞ Ex illis poſſunt refici alia ornamenta, ſed non converti in veſtes profanas, licet non incurratur in aliquam excommunicationem, quia non eſt poſita in jure, nam hoc ſolum eſt de decentia, *c. Altaris palla, de conſecr. diſt.* 1.

## CAPUT XXXV.
## De Conſecratione Regis, Abbatis & Abbatiſſæ.

1 Reges Hiſpaniæ, & Galliæ recognoſcunt ne ſuperiorem in temporalibus?

℞ Non, neque in temporalibus alicui ſubjiciuntur; ratio eſt, quia habentur, ut ſupremi Imperatores, & eorum juriſdictio non emanat ab alio in temporalibus, ut tenet *gloſſ. in c. Hadrianus, il.* 2. *diſt.* 63. *& Abb. in c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi num.* 9.

2 Reges Hiſpaniæ, & Galliæ, cui ſubjiciuntur in ſpiritualibus?

℞ Summo Pontifici, ſuis Epiſcopis, & parochis, ſicut alij Chriſtiani; ratio eſt, quia in ſpiritualibus nullam habent poteſtatem, & ſolus Summus Pontifex eſt Caput univerſalis Eccleſiæ: tenet *Abb. in c. per Venerabilem, qui filij ſint legit.*

3 Reges poſſunt ne excommunicari, & à quo?

℞ Poſſunt à ſolo Summo Pontifice, idque raro, & ex cauſa graviſſima. tenet *Sa, verbo, excom: n.* 15.

4 Reges ſubjiciuntur ne legibus?

℞ Reges ſubjiciuntur legibus Eccleſiaſticis, ſicut cæteri Chriſtiani, ſed legibus civilibus ſolum ſubjiciuntur quò ad vim directivam, non vero quo ad vim coercivam. *l. digna vox C. de legibus.*

5 Quis debet conſecrare Reges?

℞ Epiſcopus ſolenniter indutus cum magnis cæremonijs, precibus, & orationibus poſitis in ceremoniali. *Rom. & debet eos ungere.*

6 Quare Epiſcopus ungit Regem in brachio, & non in capite?

℞ Quia unctio in brachio ſignificat fortitudinem, & imperium ejus. *c. unico, de ſacra unctione.*

7 Quis poteſt benedicere Abbates?

℞ Epiſcopus, & in ejus abſentia poteſt alius Abbas benedictus. *c.* 1. *de ſupplenda. negligentia Prælatorum.*

8 Quis poteſt benedicere Moniales, & conſecrare?

℞ Epiſcopus ſolus, & ſolenniter indutus, in Miſſa Pontificali, cæremon. *Roman. in c. de conſecrat. Virginum.*

9 Quam ætatem, & quas qualitates debent habere virgines, quæ conſecrandæ ſunt?

℞ Viginti quinque annos, bonum teſtimonium vitæ, profeſſionem emiſſam in illa Religione, eſſe virgines, quæ in hoc ſæculo cum aliquo viro matrimonium non conſumavêre. *cæremonial, Rom. ut ſup.*

10 In qua Eccleſia conſecrari debent?

℞ Si commodè fieri poteſt in propria Eccleſia, & ſi non, in alia Eccleſia commodiori, ad quam debent virgines exire, quælibet virgo comitata una, vel duabus matronis honoratiſſimis, quæ paranimphæ vocantur. *cærem. Rom. d. c.*

11 Poſſunt ne illa die poſt conſecrationem in aliqua domo ſe ad prandium detinere?

℞ Non, imo finita conſecratione, recta via, Epiſcopo pontificalibus induto comitante, debent ad Monaſterium redire, & in janua debet eas ſolenniter tradere Abbatiſſæ, quæ eas debet expectare in porta cum cruce, & reliquis Monialibus, & facta abſolutione & benedictione ab Epiſcopo, portæ clauduntur.

12 Quod ſignum portant virgines conſecratæ?

℞ Crucem rubeam in capite, ut demonſtrent, ſe eſſe Chriſti ſponſas.

13 Quæ Moniales habent uſum conſecrandi?

℞ Moniales Sancti Benedicti, præcipue congregationis Caſſinenſis, & illæ, quæ ſunt in diæceſi Archiepiſcopi Montis Regalis.

14 Aliæ Moniales aliarum Religionum poſſunt ne conſecrari?

℞ Affirmative, ſi habeant privilegium, vel conſvetudinem.

## CAPUT XXXVI.
## De pollutione, & violatione Eccleſiæ.

1 Quid eſt polluere Eccleſiam?

℞ Committere aliquod delictum, propter quod Eccleſia

Eccleſia perdit ſuam conſecrationem, & benedictionem. *Nav. in man. c. 27. n. 256.*

2 Ob quam cauſam Eccleſia perdit ſuum privilegium conſecrationis, vel benedictionis?

℞ *1mo*, ut omnes arceantur à tali delicto. *2do*, quia ſicut veſtis candida non habens maculam non indiget lotione, ſic Eccleſia, cum fuerit polluta, vel maculata, indiget nova conſecratione, vel purificatione quaſi nova lotione, ut ſit habitaculum Dei ſine ulla macula.

3 Quibus modis polluitur Eccleſia, ita ut indigeat nova conſecratione, vel benedictione?

℞ Sex modis *1mo*, effuſione ſangvinis injuſte facta. *2do*, morte hominis violenta, ſive talis homo ſit fidelis, ſive infidelis, ſive Sanctus, ſive Martyr. *3tio*, humani ſeminis effuſione ſpontanea. *4to*, excommunicato notoriè denuntiato ibi ſepulto. *5to*, infideli ibi ſepulto. *6to*, ſi fuit conſecrata ab Epiſcopo notoriè excommunicato. *Navar. in manual. c. 27. num. 256.*

4 Quibus in caſibus morte hominis Eccleſia non polluitur?

℞ In ſex: *1mo*, ſi caſualiter homo moriatur, ut ſi in ædificio ictu lapidis, vel trabis, vel cadat de ſcala. *2do*, ſi quis ſe tuendo cum moderamine inculpatæ tutelæ aliquem occidit *3tio*, ſi quis vulneratus fuit extra Eccleſiam, & ibi effundit ſangvinem, vel moriatur, etiam ſi ſupra tectum Eccleſiæ vulneretur. *gloſſ in c. unico de conſecr. Eccleſ. vel altaris in 6. 4to.* ſi quis in Eccleſia aſſiſtens, telo percutiat aliquem extra Eccleſiam, & talis intret in Eccleſiam perſequens inimicum, & ibi effundat ſangvinem. *5to*, quando homicidium committitur à non habente uſum rationis *6to*, quando homicidium eſt occultum dum eſt occultum, Eccleſia non polluitur, ratio eſt, quia requiritur ad pollutionem, ut in ipſa Eccleſia fiat percuſſio, & effuſio ſangvinis, ſicut non polluitur intentione, vel cogitatione occidendi, *c. unico. de conſecr. Eccl. vel altaris. lib. 6. Navar. in manual. c. 27. nu. 256.*

5 Quibus in caſibus non polluitur Eccleſia ſangvinis effuſione?

℞ *1mo*, ſi ſit facta, ùt chirurgus curans vulnus, vel tonſor, qui effundit ſangvinem propter febrem. *2do*, ſi effuſio ſangvinis ſit facta à Magiſtro, vel Superiore propter correctionem. *3tio*, ſi talis effuſio non ſit gravis, ſed levis, ut quando Accoliti, vel Miniſtri inter ſe irrident, & relinquitur arbitrio judicis, quæ ſit levis. *DD. in c. unico, de conſecr. Ecc. vel altaris. lib. 6.*

6 Si quis habet copulam naturalem, vel non naturalem cum propria uxore, vel aliena, polluitur ne Eccleſia?

℞ Polluitur. *DD. in c. unico. eod. tit. de conſecratione Eccleſia, vel Altaris, lib. 6.*

7 Si quis oppreſſus ſomno, haberet pollutionem in Eccleſia, polluitur nè?

℞ Non, niſi dederit cauſam pollutioni; nec etiam ſi aliquis vigilans illam haberet contra ſuam voluntatem. *DD. in c. unico. eod. tit. de conſecr. Eccleſiæ, vel altaris, Lib. 6. Sylveſt. verbo conſecratio, 2. numero 5.*

8 Si ſemen aliquorum animalium effunderetur in Eccleſia, vel furioſus illud effuderit, polluetur nè Eccleſia?

℞ Non; quia ad maculam requiritur actus voluntarius culpabilis, *DD. in cap. unico. ſupra citato. in 6. & ibi gloſſ.*

9 Quando excommunicatus non eſt notorius, vel non eſt denuntiatus, & ſepelitur in Eccleſia, polluitur nè?

℞ Non, nec etiam ſi ſit interdictus. *DD. ubi ſup.*

10 Si cathecumenus ſepeliatur in Eccleſia ante baptiſmum, polluitur nè?

℞ Non, quia Baptiſmus flaminis vicem habet baptiſmi aquæ, nec ſi filius moriatur in utero matris ante baptiſmum, & ſepeliatur cum matre, talis enim non dicitur infidelis, cum ſit filius fidelis *c. baptiſmi vicem de conſecratione diſt. 4. Sylv. verb. conſecratio. 2. q. 5.*

11 Polluta Eccleſia, polluitur ne cæmeterium, & è contra?

℞ Affirmativè, ſed non, è contra; quia magis principale trahit ad ſe minus principale. *Navar. in manual c. 27. num. 257.*

12 Qui celebrat in Eccleſia polluta, quam pænam incurrit?

℞ Peccat mortaliter. *Ancharan. in c. 111. de ſent. excommunicat.*

13 Si quis cæpit dicere Miſſam, & Eccleſia polluatur, debet ne eam relinquere?

℞ Si perveniat ad canonem, debet eam finire propter reverentiam tanti miſterij; ſi vero non perveniat ad canonem, debet eam relinquere, & alio in loco eam incipere. *Anchar. c. 15. de ſenten. excommun. libro. 6.*

# CAPUT XXXVII.
## De Immunitate Eccleſiæ.

1 Quid eſt immunitas Eccleſiæ?

℞ Eſt quaſi ſine muneribus data libertas, vel puritas, & per hanc ſimilitudinem dicitur quis eſſe immunis à peccato. *Angel. verbo immunitas, qui allegat pro ſe. c. fin. de purg. canonica.*

2 Clerici tenentur ne ſolvere quotã, taxam, & contributionem factam ad opera, quæ civitates faciunt ad earum pulchritudinem, ut ad depingendam, & albandam civitatem, ampliandas vias, conſtruenda magnifice ædificia publica, & alia ſimilia?

℞ Non, niſi de ſua propria voluntate id fecerint, ut in *c. non minus, & c. adverſus, de immunitate Eccleſiarum.*

3 Clerici, & Eccleſiæ tenentur ne contribuere ad opera, quæ civitas facit ad augmentũ agriculturæ, utilitatem, & commoditatem civium, ut ſunt pontes, fontes, fluvij, aquæ ductus, foſſata, colere agros, explanare montes, ſtrare vias, illas de novo facere, vel per commodiorem partem mutare, & his ſimilia?

℞ Cum diſtinctione, de bonis patrimonialibus, & laicalibus, quæ Clerici poſſident, tenentur ſolvere, ſicut laici, ſed exactio debet fieri per Judices Eccleſiaſticos; ratio eſt, quia qui ſentit commodum

commodum, debet sentire onus, & damnum, & *textus in c. non minus, & c. adversus*, de immunitate Ecclesiarum, non loquuntur de bonis patrimonialibus, & sæcularibus, sed solum loquuntur de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis, & ad solvendas dictas taxas de dictis bonis patrimonialibus, non requiritur facere certiorem Summum Pont. quia est debitum, donum reale impositum supra dictis bonis laicalibus, & sæcularibus, licet possideantur à Clerico, non ideo fiunt bona Ecclesiæ; nam Clericus in suo testamento illa mandat, cui vult, si vero Clericus habeat bona Ecclesiæ, ut sunt Canonicatus, & beneficia, de quibus sustentatur, tunc ad faciendam solutionem de istis bonis, requiruntur illa tria, nempe quod Episcopus, & clericus judicent ædificium esse necessarium. 2do, facultates laicorum non suppetere 3tio, ut consulant Summo Pont. ut habetur in dictis capitibus non minus, & in *c. adversus supra citat.*

4 Clerici tempore belli, pestis, ædificatione murorum civitatis, incendij montium, & agrorum, tenentur nè solvere de fructibus Ecclesiasticis quotam sibi assignatam, sicut solvunt cæteri cives laici, qui sunt in civitate absq; eo, quod expectent Summi Pontificis consensum?

℟ Tenentur solvere, & contribuere ad ædificationem murorum, & ad defensionem pestis, & belli, & ad id etiam tenentur Ecclesiæ de suis fabricis absque eo, quòd expectent Romani Pont. consensum; ratio est, quia periculum vitæ omnibus est æquale. 2do, quia necessitas instat, & caret lege. 3tio, quia si tenentur ad custodiam murorum, ut jubetur in c. pervenit, de immunitate Ecclesiarum, quod est servitium personale, à fortiori tenentur solvere pecunias, & taxas sibi assignatas, quod est servitium reale. 4to, quia expressè jubetur id Ecclesijs, & etiam Regibus. *in l. instructiones, C. de Sacrosanct. Eccles. & in l. nullus, C. de cursu publico. lib. 12.*

5 Dictæ leges, quæ jubent Ecclesias, & Clericos solvere ad ædificationem murorum, & solvere expensas tempore pestis, & belli, sunt nè correptæ, & emendatæ per textum in c. non minus, & per textum in c. adversus, de immunitate Ecclesiarū?

℟ Licet *Abbas 1. par. consil. 3.* tenet partem affirmativam, tamen omnes Doctores tam legistæ, quā juristæ intrepidè tenent dictas leges esse in viridi observantia, & non esse correptas per dictos textus. 1mo, quia correctio legum debet esse expressa. 2do, quia in dicto cap. non minus, & cap. adversus, Summus Pont. solùm loquitur de fossatis, & gabellis, quæ quotidie imponuntur, & non loquitur de peste, & bello, & muro civitatis, quæ raro accidunt. 3tio, quia remedium belli, & pestis debet esse instantaneum, & in eo non potest expectari Rom. Pont. consensus. 4to, quia bona Ecclesiæ possunt, & debent consumi in redimendis captivis, & sustentandis pauperibus, sicut habetur *in c. aurum, cap. sacrorum, 12. q. 2.* ergo in simili casu, & fortiori possunt consumi ad defensionem pestis, & belli, & in ædificatione murorum, cum resultet in utilitatem, & commodum. *ut tenet Rip. in tract.* de peste in Rubrica de remedijs ad conservandam ubertatem. *Cyn. Io. Andr. in d. c. non minus Bal. cons. 246. lib. 4. & in d. l. ad instructiones, C. de Sacrosanct. Eccle.*

6 Immunitas, & libertas Ecclesiæ, quo jure concessa est personis Ecclesiasticis?

℟ Concessa est à Deo de jure divino, & humano, & à Principibus, & Regibus, qui Deum timent, & imitantur in suis legibus, & constitutionibus, ut judices inferiores eam observent. tenet *Abb. in c. non minus, de immunitate. num.* 17. c. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitutionibus, *c. si diligenti, de foro competenti.*

7 In qua differentia sunt opera, & necessitates, pro quibus imponuntur Clericis contributiones, taxæ, collectæ & solutiones?

℟ Sunt in quadruplici differentia. 1mo, sunt gabellæ, tributa, subsidia, donativa, quæ justè Regibus dantur ad eorum sustentationem, ut gubernent populos in justitia, & pace, & defendant eos ab incursione inimicorum. 2do, sunt opera, quæ civitates faciunt ad earum pulchritudinem, ut depingere portas civitatis, elongare recto tramite vias, eas ampliare, facere de novo plateas, magnificare, & construere, ædificia publica, vel ea in ampliorem, & pulchriorem formam reducere, & his similia. 3tio, sunt opera quæ pertinent ad utilitatem, & commoditatem civium & augmentum agriculturæ, ut sunt pontes, fontes, fluvij, aquæ ductus, fossata, explanare montes, colere agros, strare vias, illas per commodiorem partem mutare, vel de novo facere, & his similia, quæ in communem utilitatem, tam laicorum, quam Clericorum quotidie occurrunt. 4to, sunt opera magnæ, & extremæ necessitatis, quæ raro contingunt, ut est bellum, pestis, tempestates, vel fluviorum incursus, incendium montium, agrorum, vel civitatis, murorum ædificatio, vel reparatio. ut tenet. *Rip. tractat. de peste. Rubrica de remedijs ad conservandam ubertatem num.* 233. *& seq.*

8 Clericus tenetur ne solvere gabellas, & tributa, quæ à sæcularibus conceduntur, & dantur Regibus, vel Dominis temporalibus, vel civitatibus?

℟ Non, imo sunt liberi ab omni angaria & onere solutionis, & Principes, Judices, & communitates, qui faciunt vim Clericis, ut talia solvant sunt excommunicati, & non absolvuntur, nisi faciant integram satisfactionem. *c. non minus. adversus consules, de immunitate Ecclesiarum.*

9 Quando Clerici tenentur solvere tales collectas, exactiones, quæ imponuntur à laicis, & tenentur solvere contributiones, quæ imponuntur ad facienda fossata murorum, seu expeditiones?

℟ Quando Episcopus, & Clerus judicaverint utilitatem, & necessitatem rei faciendæ, & quod talis res sit utilis, & necessaria Ecclesijs, Clericis, & sæcularibus, & etiam judicaverint facultates laicorum non suppetere, neq; sufficere ad faciendam talem rem; & postquam Romanum Pontificem certiorem fecerint, & consulant. *textus in c. adversus, c. non minus, de immunitate Ecclesiarum,*

 10 Si pro

10 Si pro his fabricis,& necessitatibus aliqua quota, vel collecta solvenda fiat à Clericis, quis debet taxare, & exigere quantitatem, quam quilibet Clericus debet solvere?

℞ Judex Ecclesiasticus, ne Clericus perdat privilegium personale, & quia laici nullam exactionem, nullamq; coactionem, neq; vim possunt inferre Clericis sub pœna excommunicationis, ut indicto *c. non minus, & in dicto c. adversus, eod. tit. de immunitate Ecclesiarum.*

11 Monachi, confraternitates, monasteria tenentur ne etiam contribuere,& solvere in taxis,in quibus solvunt Clerici, & Ecclesiæ?

℞ Hæc regula generalis observanda est, omnes illæ personæ, monasteria, & communitates & bona,quæ volunt gaudere privilegio immunitatis Ecclesiæ, debent contribuere in omnibus rebus, & necessitatibus, in quibus contribuunt Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ; ratio est, quia idem privilegium, & non diversum concessum est omnibus, & qui sentit commodum, æqualiter damnum sentire debet, & quod omnes tangit, ab omnibus æqualiter debet observari, ut habetur in *gloss. in c. pervenit* de immunitate Ecclesiarum. Scævola in tractatu servitutum sub rubrica de Servitute viæ, *Bartholus eleganter in l. nullus, C. de cursu publico, imo, & Gaudia Papa dec. 78.* dicit Clericos soluisse tales collectas suo tempore in bello inter Magnum Ducem Sabaudiæ, & Regem Francorum.

12 Quare Clerici non tenentur ad gabellas, fossata, & onera ordinaria laicorum absque consensu Summi Pontificis,& absque eo, quod Episcopus, & Clerici judicent rem esse utilem, & necessariam, & non suppetere facultatem laicorum, & tenentur indistinctè sine his conditionibus ad solvendas taxas sibi impositas tempore belli, & pestis, & ædificationis murorum?

℞ Ratio differentiæ consistit in eo, quod gabellæ, tributa, & onera ordinaria procedunt ex voluntate Principis petentis, & ex voluntate populi concedentis, & sunt impositiones continuæ, sic & sic in *d. c. non minus. & in d. c adversus,* Clerici excusantur à solutione in consulto Romano Pont: at vero taxæ, & solutiones tempore belli, & pestis, & ædificationes murorum, proveniunt ex necessitate inevitabili, & ex casu accidentali raro provenienti, & sic non est locus consultationis, imo debet poni remedium sine ulla mora, quia est in communem utilitatem.

13 Clerici tempore pestis, & belli tenentur ne custodire portas, & muros civitatis sicut laici?

℞ Tenentur ad custodiam murorum, quia tempore necessitatis cessat Clericale privilegium. 2do, quia custodiunt se ipsos, & Ecclesias 3tio, quia quod omnes tangit, ab omnibus custodiri debet, ut expressè habetur in *c. pervenit,* de immunitate Ecclesiarum, sed non obstante decisione hujus textus, qui absque ulla conditione jubet Clericos custodire muros, puto quod debet intelligi, quomodo copia laicorum, vel militum non suppetit, nam quando sunt laici, qui id faciunt, Clerici debent in Ecclesijs orare pro præsenti necessitate, & plus proficient, quam custodiendo muros. *Sylvestr. verb. immunitas. 1. n. 18.* sed certū est,quod in tempore tantæ necessitatis, sicut est in bello, & in peste, omnes sunt necessarij, & adjuvant, tam laici, quàm Clerici, & sic Clerici non solum tenentur ad custodiam civitatis tempore pestis, sed ad id possunt cogi, & compelli ab Eiscopo, vel Judice Ecclesiastico, ut habetur in *c. pervenit,* de immunitate Ecclesiarum ubi sic dicit Greg. IX. Archiepiscopo Triventi: fraternitas tua nullum per nostræ,vel Ecclesiæ suæ nomen, vel alio modo excusari à murorum vigilijs patiatur, sed omnes ad hoc generaliter compellantur, & glossa dat rationem hujus decisionis dicens. quod in necessitate cessat privilegium idem tenet. *Vivaldus in explanatione Bullæ Cœnæ casu 5. nu. 45. & hoc observatur in Hispania ex l. 11. & 12. tit. 3. lib. 1.* novæ recopilationis. *tenet. Didac. Perez. l. tit. 4. lib. 4. Barbosa in l. ad instructiones C. de Sacrosanctis Ecclesiis,* Salcedo in additionibus ad Bernard. *Diaz. in prax. crim. c. 55. pag. 173. Pet. Cenedo ad textum in c. Princeps 23. q. 5. collat. 37. num. 4. Abb. Panor. c. non minus, de immunitate Ecclesiæ n. 18. Barthol. in l. ad instructiones, C. de Sacrosanctis Ecclesijs Ancharanus consil. 96. num. 4.*

14 Gabella, tributum,subsidium, donativum, quod datur Regibus, & principibus, à quo conceditur, & quando est justum?

℞ Istæ gabellæ, & tributa conceduntur Regibus, & Principibus à civitatibus, à populis, à laicis per procuratores Regni, & quando conceduntur ad tollenda debita Regis ad defendendam, & conservandam rem publicam ab inimicis, ad resistendos hostes, ad defendendam fidem Catholicam, etiam si bellum pro fide sit extra suūm Regnum, vel in quacunque parte mundi, tunc tributa, & concessiones, & gabellæ sunt justæ, & his Rex non potest defraudari, ut *tenet D. Thom. opusculo 21. in Epistola ad Ducissam Brabantiæ Gabriel in 4. dist. 15. q. 5. art. 1. notabili 2. Abb. in c. innovamus de sensibus summa Tabiena verb. pedagia versiculo 8. Sylvest. verbo gabella 3. nu. 19. Ioannes Medina c. de rest. quæst. 13.*

15 Super quibus rebus imponuntur à populis dicta tributa contributiones,& gabellæ?

℞ Ferè semper imponuntur super pane, vino, & oleo, & aliquando super mercantijs, & hoc, ad majorem commoditatem populorum; nam cū omnes nō habeant in crumena peccuniā paratam, ut solvant Regi illam quantitatem,quam promittunt, inter se conveniunt,& paciscuntur, ut ultra pretium justum tritici, vel vini ponatur aliqua quantitas in omni mensura solvenda ab illo, qui consumit frumentum, ut ex illa quantitate, quæ excedit pretium justum cum facilitate, suavitate provideatur necessitatibus Regijs, & solvantur gabellæ.

16 Pretia rerum, in qua differentia sunt?

℞ In triplici differentia, infimum, medium, & rigorosum, seu supremum: pretium infimum est illud, quando res venditur in minori pretio, vel peccunia, quam communiter venditur, ut si men-

ſi menſura tritici valet decem aureos, & vendatur per ſex, dicetur pretium infimum; ſi vendatur per duodecim aureos, dicetur rigoroſum, ſeu ſupremum; ſi vero vendatur decem aureis, medium pretium, quod appellatur legitimum naturale, ſeu vulgare, quia ex communi hominum æſtimatione ponitur penſata abundantia, vel penuria talis rei tenet. *Azor. tom. 3. inſtitutionum moralium, lib. 8. c. 22. q. 2. & Ariſtot. 5. Æthicorum c. 7. late Molina diſputatione 364. n. 1, Tol. in ſum. c. 48. concluſion. 2. tractatu de 7. peccat. mortal:*

17 Quis habet auctoritatē taxandi, & imponendi pretia rerũ, veluti pretiũ tritici, olei, vel vini?

℞ Magiſtratus, Reges, Principes, Superiores habentes auctoritatem taxandi pretia rerum, conſiderata penuria, vel abundantia talis rei, & hanc taxam debent facere ea advertentia, & conſideratione, ut qui ſeminat, & colligit fructus, non amittat ſuum laborem, & peculium & qui emit, non emat in pretio exceſſivo, ſupremo, & rigoroſo, & ratio, quare datur hæc facultas Regibus, & Magiſtratibus, eſt, quia ad eos pertinet gubernatio, & tutela majorum, & minorum, & totius Reipublicæ, ita ſancitum eſt. *l. 1. ff de officio Præfecti urbis § cura carnis Panorm. c. placuit de emptione, & venditione, n. 6. Barthol. lege 1. C. De Epiſcopali audientia.*

18 Clericus, vel Monachus, in quo pretio tenetur vendere fructus ſui beneficij, vel patrimonij?

℞ Tenetur vendere in pretio medio, vel infimo & non in rigoroſo, vel ſupremo; quia peccat mortaliter; ratio eſt, quia non licet Clericis ponere annonam, & neceſſitatem in populis ſuo exemplo, & quia pretium medium poſitum à Magiſtratu, vel Rege eſt juſtum pretium & commodum emptori, & venditori, & Clericus tenetur etiam ex l. naturæ ſe accommodare tali pretio, ut latiſſime probat. *Molina diſput. 364. num. 1. & Azor. tom. 3 inſtituionum moralium lib. 8. c. 22. q. 2.*

19 Clericus tenetur ne ſolvere gabellas, vel tributa, & impoſitiones, quas laici imponunt ſuper triticum, vinum, vel oleum ad ſolvendum donativum Regi?

℞ Non tenetur abſque licentia Summi Pont. immo omni jure ſunt exempti à ſolutione dictarum gabellarum in jure Canonico *c. quemquã, de cenſibus*, in jure civili. *l. 1. l. item nulla communitas, C. de Epiſcopis, & Clericis. Baldus l. placet C. de Sacroſanctis Eccleſijs & in hoc nulla eſt diſputatio.*

20 Quomodo intelligitur hæc immunitas, & exemptio Clericorum in ſolutione gabellarum?

℞ Quod in tritico, vino, oleo, carne, quam dicti Clerici conſumunt in ſua ſuſtentatione, & ſuorum famulorum, & illorum quos ſuis proprijs expenſis nutriunt, vel alunt, non tenentur ſolvere illam quantitatem peccuniæ, quæ impoſita eſt ſupra juſtum pretium ſupra triticum, vel vinum ad ſolutionem faciendam Regi, & hoc intelligitur tam in fructibus ſui beneficij, vel patrimonij, quam ex tritico, vel vino, quod emunt ad ſui ſuſtentationem, ita tenet late *Molina, & Azor. loco allegat.*

21 Si Clericus vendat triticum, vel vinum ſui beneficij, vel patrimonij, poterit ne illud vendere in pretio juſto, & etiam in illa peccunia, quæ ſuper imponitur ad ſolutionem gabellarum, & illam ſibi aſſumere, & convertere in proprios uſus, verbi gratia, juſtum pretium menſuræ tritici ſunt duo aurei, & impoſitum eſt unum aureum pro donativo Regis, poterit ne Clericus vendere menſuram tritici in tribus aureis, & ſibi aſſumere, & in ſuos proprios uſus convertere?

℞ Non, immo tenetur ad reſtitutionem unius aurei; ratio eſt, quia illa quantitas conceſſa eſt à populo, & à Procuratoribus Regni Regi, & non Clerico, & ſic aſſumit, & furatur, quod ſuum non eſt. 2do, quia talis quantitas unius aurei eſt ultra juſtum pretium, & eſt peccatum contra juſtitiam. 3tio, quia facere hoc non eſt immunitas, & exemptio, ſed aſſumere rem alienam. 4to, quia in toto jure canonico, & civili hoc privilegium nullibi datum eſt Clericis, cum ſit res longe diſtincta non ſolvere tributa, & gabellas quas laici imponunt communi conſenſu ſuper ſuis bonis ultra juſtum pretium ad ſolutionem gabellarum, & donativorum ita tenet, & probat latiſſime *Molina. diſputatione 374. num. 1.*

22 Quid debet facere judex Eccleſiaſticus, ſi aliquis Clericus vendendo ſuum triticum, vel vinum defraudat gabellas Regias vel menſuras, vel aliam fraudem ſimilem?

℞ Jubere per edictum ſub gravi pœna, ut nullus Clericus per ſuam perſonam menſuret vinum, vel triticum, quia indecens eſt, ſed quod ponat laicum ſæcularem, qui in loco honeſto vendat vinum, & fructus Clerici, & reddat rationem collectori gabellarum, ſicut faciunt alij laici ſub pœnis à prætoribus impoſitis.

23 Magiſtratus, & Principes, ſæculares quid debent agere ut tollant hanc controverſiam aliquorum Clericorum, qui magis ex ignorantia, quam ex malitia uſurpant dictas gabellas, & terrent collectores ſæculares minando cenſuras, ubi nulla eſt cenſura?

℞ Debent ponere juſtum pretium tritici, vel vini, veluti quotam duorum aureorum, & dicere, quod dant licentiam, quod vendatur communiter tribus aureis declarando, quod unus aureus eſt pro regio donativo, vel gabella, tunc enim nulla erit ignorantia, neque difficultas.

24 In quo differunt libertas, & immunitas Eccleſiaſtica?

℞ In eo, quod immunitas Eccleſiæ eſt exemptio loci ſacri, & libertas Eccleſiaſtica eſt exemptio perſonæ Eccleſiaſticæ, & ita, qui facit injuriam in loco ſacro, non incurrit cenſuras poſitas contra violatorem Eccleſiaſticæ libertatis. *Caiet. in ſum fol. 233. num. 6. de immun. Eccleſi. viol.*

25 Quotuplex eſt immunitas Eccleſiæ?

℞ Triplex, localis, perſonalis, & realis, per quã profana in Eccleſijs, ſeu Oratorijs prohibentur exerceri. *Caiet. in ſum verb immunit. Eccles. violat.*

26 Quæ ptohibentur fieri in Eccleſia, vel cæmeterio?

℞ Negotiationes nundinarũ, & fori conclamationes, publica parlamenta, & omnes res profanæ. *c. dect, de immun. Eccle. in 6.*

27 Eccleſia per quot paſſus gaudet immunitate ?

℞ Per triginta *c. quiſquis inventus* 17. *q.* 4.

28 Palatium Epiſcopi, gaudet ne privilegio immunitatis ?

℞ Gaudet *c. id conſtituimus* 17. *q.* 4.

29 Quis debet defendere immunitatẽ Eccleſiæ ?

℞ Epiſcopus *c.* 2. *eod. tit. Conc. Trid. ſeſſ.* 25 c. 20. *de reformatione.*

30 Quis debet defendere Epiſcopis ſuam juriſdictionem, & immunitatem Eccleſiaſticam ?

℞ Primates, Principes, & Poteſtates, quia illis commiſſum eſt per. *Conc. Trid. Seſſ.* 35. *c.* 20. *cit.*

31 Qui gaudent privilegio, & immunitate Eccleſiaſtica ?

℞ Omnes perſonæ, ipſa Eccleſia, & bona Eccleſiæ, & ſæculares, qui ad eam confugiunt. *jum. Armil. verb. immunitas, & alij.*

32 Qui non gaudent immunitate Eccleſiaſtica ?

℞ Piratæ, depopulatores agrorum, qui occultè mittunt ignem in ſegetes, & comburunt agros, qui in Eccleſia committunt maleficium, raptores Virginum, homicidæ, adulteri, aſſaſini, viarum curſores, qui in agro furta committunt, illi, qui inſideantes, vel cum aliquo tradimento aliquem vulnerant, ſacrilegi, & omnes poſiti in *Bulla Gregor. XIV Caiet. de immun. Eccleſiaſt. verb. immunitas,* §. 1. *authent. de mandatis Principum,* §. *quod. ſi delinquentes. Augei. in ſum. verb. immunitas, num.* 7.

33 Latrones furantes in civitate gaudent ne immunitate Eccleſiæ ?

℞ Gaudent. *capit. inter alia, de immunitate Eccleſiarum.*

34 Cum Judex ſæcularis vi extrahit hominem ab Eccleſia, quid debet Judex Eccleſiaſticus facere ?

℞ Debet illum & ſuos miniſtros excommunicare, & aggravare cenſuris, donec fiſcus ſæcularis probet per legitimos teſtes illum hominem commiſiſſe tale delictum, & non gaudere privilegio Eccleſiæ. *Arm. in ſumm. verbo. immunitas. num.* 16.

35 Factis probationibus, quid debet facere Judex Eccleſiaſticus ?

℞ Declarare ſecundum allegata, & approbata talem hominem debere, vel non debere gaudere immunitate Eccleſiæ.

36 Violantes immunitatem Eccleſiæ, quo jure ſunt exccommunicati ?

℞ Excommunicatione juris per Bullam. *Greg. XIV, de immun. Eccl. publicatam die* 28. *Maij.* 1595. *& ipſo facto incurrunt. c. minor. c. quiſquis.* 17. *q.* 4. *& debent abſolvi ab ordinario. capit. nuper, de ſentent. excommun.*

37 A quo debent abſolvi ?

℞ Ab ordinario, quia in dicta bulla Papa non reſervavit ſibi abſolutionem. *cap. nuper, de ſentent. excommun.*

38 Si judex non mandavit extrahi hominem, ſed parentes defuncti extraxerunt, poterit ne Judex façere mori hominem, vel in carcere detineri ?

℞ Non, licèt iſta Bulla non fecerit mentionem de mandante, ratio eſt, quia de facili diſpoſitio dictæ Bullæ redderetur illuſoria. *c. ſententia, de ſent. & re jud. Imola in l. ſi vero, ff. ſol. matr.*

39 Quid debent facere Clerici, Rectores Eccleſiarum ad quas rei confugerint ?

℞ Eos occultare, nihil dicere & impetrare vitam illius hominis, & membrorum incolumitatem. *Sylveſt. verb. immunitas.* 111. *q.* 4.

40 Clerici tenentur ne defendere reum, qui confugit ad Eccleſiam, & immunitatem Eccleſiæ cum armis, uſque ad amiſſionem vitæ, vel ſangvinis effuſionem ?

℞ Non, ſed precibus, & gladio Eccleſiaſtico, nempe excommunicatione.

41 Quis providebit de expenſis ijs, qui confugiunt ad Eccleſiam ?

℞ Si tales ſint pauperes, & Eccleſia ſit dives, tenetur eos alere. *Sylv. verb. immunitas* 111. *num.* 5.

42 Proceſſus, vel ſententia lata à judicibus laicis in Eccleſia, vel cæmeterio, valet ne ?

℞ Eſt nulla ipſo jure, & ſi ſit ſangvinis Judex excommunicatur, & quaſi ſacrilegus punitur *c. cum Eccleſia, de immunit. Eccleſ.*

43 Qui commiſit delictum, & caſu confugit ad ſacerdotem portantem Corpus Chriſti per vias infirmis, debet ne gaudere immunitate Eccleſiaſtica ?

℞ Licet *Covarru. var. reſolut. lib.* 2. *c.* 20. *num.* 6. ſit de hac re dubius citans pro parte affirmativa Archidiacon. *in c. quæſit.* 13. *q.* 2. *& alios tamen gloſſ. in dicto cap, tenet partem negativam,* affirmans quod cum immunitans Eccleſiæ ſit quoddam privilegium, extendi non debet, niſi ad templa ipſa, *ut in c. petiſti,* 7. *q.* 1.

44 Si quis dicatur à ſatellitibus captus per Eccleſiam, gaudet ne immunitate Eccleſiæ ?

℞ Non, quia talis non eſt ingreſſus in templum, ut ad id confugiat, neque is violenter è templo educitur, ſed per templum ex voluntate ſatellitum tranſit, & ſic Eccleſiæ non fit injuria *Covar. in vari. reſolut c.* 20. *lib.* 2. *num.* 13.

45 Latrones, qui in domibus aliquem obſident, vel furantur vi, & armis argentum, aurum, rem familiarem, mulieres etiam non virgines interficiendo, opprimendo. vel inferendo metum proprijs dominis, vel ſervis, gaudent ne immunitare Eccleſiaſtica ?

℞ Non gaudent iſta ratione; nam majus damnum faciunt, qui vim inferunt hominibus, quam latrones, qui in agro ſimilia committunt, cum in civitate quiſquam debeat vivere magis ſecurus, quam in agro, & ſic eſt Bulla Gregor. XIV. *publica. anno* 1591. de immunit. Eccleſ. & iſti propriæ ſunt obſides, & traditores & hac ratione movetur *d. Bulla. excipiendo eos, qui non debent. gaudere,*

46 Socij, qui adjuvant eos, qui committunt ſimilia delicta, gaudent ne immunitate Eccleſiæ ?

℞ Non, gaudent ſicut principalis, quia ſocij comittentes delictum eadem pæna, & privilegio gaudent. *Covar. lib.* 2. *variarum reſol. c.* 29. *& Bulla Gregor. XIV. cit.*

47 Excommunicatus gaudet ne immunitate Eccleſiaſtica ?

℞ Gaudet, sed non hæreticus, vel infidelis. *Covar. ubi supra num.* 11. *& alij. communiter.*

48 Qui fugit è carcere frangens portam, vel tectum, vel ducitur ad supplicium, vel fugit è manibus satellitum ad Ecclesiam, gaudet ne?

℞ Gaudet, quia ex sua voluntae confugit ad Ecclesiam *Covarr. ubi supra num.* 13.

49 Si Ecclesia sit clausa, & quis fugiat ad fores, easque apprehendat, gaudet ne?

℞ Gaudet sicut qui est in Ecclesia, *Covarr. ubi sup. num.* 18.

50 Fugiens ad Ecclesiam potest ne in ea ferro, vel neruis, vel compedibus ligari, ne inde fugiat, quo voluerit?

℞ Cum distinctione: si dubium sit, an debeat gaudere, vel non, potest ab utroque Judice (ut inde non evellatur) ligari compedibus, si vero declaratur, quod debet gaudere, solvendus est, ut faciat, quod voluerit, & nunquam ei alimenta sunt neganda & si judex laicus ei per custodes alimenta deneget, Judex Ecclesiasticus debet ei dare; quia hoc est contra immunitatem Ecclesiæ *Covar. variar. resol. lib.* 2 *c.* 20. *num.* 17.

51 Oratoria privata in domibus, vel prope domus, gaudent ne immunitate Ecclesiastica, ita ut ibi possint confugere, qui committunt delicta?

℞ Non gaudent, quia hoc solum concessum est Ecclesijs benedictis, vel consecratis. *Abb. c. patentibus, num.* 3. *de privileg. & excess. privilegiat.*

52 In hospitalibus gaudet ne quis immunitate Ecclesiastica?

℞ Si sit in eis campana, & Ecclesia, ubi celebretur Missa publica, gaudet quia tunc præsumitur Ecclesia publica, & auctoritate Episcopi benedicta, & constructa. *Abb. ubi supra n.* 1.

53 Loca sæcularia, ubi se congregant aliqui ad vivendum more Religiosorum, & non faciunt ullam professionem, ut Seminaria, vel domus, ubi simul habitant mulieres sæculares, moniales, orphani, vel virgines, gaudent ne immunitate Ecclesiæ?

℞ Cum distinctione: si habent Ecclesiam publicam cum campana ab Episcopo benedictam, ubi publice celebretur, gaudent privilegio, quia accessorium sequitur naturam principalioris, si vero non gaudent tali privilegio, quod datur directe Ecclesijs benedictis, & secundario domibus conjunctis Ecclesijs. *gl. in c. quæsitum*, 13. *q.* 2. *& Abb. in c. patent. de privileg. &c.*

54 Sententia lata à Judicibus laicis in Ecclesia, vel cæmeterio, valet ne?

℞ Non, & si sententia fuerit sangvinis, & prolata in Ecclesia, Judex excommunicatur, & quasi sacrilegus punitur. *c. cum Ecclesia, de immun. Eccles.*

55 Clerici, qui committunt aliquod delictum, debent gaudere?

℞ Debent, secundum veriorem opinionem, licet in hoc consvetudo sit servanda. *Covar. lib.* 2. *var. resol. c.* 20. *Jul. Clar. q.* 30. *§. fin. n.* 16.

56 Impedire Episcopis jurisdictionem circa sæculares in causis mere Ecclesiasticis, & mixti fori, in adulterijs, & alis in quibus juxta sacras sanctiones Judex Ecclesiasticus potest cognoscere, est ne frangere jurisdictionem Ecclesiasticam?

℞ Affirmative. c. 1. *de offic. Ord. & DD. in l. Imperium, ff. de jurisd. omn. jud.*

57 Si Nuncij Apostolici, vel Metropolitani ante sententiam definitivam, vel gravamen habens vim definitive, tollant Episcopo primam instantiam in civibus, & criminalibus, est ne tollere immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam?

℞ Affirmativè, & processus, & inde secuta nullius momenti sunt. *Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 20. *de ref.*

## CAPUT XXXVIII.

### De Purificatione post partum?

1 Mulier post partum poterit ne ingredi Ecclesiam ante dies purificationis suæ, positos in lege Moysi?

℞ Poterit statim ingredi Ecclesiam, quia lex Moysi post passionem Christi Domini nostri amplius non obligat. *c. unico, de purificatione.*

## CAPUT XXXIX.

### De Ecclesis ædificandis.

1 Potest ne ædificari aliqua Ecclesia, vel capella eremitica sine licentia Episcopi?

℞ Non; ita habetur *in c. nemo, il.* 1. *de consecr. dist.* 1. *Ang. in sum. verbo Eccle.*

2 Decimæ, oblationes, argentum, ornamenta, quæ fiunt alicui imagini, vel capellæ sitæ intra Ecclesiam parochialem, in cujus utilitatem possunt converti?

℞ In utilitatem Parochi talis Ecclesiæ, qui habet fundatam suam intentionem de Jure communi supra omnes decimas, oblationes, & Eleemosynas factas Ecclesiæ Imagini, quia omnia videntur, & censentur facta in contemplatione Eclesiæ *c. ad audientiam, il.* 1. *de Ecclesijs ædificandis, & Abb. c.* 1. *de statu Monach. n.* 4.

3 Si aliquis Clericus, vel Monachus celebret in Ecclesia Parochiali, & dentur illi oblationes, ad quem pertinet, ad ipsum, an ad Parochum illius Ecclesiæ?

℞ Ad proprium Parochum, *Abb. ubi supra.*

4 In capellis possunt esse Canonici?

℞ Possunt? quia non requiritur ad essentiam Canonicorum, quod sit Ecclesia parochialis, sed solum, quod habeat Canoniam ex privilegio Summi Pontificis, & præbendam ex aliqua fundatione, ut congrue sustentetur. *gloss. c. cum. capella, de privileg. & excess. privileg.*

5 In oratorijs privatis possunt ne poni campanæ?

℞ Non. *c. patentibus, eod. tit. scilicet de priv. &c.*

6 Donatio bonorum facta Ecclesiæ quomodo intelligitur sub conditione, vel absolute?

℞ De hoc dictum est *lib.* 1. 35. *n.* 13. *& n.* 14.

7 Ecclesia quomodo potest concedi Religiosis in proprietatem, vel in titulum?

℞ Utroque modo. *c. pastoralis, eod. tit. nostro.*


8 Quid debet Eposcopus observare in danda licentia ad ædificationem Ecclesiæ?

℞ Quod ædificans Ecclesiam, illam dotet sufficienter ad ejus perpetuitatem, quia spiritualia sine

sine temporalibus diu esse non possunt. *c. si quis objecerit, 1. q. Roccus de jur. patr. verb. utili, q. 2.*
9 Una Parochia potest ne duas diœceses habere?
℟ Non, propter confusionem, & in commodum subditorum. *C. Trid. Sess. 14. c. 9. de refor.*
10 Si Quis ædificat Ecclesiam, & illam non dotat quam pænam incurrit?
℟ Episcopus debet compellere ipsum, vel ejus hæredes ad dandam dotationem sufficienter, & perpetuam, & si factis monitionibus non fecerint, amittunt jus patronatus, & poterit Episcopus alteri eam dare. *c. nemo il. 1. de consecr. dist. 2. c. cum. sicut, de consecr. Ecclesi. vel Altaris.*
11 In quo loco debet de novo Ecclesia ædificari?
℟ In loco decenti, & in proprio, non autem in alieno, ita ut non fiat præjudicium alteri Ecclesiæ, *Sylv. verb. Ecclesia 2. n. 5. & glos. in c. cum. dicat, de Eccl. ædif,*
12 Quam formam debet habere Ecclesia?
℟ Formam navis, quia Ecclesia apellatur navis Petri; & Christus est ejus Rector *c. non turbat 24. q. 1. & si fieri potest, pars posterior respiciat. Orientem, & anterior Occidentem.*
13 Post ædificationem quid debet Episcopus facere in Ecclesia?
℟ Benedicere, vel consecrare illam, ut Missæ celebrentur, & committere eam idoneis ministris. *Conc. Trid. Sess. 22. c. 1. de sacrific. Missæ. D. Tho. 3. p. q. 83. art. 3.*
14 Ecclesia parohialis quibus sumptibus reficiéda est?
℟ Si consvetudo sit ut parochiani eam reficiant, ipsis tenetur.si sit fabrica,in hoc est consumenda. si utrumq; deficiat, ex fructibus beneficiorũ deducta congrua sustentatione parochi est ne redificanda. *Con. Trid. Sess. 21. c. 7. de reform.*
15 In Ecclesijs vetustate confractis,quid agendum?
℟ Episcopus vocatis, quorum interest, procuret eas reædificare, & si non poterit, transferat imagines, & altaria ad Ecclesias parochiales propinquiores, vel ad matricem, ubi onera compleantur sub ejusdem vocationibus sanctorum, & tunc eas poterit destruere. *Con. Tr. Ses 21. c. 7. de refor.*
16 Spatium Ecclesiarum diruptarum potest ne vendi laicis?
℟ Erecta Cruce in loco, ubi Ecclesia fuit ædificata, potest vendi laicis, dummodo non convertatur in sordidos, & profanos usus *Con. Trid. Sess. 21. c. 7. de refor.*
17 Qui dicuntur profani usus?
℟ Macellum, vel quid simile.

# LIBER DECIMUS
## CONTINENS MATERIAM LIBRI QUARTI DECRETALIUM.
### De Quibus hactenus non est Tractatum.

## CAPUT I.
### De natis ex libero ventre.



1 Quis dicitur liber proprie?
℟ Ille; qui nascitur ex ingenua, & libera matre. ut habetur *in c. liberi. 32. q. 4. &c. cum multa 15. q. 8. inst.* de ingenuis in principio, juncta gl.
2 Unde dicitur liber?
℟ A libertate, quia non est servus alicujus, sed sui proprij juris.
3 Hoc nomen liber quas significationes habet?
℟ De jure duas. *1ma*, sumitur pro homine libero, qui non est servus alicujus *2da*, sumitur pro filio alicujus, & dicitur omnes descendentes per lineam rectam, usque ad trinepotem, & ulterius dicuntur inferiores, seu posteriores. *l. liberorum ff. de verb. significat.*
4 Liber quibus modis fit servus?
℟ Quinque modis, *1mo*, captus ab hostibus in bello. *2do*, quando quis commisit delictum, & à Judice condemnatur ad triremes vita. *3tio*, quando major viginti quinque annorum se permisit vendi *4to*, si minor viginti annorum venditus ab aliquo, postea major factus consentit, & participat de pretio. *5to*, quando pater in summa egestate, & necessitate vendit filium ea conditione, ut si veniat ad meliorem fortunam possit illum recuperare, quod raro contigit. *inst. de jure personar. §. servi autem.*
5 Natus ex liberta est ne liber, an servus?
℟ Liber, & omnes ejus descendentes. *c. unico. de natis ex libero ventre.*
6 Natus ex libero, & serva erit ne liber?
℟ Non, quia partus sequitur ventrem, nisi forte in aliqua Provincia sit consvetudo contraria. *Abb. in c. licet, de conjugio servorum num, 1. & 2.*
7 Quare de jure, partus sequitur ventrem?
℟ Quia bene dicit lex, mater certa, pater vero, quem nuptiæ declarant. *ut habetur in l. quia semper ff. de in jus vocando.*

## CAPUT II.
### De frigidis, & maleficiatis.

1 Frigidus quis dicitur?
℟ Ille, qui est impotens ad generationẽ *Ab. in c. 1. de frig. & malef. n.*

2 Unde

2 Unde provenit hæc frigiditas, & impotentia?

℞ Aliquando ab ipsa natura, aliquando ab infirmitate naturali, & aliquando à maleficijs.

3 Maleficatus quis dicitur?

℞ Ille, qui maleficijs positis à Diabolo, vel à mulieribus, quæ arte maleficandi pollent, est factus frigidus, impotens, & non aptus ad generationem. *Malleus malef.* . 1. q. 2.

4 Impotentia coeundi impedit ne matrimonium?

℞ Impedit contrahendum, & dirimit contractum, quia matrimonium est ordinatum ad finem generationis propter universi conservationem. *c.* 1. *eod. tit. de frig. &c.*

5 Si mulier sit arcta, tenetur ne consentire, vt chirurgus aperiat eius vas ferro?

℞ Cum minimo periculo suæ vitæ non tenetur. *Abb. in c. fraternitatis, de frigid. num.* 4.

6 Si maritus, & mulier petant separationem propter frigiditatem, est ne statim facienda?

℞ Cum distinctione; si ambo concordes confiteantur frigiditatem, & si sint alia signa frigiditatis, si sint alij testes, ut obstetrices, & medici, qui testificent in dicto impedimento, potest fieri statim separatio, *ut in cap.* 1. *eod. tit.* si verò hæc deficiant, & maritus, vel mulier contradicant, & signa frigiditatis non appareant, tunc per triennium debent cohabitare simul, ut tempus, & consvetudo satisfaciant loco testium, text. *in cap. laudabilem. eod. tit. Innocent. in dicto cap.*

7 Quomodo est inspicienda mulier à testibus, & qui debent esse hi testes?

℞ Debent esse obstetrices, & medici honesti, bonæ famæ, & vitæ, & si fieri potest de sua parochia, vel qui solebat medicare eam, ut major notitia pariat majorem veritatem cum honestate. *Abb. in c. fraternitatis eod. tit. num.* 4.

8 Si maritus, vel mulier sint frigidi propter maleficia à Diabolo, vel à malefica, quod tempus est expectandum?

℞ Tunc triennium debet expectari, quia possunt illa maleficia finiri. *Abb. in c.* 1. *eod. tit. num.* 5.

9 Si maritus habeat amputata virilia, requiritur ne cohabitatio triennalis?

℞ Non, quia probatio, & impotentia generandi est satis probata per factum ipsum, quod apparet. *Abb. ubi supra, num.* 6.

10 Quæ est ratio differentiæ, quare in frigidis à natura non est expectandum triennium, & in maleficiatis est expectandum?

℞ Quia frigiditas naturalis est infirmitas perpetua, & competit omni naturæ hominum, maleficium verò est quid particulare istius hominis, & aliquando habet finem, & tollitur. *Abb. ubi sup. n.* 7.

11 Triennalis cohabitatio est ne semper necessaria?

℞ Non, si probari possit impedimentum, quia ad hoc conceditur à jure, & frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, & sic probato impedimento non erit necessaria. *Abb. c. laudabilem num.* 2. *de frigid. & malefic.*

12 Triennalis cohabitatio computatur ne à die motæ litis, an à die cohabitationis?

℞ A die cohabitationis, sive sit continuata, sive interrupta aliqua absentia, tamen cum cohabitatio non computatur à die mandati judicis, sed à tempore anteriori, debet Judex ordinare, ut cohabitet simul per aliquot tempus sibi benè visum ut severiùs procedatur. *Abb. in c. litteræ, eod. tit. numero* 12.

13 Maritus potestne confiteri suam impotentiam ex suo defectu?

℞ Potest. *Abb. c.* 1. *eod. tit. num.* 1.

14 Impotentia coeundi quando impedit matrimonium contrahendum?

℞ Semper, sive proveniat ex ætate, vel infirmitate, frigiditate, maleficio, sive ex arctatione vasis, sive ex abscissione, vel læsione membri. *c. quod sedem, & infra, eod. tit. de frigidis.*

15 Puer usque ad quod tempus dicitur impotens?

℞ Usque ad decimum quartum annum, iste terminus est præfixus à jure, licèt in aliquibus ante hoc tempus possit natura, vel complexio dare potentiam. *Abb. in c. quod sedem, num.* 2. *de frigid.*

16 Naturale impedimentum per artem medicinæ reparabile, impedit ne matrimonium?

℞ Impedit, dum durat. *c. ex litteris. eod. tit. & c. fraternitatis, de frigid.*

17 Probare quod mulier non sit virgo, est ne sufficiens ad dissolutionem matrimonij, & quomodo probatur?

℞ Non est sufficiens; quia potuerunt ex odio, vel devotione dormire in eodem lecto, & non se conjungere, & virginitas probatur per obstetrices peritas. *Abb. in c. fin. num.* 10. & 11. *de frigid. &c.*

18 Probatio parentum est ne necessaria in separatione matrimonij ex defectu frigiditatis, vel impotentiæ?

℞ Est tàm necessaria, ut sine illa, causa non possit sententiari propter majorem cognitionem, quàm habent de impotentia, & frigiditate. *Abb. c. ult. de frigid. num.* 11.

19 In quo numero debent esse testes parentes, ut fiat hæc probatio juridica?

℞ Debent esse septem, qui testificari debent, & si non inveniantur, assumentur de familiaribus domus, vel vicinis illorum. *cap. ult. eod. tit.* C *Abb. ibi num* 11. *Paulus de Castro, leg. si cum dotem §. si patri. ff. solut. matrimon.*

20 Si quis contrahat de facto cum impotenti ad coitum, matrimonium erit ne validum?

℞ Non, quia non potest consequi finem matrimonij. c. *quod sedem, eod. tit. nostro, & ibi gl.*

21 Si malitiosè vir, aut mulier petant separationē propter frigiditatem, & impotentiam; si postea frigidus habet in alia filios, erit ne validum primum matrimonium, an secundum?

℞ Cum distinctione; si talis vir est potens cum secunda uxore, & non cum prima, quod solet accidere ex qualitatibus individualibus, ut medici asserunt, secundum; si verò decepta fuit Ecclesia, quia talis vir est potens cum prima, & cum secunda, & malitiosè finxit, & probavit impotentiā, tunc primum matrimonium est validum. *Abb. cap. primo, eod. tit. num.* 7.

22 In isto casu poteritne mulier petere separationem quò ad torum?

℞ Poterit, & ei est concedendum propter adulterium

terium commissum, & propter malitiam. *Abb. ut supr. num. 7.*

23 Senes impotentes possunt ne contrahere?

℞ Non possunt, sed si sit impotentia in sene minus, vel tarda, & poterit contrahere, quia magis, & minus non impediunt matrimonium, sed absoluta impotentia. *Abb. in c. quod sedem, eod. tit. n. 5.*

24 Spadones possuntne contrachere?

℞ Si sint in utroque testiculo, non, quia licêt erigant non habent vim generativam; sed si sint uno testiculo possunt imo solent habere plures filios, cum virtus alterius testiculi sit in illo solo, & isti homines sunt magis luxuriosi, quam alij. *Abb. c. quod sedem. eod. tit. num. 5.*

25 Si matrimonio contracto per verba de præsenti, superueniat impedimentum impotentiæ, dirimit ne matrimonium?

℞ Non, quia tempore, quo fuit celebratum, personæ erat capaces, potentes, & hoc sufficit, ut matrimonium teneat, sive impotentia superveniat consumato matrimonio, vel non consumato, quia quotiescunq; à principio matrimonium fuit verum, amplius irritum esse non potest. *c. fraternitatis. c. ex litteris. eod. tit. nostro, & Abb. ibi num. 3.*

26 Si quis scienter contrahat cum muliere impotenti, vel arcta, debet ne ab illa separari?

℞ Non, sed debent vivere non tanquam uxores, sed tanquam sorores, quæ maritis suis quasi fratribus ministrent, & præsto sint, & cognovi aliquos aunuchos uxoratos, sed per Bullam Sixti V. prohibitum est eunuchis contrahere matrimonium. *Abb. c. consultationi. de frigidis num. 3.*

27 Si quis scienter contraxit cum impotenti de facto, & iterum contrahat cum potenti, quod matrimonium erit validum?

℞ Secundum, & tenebitur alere primam uxorem impotentem. *Abb. ubi supr.*

28 Si sententia à Judice Ecclesiastico lata fuit, ut propter impotentiam dissolvatur matrimonium, & postea apparet error, debet ne talis sententia revocari?

℞ Semper, quòd appareat talis error, debet revocari; præcipuè in sacramento matrimonij, quod non dissolvitur vigore sententiæ, sed vigore causæ, quæ si non stat, manet sacramentum, *ut c. fraternitatis. de frigid. & maleficiat.*

## CAPUT III.
## Qui filij sint legitimi.

1 Quid est legitimatio?

℞ Quædam dispositio, decor, & honor faciens incapaces capaces ad successionem, & honores. *Abb. in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, num. 3.*

2 Quis dicitur filius legitimus?

℞ Ille, qui nascitur ex legitimo matrimonio. *gloss. instit. de adoptionibus in principio, in verbo naturales.*

3 Quis dicitur filius naturalis?

℞ Ille, qui nascitur ex soluto, & soluta, etiam si sit vidua. *gloss. in capit. per venerabilem, qui filij sint legitimi.*

4 Quis dicitur illegitimus, vel spurius?

℞ Ille, qui nascitur ex habente uxorem, & soluta, vel ille, cujus pater non cognoscitur, vel ille, qui ex incestuosis nuptijs nascitur. *l. vulgo. ff. de statu homin. & c. nisi cum, § persona vero, in gloss. de renuntiatione. c. causam. il 1. qui filij sint legit.*

5 Unde dicitur spurius?

℞ A verbo græco, sporas, quod est, vulgo conceptus, vel sine patre conceptus. *ut l. vulgo. ff. de statu hom.*

6 Quis dicitur filius ex incestuoso, & sacrilego coitu natus?

℞ Ille, qui nascitur ex filia, & patre, vel parente in gradu prohibito, vel ex monacho, monacha, vel sacerdote, quia isti committunt sacrilegium.

7 Filius adoptivus dicitur legitimus, vel naturalis?

℞ Legitimus, quia legitimo modo procreatus est. *gl. Instit. de adoptinib. in princ.*

8 Naturalis quomodo legitimatur?

℞ Per matrimonium subsequens, & lucratur hæreditatem, sicut qui natus est post matrimonium. *c. 1. qui filij sint legit. & capit. tanta est vis, eod. titu. nostro.*

9 Quomodo probatur aliquem esse filium legitimum?

℞ Per longam cohabitationem patris, & matris suæ, per famam inter vicinos, & cognatos, per educationem, tanquam de proprio filio, per testes, per librum conjugum, qui est in parochia, per librum baptismi talis filij, ubi scribuntur patres, & patrini. *Abb. in c. lator, qui filij sint legit. num. 6. l. in libera, ff. de ritu nuptiar. l. quidam. ff. de probationib.*

10 Filiatio ex parte patris quomodo probatur?

℞ Hoc est improbabile, nisi per famam, & communem opinionem; quia mater certa est, pater verò quem nuptiæ declarant. *Abb. in c. transmissæ num. 9. qui filij sint legitim. l quia semper. ff. de in jus voc.*

11 In quo casu potest probari aliquem non esse patrem?

℞ In casu, quo pater fuerit absens tempore conceptionis. *l. filium. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris, & Abb. ubi supra.*

12 Absente marito potest ne pronuntiari sententia separationis?

℞ Affirmativè, ut quando veniat, cum illa non se conjungat, præcipuè si in fraudem litis se absentavit. *Abb. in c. perlatum. num. 5. qui fil. sint. legit.*

13 Si quis probet per testes esse natum ex legitimo matrimonio, & fama vicinorum sit contraria, cui erit standum?

℞ Probationi testium, quia plus est, quod in veritate agitur, quàm quod simulatè concipitur *c. per tuas, eod. tit.*

14 Si pater, vel mater negent aliquem esse suum filium, poterit ne adire hæreditatem?

℞ Si talis probet se esse filium, poterit, alias præjudicatur, quia ipsi incumbit probatio. *Abb. in c. transmissæ. eod. tit. num. 4.*

15 Si quis sit in possessione, & habetur ab omnibus pro filio mariæ, & ut talis filius alitus, & educatus sit, & postea maria dicat illum non esse suum filiū, vel sui mariti, vel quòd ipsa furata sit illū ab alia muliere, tenetur ne ei credere Judex?

℞ Non, cum ipse sit in tali possessione, à qua non debet deponi nisi per probationem luce clario-

clariorem, & onus probandi non incumbit possidenti, sed objicienti. *l.* 1. §. 2. *ff. dec arboniano edicto.l.si posthumus.* §. *fin. ff. de liberis, & posthumis.*

16 Quali judicis competit cognito legitimationis filiorum?

℟ Judici Ecclesiastico. *Abb. in c.* 1. *qui fil. sint legit. num.* 2.

17 Papa poteštn legitimare filios natos ex Clerico sacerdote, vel monacho?

℟ Licèt hæc quæstio ambigva sit inter DD. tamen Abb. tenet non posse legitimare; quia matrimonium ratione voti solemnis inter Clericum, & mulierem nullum fuit, & sic non cadit legi timatio, benè tamen poterit illum habilitare ad beneficium, & ordines. *Abb. num.* 22. *in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.*

18 Si Papa dispenset super matrimonio, & de filijs antea habitis nulla fiat mentio, remanent ne filij illegitimi?

℟ Non, sed legitimi, etiam quò ad honores, & hæreditatem, non enim præsumitur Papam idvoluisse, ut filij priventur privilegio sibi à jure concesso; quia ille, qui benignus, & liberalis est cum patribus, liberalis, debet esse cum filijs. *Abb. in c. referente. eod. tit. nostro, num.* 4.

19 Papa quibus in terris legitimat quò ad hæreditatem?

℟ In suis terris, in alienis verò legitimat quò ad honores, & præbendas Ecclesiasticas, sed quò ad hæreditatem, non, quia hoc est jurisdictionis temporalis, & sic ad ad Reges pertinet. *Abb. in c. per venerabilem. eod. tit. num.* 1.

20 Principes civitatum non recognoscentes superiorem in temporalibus possunt ne exercere ea, quæ sunt reservata Imperatori?

℟ Affirmativè in suis subditis. *Abb. num.* 10. *in c. per venerabilem.*

21 Rex Hispaniarum, & Galliæ recognoscunt ne superiorem in temporalibus?

℟ Non, ideò faciunt legitimationes pro suo libitu. *gloss. in c. Hadrianus. dist.* 64. *Abb. ubi sup. num.* 9. & 37.

22 Si Pater moriatur, Princeps poterit ne legitimare illegitimum ad successionem hæreditatis in præjudicium agnatorum?

℟. Si pater vivat, vel moriens petat legitimari filium suum, Princeps legitimare illegitimum sine citatione agnatorum; si verò pater sit mortuus, citandi sunt agnati, quorum præiudicio agitur; si verò Princeps plenitudine potestatis velit aliqvem legitimare, poterit facere sine citatione alicuius; ratio est, quia ipse nulli facit iniuriam restituendo alicui, quod ipse per suas leges ei abstulit. *Abb. vbi supr. num.* 29. *in c. per venerabilem.*

23 Filij concepti ante separationem, & nati post separationem erunt ne legitimi?

℟. In isto casu conceptus habetur pro nato. *Abb. in c. ex inter. num.* 3. *eod. tit. unostro.*

24 Filius conceptus lite separationis pendente, erit ne legitimus?

℟ Affirmatiuè, quia durante lite matrimoniū non separatur, & filius alterius coniugum illos facit legitimos. *Abb. vbi sup. num.* 4.

25 Filius legitimus, si habeat patrem illegitimum poteŝt ne petere bona sui aui?

℟ Licèt sit legitimus, excluditur à successione sui aui; quia matrimonium patris sui, & matris suæ non facit illum habilem ad successionem sui aui, *Abb. in c. lator. num.* 2. *qui fil. sint legit.*

26 Si quis sit spurius natus de vxorata, & libero, & mortuo suo primo marito, secundò nubat libero, talis spurius legitimatur ne per secundum matrimonium?

℟ Non, nisi per priuilegium habentis potestatē legitimandi. *c. tanta est vis, qui fil. sit legit.*

27 Si quis sit filius hominis Christiani, & mulieris infidelis, & ambo sint liberi, legitimabitur ne per subsequens matrimonium?

℟ Licèt aliqui DD. teneant partem affirmatiuam. tamen *Abb. in c. tanta est vis. eod. tit nu* 14. & *Ioan. And.* tenent negatiuam, quia tempore conceptionis tales non erant habiles ad contrahendum, etiam si accessisset consensus, & sic intelligunt text. *in d. c. tanta, eodem tit.*

28 Si duo infideles sint coniuncti in gradu prohibito, eorum filij post baptismum erunt ne legitimi?

℟ Si gradus sit prohibitus jure Canonico, erunt legitimi, secus verò si impedimentum sit prohibitum lege divina; ratio est, quia infideles non astringuntur lege Canonica, sed solùm divina. *Abb. in c. fin. eodem tit. nun.* 3.

29 Si aliqua mulier per sententiam divortij propter aliquod impedimentum separetur, & secundo nubat, & habeat filium, & postea appareat impedimentum nullum fuisse, & sententiam esse iniquam, talis filius erit ne legitimus?

℟ Licèt talis mulier ad suum primum maritum revertatur, tanquam ad legitimum, tamen filius secundi mariti legitimus erit, etiam quò ad hæreditatem, & honores, quia bona fides talem legitimum fecit. *Abb. in c. per latum. eod. tit. num.* 4.

30 Si conjuges sciant impedimentum dirimens matrimonium, & contrahunt in facie Ecclesiæ nullo contradicente, & postea separentur, filij nati ante sententiam durante matrimonio erunt ne legitimi?

℟ Non, quia hic adfuit fraus, quæ nemini patrocinatur. *c. ex tenore. eod. tit.* & *Abb. ibi num.* 5.

31 Si quis nascatur ex matrimonio contracto contra iustitiam publicæ honestatis, erit ne legitimus?

℟ Non, quia impedimentum contra iustitiam publicæ honestatis dirimit matrimonium. *ex text. in c. referente, eod. tit.* & *Abb. ibi num.* 2.

32 Si aliqua mulier in facie Ecclesiæ inscia contrahat cum viro habente uxorem, filius natus erit ne legitimus?

℟ Erit, & capax hæreditatis, quia bona fides matris illum fecit legitimum. *capit. ex tenore. qui fil. sint. legitimi.*

## CAPUT IV.

### De Patria potestate.

1 Ius patriæ potestatis unde oritur, & quis primus sancivit hanc legem?

℟ Plutarchus dicit, quòd Romulus primus instituit

tuit legem patriæ potestatis,tanquam maximum fundamentum Reipub. Romanæ, & patria potestas oritur ex jure Romano,& sic solum illi, qui sunt sub Romano Imperio gaudent privilegio patriæ potestatis, ut tenet. *Abbas in capit, final. de convers. infidelium, num.* 5.

2 Patria potestas quomodo definitur?

℞ Patria potestas est jus quoddam,per quod filij, & filiæ, cæterique descendentes per lineam masculinam quò ad personas, & bona subijciuntur patri,& auo paterno etiam patre vivente quò ad certos effectus infra dicendos. *l. nam civium, ff. de his, qui sunt sui, vel alieni juris*, §. 1. *instit. de patria potestate.*

3 Quare mater,neque auus maternus non habent supra filios, & filias jus patriæ potestatis etiam mortuo patre, & auo paterno?

℞ Quia patria potestas solum ascendit per lineam masculinam,& cum auus maternus habeat suitatem cum sua filia,& filia,quia est fæmina non habeat patriam potestatem in filios,neque in filias, ideò non potest communicare auo materno,quod ipsa non habet: matri enim de jure gentium, & de jure divino debetur solùm à filijs,tam fœminis quam masculis maxima obedientia,& reverentia, *l. veluti, ff. de justitia, & jure. l. parentes. ff. de in jus vocando*, §. *fœminæ instit. de adoption*

4 Quare auus paternus habet in sua potestate suos nepotes vivente eorum patre?

℞ Quia vivente auo pater est sub ejus potestate, & ideò,qui est subditus,non potest habere alium sub se,& ideò vivente auo paterno nepotes, & pater eorum simul sunt sub potestate avi. *l.* 4. *ff. de his, qui sunt sui. vel alieni juris*, §. *sed hodie instit. de adoption.*

5 Qui sunt in potestate patris,vel avi?

℞ Filij, & filiæ legitimi procreati ex justis nuptijs. 2*dò*, nepotes, & postnepotes descendentes ex filio per lineam masculinam. 3*tiò*, filij naturales legitimati. 4*tò*, filij adoptivi. *l.* 3. *de ijs, qui sunt sui, vel alieni juris, & l.* 4. *eod. tit.* §. *fin. inst. de patria potestate*, §. *fin. inst. de nuptijs.*

6 Qui dicuntur filij naturales,& quibus modis legitimantur?

℞ Filius naturalis dicitur filius natus ex soluto, & soluta,etiam si sit concubina domi retenta,vel extra domum alita,& legitimatur quatuòr modis. 1*mò*, per rescriptum Principis,qui habeat in sua patria supremam potestatem. 2*dò*, per subsequens matrimonium etiam contractum cum concubina in articulo mortis. 3*tiò*, per oblationem curiæ, quod est quando quis offert filium suum in servitium Reipublic: vel Principis,ut eo utantur,& ejus persona fruantur in rebus necessarijs. 4*tò*, per ingressum alicujus Religionis. 5*tò*, per susceptionem Ordinis sacri. *cap. tanta est vis matrimonij, qui fil. sint legit. & ibi gloss. allegans plura jura. inst. de nuptijs*, §. *final. leg. cum quis, Cod. de naturalibus liberis.*

7 Quare filij naturales nati ex concubina legitimantur per subsequens matrimonium,cum concubinatus sit tàm magnum peccatum, & non legitimantur filij illegitimi,vel spurij?

℞ Hoc privilegium legitimationis datur virtute Sacramenti matrimonij, quod Sacramentum omnia vitia præterita purgat, & non datur virtute peccati præteriti concubinatus;ratio est,quia aliàs faueretur magis diuturno peccato concubinatus,ex quo natus est filius naturalis,quàm peccato momentaneo,ex quo nascitur filius illegitimus, vel spurius. *Abb. in c. tanta est vis matrimonij, qui fil. sint legit. & gl. in c. qualis* 30. *q.* 5.

8 Unde dicuntur filij naturales?

℞ Dicuntur naturales quasi dati à natura naturali conjunctione, & coitu viri, & mulieris; & non à matrimonio,& legitimis nuptijs;isti enim vocantur legitimi,quia legitimè nati sunt secund. Dei præceptum. *c. nemo. c. meretrices* 32. *q.* 4.

9 Qui filij non sunt in potestate patris, neque aui paterni?

℞ 1*mò*, filij illegitimi nati ex illegitimo coitu,scilicet ex patre uxorato. 2*dò*, filij nati ex filia non sunt in potestate aui materni. 3*tiò*, spurij,& nati ex incestuoso & sacrilego coitu,ut nati ex Clerico, monacho, vel moniali. 4*tò*, nepotes nati ex filio emancipato non sunt sub potestate aui, sed sub potestate patris sui,quia per emancipationem sublata fuit potestas aui, §. *præterea. inst. quibus modis jus patriæ potestatis solvatur. c. cum legitimæ, ff. de statu hominum.*

10 Quæ privilegia acquirit pater pro patria potestate,& qui sunt effectus patriæ potestatis?

℞ Licet pater poterat antiquitus occidere filium, quia habebat jus vitæ,& mortis per *l. in suis de liberis*, & posthumis,tamen,quia patria potestas debet consistere in pietate,& non in atrocitate,hoc correctum fuit per legem in auditum. *ff. ad l. Cornel. de sicarijs*, & ideò hodie patria potestas consistit, 1*mò*, in eo,quòd pater potest corrigere, emendare, & verberare filium cum debito hoc moderamine,& filius non potest repercutere patrem,eum verberantem;ratio est,quia ubi offensio est licita,ibi defensio est prohibita. *l.* 3. *C. de ijs, qui ad Ecclesiam confugiunt, & leg. unica, C. de emendatione propinquorum & l.* 4. *C. de patr. potest.* & etiam potest pater filium suum ingratum, & inobedientem exhæredare ex causis positis in authentica,ut cum de appellatione cognoscitur. 2*dò*, pater potest filium inobedientem detinere domi in cubiculo clauso loco carceris, vel incarcerare Regio civitatis,& Judices tenentur filium emendare secundum voluntatem patris. *l. unica C. de emendatione propinquorum.* 3*tiò*, pater poterit filium vendere, & pignorare tempore famis, & necessitatis ea conditione,ut cum primum venerit ad pingviorem fortunã,debeat eum liberare,& iterum redimere eum, & hoc privilegium non conceditur auo,neq; matri,sed solùm patri, quia est caput filiorum. *l.* 2. *C.* de patribus, qui filios distraxerunt,& *gl. ibi.* 4*tò*,filius non potest patrem in jus vocare, neque cum eo habere civilem litem sine venia petita à patre,& hoc extenditur ad filium emancipatum,& ad mulierem. *l. fin. C. de in jus voc.* 5*tò*, inter patrem, & filium nulla potest esse lis nisi solùm de castrensi peculio, & alimentis;ratio est, quia alimenta sunt necessaria

ad vi-

ad vitam. *l.lis nulla,ff.de judicijs 6to*, inter patrem, & filium,neq;per scripturam,neq;per contractum, neq;per verba nascitur civilis obligatio;ratio est, quia pater,& filius, dum est sub potestate ejus fictione juris pro una,eademq persona censentur, & nullus cum se ipso obligatur, & obligatio requirit duas personas distinctas,promittentem, & acceptantem. §. *item inutilis inst.de* inutilibus stipulationibus,& *l. fin, C. de* impuberum, & alijs substitutionibus, 7*mo*, filius familias non potest sine licentia patris contra aliquem in causa civili coram judice agere; secus verò in causa criminali,ubi non requiritur patris licentia;ratio est quia in criminali agitur de publico interesse, in quo pater nullam habet potestatem. *l.fi.C. de bon. quæ lib.* 8*vo*, filius de jure civili antiquitus non poterat ducere uxorem sine consensu patris; secus verò de jure Canonico,ubi solo consensu viri, & mulieris fit verum matrimonium. §. 1. *inst. de nuptijs,& c.1.& 2.de conjugio servorum.* 9*no*, filius familias non potest facere testamentum,neq;codicillum sine consensu patris, nisi solum de bonis castrensibus,& quasi castrensibus,& quæ sint ista bona, & quod sit peculium, dixi *lib.* 9.*c.*23. de his, qui non possunt condere testamentum 10*mo*, filius in potestate patris, non potest facere donationem, etiam causa mortis, etiam propter nuptias sine expresso consensu patris;ratio est, quia cum omnia bona sint patris, filius non habet rem alienam. *l. tam is*, §. 1. *ff.* de donationibus causa mortis. 11*mo*, si filius ab aliquo detineatur oppressus,vel captivus, vel alicui serviat scriptura per annum,pater poterit vendicare,& petere filium suum tanquam rem suam propriam ff. de liberis exhibendis per totum.*mo*, 12 si filius habeat in potestate patris bona adventitia;veluti ex dote suæ matris, vel ex donatione,& liberalitate alicujus,pater poterit ipso invito administrare illa bona. l. cum venerandæ, *C. de bonis quæ liberis*, §. 1. Institutis per quas personas nobis acquiritur. 13*tio*, quòd pater si velit facere testamentum,necessariò debet instituere nō solùm filiū natu,sed etiā posthumum hæredem,vel illos ex causa exhæredare,alias testamentum patris non valet;ratio est, quia per abortum non rumpitur testamentum,sed per liberum posthumum,si nascatur vivus,rumpitur testamentum, quia est filius illius hominis mortui tanquam filius, qui natus fuit vivo patre. *l.* 2. *&* 3. *C. de posthu. hered. instit l. inter cætera. ff.de lib.& posthu.* §. *posthumi, instit. de exhæred. liber.* 14*to*, quidquid acquirit filius,acquirit pater, excipitur peculium castrense,& quasi castrense, de quo infra dicemus, §. 1. *inst. per quas personas nobis acquiritur leg. prima, Cod. de castrensi peculio libro* 12.

Quare de jure Romanorum erat permissus con-
11 cubinatus,ut in toto tit. ff. de concubinis?

℞ Propter multiplicationem Reipub:quia Romani existimabant multiplicationem hominum esse necessariam ad augendam gloriam Reipublicæ. 2*do*, quia naturales habent plurima privilegia,& in pauco differunt à legitimis,& quia meliùs cognoscitur filius naturalis natus ex concubina domi retenta loco uxoris,quàm si nascatur à meretrice,vel ex muliere soluta,quæ extra domum habet suam libertatem, ideò permissus fuit concubinatus, sed hodie de jure Canonico prohibitum est crimen concubinatus, & graviter punitur. *à Trid. S.ff. ut dixi lib.* 5. *c. de concubinarijs, & est textus c.nemo.capite,meretrices.* 32. *quæst.* 4.

12 Quæ Provincia est magis felicior,illa,quæ abundat auro, & argento, vel illâ, quæ abundat multitudine hominum?

℞ Licèt auro,& argento omnia emantur, tamen felicior est Provincia,quæ abundat multitudine hominum quàm illa,quæ abundat auro,& argento ratio est,quia cum hominibus meliùs conservatur, & defenditur ab inimicis,imò acquirit nova Regna,& Provincias, ut fecerunt Romani, qui ferè totum Orbem sub suo jugo,& potestate posuerunt & Hispaniæ cum plenæ erant incolis,& hominibus,Indiam Orientalē,& Occidentalem,& ferè dimidam partem Orbis ad ReligionemChristianam nationes illas efferatas reduxerunt, & sub Imperio Regis Hispaniarum posuerunt, quod regnum hodie gubernatur in magna pace,& tranquillitate cum magno Dei honore,& gloria.

13 Adoptio quare fuit permissa à jure?

℞ Ad supplendum defectum naturæ, & sterilitatis hominum,ut ille,qui non poterat habere filios legitimos,neque naturales,eligeret filium sibi benè visum,ut haberet solatium suæ successionis,ratio est,quia miserrimum est non habere successorem post se, qui conservet memoriam,& nomen, & fruatur bonis,quæ aliquis in hac vita acquisivit, & ideò inter Romanos adoptio erat usitata, & Adrianus Imperator adoptavit Marcum Aurelium,qui fuit in bello strenuus Dux,in pace sapientissimus Gubernator, & cum omnium laude obtinuit clavum Imperij Romani, ut habetur *in toto tit. ff. adoptionibus, & c. de adopt.*

14 Unde dicitur peculium,& quid est?

℞ Peculium dicitur à pecude, quia sicut pecus dat utilitatem,sic peculium dat utilitatem habenti & peculium propriè est illa pecunia,quæ reposita est ad conservationem & augmentum bonorum mobilium,& immobilium,sed in jure summitur pro illis bonis, quæ quis sua industria acquirit, sive sint pecuniæ, sive bona mobilia, ut vestes, argentum,equi; sive sint immobilia,ut ager,fundum,vel domus,quæ omnia possessa à filio familias vocantur peculium, quasi quid separatum à bonis,& divitijs,quas pater habet dandas filio post ejus mortem, *ut in tot.tit.C.de castrensi peculio lib.*12.

15 Quæ sunt differentiæ peculiorum?

℞ 1*mo*, est peculium castrense. 2*do*,peculium quasi castrense.3*tio*, peculium paganicum 4*to*, peculium profectitium. 5*to*, adventitium,ut *in toto tit. C. de castrensi peculio, & l. advocati. C. de* advocatis diversorum judiciorum?

16 Quod est peculium castrense, & quam partem habet in eo pater?

℞ Peculium castrense est, quod filius familias acquirit in bello sua fortitudine, & virtute, & in hoc peculio,etiam si sint magnæ divitiæ,filius

acquirit ſibi proprietatem, & uſum fructum, & poteſt de eo libere teſtari etiam patre non conſentiente; ratio eſt, quia militia eſt maxima gloria hominum, & quod acquiritur in bello, acquiritur cum magno vitæ periculo, & abſq; aliquo labore vel interventu patris. *l. 1. C. de caſtrenſi peculio lib 12.*

17 Quod eſt peculium quaſi caſtrenſe, & quid habet pater in eo?

℞ Peculium quaſi caſtrenſe, ſunt illa bona, quæ filius familias acquirit ſuo ingenio, labore, & ſcientia, ut ex profeſſione artium liberalium, ex adminiſtratione officiorum publicorum, ex ſacerdotio, vel ex officio poſtulandi, vel legendi publicè in ſcholis, & merito, hoc peculium habet eandē libertatem, ſicut peculium Caſtrenſe; cum Cicero dicat; cedant arma togæ, concedant laurea lingvæ, & ſic filius familias poteſt de iſto peculio liberè teſtari etiam patre nolente, quia ipſe ſibi acquiſivit uſum fructum, & proprietatem. *l. advocati. C. de advocatis diverſorum judiciorum, & ibi Bartol. & Bald. & omnes ſcribentes.*

18 Quod eſt peculium paganicum, & quid habet pater in eo?

℞ Eſt illa pecunia, & illa bona, quæ filius familias acquirit ſua induſtria vivente patre, & conſentiente, ut ſi pater ſit agricola, & filius familias ultra ſementem patris ipſe ſeminet aliquam quantitatem, & quod collegerit ſeorſim ſibi reponat, vel ſi pater ſit paſtor ovium, & filius habeat viginti oves ultra oves ſui patris, vel ſi ſit mercator, ultra merces patris habeat aliquas merces ſeparatas, augmentum, & fructus iſtarum rerum, & ipſæ res ſimul in unum vocantur peculium, & in iſto peculio ſi pater voluerit, habet uſum fructū. *gloſſa. in l. cum oportet. C. de bonis, quæ liberis.*

19 Quid eſt peculium profectitium, & quam poteſtatem habet pater in eo?

℞ Peculium profectitium dicitur, quando à patre, vel domino, filio, vel ſervo, conceditur aliqua pecunia, vel aliqua bona deducta ex ſubſtantia, vel à rebus paternis, ut ſi pater dicat filio; vel dominus ſervo, ex mea ſubſtantia do tibi centum aureos, ut cum eis negotieris, vel do tibi agrum, in quo poſſis ſeminare, & quod acquiſiveris, do tibi in peculium tuum, & in iſto peculio pater habet uſum fructum, & proprietatem, & filius de eo non poteſt teſtari ſine licentia patris; ratio eſt, quia quod ex patre emanat, & ex ejus ſubſtantia, juſtum eſt, ut ad eum revertatur, & non ad extraneos, ne virtus liberalitatis faciat eum pejoris conditionis, *§. primo, inſtit.* per quas perſonas nobis acquiritur. *gloſſ. in l. cum oportet. C. de bonis, quæ liberis.*

20 Quod eſt peculium adventitium, & quam poteſtatem habet in eo pater?

℞ Peculium adventitium eſt illud, quod filio venit non ex ſubſtantia patris, neque ſuo labore, & ingenio, ſed fortè ex dote matris, vel ex donatione ſibi facta ab aliquo conſangvineo, vel ab extraneo, vel ex ſucceſſione alicujus conſangvinei, vel ex liberalitate Domini, vel Principis, vel ex fortuna, ut ſi inveniat theſaurum in agris, vel mineralia auri, hæc omnia dicuntur peculia adventitia, quia adveniunt ſine aliqua induſtria, vel labore patris, & filij, ſed ſolùm fortuitò; in iſto peculio pater, ſi vult, habet uſum fructum, dum vivit, & filius proprietatem, & ſic vivente patre poterit filius teſtari de ſola proprietate; ratio eſt, quia hoc peculium judicatur habere naturam cæterorum bonorum filij familias, & ſic debent adminiſtrari à patre, & ipſe habet uſum fructum. *l. fi, C. de inofficioſo teſtamento. l. cum oportet. C. de bonis, quæ liberis. l. cum multa. C, eod.*

21 Filius uſque ad quod tempus debet lactari à matre?

℞ Uſque ad triennium, niſi ſit nobilis; tunc enim traditur alendus alteri mulieri, ne mulier nobilis infirmetur, & ſolvi ſtipendium nutrici debet à patre, quia ipſe tenetur alere filios. *Abb. c. fin. de converſione infidelium, num. 4.*

22 Pater uſque ad quod tempus tenetur alere filium ſuum?

℞ Uſque ad tempus, in quo poſſit filius laborare ſuis manibus, & ſe alere, niſi ſit vir nobilis, cui non licet laborare, tunc enim debet pater eum ſuſtentare uſque ad tempus, in quo filius acquirit pro ſua perſona aliquam dignitatem, vel officium, cum quo poſſit ſe ſuſtentare ſecundum qualitatem ſuæ nobilitatis, ſed in iſto caſu quælibet Provincia habet leges, & conſvetudines de alimentis filiorum, quæ ſunt obſervandæ. *Abb. in c. fin. de converſione infidelium, num. 5.*

23 Si aliqua mulier uxorata tempore conceptionis ſit ſcortum, & admittat alienos viros, filius poſtea natus, erit ne legitimus, vel illegitimus?

℞ Si tempore conceptionis vir non erat abſens, ſed habitabat in domo cum uxore, licèt dormiant in lecto ſeparato, filius natus præſumitur legitimus, & in favorem illius infantis judicandum eſt, tam ad Ordines ſuſcipiendos, quàm ad bona hæreditanda, & ad ſucceſſionem, & ad nobilitatem, & alios honores; ratio eſt propter magnam vim matrimonij, & quia lex civilis dicit, mater certa, pater verò, quem nuptiæ declarant. *Abb. in c. intelleximus de adulterijs, num. 7.*

24 Cum illegitimo poteſt ne Epiſcopus diſpenſare quò ad Ordines?

℞ Poteſt Epiſcopus diſpenſare ſolum ad Ordines minores, non verò ad beneficium curatum, neque canonicatum; ratio eſt, quia cum ad hæc beneficia requiruntur majores qualitates, Papa ſibi reſervavit. *ut latè diximus. lib. 1. c. de diſpenſationibus in Ordinibus, & tenet Abb. cap. 1. de filijs presbyterorum. num. 1. & 3.*

25 Illegitimus diſpenſatus poteſt ne eſſe Summus Pontifex?

℞ Filius illegitimus legitimè diſpenſatus in nihilo differt à filio legitimo, & ſic poteſt eſſe Summus Pontifex, & habere omnes dignitates Mundi, tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares. *Abb. in c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, n. 5.*

LIBER

# LIBER VNDECIMVS
## CONTINENS MATERIAS LIBRI QUARTI DECRETALIUM.
## De Quibus hactenus non est Tractatum.

## CAPUT I.
### De Accusationibus, inquisitionibus, & denuntiationibus.

1 Uid est Denuntiatio?
℞. Crimen alicujus superiori nunciari, vel est delatio alicujus criminis facta apud Judicem legitimè. *Hostiensis in summa, de denuntiationibus.*

2 Quotuplex est denuntiatio?
℞. Duplex. *1ma*, pœnitentialis,& Evangelica admonitio,& ad istam quilibet admittitur. *2da.* est Canonica;scilicet in judicio aliquem denuntiare, & ad istam non omnes admittuntur, sed idonei. *Hostiens. in sum. titulo de accusationibus, rubric. de denunt.* §. 1.

3 Ad denuntiandum aliquem ante Judicem,quid requiritur?
℞. Ut præcedat admonitio charitativa, & Evangelica, aliàs denuntians non debet admitti. *c. si quis Episcopus, de accusat.*

4 Hæc admonitio requiriturne in causis civilibus?
℞. De necessitate,non, sed solùm in criminalibus. *c. licèt, de simonia, & gloss. ibi. Abb. capit. 2. de accusat. num. 4.*

5 Quis repellitur à denuntiatione?
℞. Publicus excommunicatus,concubinarius,conspirator, qui non præmonuit secundùm legem Evangelicam. *c. cum dilectus filius, de accusationibus.*

6 Si superior fuit denuntiatus per subditum,poterit ne contra ipsum procedere?
℞. Non, nè fortè se vindicet, & procedat cum passione. *Abbas capit. cum dilectus filius, de accusation. num. 4.*

7 Quid est Inquisitio?
℞. Investigatio alicujus criminis inferioris, facta per superiorem, *Hostiens. in rubric. de inquisitionib. numero 1.*

8 De occultis debet ne fieri inquisitio?
℞. Non, neque de occultis juratur. *c. qvaliter, de accusat. ibi gloss.*

9 Inquisitio quomodo debet fieri?
℞. Si est Judex ordinarius,faciendo primò inquisitionem de fama;si est delegatus,servando formam mandati; *c. qualiter de accusat. Abb. c. cum oporteat, num. 8. eod. tit.*

10 Si fiat inquisitio de fama alicujus,potestne talis probare suam bonam famam, & sic obuiare, ne deueniatur ad inquisitionem super delicto?
℞. Variæ sunt opiniones, Tiraquellus tenet partem affirmatiuam,& *Abb.in c. cum oporteat. num. 10* de accusat. tenet negativam, quia si decem dicant esse malæ famæ, & centum esse bonæ famæ, & ille talis nihilominus infamatus est apud illos decem.

11 Ad inquisitionem ex officio directo requiritur,ne vt præcedat infamia?
℞. Si inquisitio generalis, vel particularis sit facta non ad imponendam pœnam, non requiritur, ut præcedat infamia, quia est ad corrigendum charitatiuè. *c. cum venerabilis, de censib. in c. qualiter, de accusat ibi glos.*

12 Inquisitio facta ad denuntiationem fisci, vel officialis requirit ne, ut præcedat infamia?
℞. Non. *c. præterea. de testib. cogend.*

13 Quæ differentia est inter inquisitionem factam ex officio Iudicis, vel ad instantiam partis?
℞. 1mò, qvando proceditur ex mero officio recipitur iuramentum à reo inquisito, quando proceditur ad instantiam partis, priùs pars debet probare suam actionem, & producere suos testes, ne reus instituatur. 2dò, si procedit ex officio, non tenetur recipere probationem super fama, sicut tenetur, si procedit ad instantiam partis. 3tiò, si procedit ad instantiam alterius, admittitur probatio super bona fama. 4tò, quando procedit ad instantiam partis, fit lis contestatiua cum actore, secus, si procedat ex officio.

14 Fama mala per quos testes probatur?
℞. Per duos testes majores omni exceptione,qui dicant se ab omnibus audivisse,talem habere famam. *c. inquisitionis, de accusat.* §. *quæsivisti, ibi Abb. num. 4.*

15 Fama bona quomodo sumitur?
℞. A majori parte vicinorum, & à viris bonis, & gravibus, non à vilibus, & malitiosis, imò ab ijs laudari est infamia, quia videtur, quòd laudant complicem. *Abb. in c. inquisitionibus.* §. *quæsivisti. num. 6. accusat, Cic.* dicit laudari a bonis, & vituperari à malis eam laudem esse maiores nostri censuerunt.

16 Per testes viles & infames inducitur ne infamia?
℞. Non. *Abb. cap. inquisitionis.* §. *quæsivisti. eodem tit. num. 5.*

17 Quis dicitur accusator?
℞. Ille, qui aliquem vocat coram Iudice ad quæstionem criminalem. *c. forus, de verb sign.*

18 Qui est accusatus de aliquo crimine, decet ne ad honores promoueri?
℞. Non, antequam ab accusatione liberetur. *text. in c. omnipotens, de accusation.*

19 Quid est infamia?

℞ Est quædam opinio communis mala, orta ex indicijs,& suspicionibus pronuntiata ab aliquibus

20 Quotuplex est infamia ?

℞ Duplex,alia juris, alia facti.

21 Accusatus,vel denuntiatus,pendente sua accusatione debet ne frui suis dignitatibus ?

℞ Debet,quia est jus antea acquisitum, quo privari non debet,nisi per sententiam. *text. in c. sæpè, de appell. & ibi gloss.*

22 Quæ est juris ?

℞ Ebrietas,latrocinium,tradimentum,assassivium, vel Præco,carnifex & cæteri, qui exercent officia vilia,quia omnes isti jure sunt infames. *DD. in l. 1. ff. quibus ex caus. infamia irrogatur.*

23 Accusatus,& inquisitus possuntne,pendente accusatione, eligi in dignitatem ?

℞ Diversæ sunt opiniones. *Innoc. c. 19* de simonia tenet posse , sed Hostiensis tenet contrarium in hoc, *text sed Abb. in c. omnipotentis. de accusat.* distingvit dicens,si in accusato, vel inquisito præcessit infamia,non potest eligi,quia infamatus eligi non potest. c. *infamibus , de reg. jur. in 6. vel præcessit,& tunc eligi potest.*

24 Quæ est infamia facti ?

℞ 1mò, quando apud probos viros est opinio de crimine alicujus,quod crimen inducit infamiam. 2do, quando aliquis vir bonus patitur opprobrium,vel ignominiam ab altero, ut si accipiat alapam,cædatur ligno, dicatur illi verbum injuriosum, quæ omnia reputantur à mundanis pro infamia, licet in jure non sint infames, *DD. de c. infamib.*

25 In criminalibus quislibet est ne audiendus per procuratorem

℞. Non, quia crimen est quædam actio personalis rei, & pro se satisfacere debet. *Abb. in c. nulli, num. 4. & c. veniens, de acusat. num. 1.*

26 Quæ differentia est inter infamiam iuris, & infamiam facti ?

℞. Magna, nam infamia juris priuat homines honoribus; infamia verò facti sæpe est actus meritorius, & heroicæ virtutis; nam condonare injurias inimico, ferre patienter opprobria ad imitationem Christi, est actus meritorius, & non priuat honoribus temporalibus, imò auget meritum. ut testantur verba Euangelica.

27 Si Prælatus dilapidet bona suæ mensæ, potest ne accusari ?

℞. Potest, & durante negotio prohibetur & alienatio bonorum exceptis his, quæ conservari non possunt. *c. prælatorum excessus. de accusationibus.*

28 Potest ne quilibet homo esse accusator alterius ?

℞. Non; sed debet esse legitimus, aliàs accusatio nulla est. *c. 2. eod. tit.*

29 Accusatio à quo debet fieri ?

℞. Solùm ab ijs, quorum interest. *capite,1. eod. tit*

30 Quis est legitimus accusator ?

℞. Fiscalis, pars læsa, vir bonus, omni exceptione major.

31 Qui non est legitimus accusator , vel denuntiator ?

℞. Fæmina, pupillus criminosus, suspectus, corruptus, ebriosus sortilegus, infamis, servus, pauper libertus, socius inimicus, neque clericus contra suam Ecclesiam. *gl. in c. 1. de accusat. c. si constituerit. eod. tit.*

32 Quæ paupertas repellitur ad accusandum ?

℞. Illa, quæ non habet in bonis quinquaginta aureos. *2. quæst. 1. c. prohibentur,* sed hoc relinquitur arbitrio iudicis. *gloss. in capit. fin. de sententia, & re judic. lib. 6.*

33 Isti omnes,qui prohibentur accusare,in quibus casibus debent admitti ?

℞ In propria causa,& injuria. *Abb. in cap. 1. de accus. num. 3.*

34 Exceptio de illegitimatione personæ, posita accusatori, est ne dilatoria,an peremptoria ?

℞ Est dilatoria,& debet poni ante litis contestationem , nisi constet ante non venisse ad suam notitiam. *Abb. c. 1. de accusat num. 2.*

35 Si quis habitat cum inimico meo potest ne repelli ab accusatione ?

℞ Potest,& debet repelli,quia ex habitatione,& conversatione est mihi suspectus , sicut inimicus meus. *c. repellantur, de accusat.*

36 Ignorantia quomodo probatur ?

℞ Ignorantia animi per juramentum , & rei per absentiam ab illo loco per probationem,quæ erat minor tempore , quo successit talis res. *gl. in l. pen. C. de pericul. tutor.*

37 Quomodo probatur amicitia,& inimicitia ?

℞ Ex conjecturis, & frequenti conversatione, *l. latæ culpæ. ff. de verb. sign. Abb. in c. repellantur,num. 2. eod. tit, nostro.*

38 Quæ inimicitia repellitur ab accusatione ?

℞ Non quælibet, sed solùm capitalis. *Abb. in c. repellantur. num. 4. eod. tit. de accus.*

39 Quando dicitur inimicitia capitalis ?

℞ Quando quis minatus est mortem,vel accusavit criminaliter,vel quando est contentio de majori parte bonorum,sive sit justa causa litigandi, sive non. *gl. in c. cum oporteat. eod. tit. l. licet ff. de arbitris. authent. de test. §. si vero.& ibi gl. ut refert. Abb. in c. repellantur supra cit. nu. 4.*

40 Absolutus de uno crimine, poterit ne de eodẽ iterum accusari ?

℞ Non, quia crimina semel dimissa per sententiam,iterum vindicari non debent. *cap. de his criminibus, eod. tit. de accusat*

41 Laici possunt ne accusare Clericos criminaliter ?

℞ Non. *c. cum pater, de accusat.*

42 Quandò potest Laicus criminaliter Clericum accusare ?

℞ Quoties vult suam, vel suorum injuriam vindicare,vel prosequi. *Abb. in c. de cætero, de testib.*

43 Monachus potestne accusare suum Abbatem ?

℞ Poterit,& de bonis monasterij habebit expensas, licèt malè faciat,nisi faciat solo zelo justitiæ. *text. in c. ex parte, de accus.*

44 Quando debet subditus, vel Monachus accusare Superiorem ?

℞ Quando delictum est scandalosum , & publicum , & tangit honorem religiosorum , & postquam eum secretè admonuit secundum legem Evan-

Evangelicam,& non se emendavit. *c.si quis Episcopus,& c.qualiter.de accus.c.2.de calumniatoribus.*

45 Si quis sit accusatus ab illegitimo accusatore, ipso repulso poterit nè iterum ab alio legitimo accusari ?

℞ Poterit,ne delicta impunita maneant. *Abb. in cap. cum pater,de accusat. nu.* 4.

46 Judex potestne de se repellere illegitimum accusatorem ?

℞ Potest; licèt exceptio non ponatur apertè,quia accusatio est res odiosa, & respicit honorem judicis,& commune bonum, ut accusationibus falsis aures non dentur, & viri innocentes, & boni non perturbentur. *Abb. c.* 1. *eod.tit.num.* 13.

47 Si judicium fiat cum accusatore illegitimo, tenebit nè ?

℞ Si non opponatur exceptio accusatori in progressu litis ante litis contestationem, tenebit judicium. *Abb. in c.* 1. *de accus. num.* 15.

48 In citatione debet nè declarari crimen,propter quod citatur ?

℞ Non, ne manifestum fiat, & reus occultetur. *Bart.in l.inter accusatorem,ff.de publicis judicijs.*

49 De notorio crimine potest ne Judex procedere sine accusatore ?

℞ Potest , quia notoria non indigent delatore. *text. in c. evidentia. de accus.*

50 Quod dicitur notorium crimen ?

℞ Quod semper à majori parte populi scitur. *gl. in c.* 2. *de verbor.sign.lib.* 6. *V. manifestum.*

51 Mutua accusatio duorum admittitur nè ?

℞ Non, nisi prima, quia præsupponitur secunda facta in vindictam,& non ex bono zelo. *cap. cum pater, de accus. ibi gl.*

52 Punitur à Judice Ecclesiastico de crimine, potest nè de eodem crimine à Judice sæculari iterum puniri ?

℞ Si crimen sit mixti fori , & in illo sit pœna legalis,poterit iterum puniri. *c. felicis de pænis. in* 6.

53 Sententia criminalis afflictiva corporis transit nè in rem judicatam ?

℞ Si sit liberatoria, sive condemnatoria levis in crimine gravissimo transsit in rem judicatam in favorem eorum. *Abb. in c. da ijs, nu.* 2. *de accus.*

54 Si quis absolutus sit in foro pœnitentiali,potest ne accusari,& puniri in foro judiciali ?

℞ Potest,quia forum est distinctum,& delictum debet puniri propter satis factionem partis, & publicam utilitatem. *Abb. c. accusasti. de accusat.nu.* 2. *l.* 1. *C. his quibus, ut indignis.*

55 Prælatus quomodo debet procedere contra subditum suum ?

℞ Non ex odio,sed ex charitate,& debet illum prius admonere,& postea tradere capitula,& audire ejus defensiones. *c. qualiter, il secundo, de accusat. & Abbas ibi.*

56 Si duo Clerici dicant aliquem commisisse delictum,& duo Laici dicant non commisisse, quibus standum est ?

℞ Laicis,licèt sint testes minus idonei, quia deponunt in favorem rei,cui favet. *Abb. in cap. cum pater. Manconela, de accusat. nu.* 13.

57 Testis,qui dixit in una causa criminali,potestne recipi contra eundem in alia ?

℞ Non prohibetur recipi talis , quia hoc non est causa, unde possit repelli. *Abb. ubi sup. nu.* 14. *c. placuit.* §. *item in criminali.* 4. *q.* 3. *glos.* 4. *c. praeterea. de testibus cogend.*

58 Si aliquis famulus accuset suum Dominum,poterit nè Dominus opponere illi exceptionem infamiæ ?

℞ Non,quia ipse jam approbavit eum habens illum in sua domo,& hoc currit in casu,quòd paulo antea eum expulerit:& Judex de suo officio poterit eum repellere,& supplere partis impotentiā. *Abb. in c. nulli, de accusat. nu.* 6.

59 Testis singularis sufficit nè ad probandam accusationem ?

℞ Non. *c. cum dilecti, de accusat.*

60 Est nè licitum alicui desistere ab accusatione sine pœna ?

℞ Affirmativè,& ante inscriptionem,& post, potest se separare, & remittere injuriam, vel actionem sine pæna. *c. licet, de accusat.*

61 Quid requiritur, ut procedatur contra Prælatum,vel Superiorem ?

℞ Ut præcedat infamam , quæ scandalum possit afferre, alias non debet procedi propter honorē prælatiæ. *Abb in c. qualiter il* 2. *de accusat. nu.* 9.

62 In criminalibus admittuntur nè consangvinei in testes ?

℞ Non,si agitur criminaliter,secus autem,si agitur de crimine civiliter. *c.* 1. *de testib.*

63 Quæ constitutio posuit pœnam non probantibus suam accusationem ?

℞ Lex. 1. *ff. ad Turpillanum posuit pænam.*

64 Quando crimen per denuntiationem probatur, quomodo punitur ?

℞ Mitiùs, qnàm si probaretur per accusationem, quia non debet dari pæna ordinaria. *c. inquisitionis, de accusat,*

65 Quando crimen nō probatur quid est agēdum ?

℞ Si accusatus fuit infamatus, inducitur ei purgatio Canonica,si non est infamatus,liberatur,& accusans condemnetur propter honorem accusati *c. cum oporteat, de accus.*

66 Quam pænam habet calumniator ?

℞ Pænam talionis,& privatur beneficio,& ordine si fuerit Clericus, & aliquando verberatur. *cap.* 2. *de calumniator.*

67 Semiplena probatio ad quid prodest ?

℞ Excusat accusatorem à calumnia, vel à pæna talionis. *c.* 1. *de electione. lib.* 6. *Abb. in c. qualiter de accusationib. nu.* 22.

68 Si quis vult accusare aliquem de falso , intra quod tempus debet accusare ?

℞ A Judice debet illi dari terminus peremptorius,& eo elapso amplius non admittitur,cum accusatio sit res odiosa. *c. accepimus , de fide instrument. & Abb. ibi num.* 3.

69 Denuntiator si deficiat in probatione criminis, qua pæna punitur ?

℞ Privatione officij,& beneficij,donec probet innocentiam suam. *c.cum dilectus,de calum.*

70 Quando datur aliqua litera secretò etiam subscripta manu aliquorum contra Episcopum , vel alium,quid agendum ?

℞ Si talis, contra quem datur, nulla laboret infamia, nulli testes debent recipi de tali delicto, neque eum perturbare. *c. inquisitionis. §. tertia dubitationis. de accusat.*

71 Qui dant cedulas, & literas de delictis occultis sine nomine, & subscriptione, qua pœna puniuntur?

℞ Gravissima pœna, & debent puniri tanquam illi, qui faciunt libellos infamatorios. *c. quidam. 5. q. 1. & glos. in c. Inquisitionis. verb. in occulto. §. tertia dubitationis.*

## CAPUT II.
## De Calumniatoribus.

1 Quis dicitur calumniator?

℞ Ille, qui falsò aliquod crimen imponit alicui.

2 Quis præsumitur calumniator?

℞ Omnis denuntiator, vel accusator, qui non probat suam accusationem. *Abb. in c. 2. de calum. nu. 8.*

3 Quam pænam habet calumniator?

℞ De jure pænam talionis, quam instituit Damasus Papa natione Hispanus, *c. 1. eod. tit. c. calumniator. 2. quæst. 3.*

4 Qui calumniatur Episcopum proprium, vel Prælatum, qua pœna punitur?

℞ Si calumnia sit contra personam, vel honorem proprij Episcopi, vel Prælati, sive in re parva, sive in re gravi, si est Clericus deponitur prima vice, secundo degradatur, & traditur curiæ sæculari tanquam incorrigibilis, si sint sæculares excommunicantur, & puniuntur pæna talionis. *Abb. c. cum non ab homine. num. 3. & 6. de judicijs. c. fin. de testib. cogend. num. 4.*

5 Quibus modis punitur calumniator?

℞ 1mò, in ipsa sententia, quando calumniatus absolvitur. 2dò, ad petitionem calumniati, quæ recipi debet post ejus absolutionem. 3tiò, ex officio judicis liberalis. 4tò, ad instantiam fisci. *Abb. c. 1. nu. 4. de calumniator. l. 1. ff. ad Turpill.*

6 Si quis denuntiet aliquem, & postea non possit probare suam denuntiationem qua pœna punitur?

℞ Suspenditur ab officio, & beneficio, donec probet suam innocentiam, & bonum zelum. *Abb. c. 2. de calum. num. 3.*

7 Subdiaconus si calumniosè accuset Diaconum. qua pœna punitur?

℞ Privatur Subdiaconatu, si calumnia sit gravis, verberibus afficitur, & in exilium mittitur. *c. 1. de calumniatoribus. l. 1. §. 1. ff. ad. Turpillianum.*

8 Judex poteritne relinquere probatione in juramento denuntiantis, vel accusantis?

℞ Non, quia si hæc esset sufficiens probatio, multi essent accusatores, & denuntiatores. *Abb. c. 2. eod. tit. num. 4.*

9 Ad denuntiationem unius testis, potest ne fieri inquisitio contra Prælatum?

℞ Si talis testis sit omni exceptione major poterit. *Abb. ubi sup. nu. 1. c. 2. isto tit.*

## CAPUT III.
## De Judæis.

1 Judæi, & infideles inter Christianos viventes quibus judicibus subditi sunt?

℞ Sæcularibus, & Ecclesiasticis.

2 Quid prohibetur Judæis?

℞ 1mò ut non portent pileum nigrum, sed roseum, ut à Christianis dignoscantur. 2do, ut non habeant famulos Christianos, aut nutrices. 3tio, ut in diebus festivis publicè non laborent. 4to, ut in die parasceve claudant fenestras, & ianuas, & tunc non debent domo exire. *Bulla Pauli IV. & Pij V. quæ incipit Romanus Pontifex in ordine 7. Bull. Gregor. XIII quæ incipit aliàs pia memoria in ordine 71.*

3 Quis debet curare, ut hæc omnia observentur?

℞ Episcopus. *Pius V. in dicta Bulla.*

4 Judæi tenentur nè solvere decimas?

Tenentur de terris, quas colunt in civitatibus Christianorum, sicut alij agricolæ Christiani, ratio est, quia decima prædialis imposita est super illo prædio, & ita sive collatur à Judæo, vel à Christiano, vel à Monacho solvi debet decima parocho, vel Ecclesiæ majori. *Abb. c. de terris, de decimis, nu. 1.*

5 Judæi habentne sub potestate filios suos?

℞ Habent sicut Christiani duplici ratione. Primò, quia contrahunt legitimas nuptias, & Patria potestas data est in favorem legitimarum nuptiarum, & ideò non extenditur ad filios illegitimos 2do. quia iudæi sunt sub potestate Imperatoris Romani, & ideò debent gaudere priuilegijs concessis ab Imperatore Romano suis subditis. *Abb c. fin. de conuers. infidel. num. 3. & c. gaudemus de diuortijs.*

6 Judæus, quæ iura, & priuilegia habet supra filios, quos habet sub sua potestate?

℞ Omnia priuilegia, quæ pater Christianus habet in filios, quos habet sub sua potestate numerata, *§. ius autem in verbo institut de patria potestate.*

7 Turca, vel Maurus potestne habere filios sub sua potestate?

℞ Non, quia non est sub potestate Imperatoris Romani, sed more barbaro vivit habens plures uxores, & concubinas; inter quas non sunt legitimæ nuptiæ; ratio est, quia ad legitimas nuptias expressè requiritur, ut unus nubat solum cum una, ut habetur. *cap. gaudemus, qui fil. sint legit.*

8 Filius Judæi illegitimus est nè in potestate patris?

℞ Non; ratio est, quia ille est in potestate nostra, quem ex justis nuptijs procreavimus. *Abb. c. fin. de convers. infidel. num. 5.*

9 Si Judæus habeat mulierem Christianam, cui debent assignari filij?

℞ Sive sint masculi, sive fæminæ assignandi sunt mulieri Christianæ in favorem fidei, & in utilitatem filiorum. *c. fin. de convers. infidel.*

10 Filij Judæorũ quãdo liberetur à patria potestate?

℞ Si Judæi post eorum conuersionem iterum redeant, & viuant in l. Moysi, tunc filij liberantur à patria potestate; ratio est, quia qui negat fidem, non debet gaudere priuilegijs concessis fidelibus & ideò filij tunc efficiuntur sui iuris. *c. quicunque de hæreticis in 6.*

11 Judæus baptizatus est ne capax beneficiorum?

℞ Si seruet fidem, & non reuertatur ad legem Moysi de iure canonico est capax beneficiorum, quia Ecclesia omnes vocat ad se, nisi forte impediatur

pediatur aliquo Ecclesiæ, vel diæcesis speciali statuto confirmato à Sede Apostolica, *tenet Abb. in c. eam te de rescriptis*, *num. 7.*

12 Qando in aliquibus Ecclesijs, vel diæcesibus est consvetudo, ut Judæi conversi, neque filij Judæorum non admittantur ad Ordines maiores, vel minores, & super hoc articulo fiunt informationes, debet ne observari ista consvetudo?

℟ Talis consvetudo observanda est, vel statutum positum à synodo; ratio est, quia sacerdotium habetur in magnum honorem, & dignitatem, & descendere à Judæis, etiam si sint conversi, est res vilissima, ideo iste constitutiones, & statuta servari debent, nisi Summus Pontifex in ea dispenset specialiter cum aliquibus personis doctissimis, & bene meritis, & probatæ virtutis.

13 Quomodo intelligendum cum Judæis ad fidem conversis. capit statutum de hæreticis, ubi mandatur, ut descendentes ab hæreticis ex linea masculina, usque ad secundum gradum inclusive non possint optinere beneficia, & descendentes à linea fæmina usque ad primum gradum inclusive privantur beneficijs?

℟ Hæc pæna privationis beneficiorum imposita est in dicto capit. statutum filius judæorum, quorum partes postquam conversi sunt ad nostram fidem eam deseruerunt, & condemnantur ut hæretici, non vero imposita est filijs judæorum, qui postquam conversi sunt ad nostram fidem eam deseruerunt, & condemnantur, ut hæretici, non vero imposita est filijs judæorum, qui post quam conversi sunt ad nostram fidem Christianam illam usque ad mortem servaverunt.

14 Statuta aliquarum Ecclesiarum in Hispania sicut Ecclesiæ Toletanæ, & statuta ordinum militarium Sancti Iacobi, Alcantaræ Calatravæ, & Sancti Ioannis Hierosolimitani, quæ excludunt à suo consortio descendentes à judæis, & hæreticis, & noviter conversis in quocunque gradu etiam remotissimo quomodo sunt intelligenda?

℟ Ista omnia statuta sunt observanda, veneranda, & ad ungvem cum magno rigore adimplenda. 1mo, quia justissimis de causis approbata sunt à Summis Pontificibus, & à Regibus Christianis 2do, quia fundatores Ecclesiarum, vel ordinum militiarium, vel Collegiorum ex suis proprijs bonis fundaverunt talia Collegia, vel Ecclesias ea conditione, ut homines, qui non descendunt à linea infecta, obtineant illas dignitates, & in sua re quilibet est moderator, & arbiter. 3tio, quia experiantia docuit, quod arbor bona bonos fructus facit, & sic qui descendunt à nobilibus parentibus, & à clara, & antiqua progenie Christianorum, sunt magis quieti in communitatibus, melius gubernant, & majorem fructum Reipublicæ Christianæ dant 4to, quia per plurimos annos istæ communitates in pace se conservaverunt, & dederunt plurimos filios Reipublicæ Catholicæ utilissimos. 5to, quia sunt plurima præmia, quæ non petunt has qualitates, & illa non possunt obtinere descendentes à judæis conversis, & sic statuta dicta nemini faciunt injuriam.

15 Judæi contrahunt ne legitimas nuptias?

℟ Affirmative, *cap.* gaudemus de divorcijs *Abbas cap. final, de conversione Infidelium num. 3.*

16 Judæus conversus ad fidem, quæ bona debet habere?

℟ Omnia sua bona, quæ licite, acquisivit, sed debet restituere ea, quæ acquisivit ex usuris ante conversionem, nam conversio ad fidem non facit bona bona licite acquisita licita; *Abb. c. fin. de convers. infidel. n. 9.*

17 Christiani quid debent agere circa judæos?

℟ Non debent cum eis ludere, neque comedere panes azimos, & suffocata, neque medicos eorum vocare, neque eorum synagogam reficere, neque cum eis nimiam familiaritatem habere *Bulla Greg. XIII. 71. in ord.*

18 Filij judæorum inuitis parentibus sunt ne baptizandi?

℟ Non, neque ipsi judæi. *Bulla. Greg. XIII. ubi supra.*

---

# CAPUT IV.

## De Hæreticis.

1 Quid est apostasia?

℟ Est error contrarius toti fidei Catholicæ. *Tolet. lib. 4. c. 6.*

2 Quid est blasphemia?

℟ Quædam maledicentia contra DEUM ex malo voluntatis affectu *Toletus in summa lib. 4. cap. 13.*

3 Quid est superstitio?

℟ Quædam religio falsa. seu uná. *Sylvestr. verbo superstitio, num. 1. & Toletus. lib. 4. cap. 14.*

4 Quid est idolatria?

℟ Exhibitio cultus divini erga falsum Deum. *Tol. lib. 4. c. 14.*

5 Quid est magia?

℟ Potestas inordinata faciendi aliquid, quod naturaliter fieri non potest. *Toletus in sum. lib. 4, cap. 14.*

6 Quid est schismaticus?

℟ Quando aliquis est extra Ecclesiam constituens sibi alium Papam vel, Episcopum, reliquens verum *c. 1. de schismat.*

7 Facta per Episcopum schismaticum valent ne?

℟ Si sint spiritualia, ut ordines, non; imo est suspensus, & excommunicatus, qui à tali suscipit ordines scienter. *c. 1 de schismat,*

8 Ordinatus à schismatico à quo debet dispensari?

℟ A Summo Pont. *c. 2. de schismaticis.*

9 Quid est hæresis?

℟ Error pertinax hominis Christiani contrarius fidei Catholicæ in partem, vel in totum. *Tolet in summo lib. 4. c. 3.*

10 Unde dicitur hæresis?

℟ Ab electione erroris, vel ab erro, erras, vel adhæreo, quia errant, & adhærent opinioni hæreticorum. *Abb. c. firmissime de haret. num. 3.*

11 Qui est in peccato mortali, est ne extra Ecclesiam?

℟ Quo ad se est extra Ecclesiam, quo ad alios non & sic

& sic absolutio ab eo facta tenet. *Abb. c. 1. de schismat. num. 4.*

12 Quid est error?

℞ Existimatio veri pro falso, vel falsi pro vero. *Toletus lib. 4. c. 3. Anton. 4. part. tit. 1. c. 5. §. 1.*

13 Error quilibet est nè hæresia ut errare in opinionibus?

℞ Non, sed solum error, qui est contrarius articulis fidei, vel errare, credere, & affirmare aliquid contra fidem Catholicam. *Tolet. lib. 4. c. 3. in summa.*

14 Omnis, qui errat in fide, est ne hæreticus?

℞ Non, si putat non errare, & paratus est se corrigere. *Abb. c. 3. de hæreticis, num. 2.*

15 Est ne hæreticus, qui ex ignorantia, vel infirmitate tenet errorem contra fidem?

℞ Non, si paratus est se corrigere. *Tolet in sum. lib. 4. cap. 3.*

16 Errare in tota fide proprie est ne hæresis?

℞ Magis propriè dicitur apostasia, quia hæretici non negant totam fidem, sed aliquos articulos fidei. *Tolet lib. 4. ubi supra.*

17 Quid est pertinacia?

℞ Scire quod illud, quod teneo, est contra Ecclesiam Catholicam, & nihilominus talem propositionem, ut veram teneo. *c. ad abolendam, de hæreticis. Tol. c. 19. lib. 1.*

18 In qua potentia consistit talis error, & pertinacia?

℞ In intellectu. *Paludanus in distinctione 13. quæst. 3. Sylvest. verbo excommunicatio 9. §. 3.*

19 Homo non baptizatus potestne esse hæreticus?

℞ Non, quia iste talis proprie dicitur infidelis; quia ad hoc, ut quis sit extra Ecclesiam, & sit hæreticus, necesse est ut aliquando fuerit per baptismum intra Ecclesiam. *Tol. in sum. lib. 4. cap. 3.*

20 Quotupliciter committitur hæresis?

℞ Tripliciter; aut interius solum, scilicet cum quis facit actum hæreticum cum ignorantia, aut interius, & exterius, cum ad extra facio actum, quod scio interius esse hæreticum. *Tol. lib. 4. c. 4.*

21 In hæresi interiori incurriturne excōmunicatio?

℞ Non. *Paludan. in 4. dist. 13. q. 3. Tol. lib. 1. c. 6.*

22 In hæresi exteriori incurritur ne excommunicatio?

℞ Affirmativè statim, ac committitur. *c. ad abolendam de hæret.*

23 Si quis committat hæresim exteriorem sine consensu interiori, vel sine errore interiori, erit ne excommunicatus?

℞ Tenebitur ab Ecclesia pro excommunicato, quia non judicat de occultis, sed poterit absolvi à quolibet confessario, quia vere non est excommunicatus. *Navar. in man. c. 11. num. 24.*

24 Quis est infidelis?

℞ qui non habet certitudinem in fide. *cap. 1. de hæreticis.*

25 Quis dicitur dubius in fide?

℞ Qui non credit articulos fidei, nec illos impugnat. *Tol. lib. 4. c. 4.*

26 Quid requiritur, ut dubius in fide sit hæreticus?

℞ *1mum*, ut sit pertinacia, scilicet si scit aliquam propositionem ab Ecclesia decisam esse, & tamen ipse tenet contrarium. *2do*, quod dubium, quod habet in fide, sit voluntarium, & non ex aliqua tentatione Diaboli, ut scrupulosus, qui solet aliquando dubitare in aliquo articulo fidei. *Toletus ubi supra.*

27 Qui permittit errare in fide, est ne suspectus?

℞ Est, quia non caret scrupulo societatis occulto, qui manifesto facinori desinit obuiare. *c, qui alios, de hæretic.*

28 Quæ differentia est inter schismaticum, & hæreticum?

℞ Hæreticus opponitur fidei; schismaticus opponitur charitati, & unioni Ecclesiæ; puta, quia recusat obedire Papæ, qui est caput totius Ecclesiæ. *Tol. lib. 4. c. 2.*

29 Crimen hæresis cujus fori est?

℞ Fori Ecclesiastici solum, & hodie pertinet ad Inquisitores hæreticæ pravitatis. *c. excommunicatus de hæreticis.*

30 Punitio hæresis ad quem Judicem pertinet?

℞ Ad Ecclesiasticum, quia est crimen mere Ecclesiasticum, licet executio sententiæ ad sæcularem pertineat. *Abbas cap. ad abolendam de hæreticis num. 7.*

31 Episcopus negligens in persequendo hæreticos, qua pæna punitur?

℞ Debet à dignitate removeri. *c. excommunicamus, il. 1. de hæreticis. §. ult. verbo volumus*

32 Si Episcopus commisserit crimen hæresis, coram quo Judice debet conveniri?

℞ Coram Summo Pontifice. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 5. de refor.*

33 Episcopus quomodo procedit in causa hæresis?

℞ Tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus. *c. ad abolendam de hæreticis.*

34 Capitulum sede vacante cognoscit ne de crimine hæresis?

℞ Cognoscit sicut Episcopus. *Abb. eod. c. num. 4.*

35 Si Episcopus sit notorius hæreticus, ad quem pertinet dare dimissorias?

℞ Ad capitulum, quia tunc reputatur ut mortuus, donec certiorem faciat Summum Pontificem, qui providebit de legitimo pastore.

36 Que est pæna hæreticorum?

℞ Pæna ignis, & perdunt omnia sua bona à die commissi delicti. *l. Manichæos C. de hæreticis, c. cum 2. leges, eod. tit. in 6. & c. ad abolendam. de hæreticis*

37 Bona hæreticorum cui applicantur?

℞ Fisco, deductis expensis factis in prosecutione illius causæ, etiam si hæretici sint mortui, *c. urgentis, de hæretic.*

38 Bona hæreticorum quo die confiscantur?

℞ A die, in quo commiserunt delictum, *Sotus de inst. & jur. lib. 1. quæst. 9. art. 6.*

39 Judex laicus, cui traditur ab Inquisitoribus hæreticus comburendus, tenetur ne stare processui facto ab ipsis Inquisitoribus?

℞ Tenetur statim proferre sententiam ex eorum processu, & comburere hæreticum *Abb. c. fin. de statu Monach. num. 12.*

40 Descendentes ab hæreticis, usque ad quem gradum

dum prohibentur obtinere beneficia Ecclesiastica?

℟ Si descendant ex linea masculina, usque ad secundum inclusive, si à fæmina usque ad primum *cap. statut. de hæretic. in 6.*

41 Hæreticus jure hæreditario potest ne succedere patri suo?

℟ Non, imò, qui eum instituit, excommunicatur *c. si quis de hæret.*

42 Filij hæreticorum propter delictum parentum privantur ne beneficijs obtentis?

℟ Variæ sunt opiniones DD. sed verior est, quod beneficium obtentum est ante patris crimen non perditur, sed solum obtentum post patris delictum. *Plurimi DD. sup c. urgentis de hæretic.*

43 Fautores, & receptores hæreticorum quam pænam incurrunt?

℟ Ipso jure sunt excommunicati ante sententiam, & non sepeliuntur in loco sacro. *c. si adversus nos de hæretic.*

44 Qui incurrunt excommunicationem in crimine hæresis, licet non sint hæretici?

℟ *1mo*, testes, qui sciunt hæresim,& non denunciant, *2do*, Inquisitores, qui scientes non puniunt hæreticos. *3tio*, judices temporales, qui relaxatos ab inquisitoribus non tradunt igni, vel in jurisdictione contradicunt, vel non dant auxilium. *4to*, qui dant consilium, vel auxilium hæreticis. *Castr. lib. 2. tit. de justa hæreticorum punitione c. 25. D. Thom. 22. quæst. 33. artic. 7. Durand. in 4. dist. 19. quæst. 4.*

45 Advocati hæreticorum, & scribæ incurrunt ne in aliquam pænam?

℟ Si constituti sunt à sancta Inquisitione ad defensionem hæreticorum, ne careant legitima, & necessaria defensione, non incurrunt pænam, imò sunt viri qualificati.

46 Pro hæretico mortuo est ne orandum?

℟ Non, neque pro decedenti in peccato mortali *cap. placuit 23. quæst. 5.*

47 Bona opera hæreticorum ad quid valent?

℟ Ad illustrandum mentem, & ut facilius gratiam conversionis mereantur *Abb. super c. firmissime de hæret num. 1.*

48 Libris hæreticorum quæ fides datur?

℟ Nulla, licet in se sint boni ratione auctoris *c. fraternitatis eod tit.*

49 Si aliquis Notarius condemnetur, ut hæreticus vel falsarius, ejus scripturæ erunt ne validæ?

℟ Cum distinctione; quas fecit ante delictum, erunt validæ,propter publicā utilitatē. *l. Barbarius Philippus, ff. de Officio. Prætoris:* sed scripturæ, quas fecit post delictum, non valebunt. *Glossa in leg. si quis ex argentarijs, §. 1. ff. de edendo.*

50 Clericus hæreticus reducens se ad fidem est ne prius degradandus?

℟ Affirmative verbaliter, in carcere detrudendus, & postea recipiendus ad fidem *Abb. in c. excommunicatus, de hæret. num. 1.*

51 Si aliquis Clericus abjuret de vehementi, est ne iterum admittendus ad audiendas confessiones?

℟ Non, secus autem si abjuret de levi. *Navar. consil. 16. de hæret. n. 1.*

52 Quando instrumenta confecta per Notarium infamem, vel damnatum de falso erunt valida?

℟ Quando non est Notarius Principis, vel bancæ, sed particularis, & non commisit falsitatem in officio tabellionis, sed ob alias causas factus est infamis. *Bartol. in l. ea lege Juliam repetundar. Abb. in c. fraternitatis. de hæret. num 5.*

53 Quid debet hæreticus facere, ut pænam mortis possit evadere?

℟ Convertere se, & petere veniam ante sententiam, & abjurare. *c. ad abolendam de hæret.*

54 Debitores hæreticorum sunt ne liberi a debito?

℟ Si debitum sit personale, ut servitia ipso liberantur; si vero debitum sit alicujus peccuniæ, fisco solvi debet.

55 Filij hæreticorum sunt ne sub patria potestate?

℟ Non, imò liberantur, & sui juris efficiuntur. *c. 5. de hæret. in 6. juncta gloss.*

56 Laici possunt ne prædicare?

℟ Non, propter periculum errandi, & ne sub specie boni malum inducant. *Abb. c. sicut de hæret.*

57 Sacramenta ab hæreticis recepta valent ne?

℟ Si cum bona fide, ignorantia recipiantur, tenent, si vero scienter recipiantur, non valent, imo de tali homine potest cognosci sicut de suspecto. *Abb. cap fraternit. isto tit. num. 7.*

58 Quæ Sacramenta possunt recipi ab hæretico sine aliqua pæna?

℟ Sacramentum Baptismi, & pænitentiæ, & hoc in casu extremæ necessitatis, dum hæreticus habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia *c. ad hoc dist. 4. de consecr*

29 Si duo contendunt de Papatu quid agendum?

℟ Colligendum est Concilium generale per Cardinales, ut hac re judicent. *Abb. eod c. fraternitatis, isto tit. num. 2.*

60 Infidelis, vel hæreticus possuntne esse testes?

℟ Non, nisi in favorem fidei, & tunc cum adminiculo, & defectu infidelitatis.

61 Qui insurdescit in excommunicatione, quando dicetur hæreticus, vel suspensus in fide?

℟ Quando per annum integrum petere absolutionem non curat. *Conc. Trid. Sess. 14. c. 18.*

62 Potest ne Episcopus in foro conscientiæ absolvere à crimine hæresis subditum suum?

℟ Potest per se ipsum, sed non per suum Vicarium, ex limitata facultate sibi tradita à *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 6. de reformat.* sed hæc facultas de novo sublata est Episcopis per bullam Cruciatæ, & sic debent eos remittere ad Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui habent instructionem, quando debent eos absolvere in foro interiori, & quando in foro exteriori.

63 Isti tales hæretici, qui volunt Sacramentaliter suam hæresim confiteri, à quo possunt absolvi?

℟ A Summo Pontifice, & ab inquisitoribus hæreticæ pravitatis, & si non resideant in illa civitate, debent occurere ad commissarium sanctæ Inquisitionis, & ipse docebit talem pænitentem, quid debeat agere, vel accipiat potestatem ab inquisitoribus eum absolvendi; cum remedium animæ non sit dilatandum.

64 Si iste talis, qui vult confiteri suam hæresim,

 sit in

ſit in extremo periculo vitæ, à quo eſt abſolvendus?

℞ In foro pænitentiali poteſt abſolvi à quocunque Sacerdote; ratio eſt, quia neceſſitas caret lege, & quilibet, qui convertitur, recipiendus eſt ab Eccleſia.

65 Abſolutio, quam Epiſcopus dat vigore *d. c. 6.* debetne eſſe neceſſarioSacramẽtalis, vel ſufficitne eam dare in foro ſecreto extra confeſſionem?

℞ *Navar conſ.* 11 de privilegis tenet ſufficere, ut ſit in foro conſcientiæ extra confeſſionem, ſed alij Doctores tenent, quod eſt ſecurius, ut abſolvantur in actu confeſſionis; ratio eſt, quia concilium dicit in foro conſcientiæ eſt ipſa confeſſio ſacramentalis.

66 Si quis abſolvatur ab Epiſcopo, vel à confeſſore in articulo mortis à crimine hæreſis oculto in foro pænitentiali, & poſtea comprehendatur ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, poteruntne de tali crimine cognoſcere?

℞ Poterunt talem hæreticum punire in foro exteriori, tanquam ſi non eſſet abſolutus in foro conſcientiæ, licet ſi talis convertatur, hæc abſolutio plurimum juvet ad defenſionem talis rei; ratio eſt, quia per abſolutionem ſacramentalem non tollitur facultas Inquiſitoribus puniendi hæreſim publicam.

67 Relapſus quis proprie dicitur?

℞ Ille qui commiſit hæreſim, & petit veniam per miſericordiam, & abjuravit de vehementi illam hæreſim, & aliam, & juravit ſe amplius non commiſſurum, *c. ad abolendam hæreticis.*

68 Relapſis eſt ne parendum?

℞ Non, & pæna eorum eſt, ſi eſt Clericus degradatur, & traditur curiæ ſæculari, ut igne cremetur; ſi eſt laicus ſententiatur ab inquiſitoribus, ut relapſus, & remittitur Judici ſæculari cremandus; ratio eſt, quia jam ſemel fuit ab Eccleſia deceptus, & timetur quod, qui ſemel, & iterum commiſit tam grave delictum, & fregit Eccleſiæ fidem juratam, ſemper idem faciet, & inficiet alios, quia una mala pecus inficit omne pecus *2do*, quia videtur, quod quando juravit hæreſim, decepit Eccleſiam, & ideo habet pænam mortis. *c. ad abolendam, c. excommunicamus, il. 2. de hæreticis.*

69 Judex ſæcularis debetne ſtare per proceſſum factum ab inquiſitoribus, & cum eis remittitur aliquis hæreticus comburendus, vel debet facere novum proceſſum?

℞ Judex ſæcularis non debet facere novum proceſſum, neq; retardare executionem, ſed ſtatim ſedere pro tribunali, & ſententiare proceſſum in eo ſtatu, inquo inquiſitores illum mittunt, & tradere reum miniſtris juſtitiæ comburendum, & hoc in favorem fidei; ratio eſt, quia cognitio de hæreſi non pertinet ad judicem ſæcularem, ſed ad Eccleſiaſticum, & privative hodie ad inquiſitores Apoſtolicos, & Bullas Apoſtolicas, & ad Judicem ſæcularem ſolum pertinet executio & dare favorem Inquiſitoribus. tenet *Abb. in c. fin. de ſtatu Monachorum, num. 3. & paramus, & Pegna in directorio Inquiſitorum, & omnes ſcribentes.* c. *ſuper eod. tit. in 6.*

70 Poteſtne quis inſtituere hæreticum hæredem?

℞ Non, licet talis ſit ejus conſangvineus, & ſi quis eum inſtituat ſciens illum eſſe hæreticum, excommunicatur, & habebitur, ut ſuſpectus in fide. *c. ſi quis Epiſcopus c. in eo de hæreticis.*

71 Qui ſepeliunt hæreticorum in loco ſacro, qua pæna puniuntur?

℞ Excommunicantur, ſi ſcienter id faciant, & non abſolvuntur, donec ipſi proprijs manibus publice ex hument, & proiciant extra Eccleſiam hujuſmodi corpora damnatorum, & ille locus, & Eccleſia remanet violata, & debet iterum benedici, & in illa ſepultura non poteſt alius unquam ſepeliri. *c. quicumque de hæreticis in 6. cap. ſacris de ſepulturis.*

72 Si oſſa hæretici non poſſint cognoſci, debent ne exhumari omnia oſſa, vel quid eſt faciendum?

℞ Tunc excommunicandus eſt, & puniendus, qui ſcienter ſepelivit hæreticum, ſed oſſa, ſi non cognoſcuntur, non debent extrahi, ne forte extrahantur oſſa alicujus Catholici, ratio eſt, quia melius eſt nocẽtem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare. *Glos. in d. c. quicumque de hæreticis in 6.*

73 Hæretici, & fautores eorum, uſq; ad quam generationem amittunt officia, & beneficia?

℞ Uſq; ad ſecundam generationem incluſive. *c. ſtatutum c. 2. de hæret. in 6.*

## CAPUT V.
### De Neophitis.

1 Quis dicitur Neophitus?

℞ Qui noviter ad fidem venit, ſive ex judaiſmo, ſive ex gentilitate. *Sylveſt verbo Neophitus.*

2 Neophitus debet ne ordinari?

℞ Non. *Concilium Nicenum diſtinct.* 48. *cap. quoniam*

## CAPUT VI.
### De ijs, qui filios occiderunt.

1 Pater quos filios habet in ſua poteſtate?

℞ Filios familias, de quibus late diximus, *lib.* 10. *c. 4. de patria poteſtate, §. 1. inſt. de patria poteſtate l. nam civium, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni juris.*

2 Pater poterit ne occidere liberos, quos ſub ſua poteſtate habet abſque aliqua pæna?

℞ Licet de jure antiquo pater poterat abſq; aliqua pæna occidere filios ſuos cum cauſa, & ſine cauſa per legem, in ſuis *ff. de liberis, & poſthumis* quæ dabat patribus hanc poteſtatem, & fundabatur ea ratione, ut filij eſſent obedientes parentibus, tamen hodie juſtiſſimis de cauſis hæc lex eſt correcta per legem, in auditum, *ff. ad l. Cornel. de ſicarijs,* & ita pater non ſolum non poteſt occidere filios, imò ſi occiderit graviſſima pæna punientur; ratio eſt, quia patria poteſtas data eſt a lege in pietatem, & non in atrocitatem, & ita conſiſtit in bona educatione filij & in ejus utilitate, non vero in morte.

3 Pater poteſt ne incarcerare filium?

℞ Pater

℞ Pater non poteſt habere carcerem, ſicut habet Reſpublica, quia hoc eſt illi prohibitum, & ſi id fecerit, punietur graviſſimè; ratio eſt, quia eſt contra Regiam poteſtatem, quam ſibi nullus poteſt aſſummere, ſed pater bene, & licitè poterit præcludere filium ſuum in cubiculo clauſo, & ibi eum ligare fune, vel ferreis compedibus ad cuſtodiam illius; ratio eſt, quia hoc ſolum attinet emendationem filij, & ad conſervationem vitæ ejus *ut in l. unica C. de emendatione propinquorum, & ibi Bart. & DD.*

4 Si Pater petat ante judicem civitatis, ut filius ejus incarceretur in carcere publico propter inobedientiam, vel aliquod vitium Iudex quid debet facere?

℞ Judex debet eum incarcerare, & corrigere & emendare ſecundum voluntatem patris, & poſtea ad petitionem patris eum à carcere liberare, *l. unica, ſupra citata, & l. 4. C. de patria poteſtate.*

5 Pater quam correctionem poterit dare filio?

℞ Pater poterit filium corrigere verbis, & eum fuſtigare, ſed taliter, quod non excedat limites diſcretionis, ita ut filius ex tali correctione, vel fuſtigatione non infirmetur, neque moriatur, neq; perdat membrum, *ut in l. unica, C. de mendatione propinquorum:*

6 Filius poteritnè repercutere patrem, eum verberantem, vel caſtigantem?

℞ Non, ſed poterit fugere, ſi eum videat iratum; ratio eſt, quia licet vim vi repellere liceat, tamen ubi offenſio eſt licita, ibi defenſio eſt prohibita. *l. 3. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, & tenet Bart. in l. ut vim, ff. de juſtit. & jure.*

7 Quam pænam habet pater, vel mater, qui ſponte filium occidit, & è contra, filius qui occidit patrem, vel matrem?

℞ Pæna Canonica eſt, ut recludatur perpetuo in Monaſterio ad agendam pænitentiam toto tempore vitæ ſuæ, ſed pæna legalis, quæ obſervatur hodie in omnibus terris Eccleſiæ, ut talis occidatur, & mittatur intra corium cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, & in mare, vel flumen projciatur, ut ab ipſis animalibus tale corpus affligatur, & comedatur, *l. pæna ff. ad legem Pompeiam, de paricidijs l. in auditum ff. ad l. Corn. de ſicarijs, & l. unica, C. de ijs, qui parentes, vel liberos occiderunt.*

8 Quid ſignificat includere hominem cum iſtis animalibus, cum morte omnia delicta tollantur?

℞ Quia delictum eſt tantæ atrocitatis, lex voluit in morte, & poſt mortem ſignificare, quam horrendum ſit patrem interficere filium, quem genuit, vel è contra; & ideo includitur canis ad ſignificandam rabiem, quam pater habuit in filium, & gallus gallinaceus, quia ipſe non curat de ſuis filijs, neque eos cognoſcit, & vipera propter venenum, quod in ſe habet, & ſimia, ut ſignificetur, quod ille non fuit homo, ſed fuit quoad ſimilitudinem hominis, ſicut ſimia, & eijcitur in mare, vel flumen ad ſignificandum quod talis homo non meretur, ut terra, de qua natus eſt, ei det requiem, ſed fluctuet.

9 Quod eſt majus peccatum, quod occidat pater filium, vel filius patrem?

℞ Majus peccatum eſt à filio occidi patrem, cui debetur honor; obedientia ex quarto præcepto decalogi, ſed magis horrendum, & contra naturam eſt à parte occidi filium; ratio eſt, quia amor deſcendit, & non aſcendit, & ſic pater magis amat unum filium, quam decem filij unum patrem.

10 Si mulier occidat filium, propter hoc decet ne ſeparari a marito?

℞ Non, ſed alia pæna legali punitur; ratio eſt, quia nullum crimen ſeparat matrimonium legitimè contractum, niſi crimen idolatriæ, vel hæreſis, ne alteruter eorum inficiatur. *c. intelleximus, de ijs, qui filios occiderunt, & ibi Abb. num. 1.*

11 Si pater vel mater in eodem lecto dormientes occidant puerum, qua pæna puniuntur?

℞ Conſiderandum eſt, an habuerint voluntatem occidendi, & tunc eſt pæna mortis, anhabuerint culpam aliquam, quia non poſuerunt ſufficientem diligentiam, ne occiderent puerum, & tunc aliqui volunt, quod per tres annos agant pænitentiam, & jejunium ſit in pane, & aqua vel poſita diligentia cum magno ſuo dolore puer repertus fuit occiſus, & tunc in foro conſcientiæ aliquam pænitentiam debent habere propter neglientiam, quia hoc ſecurius eſt *c. de inſtantibus, eod. tit. noſtro.*

12 Regula illa (in pænis mitior interpretatio eſt ne facienda) quando locum non habet?

℞ Illa regula obſervatur in foro exteriori, ſed non habet locum in interiori, ubi ſecurius eſt facere duriorem interpretationem, cum dicat D. Aug. ut nullus quantum juſtus fuerit, caveat, ne de hoc ſæculo tranſeat ſine pænitentia. *Abb. in c. de inſtantibus eod. tit.*

## CAPUT VII.

### De Infantibus, & langvidis expoſitis.

1 Quis dicitur expoſitus?

℞ Ille, qui ſupponitur curæ alterius, & relinquitur à cura proprij domini, vel patris. *expoſitus diſtinct. 87. junct. gloſſ.*

2 Unde dicitur expoſitus?

℞ A pono, & ex, quaſi diceret, extra meam curam pono.

3 Qui nam exponuntur à cura parentum, vel dominorum?

℞ 1mo, infantes, qui clam, & de nocte exponuntur à ſuis parentibus, vel juſſu eorum ante portas Eccleſiæ, ut alij curam illorum habeant 2do, pueri, qui habent uſum rationis. 3tio, langvidi vexati ab aliqua infirmitate. 4to, ſervi, qui à proprijs dominis relinquntur, ut ſint ſui juris, ut ſe alant, vel querant aliquem. qui illos alat. *c. unico, de infant. & langvid. expoſitis. & c. ſi expoſitus diſtinct. 87.*

4 Quis tenetur alere infantes expoſitos?

℞ Eccleſia tanquam ſuos filios, quia tenetur ſuſcipere in ſe, quos patres contra legem naturæ

expellunt à ſe. *capite. ſacrorum.* 12. *quæſtione* 2.

5 Eccleſia poterit ne ab infante expoſito repetere alimenta, ſi pervenit in pingviorem fortunam?

℞ Non, quia alit talem infantem tanquam proprium filium. *l. alimenta C. de negot. geſt. c. ſacrorum 12. quæſtione.* 2.

6 Quam pænam incurrunt parentes, qui proprium filium exponunt ad portas Eccleſiæ, vel in vijs publicis, vel ad portam alicujus hominis divitis, ea intentione, ut illum alant?

℞ Secundum leges Hiſpaniæ puniuntur pæna capitali, tanquam ſi proprium filium occideret, quia eum ſupponunt mortis periculo, & negant proprium filium, quem genuerunt.

7 Si alius, & non proprius pater exponat filium legitimum, privabitur ne patria poteſtate?

℞ Si pater ſciat, & conſentiat, vel poſtquam ſciverit, ratum habuerit, privatur patria poteſtate, quia idem eſt, ac ſi expoſuerit. *Abb. cap. unico, de infantibus, num.* 1.

8 Si filius à ſuo patre exponatur, talis filius cujus juris erit?

℞ Talis filius liberatur à patria poteſtate, & ſi venerit in bonam fortunam, poterit de illis teſtari, idem dicendum erit de langvidis, in quibus omnibus pater, vel dominus nullam habet poteſtatem, quia fecerunt contra officium pietatis naturalis, quia de lege naturæ tenentur proprios filios alere, ſicut faciunt animalia bruta c. *unico de infant.*

9 Si filius conſentiat, ut ipſius pater eum exponat, in iſto caſu privatur ne patria poteſtate?

℞ Affirmative, etiam ſi filius idem petat, quia iſte textus punit patris impietatem, & damnat patris factum contra officium pietatis, quod pater non debet facere, etiam ſi id filius petat, *Abb. c. unico, de infantibus num.* 1.

10 Si quis habeat ancillam, & concipiat filium, & poſt partum illum exponat, & alius illum alat, ille talis tenetur ne reſtituere infantem domino ſuo?

℞ Si ancilla inſcio domino expoſuerit filium, poterit illum dominus repetere ſolvendo expenſas, ſed ſi expoſuit filium, ſciente, vel conſentiente domino non poterit talis dominus illum repetere, etiam ſi ſolvat expenſas, quia videtur ipſe illum expoſuiſſe, & ſic jus in eum perdidiſſe. *l. 1. & 2. C. de infant. expoſitis.*

11 Si aliquis expoſitum alicuius ſervæ, vel ancilæ, talis remanebitne ſervus illius, qui eum alit?

℞ Non, ſed erit liber, & ingenuus, poterit teſtari, contrahere, & nubere, imò ipſe ſecundum leges Hiſpaniæ gaudet aliqua nobilitate; ratio eſt, quia illum, quem proprius pater deſeruit, lex ſuſcepit in ſuum patrocinium, cum quilibet præſumatur bonus, & nobilis, niſi in contrarium probetur malus *l. unus quiſque C de infant. expoſitis.*

12 Si pater negat alimenta filio, talis filius ſolviturne à patria poteſtate?

℞ Affirmative, tres enim caſus æquiparantur, exponere infantes, non curare langvidum, & alimenta negare filijs ſuis, ſive ſint langvidi, ſive ſani *Goff. cap. unico, de infant. & Abb. ibi num.* 7.

13 Quam conditionem ſequitur natus?

℞ Conditionem matris, ſive ſit libera, ſive ſerva, quia partus ſequitur ventrem de jure novo. *l. part. C. de rei vendicion. l. ſancimus. C. de infant.*

---

## CAPUT VIII.
## De Sagittarijs.

1 Quis dicitur ſagittarius?

℞ Qui vititur arte ſagittariorum, vel baptiſtarum, ſcilicet, qui alios occidit ſagitta, ſive venenata C. *unico, de ſagittarijs.*

2 Quam pænam incurrit ſagittarius?

℞ Pænam excommunicationis, ſi utatur illa mortifera arte contra Chriſtianos. *c. unico de ſagittarijs & Abb. ibi.*

3 Licetne pugnare contra Catholicos ſagitta, vel ſolum contra infideles?

℞ In bello in juſto nõ licet contra Catholicos pugnare, ſed in bello juſto bene licet. *cap. unico de ſagittarijs.*

---

## CAPUT IX.
## De raptoribus, incendiarijs, & violatorbus Eccleſiæ.

1 Quis dicitur raptor?

℞ Ille, qui rem alienam vi rapit *l. ſed eximendi. ff. ne quis eum, qui in jus l. unica, C. de raptu virginum, ſeu viduarum.*

2 Quid eſt rapina?

℞ Violenta receptio rerum. *l. 1. C. vi bonorum rapto.*

3 Quis dicitur incendiarius?

℞ Ille, qui ob inimcitiam, vel malitiam caſu dato, ædes, arbores, fruges, & vineas aliorum incendit *l. capitalium ff. de pœnis* §. *incendiarij.*

4 Quis dicitur violator?

℞ Ille, qui frangit oſtia Eccleſiæ, qui ei ſubtrahit privilegia, qui rapit bona Eccleſiæ, vel ille, qui quocumque modo Eccleſiam, vel eos, qui ad eam confugiunt, offendit.

5 Raptores à quo Judice puniri debent, à Judice proprio, vel à Judice, in cujus loco, vel territorio commiſerunt delictum?

℞ A Judice, in cujus territorio commiſerunt delictum: nam quis ſortitur forum ratione delicti, & ideo ob publicam juſtitiam, & exemplum rationi congruum eſt, ut quis puniatur, ut commiſit delictum, quando quis debet puniri pæna temporali, ſecus ſi deberet puniri pæna tmporali, ſecus ſi deberet puniri in foro intriori, & pænitentiali, tunc enim puniri deb à proprio Epiſcopo, vel Parocho. *c. 1. de raptoribus Abb. ibi num.* 1.

6 Prælatus, qui habet delegationem à Princpe ſæclari ſuper aliquo delicto, poteritne imponere pænam ſangvinis?

℞ Non, ſed extra pænam ſangvinis, poterit delinquentem punire; ratio eſt, quia Princeps ſæcularis non habet poteſtatem habilitandi Clericum, ut ſine periculo irregularitatis effundat ſangvinem, ſed ſolus Papa: cum vero hæ ſimiles delegationes committuntur à Regibus, Epiſcopis, recurritur ad Summum Pontificem pro licentia

centia

centia sententiandi in pæna sangvinis sine irregularitate, qui solet eam licentiam Principibus Ecclesiasticis; qui habent jurisdictionem temporalem concedere per breve particulare, dum dicta sententia feratur, & exequatur per assessorem laicum. *c. in Archiepiscopatu de raptor.*

7 Causæ criminales possunt ne de jure Canonico delegari Clericis?

℞ Possunt ultra effusionem sangvinis *Abb. eod. c. num. 2.*

8 Clericus raptor, vel socius rapinæ;qua pæna punitur?

℞ In perpetuum deponitur, & privatur beneficio absque spe recuperandi. *Abb. c. super de raptoribus num. 2.*

9 Pæna corporalis potest ne imponi a judice Ecclesiastico?

℞ Bene potest imponi pæna afflictiva corporis ultra effusionem sangvinis à judice Ecclesiastico, cui solum prohibita est effusio sangvinis. *Abb.c. in Archiepiscopatu de raptor. num. 4.*

10 Sententia lata contra raptorem à judice, ubi comisit delictū,à quo judice debet exequutioni mandari,à judice ne ubi commisit delictum, vel à judice originis?

℞ Si sententia est corporalis à judice ubi commisit delictum, & in loco delicti debet exequi: si vero est pecuniaria, vel in rebus delinquentis, debet mandari executioni à judice originis, ubi res sitæ sunt. *Abb. c. 1. de raptor. num. 6.*

11 Quâ pæna punitur raptor virginis?

℞ Excommunicationis à jure, nulla præmissa monitione, quia in excommunicatione cum infertur ab homine, debet præcedere necessario contumacia, vel inobedientia, sed cum fertur à jure, sufficit delictum solum. *Abb. c. 1. eod.tit.n.2.*

12 Si quis rapiat virginem cum sua voluntate ad contrahendum matrimonium, qua pæna punitur?

℞ Si virgo consentit in raptu, & vult nubere, iste talis non est raptus, & in isto casu considerandum est, an intrauit rapiens per fenestras, vel per tecta, parietes, domus, an per portam sit ingressus, & egressus, quia si violavit, & rapuit domum patris puellæ, habebit pænam violatoris, sed non raptoris, quia rapit, quod suum est *c. cum causa de raptoribus & Abb. ibi num. 1.*

13 Pater tenetur ne dotare filiā raptam à sua domo?

℞ Si filiæ non promisit dotem,sive nubat æquali, sive inferiori, non tenetur eam dotare. *Abb.c. cum causa de raptoribus num. 5.*

14 Si quis rapiat virginem contra voluntatem suā poterit ne postea cum ipsa contrahere si vellit?

℞ Affirmative, quia metus, & contraria voluntas tollunt per spontaneum consensum subsequentē *Abb. c. accedens de raptor. num. 1.*

15 Raptor, vel violator Ecclesiæ qua pæna punitur in morte?

℞ Si delictum sit manifestum, & in morte non dent signa pænitentiæ, carent sepultura Ecclesiastica, & Clerici; qui sunt præsentes ejus sepulturæ, suspenduntur. *c. super eo. de raptor.*

16 Quam pænam incurrunt, qui spoliant navigantes, vel eos, qui patiuntur naufragium ad littus?

℞ Excommunicationis ipso jure, & nisi restituant non aufertur excommunicatio.

17 Quando in excommunicatione à jure requiritur, admonitio?

℞ Quando fertur pro præcepto negativo, ut cum dicitur, qui non resederit in Ecclesia, excommunicetur, & qui tali die non confitetur sua peccata; tunc enim requiritur admonitio,ut habeatur talis pro excommunicato in foro exteriori, quo ad homines, quia nobis latet, an talis habuerit justam causam non residendi, vel non confitendi, licet quo ad Deum sola mora ille talis illicò incurrat excommunicationem, in præceptis vero affirmativis non requiritur monitio, sed commissio delicti. *Innoc. c. extirpanda. §. qui vero de prabend. Abb. c. ex excomunic. de raptor,n. 2.*

18 Quam pænam incurrit incendiarius?

℞ Excommunicationis ipso jure facto, cujus absolutio Summo Pont: reservatur. *c. cum ex tua nos de sent. excommun.*

19 In foro exteriori quam pænam habet incendiarius?

℞ De jure Canonico gravi pæna punitur. cap. si quis damnum de injurijs; de jure civili tenetur satisfacere damnum, & punitur pæna mortis *l. capitalium. ff. de pænis.*

20 Incendiarius Ecclesiæ ubi sepellitur?

℞ Si pæniteat in morte, in cæmeterio debet sepeliri, & hæredes ejus tenentur ad damnum *c. in literis de raptoribus.*

21 Si hæredes sint sæculares, coram quo Judice debent compelli, ut satis faciant?

℞ Licet quilibet teneatur sequi forum rei, tamen in hoc casu, cum damnum fuerit factum Ecclesiæ, debent compelli coram judice Ecclesiastico, qui sibi vindicat defensionem bonorum Ecclesiæ. *Abb. c. in l.t. de rapt. num. 2.*

22 Prælatus habens jurisdictionem, poterit ne committere causam criminalem, si sciat pænam mortis esse imponendam tali crimini?

℞ Affirmative, quia Prælatis solum est prohibita effusio sangvinis per se ipsos, & non est prohibita punitio per alios Judices. *c. fin. ne Clerici. vel Monachi Abb. c. in Archiepiscopatu, de rapt.num.6*

# CAPUT X.
## De Furtis.

1 Quid est furtum?

℞ Est retentio injusta rei alienæ, inuito, vel inscio domino. *l. 1. ff. de furtis, §. furtum.*

2 Unde dicitur furtum?

℞ A fuluo, idest nigro, quia plerumq; fit clam, & de nocte, etiam dicitur à fraudo, ut *l.1. ff. de furtis Instit, de obligat.qua ex delicto nascuntur §. furtum autem, & §. placuit.*

3 Quotuplex est fur?

℞ Duplex, scilicet fur manifestus est ille, qui licet furatus sit rem alienam, tamen eam iterum detulit in locum, ubi domus proprius eam destinaverat, & nihilominus convincitur de furto inst. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, *§. furto*

§. *furtorum autem* l. *si quis* §. *sed celsus ff. de furtis*, l. *furtorum, ff. eodem.*

4 Quæ res possunt furari ?

℟ Plurimæ, scilicet res mobiles, res immobiles, jura, scripturæ, honores, homines, & mulieres, ut per totum titulum de furtis *ff. cod. tit. instit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.*

5 Quæ sunt pænæ, quæ dantur furibus ?

℟ Plurimæ, scilicet exilia, fustigationes, triremes, carceres, & pæna mortis. *Abb. c. fin. n. 10. de furtis.*

6 Istæ pænæ applicatur ne indistinctè cuilibet furto?

℟ Non, sed secundum qualitatem, & quantitatem, & malitiam delicti, ponderando, si fuit in agro, si violenter ablatum, si occulte, si ad furandum fregit portas, si perforavit domum, & multa alia requisita debent considerari, ut pæna proportionetur delicto *auct. sed novo jure C. de servis fugitivis,*

7 De furto quibus modis potest agi ?

℟ Civiliter vel criminaliter, civiliter ad solam restitutionem, criminaliter ad pænam furti *Abb. c. fin. de furtis, num.* 10.

8 Quando in jure canonico invenitur pæna mortis, de qua morte intelligitur ?

℟ De excommunicatione, idest morte animæ. *c. per venerabilem, qui fil. sint legit. in gl.*

9 Quam pænam incurrit, qui furatur hominem, vel puerum, & vendiderit, etiam si ipse furatus pretio se redimat ?

℟ Iste talis punitur pæna mortis solum ex furto hominis, ut ipse homo fugiat, liber *c.* 1. *de fur.*

10 Si furtum sit cum violentia, aggressione, qua pæna punitur.

℟ Pæna mortis propter violentiam si vero fuit sine violentia, vel aggressione, fustibus, vel ad triremes, *Abb. c. fin de furtis l. cap.* §. *formosos ff. de pænis.*

11 Clericus committens furtum qua pæna punitur?

℟ Si furtum sit alicujus quantitatis, & non de re minima, debet recludi in carcere ad faciendam pænitentiam *c. cum ab homine de judicijs c. tuæ de pænis.*

12 Quantitas furti, ut quis non incurrat peccatum mortale, quanta debet esse ?

℟ Minima, videlicet unus, vel duo argentei, vel ad summum tres, licet hoc magnopere sit evitandum, & atrociter puniendum à magistris, patribus, dominis, confessarijs, quia qui est assuefactus ad furandum minimam quantitatem, postea furatur magnam, & non definit vitium, nisi cum vita. *Abb. c. fin. de furtis.*

13 Si quis occultet furem, qua pæna punitur ?

℟ Occultantes, & consentientes furem, æquali pæna puniuntur, licet in his semper moderetur, præcipue si pæna furi infligenda sit mors *c. qui cum fure de furtis Abb. ibi num.* 2.

14 Quando quis tenetur manifestare furem ?

℟ Semper, ut faciat bonum opus, sed de necessitate, & ne incidat in pænam, quando hoc jubetur à Judice, vel super furto decernitur excommunicatio. *Abb. c. qui cum fure. num.* 5. *de furtis.*

15 Qui furatur bona Ecclesiæ est ne excommunicatus ipso jure ?

℟ Si non fregit portas, neq; fecit violentiam, non est excommunicatus ipso jure, sed post sententiam. *Abb. c. fin. de furtis. num.* 3.

16 Si quis custodiat rem, & furata sit, tenetur ne eam restituere ?

℟ Si in custodiendo posuit eam custodiam, quam poneret, vel quam ponit in suis proprijs rebus, non tenetur ad restitutionem; si non posuit bonam custodiam, tenetur, sed custodienti incumbit onus probandi bonam custodiam in foro exteriori, *Abb. c. fin. de furtis n.* 7.

17 Si quis sit in extrema necessitate, & furetur, quam pænam incurrit ?

℟ Si necessitas sit extrema, vel magna, & furetur solum ad salvandam suam vitam, neque incurrit pænam, neque peccatum, quia tempore necessitatis omnia sunt communia, sed prætextu necessitatis nemo debet furari, quia hoc raro, vel nunquam contingit, ut quis habeat necessitatem necessariam ad faciendum furtum licitum. *Abb. in c. si num.* 1. *de furtis*

18 Si quis furetur cum magna necessitate, tenetur ne illud restituere, quia illa permissio furandi magna est in necessitate quasi quoddam commodatum, & quasi quædam dispensatio legis, & sic finita necessitate incipit obligatio restituendi.

*Abb. si quis num.* 5. *de furtis.*

19 Pro furtis potest ne dari, & decerni excommunicatio ?

℟ Poterit contra fures, contra, scientes & contra occultantes. *Abb. c. qui cum fure, de furtis num.* 1. & 5.

20 Latro si sponte restituat rem, fugit ne pænam?

℟ De jure non, sed mitius punitur, cum constet de ejus pænitentia, & nunquam debet illi dari pæna ordinaria, ut alij idem imitentur, tenet. *Abb. in c.* 1. *de dolo, & contumacia, num.* 6.

21 Si quis furetur, vel vi occupet rem suam, habebit ne pænam latronis positam. *in l. si quis in tentam. C unde vi ?*

℟ Si res sit propria, & non sit copia judicis, vel in mora sit periculum occultandi, vel amittendi rem, licite poterit quis vi occupare rem suam, vel occulte accipere, & talis non dicitur latro, cum proprie latro sit, qui accipit rem alienam. tenet. *Innocent. in cap. olim de rest. spoliatorum, num.* 6. & *habetur dist.* 1. *c. jus gentium.*

22 Si in aliquo hospitio, aliquid furto surripiatur, quis tenetur de hoc furto, qui præest hospitio, an vero viatores, & hospites ?

℟ Qui præest hospitio, tenetur solvere quantitatem rei furatæ, & non viatores; ratio est, quia qui præest hospitio, debet habere curam supra suam familiam, & super viatores, qui in suo hospitio habitant. *tenet. Bart. in l.* 1 *ff. de furtis.*

23 Licet ne alicui occidere furem in defensionem rei suæ ?

℟ De jure civili potest quis occidere furem impune, & absq; aliqua pæna in defensionem rei suæ propriæ; de jure vero canonico melius est petere rem ante Judicem, quam occidere hominem, tamen si quis occidat furem, lævissima pæna punietur. *Abb. in c. nihil prodest, de præscription. num.* 3.

24 Pro

24 Pro inveniendo rem furatam poteſt ne inquiri domus alterius hominis honorati ?

℞ Poterit inquiri abſque eo, quod talis homo incurrat infamiam, quia poſſibile eſt, quod fur eam abſcondat in palatio hominis honorati. *Abb. c. qui cum fure, de furtis, num. 6.*

25 Furibus, & latronibus poſſunt ne dari Sacracramanta Eccleſiaſtica, ſcilicet communio, pœnitentia, & extrema unctio ?

℞ Si patiantur ultimum patibulum, & pæniteant, debet eis dari Sacramentum pænitentiæ, & communionis viginti quatuor horas ante patibulum ob reverentiam tanti Sacramenti, ſed non datur extrema unctio; ſi vero non pæniteant, ſed in ſuo peccato obſtinati moriantur, non debet eis dari Sacramentum Euchariſtiæ. *c. fures de furtis.*

26 Quare non datur extrema unctio patientibus per juſtitiam mortem violentam ?

℞ Quia eſt Sacramentum infirmorum egentium in extremis, & datur etiam ad recuperandam ſanitatem, ſi Deo placet.

## CAPUT XI.

### De colluſione detegenda.

1 Quid eſt colluſio. ?

℞ Eſt inter rem, & actorem latens, & fraudulenta conventio, per quam alter in judicio ſe ſuperari permittit, *gloſſ. c. audivimus de colluſione detegenda* c. *cum Clerici de cenſibus.*

2 Quæ perſonæ committunt iſtas colluſiones, ut delicta maneant impunita ?

℞ Partes principales, procuratores, advocati, factores, & agentes negotiorum,. & ſemper in colluſione intervenit pecunia, vel aliquod intereſſe. c. *audivimus de colluſione detegenda.*

3 Quare hic agitur de colluſione detegenda ?

℞ Quia colluſione interveniente, delicta manent impunita, & ad veram adminiſtrationem juſtitiæ pertinet, ut delicta puniantur, ut exemplo aliorum territi pæna, talia delicta non committant. *Hoſtien. in ſum. titulo de colluſione detegenda. n.4.*

4 Quibus modis quis poteſt licite recedere a lite ſine colluſione ?

℞ Quatuor modis 1*mo*, ex ſua voluntate proprio motu 2*do*, per gratiam, ſcilicet ad inſtantiam alicujus 3*tio*, per tranſactionem, ſcilicet data ſibi pecunia, vel alia re. 4*to*, comparendo ante Judicem, & petendo ab eo licentiam, ut aboleatur accuſatio contra reum, & omnia facta hactenus, *c. ſuper eo de tranſactionibus l. 2. C. de abolitionibus, gl. cap. ſi quem pænituerit 2. q. 3. & Abb.* c. 1. *de colluſione. detegenda, num. 5.*

5 Tranſactio poterit ne intervenire in cauſis, ubi venit pæna mortis, vel ſangvinis imponenda ?

℞ Poterit inter reum, & actorem, ſed ex hoc non tollitur jus judicis, ut ipſe non imponat pænam à jure tali delicto debitam, licet cum pars condonaverit ſuam injuriam, ipſe judex debeat moderari, & mitigare ſententiam, niſi in atrocioribus delictis, & magni præjudicij, atque ſcandali *Abb. c. 1. de colluſione deteg. num. 7.*

6 Si accuſator diſcedat ab accuſatione poterit ne judex ex ſuo officio inquirere, & punire tale delictum ?

℞ Poterit, ne delicta maneant impunita, quia in quolibet delicto conſiderantur duæ perſonæ, una eſt pars læſa, & accuſans; altera juſtitia publica quæ reſtat damnificata. c 1. *de colluſion. detegenda.*

7 Si accuſator deſiſtat ab accuſatione, poterit ne judex perquirere, an id fecerit per colluſionem?

℞ Poterit, & debet id perquirere, & ſi invenerit colluſionem, actorem punire. *Abb. c. 1. de colluſione detegenda num. 1.*

8 Si quis dat pecuniam, ne accuſetur, cenſetur ne talis fateri crimen ?

℞ Non, ſed cenſetur velle evitare moleſtias, quia non debet præſumi crimen, ubi quid ſine dolo poteſt fieri. *Abb. c. 1. de colluſione. detegenda n. 9.*

9 Crimen ſemel commiſſum debet ne manere impunitum etiam deſiſtente parte ?

℞ Non, crimen ſemel perpetratum nunquam debet remanere impunitum pæna ordinaria, vel mitiori, & judex ſemper poteſt inquirere, & punire, ſive pars deſiſtat, ſive non, ſive finita inſtantia, ſive non. *Abb. c. crimina, de colluſ. detegen. n. 1*

10 Si quis abſolvatur à criminibus ſibi impoſitis, poterit ne de illis iterum inquiri ?

℞ Si abſolutio, & liberatio facta fuit per colluſionem, iterum de illis poterit inquiri, quia dolus, & fraus nemini opitulantur *c. fin. de colluſione detegenda.*

11 Si in cauſa beneficiali quis faciat colluſionem, qua pæna punitur ?

℞ Privatur beneficio, & cadit in cauſa. *c. audivimus de colluſione. detegenda.*

## CAPUT XII.

### De delictis puerorum.

1 Quis dicitur puer ?

℞ Ille, qui eſt à ſeptennio uſque ad 14. annum incluſive *l. pueri. ff. de verborum ſignificat.*

2 Puellæ uſque ad quem annum dicuntur pueri ?

℞ A ſeptennio uſque ad 12. annum *c. pueri de verborum. ſignifi.*

3 Quibus modis ſumitur in jure nomen pueri ?

℞ 1*mo*, filij alicujus hominis 2*do*, ſervi etiam ſe a genarij. 3*tio*, omnes qui ſunt in ætate puerili *l. pueri ff. de verb. ſign.*

4 Pueri poſſunt ne puniri ?

℞ Doli capaces, qui poſſunt comittere delicta, puniuntur, ſed mitius, quam adulti, quia ætas excuſat à tanto, ſed non à toto *c. de delictis puerorum*

5 Puer interficiens aliquem punitur ne pæna mortis ?

℞ Si eſt doli capax, punitur ſecundum conſvetudinem loci. *Abb. cap. referente de delictis puerorum num. 1.*

6 Puer percutiens Clericum incidit ne in excommunicationem canonis ?

℞ Affirmative, ſi ſit doli capax *c. referent. Abb. de delictis. puerorum num. 3.*

## CAPUT XIII.

### De novi operis nuntiatione.

1 Quid est novi operis nuntiatio ?

℞ Est quædam citatio facta legaliter ante judicem illi, qui ædificat in præjudicium alterius, ut cesset ab opere, donec in judicio præjudicium tollatur *Hostien. in sum. tit. de novi operis nunt. l. 1. ff. eod. tit.*

2 Quomodo fit novi operis nuntiatio ?

℞ Tribus modis 1*mo*, solo verbo, dicendo nuntio novum opus. 2*do*. per jactum lapidis. 3*tio*, per accusationem ante judicem, & judicis prohibitionem *Ber. in c. ex parte de verbor. significatione.*

3 Per quod tempus debet cessari ab opere, quando fit nuntiatio novi operis ?

℞ De jure Canonico per tres menses, in quibus debet docere de impedimento. *c. significan: de novi operis nuntiat.*

4 Si ædificans det fidejussionem de demoliendo, & destruendo, quid est faciendum ?

℞ In voluntate nuntiantis debet acceptare fidejussionem, vel facere, ut absolutè per tres menses cessetur ab opere *c. significant. de novi oper. nuntiat. Abb. ibi num. 1.*

5 Si intra tres menses nuntians non monstret , & doceat præjudicium Suum, poterit, ne qui ædificat ædificare ?

℞ In isto casu judex, data cautione de demoliendo, invito denuntiatore, poterit dare licentiam ædificandi. *Abb. c. significan. de novi operis nuntiati. n. 2.*

6 Si Ecclesia, vel aliquod ædificiū construatur post nuntiationem novi operis, quid debet judex sententiare ?

℞ Si, qui nuntiavit, obtineat sententiam , debet sententiare , quod talis Ecclesia distrahatur expensis illius, qui eam ædificavit, donec tale impedimentum tollatur *c. 1, de novi operis nunt.*

## CAPUT XIV.

### De Privilegijs, & excessibus privilegiatorum.

1 Quid est privilegium ?

℞ Principis beneficium contra jus commune indultum, nec diceretur privilegium, nisi aliquod indulgeret. *c. Abbate de verb. signif. in gl. & c. in his de privilegiis.*

2 Privilegium est ne lex.

℞ Est lex privatorum, quæ non omnibus convenit, sed aliquibus personis privatis, & exceptis à lege communi, *l. Isidor lib. 5 ethimolog. c. privil. 3. distinct.*

3 Privilegium quotuplex est ?

℞ Duplex, personale, & reale, *c. mandata de præsump. in gl. verbo sed. persona.*

4 Quid est privilegium personale ?

℞ Quod concessum est, alicui personæ particulari, & sequitur personā, & extingvitur cum persona, & aliquando sine extinctione personæ, si male illo utatur, ut habetur. *c. privilegium de reg. jur. in 6.*

5 Quid est privilegium reale ?

℞ Illud, quod conceditur rei, ut agro, vel Ecclesiæ, vel domui, 16. q. 7. *c. & hoc diximus. c. Abb. de verb. significat gl. in c. privileg. de reg. juris in 6.*

6 Quot sunt species privilegij ?

℞ Duæ, aliud est generale, aliud speciale *c. cum & plantare de privilegijs.*

7 Quod est privilegium generale ?

℞ Quod conceditur universitati, collegio, mulieribus, religionibus, Clericis, ut in. *c. cum, & plantare de privileg. c. si quis suadente.* 17. q. 4.

8 Quod est speciale ?

℞ Quod persona conceditur, & extingvitur cum persona *glos. in c. mandata ver, sed persona, de præsump.*

9 Quomodo judicandum est de privilegijs ?

℞ Visis, & consideratis in specie privilegijs , & eorum series , & ordo ad ungvem est observandus *c. porro, de privilegijs.*

10 Privilegiū est ne largè, vel strictè interpretandū?

℞ Privilegium est stricti juris, & nemo à finibus ejus debet recedere. *c. porro de privileg, & exces. in gl.*

11 Privilegium extenditur ne propter identitatem rationis ?

℞ Non, quia particulare non debet extendi ad generale, & privilegium procedit, & emanat ex mera liberalitate Principis, qui privilegium concedit quibuslibet, & alijs non *c. sane de privilegijs*

12 Exemptus ratione certæ rei, vel certi loci censetur ne generaliter exemptus ?

℞ Non, quia exemptio non extenditur, sed limitatur ad illam rem, vel locum , exra quem non est exemptio. *c. cum capella, de privil. & exces. privil.*

13 Si quis recipiatur sub protectione Summi Pont. censetur ne exemptus à jurisdictione Episcopi, vel alterius judicis ?

℞ Non , quia eximere aliquem à jurisdictione proprij judicis quid distinctum, & altioris conditionis est, quam protegere aliquem, cum in exemptione agatur de præjudicio jurisdictionis ordinarij. *c. ex parte, il. 2. de privileg. & exces. & Abb. ibi n. 1.*

14 Privilegia quomodo revocantur ?

℞ Cum citatione illorum, quorum interest *Abb. in c. cum olim, il. 2. de privileg. & excessibus privilegiator.*

15 Privilegium tollitur ne per generalem legem editam post datam privilegij ?

℞ Non, nisi de privilegijs in dicta lege fiat specialis mentio. *c. veniens de præscript. glos. ultima , in verbo nullam, littera M. c. de rescript.*

16 Si quis non utatur privilegio suo per spatium quadraginta annorum, poterit ne postea illo gaudere ?

℞ Non, immo perdidit illud, quia per non usum videtur illud renuntiasse *c. acciden. de privileg. in gl.*

17 Quibus ex causis perditur privilegium ?

℞ Multis ex causis 1*mo*, propter favorem , & ut cum aliqua Ecclesia alijs superioribus antefertur, propter favorem alicujus Principis. 2*do*, propter odium. 3*tio*, ptopter enorme damnum, quod de privilegio procedit. 4*to*, propter abusum. 5*to*, propter delictum 6*to*, propter negligentiam- 7*mo*, propter contractum factum. *glos. c. renovantes dist. 22. & adducit versus.*

Paupertas, odium, vitium, favor, & scelus, ordo.
Personam spoliant, & loca, jure suo.

18 Si privilegiatus faciat per multum tempus contra suum privilegium ignoranter, perdit ne privilegium suum?

℞ Si ignorantia sit invincibilis illum excusat, ut non perdat privilegium suum. *Abb. cap. si de terra, de privilegijs num. 7.*

19 Papa potest ne concedere privilegium de decimis non solvendis?

℞ Licet decimæ sint de jure divino, tamen Papa potest concedere privilegium laicis sæcularibus religiosis de eis non persolvendis. *Abb. c. si de terra de privil. num. 3.*

20 Poterit ne quis renuntiare suum privilegium?

℞ Poterit, quia liberum est cuilibet juri suo renuntiare. *c. si de terra, de privileg. Abb. num. 5.*

21 Ad hoc ut præscribatur contra Ecclesiæ privilegium, quod tempus debet currere?

℞ Debet currere spatium quadraginta annorum *c. si de terra, de privileg. c. accedentibus eod. tit.*

22 Quam pœnam incurrit, qui aliena privilegia derogat?

℞ Suis privilegijs privatur. *c. dilecti de privileg.*

23 Si aliquod instrumentum perdatur, potest ne probari per testes?

℞ Si testes sint instrumentales, vel si testes legerunt instrumentum, & referant contenta in instrumento, quod erat sanum, & non cancelatum probatur instrumentum, sed hoc difficile fit, ut testes habeant necessarias qualitates ad probationem scripturæ, si sit contradictio. *c. cum olim il. 1. de privileg. Abb. ibi num. 2.*

24 Perditio instrumenti probatur ne solum per juramentum perdentis?

℞ Ad probationē perditionis nō solum requiritur juramentum perdentis, sed plurimæ aliæ conjecturæ, & adminicula, hoc, ut probetur tale requiruntur testes *Abb. c. cum olim, il. 1. de privileg. num. 10*

25 Testes qui debent probare instrumentum perditum, quid debet probare?

℞ Locum, diem, annum, tabellionem, nomina testium instrumentalium & omnia substātialia ad probationem instrumenti & si in aliquo substantiali corruant, vel contra dicantur, nihil probant *Abb. c. cum olim, il. 1. num. 8. de privileg.*

26 Innovatio privilegij dat ne jus novum?

℞ Non, sed confirmat jus vetus. *c. quia il. 1. de privi.*

27 Privilegium cū quibus solemnitatibus iñovatur?

℞ Cum citatione partis, & auctoritate judicis superioris *c. quia, il. 2. de privileg. Abb. c. delicta de confirmatione utilli, vel inutili, num. 5.*

28 Dignitas Episcopalis quibus locis debet tribui?

℞ Non debet tribui, nisi locis populosis, quia hoc est privilegium dignitatis Episcopalis. *c. 1 de privile.*

℞ Possunt ne Episcopi celebrare tempore interdicti

29 Si non fuerunt culpabiles, celebrare possunt. *c. quod, de privileg. c. final. de sentent. excom. lib. 6.*

30 Privilegium fori defendit ne laicum inaudentem Ecclesiam, quo minus ab Ecclesia puniatur?

℞ Licet forum Ecclesiasticum sit distinctum à foro laicorum, non repugnat, ut laicus violans Ecclesiam puniatur ab Ecclesiastico *c. sicut de privileg.*

31 Mandans committi delictum in uno loco, ubi punitur, in l. ubi mandavit?

℞ Ubi fuit mandatum, quia ibi fuit prima occasio, & radix delicti. *Abbas c. patent. n. 5. de privil.*

32 Si quis Clericus depræhendatur in maleficio sine habitu, & tonsura, gaudet ne privilegio clericali?

℞ Non, sed quia malitijs hominum est indulgendum, sed potius obviandum, & sic talis potest capi sine metu excommunicationis à Judice laico, & postea remitti Judici Ecclesiastico cum processu *c. ex parte tua il. 3. de privil. Abb. ibi. n. ult.*

33 Patroni sæculares quam rationem habent in Presbiteros sæculares vel regulares?

℞ Nullam civilem, neque criminalem, nisi solum, quod possunt tempore vacationis eos ante Episcopum præsentare, & ante Episcopum exigere rationē redituum. *Abb. c. cum, plantare, de privileg. n. 6.*

34 Proprie quando dicitur aliquod esse novum?

℞ Durante 1. anno, quid dicitur novum, & post annum aliqua res proprie non dicitur nova *Abb. c. fin. de privileg. num. 1.*

35 Si quis habet privilegium de decimis non solvendis, & postea succedant novales, decimæ includuntur ne in priori privilegio;

℞ Non, quia in privilegio decimæ novales nō sunt expressæ, & Papa non intendit concedens privilegium alicui, ledere in re, quæ in judicium non erat deducta *c. dudum, de privileg.*

36 Decimæ novales erunt ne semper novalia?

℞ Quo ad immunitatem de decimis non solvendis de novalibus semper erunt novales quia principium considerandum est, & si res in principio est privilegiata, semper erit privilegiata *c. fin. de priv.*

37 Religiosi tenentur ne solvere decimas?

℞ Tenentur de jure *Abb. c. si de terra, de privileg. n. 2.*

38 Religiosi exempti debent ne percipere decimas à laicis sine licentia Episcopi diæcesani?

℞ Non, quia hoc est privilegium Episcopi, ut nemo sine sua licentia percipiat decimas *c. cum & plantare, de privileg.*

39 Religiosi exempti possunt ne admittere excommunicatos ad divina in suis Ecclesijs?

℞ Non, neque uti hoc privilegio *c. cum & plantare §. excommunicatos de privileg.*

40 Religiosi Hospitalis Hierosolymitani possunt ne celebrare absque pæna in loco interdicto?

℞ Ex privilegio solum semel in anno, sed non possunt sepelire corpora mortuorum *c. cum & plantare, §. quod. si de privileg.*

41 Religioso credendum ne est suo verbo, si dicat se habere privilegium?

℞ Nemini credendum est qui verbo dicat, se habere privilegium, nisi monstrato, & examinato prius privilegio *c. porro de privileg. in gl. Abb. ibi n. 1.*

42 Si quis dicat se esse exemptū à jurisdictione Episcopi, quia solvit censum suæ exemptionis Romanæ Ecclesiæ, sufficit ne hæc probatio?

℞ Non sufficit hæc probatio, ut quis eximatur à jurisdictione Episcopi, cum hæc sit de jure communi *c. recepimus, de privilegio.*

43 Cum Sumus Pont: concedit aliquam Ecclesiam aliquibus Religiosis, possunt ne ipsi sua auctoritate sumere possessionē?

 ℞ Non

℞ Non, sine licentia Episcopi, nisi aliud in hac occasione exprimatur;ratio est,quia ad hoc non debet derogari. *Conc. Trid.* quæ hanc auctoritatem dat Episcopis, ut sine eorum consensu non possint Religiosi accipere possessionem Ecclesiarum, neque novas Ecclesias ædificare *c. pastoralis. de privileg.*

44 Fratres tertij Ordinis S. Francisci gaudent ne Ecclesiasticis privilegijs?

℞ Non, sed à suis judicibus laicis judicantur, quia habitant in domibus suis,& non in claustris. *Abb. c. cum & plantare de privileg. num. 4.*

45 Fratres conversi, sive oblati gaudent ne privilegijs Religiosorum?

℞ Si sint extra claustra, vivantque in suis domibus non gaudent tali privilegio, & percutiens, & effundens eorum sangvinem non excommunicatur,quia hoc privilegium solum concessum est fratribus conversis,qui vivunt intra claustra monasterij, & se, suaq; perpetuo dicarunt Deo,*c.ut privilegia, de privileg. Abb. ibi c. num. 3.*

46 Hospitalia quibus privilegijs gaudent?

℞ Gaudent privilegijs concessis Ecclesijs, tam in exactione redituum,quam in defensione eorum, si hospitalia habeant Ecclesias, vel capellas cum capellanis *Abb. c: accedentibus, de privileg. num. 3.*

47 In Oratorijs privatis possunt ne poni campanæ publicæ?

℞ Non, etiam si oratoria sint exemptorum *c. patentibus, de privileg.*

48 Hospitalia præsumuntur ne Ecclesiæ publicæ, vel privatæ?

℞ Si in eis sit campana, vel celebretur Missa,præsumuntur publica oratoria, & auctoritate Episcopi constructa, etiamsi non habeant scripturam *Abb. c. patentibus, de privileg. n. 1.*

49 Oratoria privata in domibus, vel prope domus gaudent ne privilegijs Ecclesiarũ ad hoc,ut delinquentes non possint distrahi ex eis?

℞ Non gaudent tali privilegio, licet ibi celebretur Missa, quia illud privilegium solum concessum est Ecclesijs publicis sacratis, & benedictis. *Abb. c. patentibus, de privileg. num. 3.*

50 Ex qua causa potest interdictũ, positũ nõ servari?

℞ Si ille, in cujus favorem latum fuit interdictum, illud non servat, alij non tenentur illud servare, quia nemo debet alijs legem, & jugum imponere, quam ipse negligit *c. petistis de privileg.*

51 Si ille, contra quem positum fuit interdictum, illud non servat, tenentur ne alij illud servare?

℞ Tenentur, & ille talis debet puniri.*c.petist.de priv.*

52 Continuata possessio quommodo comprobatur?

℞ Probato principio, & fine, probatur continuata possessio, &talis præsumitur. *Abb. c. accedent. de privileg. num. 6.*

53 Quando in aliqua derogatione generali non fit mentio de privilegijs particularibus, vel de consvetudinibus, intelliguntur ne derogata, sicut in pluribus locis *Conc. Trid.apparent.dicta derogationes*

℞ Clausulæ generales, quæ solent apponi in Concilijs generalibus, & in bullis Summi Pontificis, dicentes, non obstantibus privilegijs, & consvetudinibus in contrarium, quæ omnia derogamus, quasi de ipsis facta fuisset expressa mentio; tunc ista verba ponuntur ad derogationem privilegiorum. 1mo,quia *Conc. Trid.* non potest inserere omnia privilegia,& consvetudines. 2do, quia alias totum Concilium nihil derogaret. 3tio, quia regulæ generales, quod privilegium non derogatur, nisi de illo fiat expressa mentio, intelligitur solum quando privilegium particulare derogatur ad damnum alicujus, & commodum alterius, sed non in lege generali derogans generalia, & particularia privilegia ad statuendam aliquã legem generalem magis necessariam Reipublicæ, & sic intelliendus est textus. *c. veniens de præscriptionibus, & gloss. ultima c. 1. de præscriptis, ver. mandatum litera C.*

---

# CAPUT XV.

## De purgatione canonica.

1 Quid est purgatio?

℞ Est ostensio innocentiæ de crimine obiecto *c. 1. de purg. canonica.*

2 Quotuplex est?

℞ Duplex canonica, & vulgaris.

3 Quæ est canonica?

℞ Quæ fit per juramentum solemne *c. 1. de purgat. canonica c. presbyter. 2. q. 5.*

4 Quæ est forma purgationis canonicæ?

℞ Purgans de damnato judicis tacta cruce; & sanctis Evangelijs, jurat se immunem esse à crimine sibi obiecto *cap. quoties, & cap.ult. de purgt. can.*

5 Compurgatores quid debent jurare?

℞ Se credere illum veritatem jurasse. *c. quoties,de purg. can. c. de test. de purgat. can.*

6 Quis numerus compurgatorum debet esse?

℞ Hodie est in arbitrio judicis, inspecta qualitate personæ, & delicti. *c. cum juventute, de purga. can. c. inter solicitudines, eod. tit.*

7 Quid debet judex considerare in dicenda purgatione canonica?

℞ 1mo, personam. 2do, delictum 3tio, tempus 4to, locum commissi delicti. *c. final. de tranjact.*

8 Compurgatores quas qualitates debent, habere?

℞ Debent esse viri bonæ vitæ, & famæ, & habere notum eum, quem purgant in vita, moribus, & fama, *c. cum Petrus. c. constitutus de purgat. can. & c. cum dilectus. eod. tit.*

9 Compurgatores debent ne à judice impediri, ne faciant compurgationem?

℞ Non. *c. cum petrus. de purgat. can.*

10 Deficiens in purgatione qua pæna punitur?

℞ Punitur, ut convictus secundum qualitatem *c. cum Petrus c. inter solicitudines de purgat. can.*

11 Judex potest ne compellere aliquem ad purgationem canonicam faciendam?

℞ Affirmative nam est, quoddam genus probationis,& defensionis à jure in favorem veritatis. *c. nos inter alios de purgat. canoni.*

12 In quo casu, & delicto debet judex concedere purgationem canonicam?

℞ Solum in delicto oculto improbabili, nam in delicto probabili, vel manifesto non conceditur purgatio canonica.*c.si quis de purg. canon. & c. accedens. eod. tit.*

13 Qui

13 Qui nō admittuntur ad purgationem canonicā?
℞ Perjuri, latrones, depræhensi in falso testimonio. *c. 1. de purgat. canonica.*
14 Regulares admittuntur ne ad purgationem canonicam?
℞ Affirmative, secundum jus, & regulā canonicam sui instituti *c. montales. de purgat. canonica.*
15 Prælatus debet ne jurare de calumnia?
℞ Potest, & debet jurare se post suam promotionem illa crimina non commisisse *c. accepimus, de purgat. canonica.*
16 Infamatus de natalibus ad suscipiendos, ordines debet ne se purgare?
℞ Affirmative, & non est admittendus, donec se purgaverit *c. accedens de purgat. canon.*
17 Ante purgationem canonicam potest ne quis suspendi ab officio, vel beneficio?
℞ Potest aliquando propter magnitudinem criminis. *c. inter solicitudines, de purgat. canonica.*

## CAPUT XVI.
### De purgatione vulgari.

1 Quæ est purgatio, vulgaris?
℞ Illa, quam sibi vulgus invenit c. ex tuarum, de canonica purgat. *Abb. in rubrica, de purgat. vulg.*
2 Quibus modis fit purgatio vulgaris?
℞ 1*mo*, per promissionem alicujus rei difficilis, vel impossibilis, vel quæ sine miraculo fieri nō potest, 2*do*, per tactum ferri candentis. 3*tio*, per tactum aquæ frigidissimæ, vel ferventis, ut per immissionem in fornacem ardentem, 4*to*, per saltum ex aliquo alto monte. 5*to*, per pugnam in duello, vel torneamentis contra unum, vel plures & hæc frequentior est, *c. mennam 2. q. 4. c. 1. de purg. vulg.*
3 Ista purgatio est ne licita?
℞ Non, sed reprobata, & condemnata à jure, & Sancto *Conc. Trid. c. 19. Seß. 25. c. ex tuarum de purg. canonica,*
4 Quare non est licita purgatio vulgaris?
℞ 1*mo*, quia inventa est ab invidia, & ignorantia. 2*do*, quia in ea Deus tentatur, & tentari non debet. 3*tio*, quia talis probatio fallibilis est, & sæpe potest innocens condemnari. *c. significantib. de purg. vulg. c. queritur. 22 quæst. 2. c. consuluisti. 2. quæst. 4.*
5 Si quis faciat purgationē. vulgarē, & absolvatur, poterit ne iterum accusari de eodem delicto?
℞ Talis absolutio non tenet, neq; est valida, & sic ea non obstante, poterit talis iterum accusari quasi non esset absolutus *c. ex tuarum de purg. can.*

## CAPUT XVII.
### De Injurijs, & damno datō.

1 Quid est injuria?
℞ Est illud, quod non fit jure.
2 Quare dicitur injuria?
℞ Quia talis res caret justitia, & jure *l. 1. ff. de. injur.*
3 Quibus modis sumitur injuria?
℞ Pluribus modis. 1*mo*, sumitur pro culpa 2*do*, pro iniquitate, vel in justitia, 3*tio*, pro contumelia 4*to*, pro injustitia, vel iniquitate judicanti *l. 1. ff. injurijs,*

4 Quibus modis fit injuria?
℞ Tribus, verbis, re, & literis; re, ut cum quis percutit aliquem verbis cum illum verbis injuriosis offendit; literis, cum quis contra aliquem scribit famosos libellos, *l. 1. ff. de injuriis §. 1. l. lex. Cornelia §. quis librum ff. de injur.*
5 Injuria quotuplex est?
℞ Triplex; una levis, cum quis leviter percutit alium 2*do*, atrox ut cum ferro, vel ligno, aut ense atrociter eum percutit. 3*tia*, atrocitissima, ut ut cum superiorem inferior percuteret, vel ei pararet insidias, ut per totum titulum *ff. de injur.*
6 Cui competit actio injuriæ?
℞ Ei, qui injuriam passus est, & contra eum, qui eum injuriavit *Inst. de injurijs, §. patitur.*
7 Si quis fecit injuriam alicui, & moriatur, datur ne hæc actio conrra suos hæredes?
℞ Non, sed morte finitur, quia delictum personale nascitur cum persona, & extingvitur cum persona *l. non solum §. 1. ff. de injur.*
8 Si quis fecit damnum cum injuria prætio æstimabili, & moriatur, quæ actio dabitur adversus ejus hæredes?
℞ Hæredes ejus tenentur de bonis defuncti satisfacere; quia hæc actio est civilis, & agitur de prætio æstimabili.
9 Si quis percutiat alium, qua pæna punitur?
℞ Criminaliter punietur pæna legis, sed civiliter solvet operas amissas, expensas factas in curatione, & si talis percussus remanserit minus habilis ad laborem, satisfaciat pro damno facto, præstando illi alimenta in futurum arbitrio medicorum peritorum, & judicis *c. 1. de injur Abb. ibi. n. 5*
10 Si quis provocabit alium ad pugnam, poterit ne contra illum uti ratione injuriarum, si ab eo fuit percussus, vel brachiū, vel manus. ejus abscissa
℞ Licet mitius puniatur provocatus, quam provocans, tamen non licet provocato persequi provocantem fugientem, sed solum licet defendere se cum moderamine inculpatæ tutellæ, si excesserit, poterit provocans accusare provocatum ante judicem, & pætere vindictam sui damni *l. si plagis § tabernar. ff. ad legem aquiliā Abb c. 1. de injur. n. 5*
11 Injuriatus potest ne simul agere criminaliter, & civiliter simul contra injuriantem?
℞ Non, sed separatim, ita tamen, quod si criminaliter in pæna mortis, vel corporis condemnet injuriātem, non poterit ab eo petere civiliter dānum, quia quis duplici pæna non punitur *l. prætor. ff. de injur. Abb. c. 1. eod. tit. num. 9.*
12 Si injuriatus remittit verbo, vel scripto injuriam, censetur ne remisisse suum interesse?
℞ Non, nisi illud explicet, & ita actione civili poterit petere damnum *Abb. c. 1. de injur. n. 6.*
13 Qui jurat se non petere damnum acceptum ab alio, poterit ne petere expensas?
℞ Poterit, quia damnum, & expensæ sunt duæ res distinctæ, & juramentum non extenditur plusquā ad rem juratā *c. in nostra, de injur. Abb. ibi n. ult.*
14 Delictum quando debet puniri à judicibus etiam parte contenta, vel non querelante?
℞ Semper quando concernunt vindictam, & exemplum

exemplum publicum. *Abb. c. de injuri. Seff. 1.*

15 Si quis fovet foveam, vel cifternam, & animal in ea moriatur, qua pæna punitur?

℞ Solvit prætium animalis, & animal mortuum fuum erit, quia qui caufam damni dat, ipfum damnum dare videtur *c. fi quis il. 1. de injur.*

16 Si quis ponat venenum in fluvio ad occidendos pifces, vel in alio loco ad occidenda animalia, fi ex hoc proveniet damnum hominibus, vel beftijs, qua pæna punietur?

℞ Omne damnum, quod fecerit, fatisfaciet, & fi hominem occiderit, punietur infpectata occafione culpæ *Abb. c. fi quis, il. 1. de injur. num. 2.*

17 Qui fuccendit ignem in agro cafualiter, qua pæna punitur?

℞ De jure civili redit damnum, & folvit fegetes crematas. *c. fi egreffus, de injurijs.*

18 Si quis de fua voluntate accendit domum, vel agrum, qua pæna punitur?

℞ Pæna mortis, quia in damnis latis attenditur voluntas, & eft excommunicatus in Bulla cænæ Domini tanquam incendiarius, & depopulator agrorum; *c. fi quis il. 2. de injur.*

19 Qui potuit obuiare damnum, & non fecit, qua pæna punitur?

℞ Si potuit obviare fine evidenti fuo periculo, cenfetur, quod ille facit damnum, & punietur, fed mitior fecundum quantitatem negligentiæ. *Abb. in c. fin. de injur. num. 4.*

20 Infantes, & furiofi tenentur ne ad damnum, quod fecerunt?

℞ Non tenetur, quia intellectum non habet, & ad folvendum damnum requiritur culpa, vel negligentia, hæc non cadit in furiofis, quia privati funt libero arbitrio *c. fin. de injur, & damno dato*

21 Si aliquis facit injuriam, vel dat damnum dicendo veritatem, qua pæna punitur?

℞ Nulla pæna, ficut qui libello accufat aliquem de latrocinio, vel expellit ad teftificandum contra ipfum teftem, opponendo effe ebrium & id probat, ad nihil tenetur, quia agit de fuo intereffe *c. teftimonium. de teft. c. licet, de accufation.*

22 Si accidat, quod provocatum animal, irrationale, aliud animal, vel hominem occidat pedibus, vel morfu, dominus tenebitur ne ad damnum?

℞ Non tenebitur ad damnum, quia animal caret ratione, & non tenetur ad moderamen inculpatæ tutelæ, *l. 1. ff. fi quadrupes pauperiem feciffe dicatur. Abb. cap. 1. de injur. num. 3.*

23 Si bos, vel equus aliquem occiderit non provocatus, ad quid tenebitur dominus equi?

℞ Si fciuit tale animal effe damnofum, & non cuftodierit, tenetur fatisfacere damnum pro negligentia comiffa *Abb. c. fi bos, de injur. num. 1.*

24 Si quis mittit jumentum in agrum, vel vineam alterius ad quid tenebitur?

℞ Ad fatisfaciendum damnum taxatum per æftimatores, & judicem *c. fi læferit. de injur.*

25 Si quis inveniat animal in agro fuo, poterit ne propria auctoritate illud retinere, donec fatisfaciat ei damnum dominus animalis?

℞ Non, quia retinet rem alienam contra voluntatem domini, fed poterit portare animal in locum communem, & petere a domino coram judice damnum, *Abb. c. fi læferit, eod. tit. noftro. n. 3. l. ratis, ff. de incendio. ibi Bart.*

26 Sæcularis poteftas, quæ clericum bannivit, vel incarceravit, qua pæna punietur, & per quem judicem?

℞ Per Judicē Ecclefiafticu, & talis judex condemnandus in expenfis, & in damno, & injuria clerico facta, quia banna contra libertatem Ecclefiafticam non tenent. *c. olim de injur. c. fi quis fvadente, clementinam 1. de pænis.*

27 Pæna pæcuniaria impofita laico, cui debet applicari, & qualis debet effe?

℞ Debet applicari Clerico injuriato, & taxari fecundum qualitatem injuriæ, confiderata perfona injuriata, dignitate facerdotij, caufa publicata, fcandalo, tempore, & confiderata perfona injuriantis, quæ omnia relinquntur arbitrio judicis Ecclefiaftici *Abb. c. olim, de injur. num. 3.*

---

# CAPUT XVIII.

## De Verborum fignificatione.

1 Significatio quid eft?

℞ Eft demonftratio facta proprij nominis, vel rei, de qua agitur, ut intelligatur ejus veritas, & effentia, *Azor in fum. tit. de verb. fignif.*

2 Verba quomodo funt interpretanda?

℞ Non fecundum, quod fonant, fed fecundum mentem proferentis, quia verba inventa funt ad explicandum, & declarandum conceptum mentis, cum voces, & verba ex Ariftotele fint fignificativa ad placitum. *c. intelligentia, de verborum fignificat.*

3 Præpofitus quas fignificationes habet?

℞ Licet omnes, qui alijs præfunt, vel curam aliorum habent, dicantur, qui habet beneficium, vel præpofituram. *c. quamvis de verborum fignificat.*

4 Forus unde dicitur?

℞ Forus eft locus proprie, ubi lites terminantur, dicitur à fando, five à Rege foraneo, qui primus dedit leges Athenienfibus, & conftituit forum, five locum, ubi judices convenirent. *c. forus, de verborum fignificatione.*

5 Forum quid fignificat?

℞ Si eft generis neutri fignificat campum, plateam, vel forum, ubi publice res venduntur, & homines conveniunt; quando eft generis mafculini fignificat locum conftitutum ad judicandum, vel privilegium, quod Clericus habet, ut in foro Ecclefiaftico, ut in tali conveniatur. *Abb. c. forus, de verborum fign. num. 1.*

6 Quid eft pactum?

℞ Pactum dicitur fcriptura inter partes facta ratione pacis legibus, ac moribus comprobata, & dicitur pactum quafi ex pace factum *c. pactum, de verb. fignificat.*

7 Jus unde dicitur?

℞ A jure *c. jus, de verborum, fignificat.*

8 Oblatio quid fignificat?

℞ Quidquid à fidelibus Ecclefijs offertur, cujuscunq; generis fit *c. fua de verborum fignificatione c. c. cum inter eod. tit.*

9 Quid

9 Quid requiritur, ut aliqua res data Ecclesijs dicatur oblatio ?

℞ 1mo, quod offerens sit Christianus, quia ab infidelibus nihil Ecclesia, recipit, *ut c. quanto de usuris.* 2do, ut offeratur Ecclesijs, & non personæ sæculari, tunc proprie dicitur dotatio. 3tio, quod res oblata sit bono jure acquisita *c. quia de usuris c. ex transmissa,de decimis Abb.c causæ,de verbor,sign.n.* 1.

10 Appelatione Clerici veniunt ne Canonici ?

℞ Veniunt in omnibus favorabilibus, cum Clerici sint, & canonicatus sit quædam dignitas , & honor supra clericatum augens eorum privilegia *cap.cum Clerici, de verbo signi.*

11 Quando judex ponit aliquam pænam,quam debet imponere ?

℞ Ex duabus pænis debet ponere illam, quæ magis timetur, ut homines arceantur à delictis. *Abb. cap quærenti de verb sign. n.* 3.

12 Appellatione Eeclesiasticæ censuræ quid comprehenditur ?

℞ Excommunicatio, suspensio, interdictum, & cessatio à divinis c. *quærenti de verbor. signific.*

13 Quis dicitur hæreticus manifestus ?

℞ Ille,qui contra fidē Catholicā publicè prædicat.

14 Quando dicitur lis mota ?

℞ Quando fuerit contestata,& nō ante, & quando quis condemnatur in expensis à tempore motæ litis, intelligitur, & numeratur tempus à die contestationis. *c. ex parte,de verb. signif. n.* 2.

15 Moderatio quid dicit ?

℞ Diminutionem, & non augmentum. *c. fin. de verb sign.*

16 Dictiones negantes aliquid fieri certo tempore, dicunt ne illud factum esse alio tempore ?

℞ Non,quia negativa stricta certo tempore non affirmat illud factum esse alio tempore , sicut si quis dicat, Petrus non fuit interfectus hora tertia, non ideò dicit, & affirmat, quod fuerit interfectus hora 6 *Abb.c.quod dicitur,de verbor. signif. n.*2.

17 Quid appellatur novale ?

℞ Illud, de cujus cultura non est memoria, vel mons quando sublatis arboribus reducitur ad culturam tritici *c. quid, de verbo. sign.*

18 Quod est novale ?

℞ Est terra nova ad culturam redacta *c.* 1. *de verborum significatione.*

19 Quando dicitur aliqua res nova ?

℞ Quando est tota nova, neque sufficit, si aliqua pars sit nova *Abb. c.* 1. *de verb. signif. num.* 2.

20 Si factū vario modo narretur, vitiaturne veritas ejus ?

℞ Non,quia diversis verbis, & diverso modo potest eadem veritas explicari,& dici,& non ideo eadem veritas vitiatur *c. nihil. de verbo. sign.*

21 Hoc nomen pater quibus modis sumitur ?

℞ Si stricte sumatur , ponitur pro patre, qui hominem genuit. Si large sumatur , appellatione patris veniunt omnes ascendentes *c. nam & Rex de verb. significat.*

22 Filij appellatione qui nominantur ?

℞ In ista significatione solum filij, quos pater genuit, in larga significatione veniunt omnes descendentes ab alio patre, ut nepotes, & reliqui *Abb. c. nam,& Rex,de verbor. significat num.* 4.

23 Quis dicitur unigenitus ?

℞ Propriè ille,qui non habuit alium fratrem vel si habuit in continenti decessit. *c. nam. & ego & Abb. ibi num.* 1. *de verb. signif.*

24 Qui statim decessit,dicitur ne natus ?

℞ Non dicitur natus, quia proprie non dicitur factum, qnod non durat factum *c. nam & ego, de verbor. signif. in gloss.*

25 Primo genitus quis dicitur ?

℞ Qui 1mo, nascitur , licet nullus sequatur , sive alij sequantur, *c. Ioseph. de verb. signific.*

26 Si præmium debet dari primo venienti, & non veniat, nisi unus, dabitur ne ei

℞ Licet 1mo, veniens in dicet, quod alij debent venire post eum,tamen si non veniat,nisi unus, illi debet dari,quia sic usus interpretavit. *Abb.c. Ioseph. de verb. sign. num.* 4.

27 Concilium generale quam potestatem habet ?

℞ Habet illam potestatem, quam habet Papa, cum ejus auctoritate est congregatum; ratio est, quia omnis auctoritas à Papa emanat. *Abb. c. super de verb. sign. num.* 3.

28 Cujus est inter pretari leges ?

℞ Ejus, cujus est condere *c. ex Parte, in.* 3. *de verb. sign. in gloss*

29 In omni judicio quæ personæ requiruntur ?

℞ Quatuor judex, accusator. reus, & testis, *gloss. c. forus. de verb. sign.*

30 Sententia definitiva potestne fieri per hoc verbum statuo, & præcipio ?

℞ Affirmativè, quia idem est, ac si dixisset, sententio hoc, dicere statuo , & præcipio hoc, *c. in ijs de verboru signif.*

31 Excommunicatus, vel interdictus, quando dedebet absolvi præstita cautione ?

℞ Quando est excommunicatus ob contumaciam, & ob delictum dubium, tunc præstita cautione de stando juri', absolvitur; si vero sit excommunicatus ob offensam manifestam, tunc debet satisfacere ante absolutionem *c. ex parte, in.* 1. *de verb. signif.*

32 Cautio juratoria quando recipitur ?

℞ Quando alia haberi non potest ob paupertatem. *Abb. c. ex parte, in.* 1. *de verb. signif.*

33 Quando dicitur delictum manifestum ?

℞ Confessione,probatione, facti evidenti a. *c.cum olim, de verb. sign.*

34 Quis potest imponere pedagia ?

℞ Solus imperator, vel Rex, vel Domini absoluti *c. super de verb. sign.*

35 Pro quibus delictis potest Clericus degradari, & tradi curiæ sæculari ?

℞ 1mo, propter incorrigibilitatem in crimine gravi. 2do, propter conspirationem in suum Episcopum 3tio, propter falsitatem in Bullis Apostolicis. 4to, propter pertinaciam in crimine hæresis, vel si fuit relapsus. 5to, si sit assassinus 6to, si sit publicus prædator , vel incendiarius , & in alijs gravissimis delictis, quæ diversis in locis exprimuntur in jure. *Abb. in c. novimus, de verborum signific. num.* 8.

36 In degradatione Clerici quæ solemnitas debet intervenire ?

℞ Ultra Episcopum, & cæremonias degradationis, 7: Abbates, vel dignitates,debet potestas sæcularis esse præsens. *c. novimus de verb. sign.*

37 Consvetudo , cujus non extat memoria, quam vim habet ?

℞ Inducit jus, sive privilegium. *c. super de verb. signif. in gloss.*

38 Cõsvetudo requiritne titulum, vel privilegium

℞ Non, neque principium , quia si haberet privilegium, haberet principium, & non esset tam fortis, sicut illa, cujus non extat memoria *Abb. c. super num. 9. de verb. sign.*

39 Beneficiũ Principis quomodo debet interpretari?

℞ Latissimè, quando non est in præjudicium alterius *c. olim de verb. signif.*

40 Consvetudo, quod Clerici possint disponere in testamento,vel extra,de bonis acquisitis,valet ne?

℞ Valet, quia est in favorem Clericorum *Abb. c. cum tibi de verborum signif. num. 2.*

41 Quando quis habet privilegium de percipiendis fructibus suorum beneficiorum in absentia, vel post mortẽ per quinqueñium, de quibus beneficijs intelligitur ?

℞ De omnibus beneficijs majoribus & minoribus, quæ obtinet tempore concessionis; ratio est, quia cum nullus habet jus acquisitum ad illa beneficia non est in damnum alicujus, & sic largeest interpretandum ex regula , odia debent restringi. de regulis juris in *6. c. tua nobis de verb. signif.*

42 Quando licite conceditur hoc privilegium de percipiendis fructibus post mortem ?

℞ Quando quis habet plurima debita,& consumpsit bona sua in re aliqua licita, & necessaria , vel utili Ecclesiæ sicut in legatis pro Sede Apostolica, in defendendo suam Ecclesiam, in ædificandis, & reparandis Ecclesijs , vel monasterijs, in nubendis orphanis, etiam si sint ejus sorores, vel nepotes secundum qualitatem sui status. *Abb. c. tua nobis, num. 2.*

43 Numerus Canonicorum potest ne minui ?

℞ Potest à Sum. Pont. quando facultates Ecclesiæ sunt ita diminutæ , ut non possint vivere considerato tempore, & pretio rerum, quod singulis annis crescit qualitate personarum, & magnitudine Ecclesiæ *c fin, de verb. sign. num. 2.*

44 Si alicui datur potestas à Sum. Pont.ut diminuat Canonicos causa diminutionis redituum , & postea reditus crescant, potestne iterum augere Canonicos, sicut diminuit ?

℞ Non, sine nova commissione à Papa; ratio est, quia commissio extendi non debet, neq; fines mandati transgrediendi sunt, & delegatio non extenditur ultra casum expressum *Abb. c. fin. de verbor signif. num 5.*

45 Testes dicuntur ne singulares , si conveniunt in facto, & discrepant in serie; & domo dicendi?

℞ Non, sed uniformes, quia concordant in eodẽ facto, & veritate *c.nihil de verb sign. Abb.ibi n. 1.*

46 Si quis testes inducat ad probanda aliqua verba formalia, & certa,veluti aliquod verbum injuriosum , sicut latro , probant ne , si dicant verba sæquipolentia ?

℞ Non, quia agitur de certo verborum, sive individuo injurioso, & sic debent concordare in tali verbo injurioso *Abb.c.nihil,de verb sign.num.2.*

47 Si unus testis dicat suum dictum, & alij dicant eadem serie, & eodem modo per eadem verba, talis testis probat ne ?

℞ Habentur, ut suspecti, & quod omnes sint corrupti, ut eodem dicant sermone, ut habetur.*l.3. post princip.ff.de test,Abb.c.nihil,de verb.sign.num.3.*

48 In testibus quid consideratur ?

℞ Tria scilicet natura, vita, & conditio *gloss. c. forus de verborum signif.*

49 In muliere teste quid est considerandum ?

℞ Ultra illa tria, earum instabilitatem, quia semper varia proferunt, & sunt testimonia non ita valida, sicut virorum *c. forus, de verb.sign. in gloss.*

# CAPUT XIX.

## De regulis Juris.

1 Judex quas qualitates debet habere ?

℞ Debet habere misericordiam , & severitatem, & non unum sine alio *Abb.c.estote de reg juris n.3.*

2 Obligatio temporalis quomodo contrahitur , & dissolvitur ?

℞ Obligatio temporalis consensu contrahitur, dissensu dissolvitur *c. de regul. juris.*

3 Copia indiciorum ad torturam, est ne danda reo?

℞ Si petat,est illi danda copia indiciorum, & est admonendus , ut absq; tortura dicat veritatem. *Abb c. cum in contemplatione, de reg. jur. num. 3.*

4 Tortura potest ne dari, si veritas aliunde potest haberi ?

℞ Non, neque quando causa est plenè probata. *c. cum in contemplatione Abb. ibi num. 2.*

5 Tortura quomodo debet esse ?

℞ Moderata, ita quod tortus servetur incolumis ad supplicium, vel libertationẽ.*c.quæst.ff.de quæstio.*

6 Confessio facta in tortura præjudicatne ?

℞ Non præjudicat reo tanquam facta per vim, nisi ratificetur extra locum torturæ, in termino 24. horarum, quia tunc jus præsumit, quod liberè, & absque metu quis dicit veritatem. *Abb. c. cum in contemplatione, de reg. jur. num 7.*

7 Quid debet considerare Judex ad atrocitatem,vel lenitatem torturæ ?

℞ Gravitatem, vel paucitatem delicti, personam robustam, vel debilem, ætatem, infirmitates, indicia magna, vel pauca , his bene consideratis debet dari adæquata his circumstantijs. *Abb. c. cum in contemplatione, de reg. juris num. 6.*

8 Testis quando potest torqueri ?

℞ In criminalibus torquetur, quando vacillat, & quando alij testes dicunt ipsum scire casum, & fuisse præsentem, & ipse non vult dicere veritatem *Abb.in c. cum in contempl.de reg.juris. n. 10.*

9 In qua ætate non potest quis torqueri ?

℞ Minor 14. annorum completorum torqueri non potest, licet vacillet in suo dicto. *l. 1. ff. ad Sillanianum §. impubes.*

10 Qui non possunt torqueri ?

℞ Nobiles præcipuè inRegnisHispaniæ,Clerici,Doctores,Dignitates,milites gaudẽt hoc privilegio,infirmi, se-

mi, senes, pueri, mulieres prægnantes; monachi, moniales, tãtum in certis criminib9, veluti in crimine læsæ maiestatis humanæ, vel divinæ *Abb. cum. de reg juris. nu. 6. & 10. l. 1 § impubes. ff. ad sillanianum.*

11 Ignorantia quando excusat prælatum in peccatis subditorum?

℞ Quando fuit vigilans, & fecit debitam diligentia, & non potuit habere testes adpuniendum. *c. quamvis. de regulis juris. Abb. ibi num. 2.*

12 Quando quis accipit rem spiritualem administrandam, debet ne præstare homagium?

℞ Non, quia pro spiritualibus nulla pactio est licita. *cap. indignum, de reg juris.*

13 Pro obedientia præstãda recipiturne jutamẽtũ?

℞ Affirmativè. *c. nullus de jurejurando, & ibi Abb. num. 2. & c. quanquam, 13*

14 Quæ est differẽtia inter homagiũ, & juramẽtũ?

℞ Homagium proprie est juramentun concernens res temporales, quod faciunt in manibus alicujus militis, vel ducis, Gubernatores, Castellani Regum, cum suscipiunt Provincias gubernandas à suis principibus ponendo plicatas duas manus inter manus talis ducis, qui accipit homagium nomine sui Regis, & cum ejus auctoritate, quod hispani vocant, *pleito hom nage*, & ideò homagium non competit rebus spiritualibus juramentum est fides data, teste Deo, & ideò competit rebus spiritualibus, sic intelligitur. *c. indignum, de reg. jur. & Abb. ibi num. 2.*

15 Dubia quomodo sunt interpretanda?

℞ In meliorem partem, quia potius debemus præsumere bonum, quam malum. *c. estote, de reg. jur.*

16 Quis dicitur sacrilegus?

℞ Ille, qui offendit rem, vel personam Ecclesiasticam, quia qui res Ecclesiæ inuadit, sacrilegium committit. *c qua multoties, de reg. jur.*

17 Potestne quis dicere mendacium, ut proximus euitet injuriam suam?

℞ Non & si jurat, manet periurus. *Abb. in cap qui scandalizaverit, num. 1. de reg. jur.*

18 Veritas debetne omitti propter scandalum?

℞ Non, & sic jus commune, & justitiam pro nullo scandalo debet omitti. *c: qui scandalizaverit, de regulis juris.*

19 Peccatum minimum est ne committendum ad evitandum majus?

℞ Licèt de duobus damnis minimum sit eligendum, hoc intelligitur, quando necessariò unum, vel alterum est sequendum, tamen peccatum minimum non est faciendum ad evitandum in alijs majus. *Abb. c. qui scandalizaverit num. 2. isto tit.*

20 Committens unum peccatum mortale, vel delictum, quam pænam habet?

℞ In foro animæ factus est omnium reus, & damnatur, etiam si fecerit multa bona opera; in foro exteriori habet pænam tali delicto in legibus positam. *c. doleat, de reg. jur.*

21 Judex debetne incipere à tormentis?

℞ Non, sed prævijs, indicijs, & aliquali probatione justificando tormentum. *c. cum de reg jur.*

22 Si sit obligatio spiritualis, ut votum, dissoluiturne dissensu voventis?

℞ Non, sed dispensatur à superioribus, vel commutatur. *Abb. c. 1. de reg. num. 2.*

23 Necessitas teneturne observare legem?

℞ Non, quia necessitas caret lege, immò propter necessitatem furtum alicui illicitum fit licitum. *cap. quod, in 1. de reg. jur.*

24 Quod latenter introductum est, debet ne subsistere?

℞ Non, neque quod licitè introducitur, quia fraus & dolus nemini patrocinatur, *c. quod, in secundo, de regul. jur.*

25 Qui facit aliquid invitus, quod præmium habet?

℞ Nullum, immò si quis invitus servit, præmium, & meritum perdit, *qui ex timore de regulis juris.*

# LAVS DEO.



# INDEX.
# RERVM NOTABILIVM
## QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR ORDINE ALPHABETICO, DIGESTUS.
### In quo primus numerus, paginam; 2dus Capita ubi dantur plura: 3tius quæsita demonstrat.

A



Appel-

B



C

Com-

D

E

F



Forum

Iudex

Mutu-

*FINIS*



